BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
Dono
del Commend. Carlo Lessona [?]
D III. 364.



Antonius Arnaldus

CAUSA ARNALDINA
SEU
ANTONIUS ARNALDUS
DOCTOR ET SOCIUS SORBONICUS

A Cenſura Anno M. DC. LVI. ſub nomine Facultatis Theologiæ Pariſienſis vulgata

VINDICATUS

Suis Ipſius aliorumque Scriptis, nunc primùm in unum volumen collectis:

QUIBUS

S. AUGUSTINI & S. THOMÆ DOCTRINA,
De Gratiâ efficaci & ſufficiente,
dilucidè explanatur.

REVERTIMINI AD JUDICIUM. Danielis XIII. 49.

LEODICI EBURONUM,
Apud JOANNEM HOYOUX.
M. DC. IC



PRÆFATIO

In qua ad pleniorem Cauſæ Arnaldinæ notitiam plurima præmittuntur de ipſo Arnaldo ſingularia.

CLariſſimi ARNALDI Scripta pleraque Apologetica adversùs Cenſuram Pariſienſem, antè quadraginta annos ſeparatim edita, in unum nunc collecta volumen, nova luce donaturus, dicturuſque de immerita abdicatione quam adversùs ſummum Virum decrevere Cenſores, rem nec Lectori ingratam, nec ab argumento alienam facturum me confido, ſi priùs ſtudia ejus Sorbonica totamque Doctoratus ejus hiſtoriam paucis retexuero, in Exterorum præſertim gratiam, qui nullam Viri notitiam niſi ex æmulorum ore ſcriptiſve hauſerunt.

ANTONIUS ARNALDUS utrique Parenti, unico matrimonio conjunctis, natorum viceſimus & ultimus acceſſit, non ſine ſingulari Dei tu- *1. Arnaldi natales.*

tela; poſtremi quippe illorum ante ipſum Liberi in ipſo ortu morti occubuerant. Pariſiis natus eſt anno 1612. die ſextâ Februarii, hora noctis undecima, Patre Antonio, ex antiqua, nobiliſſima ac magnorum Virorum feraciſſima apud Arvernos & Pariſios Familia; Matre verò Catharina Marion Regii in Senatu Pariſienſi Advocati Filia. Poſtridie ex ſacro fonte renatus eſt in Parochiali S. Mederici Eccleſia, hora poſt meridiem ſecunda. Ante ſeptimum ætatis annum Patre optimo amantiſſimoque orbatus, Præceptorem in eo ſcientiſſimum amiſit vitæque Magiſtrum, qui Antonii ſui ingenium moreſque formare & Litteris excolere jam tum cœperat.

Poſt emenſum amœniorum Litterarum ſtadium in Calvico Sorbonæ Collegio, (ut totus Sorbonicus etiam à teneris eſſet) ad Juris Civilis ſtudium, paterna premens veſtigia, ſe contulit. Verùm ab eo ad Theologicum, piiſſimæ Matris inſtinctu, Sanctiſſimi Viri conſilio & monitis, Dei ipſius, ut patuit, nutu, non multo poſt tranſlatus eſt.

2. Studia Sorbonica. Sorbonæ ſcholas ingreſſus, anno 1633. Tractatum de Gratia excepit in Sorbona ſub Jacobo Leſcot Doctore & Profeſſore Sorbonico, poſt Epiſcopo Carnotenſi. Hic cum nihil aliud quàm merum Vaſquezium in compendium redactum Auditoribus ſuis traderet, facilè intellexit Arnaldus, qui jam tum non indiligenter Auguſtinum evolvebat, quàm fluxis fragilibuſque fundamentis Præceptoris ſui doctrina niteretur.

3. Primæ Theſes Auguſtinianæ. Itaque in Theſibus anno 1635. compoſitis ac defenſis *pro Tentativa*, ut loquuntur, *Actu*, hauſtam ex fontibus Auguſtini doctrinam luculenter expoſuit, ut quiſque poterit ex ipſis Theſibus

ſibus, ad collectionis hujus calcem recuſis, percipere. In primis duos Auguſtinianæ doctrinæ cardines propugnavit, quorum alter eſt diſparitas Gratiæ homini ſtanti lapſóque collatæ; alter, diſparitas Prædeſtinationis hominum & Angelorum, prout ab Auguſtino in libro De correptione & gratia traditur: ſic breviter complexus quidquid variis poſtea libris fuſiùs explicavit.

Hæc quinque ferè annis ante vulgatum Janſenii librum facta ſatis indicant, quàm nullo partium ſtudio Auguſtinianam doctrinam ſit amplexus. Theſes autem iſtas tametſi menſe Julio anni 1635. ut præ ſe ferebant edita exemplaria, tueri decreverat, tamen pleuritide præpeditus nonniſi ſequenti menſe Novembri defenſitavit, collectóque tum Gallicanæ Eccleſiæ Conventui dedicavit. Actui magnus Epiſcoporum numerus interfuit, peractaque omnia ſumma omnium gratulatione & plauſu, nemine adversùs doctrinam in Theſibus propoſitam vel muſſitante. Quàm iniquo animo tulerit Leſcotius hunc primum diſcipuli ſui conatum, quàm alta ipſi mente repoſita manſerit ſpretæ ſuæ injuria doctrinæ, non una occaſio docuit. Exinde Arnaldus totum ſe S. Scripturæ, SS. Patrum, totiuſque antiquitatis Eccleſiaſticæ lectioni immerſit.

Licentiæ curriculum ingreſſus eſt anno 1638. jam tum Hoſpes Sorbonicus & inſignis Eccleſiæ Virodunenſis Canonicus. Primas licentiæ Theſes, quæ totæ erant de Chriſto & Chriſtiana lege cum veteri & naturali comparata, propugnavit ſolido die 12. Novembris ejuſdem anni, nempè pro illo Actu ſeu Exercitatione, quæ SORBONICA nuncupatur. De

4. Licentiam ingreſſus pro Sorbonica reſpondet.

Chriſto ejuſque in Deum Patrem amore, obedientia & libertate hanc ſententiam tuetur, Auguſtinianæ doctrinæ in primis conſentaneam: *Quis autem minùs efficacem fuiſſe credat, vel amorem erga Deum Patrem & homines fratres, vel obedientiam erga paterna mandata, ſine quorum præſcripto vix crediderim eum unquam quicquam peregiſſe? Neque cauſeris ab illis actionibus abfuiſſe arbitrii libertatem; quam tanto majorem reperies, quanto divina illa, quam ſola divinitatis junctio Chriſto tribuit, ἀναμαρτησία, ſupremo illum fini arctiùs colligabat.* De lege verò Chriſtiana hæc habet: *Novus Homo novis hominibus nova dedit præcepta, à corporeis quidem oneribus ſolutiora, longè tamen accuratiora perfectioraque Moſaïcis, & quæ decerent Adoratores in Spiritu & Veritate. Lex igitur Evangelio gravior, non tam ob ea quæ præſcriberet, quam quòd Spiritu gratiæ vacua, ſine quo nihil prorſus boni fit ab homine, reos tantùm facere nata erat jubendo, non adjuvando: prævaricationis enim gratiâ poſita eſt, ut inveniretur infirmitas, nec tantùm ut inveniretur, ſed etiam ut augeretur, & vel ſic Medicus quæreretur. Evangelica verò Lex in cordibus ſcribitur, dum in illis per Spiritum Sanctum diffunditur Charitas: ideóque jugum ejus ſuaviſſimum eſt, licet majora præcipiat: Quid enim grave eſt amanti?*

5. Fit Subdiaconus & totus in corde innovatur.

Hac Exercitatione defunctus Arnaldus, in Jejunio decimi menſis proximè ſequentis *in Hypodiaconum conſecratus*, ut ipſe narrat, *primum ad altare gradum aſcendit*: poſtquam quindecim dies totos in pio ſeceſſu tranſegiſſet. Sed mirum quid omninò ei accidit, ex quo elucet quàm abundè ſeſe in cor ejus gratia divina effuderit in ſacra Ordinatione. Tanta quippe tunc eum invaſit ſacri miniſterii reverentia & ſacer horror, præſertim quod illud infra Theologicam palæſtram & doctorales

les inſulas dejeciſſe videretur, dum ad iſtas per ſacrum Ordinem ſibi gradum feciſſet, ut gravis ſe delicti reum judicans pedem è Sanctuario referre cogitarit. Gradus ipſos Theologicos Doctoriſque munus novis etiam oculis cœpit conſpicere, vehementerque timere, ne non ſatis perpenſa divinæ Veritatis dignitate, cui docendæ & tuendæ ſacrum iſtud magiſterium deputatur & conſecratur, illud ambiiſſet. Totus igitur in alium virum, Vir alioquin vitæ integritate & caſtiſſimis moribus præditus, mutari viſus eſt. Scriptis 24. Decembris ejuſdem anni Litteris ad Virum pietatis & doctrinæ fama celeberrimum, totum ſe tunc primùm illi tradidit ad Evangelii ſtrictiſſimas leges & mores inſtituendum; omnes illi animi ſenſus candidè expoſuit, & ut omnem vitæ ejus rationem in aliam commutaret, ſi ita videretur, plenam poteſtatem illi fecit. Timuit reapſe Vir ille, quem conſcientiæ ſuæ arbitrum elegerat, abſentem licet, ne quid humani illi accidiſſet; & ne, ſi non temerè, ſaltem præcipitanter nimis ad utrumque illud miniſterium acceſſiſſet. *Species decepit te*, inquiebat, veritus ne conſuetudine & exemplo abreptus & muneris ſplendore oculos perſtrictus, ad illud ſe ipſe deſtinaſſet.

Viſus eſt etiam Litteris Arnaldi, quibus ſe mirum in modum dejiciebat, deceptus, deteriora de illo ſuſpicari. Quibus in altera Epiſtola occurrendum ſibi eſſe, pro candore ſuo, putavit Arnaldus: *Exciderat*, inquit, *monere, nulla me ambitione motum aut famæ quærendæ deſiderio (quæ infinita erga me Dei benignitas fuit) ad Doctoris inſignia aſpiraſſe; ſed potiùs vitæ quam inieram ratione & ſerie illuc miſerè deductum. Addam inſuper, Pater mi, è maximis vitiis quorum* 6. Vitæ ac morum puritas.

rum

rum me reum apud Deum ſentio, unum eſſe deſidiam & ad inutiles occupationes propenſionem nonnullam, potiùs quam humanæ gloriolæ libidinem. Teſtatur interim coram Deo nulla ſe ratione à ſequendis ejus conſiliis averſum iri, & quamvis poſt initas Licentiæ exercitationes, poſt defenſas Theſes, non poſſet & Licentiæ & Sorbonæ in qua hoſpitabatur, vale dicere, quin invidioſos de ſe & de aliis ſermones exciturus eſſet, ad omnia tamen abruptè dimittenda paratiſſimum ſe eſſe.

Sed quò minùs eorum ſe cupidum exhibuit Arnaldus, eò magis cenſuit Vir ſapientiſſimus ab illis doctiſſimum Theologum avocandum non eſſe: Immò autor fuit ut nec Sorbonæ nec Licentiæ laboribus ſe ſubtraheret, & ut in iis, ſed longè purioribus animis, inſiſteret, ac unius Dei & Christi Domini gloriæ, Veritatis amori, Eccleſiæ utilitatibus, illos addiceret.

7. In Theſibus pro Minore ordinaria Primatum Pontifici ex jure divino aſſerit.

Novos igitur ſumens animos totum ſe Veritati vovit & Eccleſiæ, cœptúmque iter peragens egregias Theſes 21. Novembris anni 1639. *pro Minore*, ut aiunt, *Ordinaria* defendit, quæ mira ac ſtupenda eruditione ſunt refertæ. Eas merito jure nuncupavit, *Unicæ Columbæ cujus gemitu peccata ſolvuntur*, cum iis totam Eccleſiæ materiam complexus ſit, ejuſque jura, dotes, doctrinam, unitatem, Traditiones, Ritus, Principes, ſacramque adeò illius hierarchiam adversùs hæreticorum & ſchiſmaticorum errores & calumnias animosè vindicarit. In primis verò Sedis Apoſtolicæ ſummíque Pontificis Primatum tanquam à Deo Chriſtoque ejus conſtitutum, ac proinde juri divino innixum, apertè defendit, & Catholicæ Eccleſiæ Unitatem ex eo capite ſummopere commendat:

Una

Una eſt, inquit, *quia Cathedra Petri noſtra eſt*, *quæ* EX DIVINA SUPREMI PASTORIS LEGE ORIGO ET CENTRUM EST ECCLESIASTICÆ UNITATIS, *quod Formatis Litteris ſatis Veteres profitebantur: Ad quam propter potentiorem principalitatem omnem Eccleſiam convenire neceſſe eſt: Penes quam ſollicitudo omnium Eccleſiarum: Quam in majoribus tum rerum, tum Perſonarum, hoc eſt fidei & Epiſcoporum cauſis ſemper licuit appellare: ſuper quam denique ſedet* PRIMARIUS VINEÆ DOMINICÆ AB IPSO DOMINO CUSTOS CONSTITUTUS, *& qui reliquis fidelibus etiam Epiſcopis, velut Caput membris præeſt.* Quem ſummi Pontificis Primatum, nativáque ejus jura ac prærogativas, juris divini eſſe, ad mortem uſque profeſſus eſt, coram multis teſtibus, ut ſeſe de illis diſſerendi dedit occaſio.

Nondum menſes duo elapſi erant, cum *pro Majore Ordinaria* Theſes alias propoſuit propugnandas die 13. Januarii anni 1640. ab octava matutina ad Veſperam, dedicavitque, *Verum Iſraëlem vero de Cœlo Pane Paſcenti.* In iis Sacramenta Eccleſiæ expendit eorumque diſciplinam: & quicquid reconditioris circa eam eruditionis eſt, retegit, illuſtrat, contra adverſarios defendit. Pœnitentialem fuſiùs explicat, ut quæ totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ fibula meritò appellata eſt. De Hierarchia Eccleſiæ non pauca miſcet, quibus & ſacrum Epiſcoporum Ordinem & ſupremum Caput mirè extollit: *Epiſcopatus*, inquit, *fons eſt & plenitudo totius Hierarchicæ Poteſtatis*, *ad quem ex Chriſti lege non ſola Sacerdotum Ordinatio*, *vel Confirmatio Neophytorum*, *peculiari jure pertineant*, *ſed etiam in omnes Eccleſiæ functiones*, *Sacramentorum omnium adminiſtrationem & prædicationem Ver-*

8. Major Ordinaria, in qua Epiſcopatus jura, & iterum Apoſtolicæ Sedis primatum, tuetur.

Verbi jus ſupremum. Diſtinctum eſt à reliquis omnibus Ordinibus Sacramentum, inſtitutione divina Presbyteratu ſuperius. Porrò licet unum ſit Epiſcoporum Collegium, immò unus quodammodo Epiſcopatus, in pulcherrima tamen plenaque dignitatis & Ordinis Eccleſiæ politia, SUB UNO PRIMARIO DOMINICI OVILIS CUSTODE, *tres Antiſtitum gradus..... Æterna Urbis Epiſcopus in Eccleſias Suburbicarias, ut proprius illarum Metropolita, jus obtinebat. Quod profectò non impedire, quominus præter ſpecialem illam in iſtas Eccleſias autoritatem, ſumma totius Eccleſiæ Procuratione fungeretur, cæcus eſt qui non videt. Hinc ad illum pertinent Cauſæ majores; non ea tamen ratione quòd ab aliis Epiſcopis dijudicari non poſſint, ſed quod ultima illarum deciſio ad Sedis Apoſtolicæ ſententiam ſpectet, cum ex veteri Eccleſiæ diſciplina minores omnes cauſæ intra unamquamque regionem terminari conſueviſſent.*

Saluberrima Conciliorum in Eccleſia autoritas, in quibus Eccleſiæ Principes Epiſcopi de rebus divinis ſuæ curæ commiſſis in commune ſtatuunt. Tres illorum ſimplices formæ. Alia enim Provincialis Metropolitani Synodus. Alia Primatis ex pluribus Provinciis. Alia denique totius Orbis Chriſtiani, quam convocare & Principem in ea locum tenere, ad eum proprio jure pertinet qui EPISCOPUS EPISCOPORUM.

9. Licentià donandus feriem anteactæ vitæ ipſe delineat.

Hi fuêre Licentiæ labores ab Arnaldo *ad ſtuporem*, ut dixit Sorbona, exantlati. Quibus ſi cogites adjunctum Biennii Philoſophici onus graviſſimum ab eo ex improviſo ſuſceptum, duramque adeò neceſſitatem ſua adornandi ſimul & auditoribus tradendi φιλοσοφήματα, eaque, ut amabat, defæcatiora: ſi inſuper attendas doctiſſimum laborioſiſſimumque illud, De Frequenti

ni Communione, Opus præ manibus tunc eum habuiſſe, illique concinnando incubuiſſe; jam ad illum Sorbonicorum ſtuporem quid addam, neſcio: miraculo enim ſimillimum eſt, præſertim cum corpuſculum Arnaldo eſſet & tenue & frequentibus adverſæ valetudinis caſibus concuſſum.

Ante hujus anni Quadrageſimam Licentiæ coronis impoſita, laudatique pro more Licentiâ donandi. Unuſquiſque Panegyriſtæ nonnullam ſui, ut lubet, notitiam ſubminiſtrare ſolet, & præclara ſi quæ habet vel habere putat, quæ in laudis argumentum trahi poſſint, non illibenter ſuggerit. Quam modeſtè ac Chriſtianè conſuetudini morem geſſerit Arnaldus, conſpicere eſt in ſubjecto vitæ hactenus tranſactæ commentariolo, qui ipſius manu ſcriptus habetur.

« Ego ANTONIUS ARNAULD à nobilibus religioſiſque Parentibus Antonio Arnauld & Catharinâ Marion, ſancto nuptiarum fœdere inter ſe junctis, Pariſiis natus, ſingulari Dei miſericordiâ renatus in Chriſto, & accedente ætate divino frontem Chriſmate & vivifico Spiritu animam unctus ſum. Adhuc infans, tranſlato ad Chriſtum Patre cariſſimo, piæ Matris relictus ſum curis, de hoc uno ſollicitæ, ut in æternam lucem Spiritu parturiret, quem in hanc temporalem carne pepererat. Ingenioſam pietas fecit, docuitque cariſſimorum ſibi pignorum tum maximè curam gerere, cùm hominum oculis deſeruiſſe videri poterat. Quanto ſcilicet majora ſunt Dei continuis veræ viduæ precibus & ſuſpiriis fatigati, quàm humana quævis præſidia! Et hæc tamen cumulatiſſimè præſtitit. Privatæ præfecit educationi Virum, cui quan-

„ quantum debeam, ſi nedum exſolvere, ſed vel
„ explicare poſſe exiſtimem, ingratus ſim. In
„ parte debiti eſt, quòd ejus magnitudinem vir mo-
„ deſtiſſimus recuſat agnoſcere. Publicæ verò in-
„ ſtitutioni eum ſelegit talem quo nullus ad
„ virtutem vel eruditionem parandam aptior, vel
„ ad eam, quâ nulla ſanctior diſciplinam. Vo-
„ luit nimirum in Collegio Sorbonæ Calvico
„ ſub antiquæ ſanctimoniæ viri Petri le Clerc,
„ nunc digniſſimi ſacræ Facultatis Decani, oculis
„ adoleſcere; ut, ſi fieri poſſet, optimorum vi-
„ rorum præceptis & exemplo tenera ætas ad ve-
„ ram pietatem informaretur. Abſolutis dehinc
„ in Lexovæo, cùm jam in Calvico muſæ ſiluiſ-
„ ſent, Philoſophiæ ſtudiis, Sorbonæ me denuò
„ ſchola excepit, quæ per claros ſapientiâ & eru-
„ ditione Profeſſores ſacratioribus doctrinæ ſanctæ
„ myſteriis initiaret. Per Actum Tentativæ in
„ Baccalaureorum ordinem cooptatus, nec mul-
„ tò poſt ab celeberrimâ toto orbe familiâ, pro-
„ penſiori longè quàm mererer omnium erga me
„ voluntate ſuſceptus, laborioſum Licentiæ cur-
„ riculum ingreſſus ſum, & deducente Chriſti
„ benignitate feliciter abſolvi. Anno verò Redem-
„ tionis humanæ trigeſimo octavo ſupra milleſi-
„ mum & ſexcenteſimum in Jejunio decimi men-
„ ſis in Hypodiaconum conſecratus, primum ad
„ altare gradum aſcendi. Faxit Chriſtus ut tanto
„ miniſterio me non indignum geram!

10. Laudatio in ſolemnibus, ut aiunt, Paranymphis.

Verùm non tam arctis limitibus teneri ſe paſſus eſt delectus Encomiaſtes. Plura ſplendidioraque Arnaldinarum dotum teſtimonia eruperant in publicum, quàm ut vel quavis celari modeſtiâ vel ſilentio poſſent ſepeliri. In tanti igitur Viri laudes longè latéque exſpatiatus, hoc tamen unum ſibi ſuiſque Auditoribus perſuaſit, laudan-

dum

dum non fuiſſe qui ſupra omnem laudem eſſet
Arnaldus. Hoc Encomium cum in manus meas
venerit, id non putavi poſteris invidendum.
Aliunde qui Virum non noverunt, inde utcunque
conjicient, quantus olim fuerit Arnaldus,
qui tam magnus tunc erat.

PARCE, RECTOR AMPLISSIME: parcite, Viri «
auditores: tuque præſertim, MAXIME AR- «
NALDE, parce, ſi laudationis non unius de- «
functus legatione, hoc primùm loco, in exſe- «
quendo quod hodiernâ die profiteor munere, «
hæret oratio, nec habet quod eloquatur. Cum «
enim venias tu mihi exornandus, cujus digni- «
tati parem non auſim facundiam polliceri, iis «
præſertim audientibus, quorum alios tuæ ipſe «
virtutis æmulos habuiſti, ſpectatores alios, alios «
judices, laudatores univerſos, ſic mecum ipſe «
ſtatui, potius multò eſſe eum præterire, quàm, «
quem aut extollere, aut tueri non liceat, infe- «
lici conatu, ingeniique vitio, infra ſeipſum «
& eam quam ſibi quæſivit apud omnes exiſti- «
mationem relinquere. Quanquam enim poſſem, «
ſi luberet, quæ tibi cum aliis quidem, ſed non «
multis, communia ſunt explicare (quid enim «
ego hìc ſi quid poſſim, diſſimulem.) Eſto, gentis «
tuæ domeſtica virtus & nobilitas, atque illa «
quidem foris domique perſpecta, vim non ex- «
cedat orationis meæ; ut liceret exponere, quàm «
felici creveris ſucceſſu, & quemadmodum ado- «
leveris: ut non diffitear poſſe me cætera non «
contemnenda illa quidem fortunæ beneficia me- «
miniſſe, quibus illa te unum ante alios voluit «
eſſe cumulatum. Sit ita ſanè, non repugno. «
Sed verò quis ille tui vim atque magnitudinem «
ingenii dicendo aſſequatur? Quis ſtudium ad «
Veritatis indagationem incitatum ac perpetuum? «

Quis

„ Quis animi tui varios fœtus atque uberes, qui-
„ bus tanquam ſuaviſſimo paſtu mens alitur cum
„ oblectatione ſolertiæ? Equidem ſi modo te,
„ qualis es, bene novi, méque quàm parùm poſ-
„ ſim non ignoro; ea eſſe contendo ejuſmodi,
„ quæ cum ſint maxima, cujuſvis laudationis ini-
„ quitatem accuſent, niſi quæ ex ſummi Oratoris
„ prodierit officinâ. Enimverò, ſi mentis tuæ vim
„ admirabilem prædicarem, celeritatem incredi-
„ bilem, ſingularem perſpicaciam, eam ſi ſaga-
„ cem dicerem, acrem, vegetam, multa ſimul
„ agitantem, cauſas & quæ ex iis ſequuntur uno
„ intuitu videntem, quæ disjuncta copulet, cum
„ præſentibus futura conjungat, nullâ hebeſcat
„ rerum ſublimium contemplatione, otietur nun-
„ quam, nunquam non moveatur: magna iſta
„ eſſent, fateor; quis enim id negaverit? haud
„ tamen ſcio, an tui ſatis explerent ingenii boni-
„ tatem. Si verò tua quanta eſt induſtria tenta-
„ rem explicare, quantum in ſtudiis evigilent cu-
„ ræ & cogitationes tuæ, quàm indefeſſâ animi
„ contentione quò contendiſti, eò perveneris;
„ parùm prudens conſilium infelix ſequeretur
„ exitus, ſuſceptique magnitudo negotii humili-
„ tatem obrueret tenuiſſimæ facultatis. Quis enim
„ aliquando in diſcendo conſtantior, obſtinatior
„ in legendo; in ſcribendo, & quæ ſcripſeris le-
„ geriſve meditando pertinacior? Hoc verè dicam,
„ ita tibi labor aſſiduus, frequentes vigiliæ, do-
„ meſticæ lucubrationes, ut ne tum quidem fe-
„ riari liceat, ſi quando breviſſimum tibi otiolum
„ imperaſti; ſemper quod non adeſt inveſtigare,
„ antiquioris doctrinæ collapſa monumenta ac ve-
„ luti rudera movere, adversùs diſcrepantium au-
„ torum iniquitatem pugnare, quæ conciliari poſ-
„ ſunt componere, quæ abſunt à vero & honeſto
refu-

refutare, obſcura illuſtrare, confirmare dubia, cer- “
ta defendere, ponderare, quærere, verſare, deni- “
que omnes oras parteſque doctrinarum nihil in- “
termiſſo curſu ſic agitare, ut quanta te jam inde “
à puero inflammaverit honeſtarum artium cu- “
piditas, cum intelligant qui te norunt (norunt “
autem qui te vel viderint unquam) quod tamen “
ſciunt, negent aut ſe ſatis concipere, aut poſ- “
ſe ullo modo quod vix capiunt, explanare. Quo- “
tus autem quiſque eſt (ut de me ſemel nihil di- “
cam) qui poſſe confidat tantorum ſe ſtudiorum “
velocitatem dicendo conſectari? Tametſi ut quæ “
carptim attigi, ea licuiſſet uberiùs tractare at- “
que ornatiùs; unum tamen à ſuſcipiendo virtu- “
tum tuarum præconio me ſemper deterruit, mul- “
tiplicis eruditionis, quam ſupra cujuſquam, non “
orationem dico, ſed & fidem tibi quæſiviſti, “
magnitudo. Ita certè res habet, Auditores: Vi- “
ro ſapientiſſimo fecerit injuriam quiſquis animi “
ornamenta penè innumerabilia, quæ ex im- “
menſa doctrinarum ſupellectile, tanto nexu at- “
que vinculo cohærentia ſibi comparavit, ea “
cum ad poſſidentis gloriam explicare nequeat “
univerſa, fœdè cogatur diſtrahere & quaſi mem- “
bratim diſſecare. Nemo autem exiguo tempo- “
re, vix bene longo, poſſit tantæ quæ illius eſt “
πολυμαθίας numeros omnes percenſere. Detur “
illi naturæ totius explicata cognitio, rerum ple- “
na ſcientia, quas aut expetendas aut fugiendas “
monet ratio, diſſerendi certa ſubtilitas, viſque “
judicandi quid cuique rei conveniat, quid re- “
pugnet, quæ per omnes partes ſapientiæ manat “
atque diffunditur. Sed cui placuerit iſta, quæ “
citeriora ſunt atque humana, meminiſſe, cur di- “
vina illa & ulteriora taceat? In Dei ſcientia cur “
non eum dicat ita verſatum, ut huic uni, cæ- “

„ teris omiſſis, totum ſe addixiſſe videatur? Quan-
„ ta enim, veſtram fidem! quanta iſta ſunt, eorum
„ quæ ſubtiliter & acutè differunt in ſcholis Theo-
„ logi, nihil neſcire, dictatos à Deo Codices
„ tenere, Antiſtitum Eccleſiæ callere monumen-
„ ta, ſummorum Pontificum & Conciliorum pla-
„ cita fideliter & ex memoriâ referre? Fac tamen,
„ ſi fieri poſſe putas, fac ſingulatim iſta paucis
„ exornari; omittatur neceſſe eſt & domeſtico-
„ rum & externorum Annalium intelligentia,
„ quanta poteſt eſſe maxima, linguarum diverſi
„ generis peritia, Poetarum, Oratorum, totius
„ denique humanitatis doctrina. Quæ quis non
„ videt & plura eſſe & majora, quàm quæ à pro-
„ perante, quiſquis ille ſit, nedum à me poſſint
„ æſtimari. Parce igitur, (ad te enim redit, ut
„ unde incœpit, eodem recurrat oratio) parce,
„ Vir doctiſſime, ſi tuo panegyrico abſtinui; tua
„ tibi integra atque illibata ſervari volui, non
„ incultæ orationis brevitate deturpari. Annuis?
„ Abundè eſt: gravi me onere, quod vel cæteri
„ reformident, verè liberaſti. Accipe quas ad te
„ mitto literas, quibus Matris indulgentiſſimæ
„ ſtudium erga te non ignores.

10. Theſes Philoſophicæ: Modeſtiæ exemplum. Æſtate ſequente, Curſus Philoſophici labore defunctus, Concluſiones ſuas Philoſophicas expugnandas publicè propugnandaſque propoſuit 25. Julii 1641. in Cœnomanenſi Collegio (heu nunc ſeges eſt ubi Troja fuit.) Reſponſurus ſedit optimus tunc adoleſcens Carolus Walon de Beaupuis Bellovacus, nunc verò venerandus ſenex, pietate & doctrina Eccleſiaſtica inſignis: quo teſte publicum dedit Arnaldus modeſtiæ, indoliſque propriorum ſenſuum nequaquam tenacis, & ſemper meliora diſcere paratæ exemplum. Hanc Theſim in logicis defendebat: *Ens ſynonymè*

nymè convenit Deo & creaturæ. Illam aggreſſus eſt Vir doctiſſimus ac ſubtiliſſimus Dominus De la Barde ex Oratorii D. Jeſu Presbytero inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus. Erudito Diſcipulo ſub validiſſimorum argumentorum mole fatiſcente, ſuppetias venit Magiſter, diuque conflictatus, non cedendi neceſſitate coactus, ſed veritate & veritatis amore victus, victum ſe ultrò profeſſus eſt, & à ſententia ſua diſceſſurum publicè ſpopondit. Promiſſis ſtetit; nam in Theſibus *pro Tentativa* à ſe pro eodem Diſcipulo ſuo poſt annos aliquot compoſitis contrariam ſententiam amplexus eſt. Rarum exemplum, & Philoſophis Theologiſque in primis imitandum.

In pervigilio Pentecoſtes ejuſdem anni ad probationem Curſus Philoſophici libellum ſupplicem obtulit, ut ad Societatem Sorbonicam admitti poſſet. Sed quid eo in negotio actum ſit, poſtea referam.

Eodem anno ad Diaconatus Ordinem promotus eſt, ad quem ſe præparaverat abdicatione Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ Virodunenſis. Et menſe Septembri in Sacerdotem conſecratus fuit, ſed dimiſſo priùs patrimonio, quod Portus-Regii Monaſterii ſanctimonialibus ſumma paupertate laborantibus dono dedit, ſervato ſibi victu veſtituque, ut his contentus pauperem Chriſtum pauper ſequeretur, & nudam veritatem nudus arctiùs amplecteretur & liberiùs defenderet. Quadraginta dierum ſeceſſu, exemplo piiſſimi Cardinalis Berulli, in honorem ſeceſſus Chriſti Domini in deſertum, ſe ad Sacerdotii ſui primitias offerendas accinxit, primumque Sacrificium celebravit in Feſto Sanctorum omnium. Quibus & quàm ſanctis animi affe-

11. Fit Diaconus, Canonicatu dimiſſo.

affectibus hæc omnia præſtiterit, etſi maximo futurum eſſet omnibus ad pietatem exemplo & incitamento, non eſt hujus ſpatii enarrare.

12. Præmiſſo Veſperiarum actu fit Doctor.

Sequenti menſe Decembri ad Veritatis defenſionem inauguratus eſt per ſolennem Laureæ Doctoralis adeptionem: cujus officii inſignia decima nona die accepturus, pridie *pro Actu Veſperiarum* reſpondit in Sorbona ad hanc Quæſtionem: *Quis finis Legis?... Chriſtus, Eccleſia, Charitas*, inquit. Et quidem non ſine numine hæc tria prælibavit & velut primitias obtulit, qui totam deinceps vitam Chriſto, Eccleſiæ & Charitati, quibus cõſtat Chriſtiana Religio, impendere & ſuperimpendere ex novo Doctoris officio & titulo meditabatur. *Finis Legis Charitas*, inquit in iis Theſibus, *nec Legis modò, ſed & omnium Scripturarum divinarum, quæ non præcipiunt niſi Charitatem, nec culpant niſi cupiditatem, & eo modo informant mores hominum. Qui charitatis præceptum ad aliorum tantùm præceptorum obſervationem, non ad interiorem cordis erga Deum affectum nos obligare contendit, doctrinam morum à fundamentis evertit, ſuoque exemplo probat, quàm nefariè dicatur, illam à Recentioribus potiùs quàm ab antiquis Patribus eſſe deſumendam.*

13. Quo animo lauream Doctoralem accepit.

Quàm intimo cordis erga Deum affectu ipſe in Doctorum Ordinem cooptatus, huic oneri humeros ſuppoſuerit, duobus quæ ſuperſunt huc uſque teſtimoniis docemur. Teſtis primus eſt Clariſſimus olim Vir Joannes Baptiſta de Chaſſebras Doctor & Socius Sorbonicus ad ſanctæ Mariæ Magdalenæ in Urbe Pariſienſi Paſtor & Archipresbyter, qui retulit Arnaldum cum jamjam ſeſe Sacramento obſtricturus erat Veritatis defenſioni, ad Collegas ſuos, qui idem

idem præſtitum ibant, converſum, hæc dixiſſe: *Neſcio, Eximii Domini, an Sacramentum, quod jam dicturi ſumus, ſat coram Deo perpenderimus. Non hic levis ceremonia agitur; ſed res ſummi momenti, cui implicare ſe nemo debeat, priuſquàm attentè recogitaverit, quouſque illa nos poterit perducere, in iis occaſionibus quæ Deo ordinante occurrere poterunt.*

Je ne ſçai, Meſſieurs, ſi nous penſons aſſez à l'action que nous allons faire. Ce n'eſt pas ici une ſimple ceremonie; c'eſt un grand engagement: & il ne faut pas y entrer ſans avoir bien fait reflexion juſqu'où il nous peut conduire dans les rencontres que Dieu fera naître.

Teſtis alter Arnaldus ipſe eſt, qui poſtquam ab Eccleſiæ Pariſienſis Cancellario Doctorali Mitra donatus fuit, Euchariſticum ad eum Sermonem pro more habuit, qui totum ejus animum, qualis erat tunc coram Deo & Angelis ejus, nobis retegit ac repræſentat. Non ſanè committam ut excidat tam pium Viri tanti monumentum: cujus ſenſum ut mentis oculis ſemper objectum habeant quicumque doctorales infulas vel induerunt vel ambiunt, vehementer optandum. Suo igitur ordine ſic ampliſſimum Cancellarium affatus eſt.

14. Gratiarum actio ad D. Cancellariū.

"Ego verò, DIGNISSIME CANCELLARIE, quo animo ſuſcipiam quem mihi honorem defers, nondum ſatis intelligo. Etſi enim beneficentiæ erga me tuæ iniquior videri poſſim, ſi non totus in gratulationem effuſus collatæ mihi per te dignitatis amplitudinem prædicem, ubi tamen impoſiti ſimul oneris cogitatio mentem ſubit, fluctuanti & anxio quàm geſtienti ſimilior eſſe debere mihi videor. Novi enim profectò quàm honeſtum ſit & illuſtre Doctoris Pariſienſis nomen, quantique ſit ad dignitatem ornamenti, ad famam ſplendoris, ad autoritatem præſidii, in ſacrum illum Theologorum Ordinem cooptari, quem & ſpectata tot ſæculis eruditionis integritas, & clariſſimorum Virorum uberrima ſeges, & ſumma in Eccleſiam merita, toto orbe

„ celeberrimum reddidere. Sed nec ignorare poſ-
„ ſum, nequaquam hæc omnia ad inanem tantùm
„ oſtentationem & pompam eſſe comparata, &
„ tum demum glorioſum eſſe Doctoris titulum, ſi
„ præſtes quæ Doctoris ſunt. Quàm verò id ar-
„ duum ſit, intelligit profectò quiſquis attendit
„ hoc eſſe Catholici Doctoris officium, ut igno-
„ rantiæ tenebris circumfuſos Evangelico lumine
„ illuſtret; ut animas humana & carnali ſapientia
„ infatuatas Apoſtolico ſale condiat; ut morta-
„ lium mentes ad deteriora proclives ſanctioris
„ diſciplinæ fræno coërceat; ut ubicunque Ec-
„ cleſiæ periculum ab erroribus imminet, ſurgat
„ ex adverſo, & opponat ſe murum pro Domo
„ Iſraël; ut ſpretis omnibus atque contemtis qui-
„ bus hominum animi capiuntur, ſolius Veritatis
„ amore inardeſcat, & quam Chriſtus ſuo ſangui-
„ ne conſecravit, ſuo etiam, ſi opus ſit, ſanguine
„ tueatur: memor inprimis divini illius Sacra-
„ menti quod ad aras Martyrum præſtare jube-
„ mur, Nos huic vitæ potiùs quàm ſanæ doctrinæ
„ patrocinio defuturos. Quod optimo ſanè con-
„ ſilio à Majoribus noſtris videtur inſtitutum, ut
„ neceſſariam Theologo in propugnanda Veritate
„ firmitatem atque conſtantiam, ſi mollior natura
„ negaverit, ſaltem extorqueat tam ſolennis juris-
„ jurandi ſanctitas & religio. Hæc igitur quiſquis
„ attentiùs recogitarit, facilè perſpiciet, quàm
„ jure merito quod olim de Sacerdotio dixit Au-
„ guſtinus, ad Doctoris officium transferri poſſit:
„ Nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, fa-
„ cilius & lætius & hominibus acceptabilius Doc-
„ TORIS officio, ſi perfunctoriè & adulatoriè res
„ agatur; ſed nihil apud Deum miſerius & tri-
„ ſtius & damnabilius. Item, nihil eſſe in hac
„ vita, & maximè hoc tempore, difficilius, labo-
rioſius,

rioſius, periculoſius, Doctoris officio: ſed “
apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, “
quo noſter Imperator jubet. Unum hic addit “
animos, & ſollicitudinem aliquantùm minuit, “
quòd ita graviſſimum onus mihi impoſuiſti, ut “
ſimul etiam benedictionem impertires, quo “
illi ferendo par eſſe poſſim. Noveras ſci- “
licet, te non legale quoddam & Judaïcum offi- “
cium largiri, ſed Evangelicum & Chriſtianum, “
quod proinde (quæ ſumma eſt novæ legis be- “
nignitas) non nudum & inane tradi debeat, ſed “
ſpiritui gratiæ conjunctum, unde vires ſuppe- “
tant illud implendi. Quamobrem, cùm Chriſti “
in terris Vicarii vices hac in parte gereres, “
imitatus illum de quo ſcriptum eſt: *Benedictio-* “
nem dabit Legiſlator, cui eximium Doctoris mu- “
nus Apoſtolica autoritate committebas, Apo- “
ſtolica etiam benedictione, ad ſanctam tanti “
muneris adminiſtrationem, inſtrui voluiſti. Et “
certè cùm tranſlata in ſacrum Theologorum “
Ordinem poteſtas nihil aliud ſit, quàm decidua “
quædam portio Apoſtolicæ poteſtatis, ad quam “
primò pertinet fidelium animos divinæ doctrinæ “
verbo paſcendi munus; par etiam eſt, ut quem- “
admodum à Moïſe in ſeptuaginta Seniores Spi- “
ritus tranſlatus eſt, à ſupremo Eccleſiæ Doctore “
ad privatos Doctores Spiritus Apoſtolici quædam “
portio derivetur. Felicem ergo me, ſi tantum “
munus tam fauſtis auſpicatus initiis enitar omni “
ſtudio, ut illud eo quo par eſt animo ſuſcipiam, “
eâ quâ par eſt diligentiâ adminiſtrem, eâ quâ “
par eſt conſtantiâ & gravitate ſuſtineam, ut “
perpetuò illuſtrium illorum Eccleſiæ Doctorum “
diſcipulus, & rudiorum Eccleſiæ membrorum “
Doctor, & à Sacris illis fontibus hauriam quod “
in mentes transfundam aliorum, & cum divina “

„ illâ ſapientiæ ſalutaris aquâ impleti fuerimus, „ flumina de nobis fluant aquæ vivæ, ſalientis in „ vitam æternam.

15. Conſtans & humilis defenſio veritatis à Matre moriente unicè cōmendatur.

Tam ardens tuendæ Veritatis ſtudium jam pridem in ejus animo altè inſitum erat, & à piiſſima Matre in extremis poſitâ unicè commendatum, ut ex ſchedula ipſius Arnaldi manu deſcripta diſcimus: " Quo die, inquit, Mater „ mea Extremæ-Unctionis Sacramento munita „ eſt, à Domino Singlino enixè petiit, ut pauca hæc „ mihi ejus nomine referret: *Hæc inquit natorum* „ *meorum poſtremo dicas velim: quòd cum Deus eum* „ *Veritati defendendæ addixerit, hortor eum ac Dei* „ *ipſius nomine obteſtor, ne ab eo conſilio pedem un-* „ *quam referat, aut in ſe illius ſtudium tepeſcere ſi-* „ *nat, ſed eam animosè ſemper tueatur, etiam ſi mille* „ *vitæ pro ea impendendæ illi ſint: meque à Deo vo-* „ *tis ardentioribus poſcere, ut ipſi humilitatis ſpiri-* „ *tum conſervet, ne ſe unquam efferat ex cognitione* „ *Veritatis, quæ non ipſius eſt, ſed Dei.*" Poſt quindecim & ampliùs dies idem iterùm Singlinius ab ea ſciſcitatus eſt, an non aliquid ſuo nomine dici cuperet natorum ſuorum juniori. Tum illa præſenti quàm maximè animo & integra mente: *Nihil*, inquit, *aliud*, *niſi quod jam te rogavi ut illi ex parte mea ſignificares*; *nimirum*, *ut in defendenda Veritate nunquam animus ejus ac ſtudium deferveſcat.*

Hæc lectiſſima Fœmina, omnium quæ poſtremis his ſæculis floruerunt Matrum fortunatiſſima: quæ (præter tres præclari meriti filios) ſex filias, totidem neptes, aliaſque conſanguineas habuit Deo conſecratas in Portu-Regio Monaſterio Ciſtercienſis Ordinis: in quem priſtinam illæ diſciplinam revocavere, & ipſa Religioſum habitum in eodem Monaſterio induta

inter

inter ſanctiſſimas filias animam Deo reddidit. Eadem Arnaldo in memoriam revocavit clariſſimus San-Cigiranni Abbas in Epiſtola 114. ad eumdem ſcripta 2. Octobris anni 1641.

Arnaldus ipſe tam ſancti propoſiti ac debiti memor 12. ejuſdem menſis & anni ad præſtantiſſimum Virum Arnaldum-Andillium fratrem ſuum hæc ſcribebat: *Tot me gratiæ ſuæ ſingularibus donis Deus Opt. Max. ab aliquo tempore cumulavit, ut omnium mortalium maximè ingratus fuerim, ſi quod aliud conſilium verſarem animo, quàm me totum ejus obſequio mancipandi, ut aliquando merear ſacras Evangelii ejus veritates defendere, etiam uſque ad ſanguinis effuſionem, ſi tantâ me gratia beare voluerit.*

16. In amore veritatis perſeverat.

Quàm fideliter ſancto huic propoſito inhæſerit, quantos pro Veritate labores exantlaverit, alieno teſte non egemus, cum tota ejus vita id teſtificetur. Teſtis in primis Pariſienſis Cenſura, quæ illum pro veritate Chriſtianæ gratiæ certantem inaudita vi oppreſſit. Quo verò die illa procudebatur à conjuratis Inquiſitoribus, mirum quid Arnaldo accidit. Solus cum ambularet in ſuperiori quodam ambulacro exteriorum ædium Portus-Regii Pariſienſis, rei eventum exſpectans, & coram Deo inde ſecutura mente perpendens, ſubitò in illius animum hæc Auguſtini verba, velut cœlitùs emiſſa, incurrerunt: *Quia non in me perſecuti ſunt, niſi veritatem, ideò adjuva me, ut certem pro veritate uſque ad mortem.* Quibus verbis tunc non parùm recreatus & in Veritatis defendendæ propoſito ejus obfirmatus eſt animus; & eadem in ſera etiam ætate, non ſine ſolatii & pietatis ſenſu, ſibi in memoriam coram amicis revocavit.

Sermone 20. *in Pſal.* 118. *hæc verba:* Injuſtè perſecuti ſunt me, adjuva me.

Sed ad prima hujus perſecutionis exordia,

ac velut ſemina, ab aulico Doctore præjecta, regredi juvat: illo, inquam, qui ſua ſeu potiùs Vaſqueziana de gratiæ myſterio placita à Diſcipulo ſuo poſthabita moleſtiſſimè ferens, Auguſtiniana in eo dogmata, jam tum cum illa propugnare cœpit, ſive in Tentativæ Actu, ſive in Morali Philoſophia, clandeſtinâ primùm criminatione, ac demum aperta poſt accuſatione ac proſcriptione perſecutus eſt.

17. Ad poſtulandam Societatem Sorbonicam cogitur.

Prima occurrit occaſio tunc cum Arnaldus admitti ſe in Societatem Domus Sorbonicæ poſtulavit. Celeberrimæ hujus Domus Hoſpitalitate contentus, ad quam adſcitus fuerat in pervigilio Feſti Sanctorum omnium anni 1636. M. Martino Grandin tunc Sorbonæ Priore, de Societate ambienda ne cogitabat quidem, curſus Philoſophici, qui præire debet, labore deterritus.

Nihilominùs iis *quæ in Licentia ad omnium ſtuporem præſtitit*, ut Sorbonica Regeſta habent, tantam ſui exiſtimationem apud Societatis ejus alumnos excivit, ut præcipui quique illorum vehementer ipſum impulerint, ac propè coegerint, ne Sorbonico Collegio nomen dare, labore deterritus refugeret; ultro promittentes ipſum facilè à Statutorum rigore abſolutum iri, quæ jubent ut philoſophicum ſtadium ante Licentiam Theologicam ingrediantur Societatis Candidati.

Magiſtrorum & amicorum ſuorum votis non obſequi religio fuit Arnaldo, qui tranſacto ferè præviarum illarum Doctoratui exercitationum curriculo, curſum Philoſophicum peragere aggreſſus eſt. In hoc curſu verè Chriſtianis morum præceptis ex Auguſtino depromtis diſcipulos imbuit: quod primum eorum ipſi offenſionem

ſionem peperit, quibus tam pura dogmata minùs placebant.

Itaque Leſcotius, qui tum Cardinali Richelio à Confeſſionibus erat, hinc anſam arripuit ipſum apud Richelium criminandi : cujus præterea favorem non ambiiſſe, crimen apud ipſum leve non erat. Quamobrem cum peracto Curſu in Sorbonam recipi poſtulaſſet Arnaldus, in pervigilio Pentecoſtes anni 1641. Leſcotium & per eum, Cardinalem ipſum Sorbonæ Proviſorem, adverſos habuit. Prætexebant illi accuratam Statutorum Sorbonicorum obſervantiam, adeóque Curſum ſeriùs quàm illa præſcribant abſolutum. Egregia ſcilicet ratio quâ à Sorbonæ Societate tantus Vir repelleretur.

En verba Regeſti Sorbonici. " In negotio D. “ 18. Legatio ad Card. Richelium.
Arnauld ſupplicantis ad probationem Philo- “
ſophici Curſus, cum duo è Sapientiſſimis Ma- “
giſtris noſtris inſtitiſſent, ut res deferretur ad “
Eminentiſſimum Dominum Proviſorem, eo “
quòd hac ſupplicatione admiſſa perfringi con- “
ditas leges affirmarent, licet Socii cæteri ali- “
ter de hac ſupplicatione ſentirent, legavit So- “
cietas S. M. N. Dominum de Hardivilliers Il- “
luſtriſſimum Bituricenſium Archiepiſcopum & “
Dominum Habert Eccleſiæ Pariſienſis Canoni- “
cum Theologum, ut ambo rem ei totam ape- “
riant, ſignificentque Sociorum propenſionem “
erga dictum M. Antonium Arnauld, ob do- “
ctrinam atque pietatem omnibus gratiſſimum. “
Atque ne in comitiis ordinariis, menſe Augu- “
ſto proximo habendis, de peracto ejus curſu “
referri non poſſit, placuit Societati, ut priùs “
indicantur Comitia extraordinaria, in quibus “
de aſſignandis Inquiſitoribus videbitur, audita “
legationis relatione. " De hac ſic habetur. “

In

„ In pervigilio Aſſumtionis ejuſdem anni, cum
„ S. M. N. D. de Hardivilliers Illuſtriſſ. Bituri-
„ cenſium Archiepiſcopus deſignatus certiores
„ Socios feciſſet, ſe adiviſſe Eminentiſſimum Do-
„ minum Proviſorem ſuper M. Antonii Arnauld
„ ſupplicatione ad probationem Curſus Philoſo-
„ phici, uti in ſuperioribus comitiis ea de re ro-
„ gatus fuerat à Societate, fuit ex Sociorum vo-
„ luntate decretum, ut hìc ea perſcriberentur,
„ quæ de ſua legatione retulit. Retulit verò ſe
„ Sociorum omnium nomine Emin. Dom. Provi-
„ ſorem adiiſſe, ſalutaſſe, & hæc apud eum di-
„ xiſſe: In ultimis Comitiis ſuiſſe duos è SS.
„ MM. NN. Senioribus (Leſcotium & Alterum)
„ qui M. Arnaldi ſupplicationem ad Curſus Phi-
„ loſophici probationem ſtatutis & conſuetudini-
„ bus repugnantem eſſe aſſeverarint, ejuſque rem
„ eſſe momenti, ut definiri à Sociis non poſſit,
„ niſi exſpectato ſuper ea Eminentiſſimi Domini
„ Proviſoris judicio: Omnes verò Congregatos
„ Socios, his duobus exceptis, in aliam ſenten-
„ tiam iviſſe atque exiſtimaviſſe admitti poſſe ſup-
„ plicationem, Statutis & laudabilibus conſuetu-
„ dinibus penitùs illæſis, & ad eum admittendum
„ ſummoperè propendiſſe.
„ Significavit præterea Sociis Illuſtriſſimus
„ Præſul, ſe Eminentiſſimo Domino notum feciſſe
„ quibus rationum momentis utrique adduceren-
„ tur, ut nemine repugnante, ob ingenium ſu-
„ blime, præſtantem doctrinam, pietatem exi-
„ miam atque ſingulare erga Sorbonam ſtudium,
„ mutuâ Sociorum quâ in eum feruntur propen-
„ ſione dignus D. Arnaldus haberetur: atque
„ etiam ut eorum quæ in Licentia præſtitit, te-
„ ſtes ad ſtuporem omnes fuerint.
„ Porrò ſe dum Eminentiſſimum Dominum
ſalu-

ſalutaret eique loqueretur, fuiſſe pro ſolita hu- “
manitate, quâ inter Eminentiſſimos eminet, ab “
eo & exceptum & auditum, à quo hæc de- “
mum reſponſa ſibi fuiſſe, addidit: Sibi gratiſ- “
ſimam accidere factam nomine Sorbonæ Lega- “
tionem, quâ teſtatum habuit ejus in ſervandis “
ſtatutis Studium, unde promoveri ſemper no- “
minis Sorbonici ſplendor poterit: ſibi commen- “
datiſſimum eſſe D. Arnauld, & quia ejus fami- “
liam amat, & quia eum reſciit magnæ eſſe do- “
ctrinæ magnæque virtutis: Facturum ſe liben- “
ter ut hoc ei conſtet; tamen in præſenti ne- “
gotio diſſentire non poſſe à ſententia illorum “
qui cenſent propter ſtatuta ſervanda eum ad- “
mitti non debere. “

19. *Ceditur Cardinali, quo mortuo repetiti conatus Arnaldum Sorbonæ aſſerunt.*

Richelii autoritati pluſquam Regiæ cedere coacti ſunt Socii Sorbonici: inter quos plures fuiſſe non dubitem, qui ſibi longè magis honorificum putarent, ſi eo modo quo Arnaldus repulſam paſſi eſſent, quàm quo paſſim omnes alii admittuntur, eſſe admiſſos. Neque tamen à conſilio deſtiterunt Arnaldum ſibi ſociandi. Vix ultimum diem obierat Richelius, die 4. Decembris anni 1642. cum rurſus de illo in Societatem adſciſcendo verba facta ſunt in Sorbona. Sed indecorum fortè viſum eſt, calente adhuc memoria tam inſignis Inſtauratoris ſui, acta ejus reſcindere. Quare " in comitiis ordinariis, “
quæ habita ſunt in pervigilio Natalis Domini “
anni 1642. decretum eſt: Standum eſſe gra- “
viſſimo judicio Eminentiſſimi Proviſoris in ne- “
gotio Domini Arnauld: atque ideò illum de- “
inceps ad Societatem Sorbonicam aſpirare non “
poſſe. " Hoc tempori datum. Sed ne tunc “
quidem ut Decreto acquieſceret adduci potuit ſacra Societas. Quantum decoris ac ſplen-

ſplendoris Sorbonico nomini additurus eſſet Arnaldus jam tum, non dubiis, ſed certis ſignis præſagiebant Viri ſapientiſſimi. Itaque anno ſequenti 1643. menſe Auguſto, omnium rurſus Sorbonicorum animi novâ recipiendi Arnaldi cupiditate exarſerunt, eumque præ modeſtia renitentem ad novos conatus adegerunt. De iterata Arnaldi ſupplicatione hæc in
» Actis Sorbonicis ſcripta habentur: " In pervi-
» gilio Aſſumtionis B. Mariæ Virginis, Priore
» (Sorbonæ) M. Joanne Baptiſta Chaſſebras Pa-
» riſino, Supplicatio M. Arnauld audita fuit ſup-
» plicantis, ut poſt tot publica propenſæ in ip-
» ſum voluntatis teſtimonia jure Societatis poſtu-
» landæ non privaretur. Societas gratam hanc
» habuit ſupplicationem.

Immò nonnulli Doctores ætate, doctrina, pietate præſtantes, multa in Arnaldi laudem præfati, graviter conqueſti ſunt de dilata ejus receptione; de emendicato Richelii adversùs ipſum, contra Societatis Sorbonicæ libertatem, judicio; de invidioſis paucorum prehenſationibus, quibus tantum Collegio ſuo decus & ornamentum ſurripere nitebantur. Eo etiam progreſſus eſt aliquorum zelus (qui cum plurimis aliis ex longinquis etiam Provinciis ad comitia confluxerant, quò ſuis ſuffragiis negotium iſtud promoverent) ut palàm & publicè teſtati ſint, paratos ſeipſos jure Societatis Sorbonicæ ſponte abdicare, ut illud in tantum Virum tranſcriberetur.

Denique *In pervigilio Feſti omnium Sanctorum* (ejus) *anni* 1643. (ut ferunt Sorbonici faſti ſeu commentarii) *tandem concluſum fuit negotium D. Arnauld, & curſu Philoſophico & moribus examinatis, omnium ferè votis admiſſus eſt ad Societatem &*

& receptus : nequicquam reluctante adverſariorum parte, quæ pro actis Richelii omni ope pugnabat.

20. Leſcotius votis potitus moritur.

Verùm optatis tandem illi miſerè potiti ſunt per Cenſuram quam excutimus, de qua modò ſermo inſtituendus: quo in opere maximam & primam partem habuit Leſcotius. Nam in Comitiis tam Cleri Gallicani, quàm Sorbonicis, quibus intererat annis 1655. & 1656. quæque ad nutum moderabatur, ſemper obſtitit, ne Arnaldi negotium pacificè & amicè componeretur. Theologicam proſcriptionem, quæ ipſi minùs ſufficere videbatur, Epiſcopali Comitiorum judicio confirmari peroptabat, & ad id totis viribus connitebatur. Sed die 22. Auguſti ejuſdem anni 1656. ad aliam Cenſuram aliudque judicium vocatus eſt, *in quo*, ut ſolabatur ſe ipſe Arnaldus, *nil gratia, nil potentia, nil numerus, nil prajudicia, nil calumniæ valituræ ſunt; ubi nec juſtitia cadere, nec vincere poſſit iniquitas.* Abſit ut duriſſimum illud, quod fit his qui præſunt, Judicium Præſuli non deprecer: miſericordiam potiùs exopto, cujus fortè ſperandæ indicium fuit, quod eo ipſo die è vivis ereptus ſit, quem ad perorandum in Comitiis pro Cenſuræ confirmatione obtinenda deſignaverat, ut narrabant tunc temporis nonnulli è Comitialibus Deputatis. Sed ab negotii iſtius exitu, quò me præpoſterè traxit Leſcotii mentio, ad illius occaſionem & exordia retrahit me narrationis ordo.

Ep. 1. ad Epiſc. Andegavenſem.

21. Ex lib. De frequ. Comm. orta vexatio & latendi neceſſitas.

Cum Arnaldus, Socius Sorbonicus omnium penè votis renuntiatus eſt, jam prodierat, in lucem ab aliquot menſibus inſigne illud & admirandum ejuſdem Opus *De frequenti Communione*, viginti Doctorum ſuffragio & quindecim

cim Epiſcoporum autoritate munitum, quibus quatuor aut quinque in Auſcenſis Provinciæ Synodo acceſſere, ac deinceps Epiſcopi ac Viri Eccleſiaſtici penè omnes, piè ſcientes & ſcienter pii. Hujus etiam ſeſe ſtrenuos vindices apud Apoſtolicam Sedem præſtiterunt Epiſcopi, qui illud approbarant, ſcriptis ſuper ea re Literis primùm Urbano VIII. de hinc Innocentio X. qui Pontifices nihil in Libro improbandum, ut minùs dicam, judicarunt.

Quàm acerbè in aureum iſtud opus ejuſque Autorem invehi ſtatim cœperint ii qui ſcriptiunculam unius è Sociis ſuis, tacito licet nomine, hoc libro confutari animadverterunt, nemo in Galliis non peregrinus ignorat. Utrumque Sodalium unus in publicis Concionibus diris modis inſectatus eſt; ſed eumdem ad veniam inauditæ temeritatis publicè petendam adegerunt Epiſcopi. Hinc ſocii acriùs exacerbati librum illum variis libellis proſcindere non deſtiterunt effræni impotentia, cujus ſpecimen hoc habe ex Libello, cui titulus *Arnaldi Theologiæ ſumma.* ADVERTITE, inquiunt, *Magnates, quibus Deus judicandorum hominum facultatem conceſſit, & dum nominari auditis Janſeniſtas, San-Ciraniſtas, Arnaldiſtas, trepidate, peſteſque Religionis eſſe dicite, quas in ortu ſuffocari neceſſe ſit. Tonitrui fulmina ſocianda ſunt, & gladius temporalis Eccleſiaſtico, ut hæc noſtri ſæculi probra reſecentur.*

Aulæ gratiâ nixi adverſarii Mandatum à Regina elicuere, quo Romam petere jubebatur Arnaldus, rationem libri ſui redditurus. Nec abnuit Vir optimus, divina ope, innocentiæ ſuæ conſcientiâ & Apoſtolicæ Sedis æquitate fretus. Sed ipſi jam ad iter accincto mutandi con-

ſilii

ſilii neceſſitatem attulit omnium penè Regni Ordinum interceſſio, delatæque ſuper ea re ab Epiſcopis, à primo Galliarum Senatu, ab Univerſitate Pariſienſi, à Facultate Theologica, à Sorbonæ familia, ad Reginam Matrem preces & admonitiones, quibus cedere coactus eſt Arnaldus, ne tantorum Ordinum de ſe optimè meritorum offenſam incurreret.

At ne vim aliquam ipſi aliunde molirentur adverſarii, octava die menſis Martii anni 1644. publico ſe ſubduxit, illi nonniſi poſt quatuor & viginti annos reſtituendus. Exinde vel planè delituit, vel in Portus-Regii Monaſterio ab hominum frequentia remotus Confeſſarii munus obiit. In his ſolitudinis ſuæ latebris ad aliud pro veritate certamen ſe divinitùs vocatum ſenſit. Luculentis enim Summorum Pontificum teſtimoniis edoctus eamdem eſſe prorſus Romanæ Eccleſiæ & S. Auguſtini de gratia doctrinam, ſine gravi dolore ferre non potuit conſtantiſſima ſanctiſſimi Doctoris dogmata tanquam errores ab imperitis Concionatoribus ſcriptoribuſque traduci. Horum ergo ut imprudentiam coerceret, aliquot ante Innocentii X. Conſtitutionem Tractatus edidit, quibus præcipua Auguſtinianæ doctrinæ capita ſic aſſeruit, ut adverſarios planè exarmaverit & de ſtadio excedere coegerit. Inter quos præcipuè elucet *Apologia SS. Patrum Gratiæ Chriſti Defenſorum*, eo Scripturarum & Traditionis pondere adverſarios obterens, ut à nemine vel cenſuris vel etiam ſcriptis appetita ſit. Hæc anno 1651 edita eſt in lucem, & non multo poſt iteratis typis excuſa. 22. Quinque propoſitiones damnantur.

Interim quinque famoſæ propoſitiones per Nicolaum Cornetum ex-Jeſuitam, & Facul-

tatis Theologicæ Pariſienſis Doctorem, qui verè Moliniſtarum Achitophel dictus eſt, fabricatæ, ad Apoſtolicam Sedem delatæ ſunt & celebri Innocentii X. Conſtitutione in ſenſu obvio quem ipſa verba præ ſe ferunt, meritò proſcriptæ.

Hìc ſi res conſtitiſſet, ſua manſiſſet Eccleſiæ pax. At illi quibus omnia miſcere ſtudium erat, novum litis genus ex Facti quæſtione conflarunt, iis notam hæreſeos affricare aggreſſi, quos intus dubitare ſuſpicabantur, an damnatæ propoſitiones earúmque proprius ſenſus reipſa in Janſenii ſcriptis exſtarent. Inde factum ut neſcio quis ex Sulpitiano Cœtu Presbyter, totius quæ agebatur controverſiæ admodùm rudis, temerariiſque ſuſpicionibus nimiò plus indulgens, eo provectus eſt, ut cuidam è Regni proceribus, piam alioquin & religioſam vitam agenti, abſolutionem eo ſolo nomine denegaret, quòd ab ipſo monitus ut filiolam ſuam à Portus-Regii, ubi educabatur, Monaſterio tanquam hæreſeos ſuſpecto abſtraheret, obtemperare ille recuſaverit, tum quòd ipſam nuſquam meliùs inſtitutum iri, tum quòd illas hæreſeos ſuſpiciones frivolas penitùs & temerariis demum judiciis nixas eſſe, pernoſſet.

23. Epiſtolam ſcribit ex qua depromitur propoſitio notata. Hæc anno 1655. facta Arnaldum ſingulari cum iſto magnate amicitia jam olim devinctum adduxere, ut illius adversùs inconſultum Preſbyteri inſtitutum, unâque ſanctiſſimi Monaſterii defenſionem ſuſciperet. Quod cùm per Epiſtolam, auctoris quidem nomen præferentem, at non vulgari ſapientia ac moderatione conditam præſtitiſſet, importuniſſimorum nihilominus in ſe Scriptorum examen excivit, quos in ſe acerbiſſimè invectos Secundâ Epiſtolâ, ubi

res

res tota latiùs pertractabatur, retundere conatus eſt. In accuſatione enim hæreſeos quemque patientem eſſe, nefas duxere ſancti Eccleſiæ Patres.

In ea Epiſtola non antiquos ſolummodò Pontifices Romanos, Catholicæ Auguſtini doctrinæ aſſertores, ſed recentiores etiam, ipſamque adeò Innocentii X. Conſtitutionem vindicabat à falſis temerariiſque novellorum autorum, præſertimque Annati Jeſuitæ, interpretamentis. Is enim, dum Auguſtinianam Pontificiamque doctrinam de gratia per ſe efficaci ad ſingulos chriſtianæ pietatis actus neceſſaria, illius Conſtitutionis ope evertere moliebatur, ipſam reapſe Conſtitutionem evertebat. Novum enim ex ea fidei articulum eliciebat, quo quiſque, ut catholicus audiat, credere teneatur, omnem gratiam ad implenda Dei præcepta neceſſariam ſemper cuivis mortalium adeſſe cum peccat; omnibus, inquam, juſtis & non juſtis, impiis, infidelibus, atheis, ſceleratis, excæcatis, obduratis. Huc illos duxit abſurdum iſtud axioma, quod jam pridem Moliniſtarum aſſeclæ invehere conantur, Gratiam ad peccandum eſſe neceſſariam; deinde, niſi illa peccantis vel mentem illuſtrarit, vel moverit voluntatem, vel animo objecerit actionis malitiam, non poſſe à Deo imputari peccatum. Inde itur ad peccatum philoſophicum, quod non ſit peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei & æterna pœna dignum: quam *propoſitionem ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam declaravit*, & uti talem damnavit Sedes Apoſtolica, ſedente ad Eccleſiæ clavum Alexandro VIII.

24. Quæſtio de Petri caſu proponitur.

Poſtquam Arnaldus falſam Conſtitutionis interpretationem circa eos omnes qui juſti non ſunt,

ſunt, eliſit, ad juſtos ſermonem deflectit: de quibus generatim primùm quæſtionem inſtituit; deinde ad ſingulare Apoſtoli Petri exemplum his
Epiſt. 2. *pag.* 218. verbis deſcendit: *Quæſtio eſt an, verbi gratia, ut catholici audiamus, teneamur credere, S. Petrum, qui juſtus erat, cum timore mortis correptus eſt, habuiſſe per motus interiores & actuales* OMNEM GRATIAM, QUÆ IPSI NECESSARIA ERAT, *ut poſſet vincere* HANC *tentationem & Chriſtum uſque ad mortem ſequi; licet Chriſtus Dominus, qui ipſa eſt Veritas, clarè illi dixiſſet:* NON POTES ME MODO SEQUI. Ubi verò per aliquot paginas evicit clariſſimis SS. Patrum teſtimoniis, Petro NON OMNEM adfuiſſe gratiam quæ neceſſaria illi erat ad vincendam illam tentationem ſeu timorem mortis, reſumit propoſitionem in hæc verba, quibus in locum definiti, ſeu neceſſarii, quod ante poſuerat, definitionem ſubſtituit, nimirum *ſine quo id ad quod adjuvat effici non poteſt*, ut definit Auguſtinus lib. de Geſtis Pelagii c. 1. vel, ut loqui-
3. *p. q.* 1. *a.* 2. & *q.* 65. *a.* 4. tur S. Thomas, *id ſine quo aliquid eſſe non poteſt*, ſeu *ſine quo finis haberi non poteſt*. Sic ergo ante dicta colligit Arnaldus:

Interea, Vir Illuſtriſſime, Veritas hæc magna, per Evangelium conſtituta & SS. Patrum autoritate confirmata, qui nobis in B. Petro exhibent hominem juſtum cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, in ea defuit occaſione, in qua eum non peccaſſe dici non poteſt, ſtatim evaſit in Calvinianam hæreſim, ſi qua fides Molinæ ſectatoribus.

25. Pravæ interpretationi hujus propoſitionis occurrit. Hæc illa eſt propoſitio tot probroſis notis vexata, quòd Petro in peccatum labenti *defuit gratia ſine qua nihil poſſumus*. Tot clamores turbaſque excivit unum hoc gratiæ epithetum, SS. Conciliis & Patribus tam familiare: quod cum generatim omnigenæ actuali gratiæ, ſive abſolu-
tè

tè ſive ſecundùm quid efficaci, conveniat, multo certè magis nobilioris ſpeciei proprium eſt. Ad cujus catholicum ſenſum aſſerendum obſervandum quam maximè, Arnaldum quaſi iniquioris adverſariorum ſuorum Cenſuræ præſcium, ſapienter præcaviſſe, ne juſtos quoſque, immò ne quoſvis quidem ſceleratos homines qui peccatum admittunt, omni vitandi peccati ac implendi Dei mandati poteſtate exuiſſe videri poſſet. Ut enim ejuſmodi calumniæ obviam iret, nonnullis magni momenti obſervationibus à ſe dicenda præmunivit.

Duo, inquit, obſervanda nobis veniunt, ut de qua re hìc agatur, bene quiſque perſpiciat. *Arn. Ep. 2. p. 205.*

“ Primum, licet nihil fieri poſſit, quod verè bonum ſit coram Deo, niſi per ſpeciale Jeſu-Chriſti auxilium, & ipſa Domini Oratione doceamur, hanc gratiam abſolutè neceſſariam eſſe ad repellendas tentationes, hoc eſt ad illas evitandas ea ratione quæ apud Deum pura ſit & omnis labis expers; nihilominus poſſunt homines ſine gratia multas actiones efficere quæ in ſe bonæ ſunt, etſi eo nomine vitio non careant, quod ad Deum non referantur. Poſſunt etiam à peccatis per alia peccata abſtinere: quod de antiquis Romanis dixit Auguſtinus: *Illo unico vitio, id eſt, amore laudis, pecuniæ cupiditatem & multa alia vitia comprimentes.* *S. Aug. de Civit. Dei l. 5. c. 12.*

“ Ex quo, ſubdit Arnaldus, evidens eſt propter ea quæ fides docet de Chriſti gratia ad ſingulos actus neceſſaria, non eſſe fas hoc ſibi in animum inducere, eos qui à vitioſis flagitioſiſque actionibus non abſtinent, quales ſunt fornicationes, adulteria, furta, homicidia & alia ejuſmodi, non poſſe ea crimina non perpetrare, ſi ad vitandum peccatum gratia Chriſti ſit ne-

„ neceſſaria.,... Ad hoc enim tantùm neceſſaria „ eſt ut vitetur peccatum, non civili quadam ratione & ſtudio humano, ſed pio & chriſtiano „ affectu, id eſt, Dei ipſius intuitu & inſpiratione, quæ ex Deo nobis ſit & ad Deum nos referat, ex Dei amore ſive parvo ſive magno; „ quo ipſum ut omnium actionum noſtrarum finem ultimum aſpiciamus, quemadmodum præcipit Apoſtolus.

Quis autem cordatus dixerit aliquid ex amore Dei fieri ullomodo poſſe, ſine inſpiratione amoris vel parvi vel magni, quæ Chriſti gratia eſt aut magna aut parva.

Pag. 206. Alterum quod obſervat Arnaldus, hoc eſt: „ Per gratiam interiorem, quam voluntati cum „ peccat, nunquam non adeſſe contendunt Theologi illi, intelligunt gratiam actualem, quam „ ſufficientem appellant, eamque conſtituunt in „ bona cogitatione quam Deus menti inſpiret, „ & ſecretiori motu quem voluntati imprimat, „ ut ad bonum ſe convertat & à malo ſe revocet, „ ita tamen, ſecundùm eorumdem doctrinam, ut „ pendeat à voluntate gratiam illam vel repellere „ vel admittere.

26. Quàm falſum, illum omnem à peccantibus non peccandi poteſtatem amovere.

Ex quibus perſpicuum evadit ab Arnaldi mente longiſſime abfuiſſe, ut omnem omninò poteſtatem à quovis peccante amoveret; &, cum dixit, *ſine gratia efficaci nihil nos poſſe*, eo ſenſu dixiſſe, ut iſtud *nihil* cadat, non in potentiam ſeu facultatem, ſed in objectum; ſeu non in voluntatem, velut omnis prorſus poteſtatis exſortem, ſed in ipſa Chriſtianæ pietatis opera & officia, quorum ne hilum quidem ſeu pars nulla eſt vel minima, ad quam exſequendam ita neceſſaria non ſit gratia Chriſti efficax, ut ſine ea neminem poſſe illam implere, verè admo-

admodum dicatur. Hoc ſenſu iſtud *nihil* debere intelligi, & Grammaticæ leges exigunt & SS. Patrum uſus, qualis habetur in Africanis Canonibus, à toto mundo ſuſceptis ac probatis, quibus ſancitur, *Gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum nos per actus ſingulos adjuvari, ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* *Apud Proſp. l. cont. Collat. c. 10.*

Quæ omnia unico perſeverantiæ verbo coercuit Tridentina Synodus, cum Canone 22. ſeſſ. VI. juſſit, ut *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Quid enim eſt in accepta juſtitia perſeverare, niſi omnia veræ ſanctæque pietatis officia indeſinenter implere, omnibus Dei mandatis conſtanter obſequi, omnibus contra inſurgentibus tentationibus ſic reſiſtere, ut nulla prævaleat. Unde cum apud omnes res confeſſa ſit, ſpeciale Dei auxilium ſine quo nemo in accepta juſtitia perſeverare poteſt, eſſe gratiam Chriſti efficacem, qui dicit, ut dixit Arnaldus, *ſine gratia efficaci nihil quemquam poſſe*, hoc unum dicit, quod dixit Tridentinum, nullum juſtum in ullo vitæ inſtanti *ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe.* Idem evincunt Arauſicanæ Sanctiones omnibus obviæ, quas ante oculos habuerunt Tridentini Patres, & Capitula de Gratia, Apoſtolicæ Sedis & totius Eccleſiæ autoritate comprobata.

Ex prima igitur obſervatione patet Arnaldum in omnibus etiam flagitioſiſſimis hominibus ita poteſtatem abſtinendi à peccatis quibuſque agnoſcere, ut ab iis revera abſtineant ſæpiſſimè humanis affectibus ducti, "ut puta pœ-"
"narum metu, turpitudinis conſideratione, in-"

famiæ imminentis intuitu, famæ ſervandæ ſtudio, civilis honeſtatis amore;" nec aliam poteſtatem iis abjudicare qui non ex amore Dei ſervant mandata vel etiam violant, quàm quæ ex Dei amore oritur, ſive parvo, ſive magno.

Ex altera verò obſervatione perſpicuum eſt, non de poteſtate quæ ex charitate ſeu gratia habituali exſurgit controverti; ea enim in juſtis neceſſariò ſupponitur: nec etiam omnem quæ ex aliquo actuali gratiæ auxilio naſcitur poteſtatem ab eo juſtis abrogari, ſed eam ſolummodò quæ ex Moliniana gratia actuali oriatur, gratia, inquam, verſatili, nutui voluntatis obnoxia & præterquam alia nulla neceſſaria ſit ut voluntas impleat præceptum. Quam poteſtatem, proximam, completam, immediatam, & ad agendum expeditam peccanti nulli concedere neceſſe eſt eos omnes qui efficacem per ſe gratiam omnibus pietatis Chriſtianæ actibus & officiis implendis neceſſariam aſſerunt. Quamobrem Arnaldus noſter, cum ipſam de Apoſtolo Petro quæſtionem proponeret, non omnem Petro gratiam actualem defuiſſe, ſed NON OMNEM ADFUISSE quæ ad vincendum mortis metum neceſſaria erat, cautè aſſeruit: ita ut omnem calumniandi anſam adverſariis præripuiſſe videretur, ſi quo illi veritatis & æquitatis amore ducti ad Epiſtolæ Arnaldinæ examen acceſſiſſent.

27. Jeſuitæ olim Arnaldi propoſitionem defenderunt.

Tam arctus igitur Arnaldinæ propoſitionis cum Eccleſiæ doctrina nexus, ut vix credas fuiſſe proſcriptam. Fuit tamen. Et quod mirere magis, eorum inſtantiâ & ſollicitationibus, in quorum Romano Collegio defenſa fuit a. 1580. à Jacobo Marchiſetto, Theſi 143. de præd. & grat.

grat. his verbis: *Eſt in noſtra poteſtate ut vocationi conſenſum præbeamus, idque non ſimpliciter in noſtra poteſtate, ſed ſuppoſita gratiâ efficaci.* Iidem ſub hujus quo vivimus ſæculi initio eamdem ut fidei dogma à Tridentino ſancitum propugnabant, & contradictoriam hæreſeos poſtulabant coram Apoſtolica Sede, ut anathemate damnatam ab eodem Concilio. Acta eſt fabula die 20. Januarii anni 1603. coram Clemente VIII. Urgebat Thomas de Lemos, inſignis ille Dominicanus, Arrubalem Jeſuitam, contendebatque Molinam docuiſſe, vires quibus tentationes repellantur ac ſuperentur, à gratia non eſſe repetendas; illis tam facilè ſuccumbere hominem ſub gratia ſanctificante poſitum, quàm qui in mortali peccato verſatur; immò hominem gratiâ ſanctificante ornatum potentiam non magis habere reſiſtendi pluribus diuturniſque tentationibus, quàm ſi in mortalis peccati luto jaceret. Inſanum errorem revicit Lemoſius, aſſeruitque in homine juſtificato ineſſe perſeverandi potentiam, non eam quidem quæ actui conjuncta eſt, ſed potentiam ab actu ſeparatam. Contra inſurrexit Arrubal, quaſi Lemoſius impiam, blaſphemam, hæreticam. doctrinam protuliſſet. "Beatiſſime Pater (inquit) quod Pater dixit contra Molinam, hominem videlicet in gratia juſtificante conſtitutum habere poteſtatem ad perſeverandum, licet ut de facto perſeveret indigeat auxilio perſeverantiæ ſpeciali, eſt contra Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 12. Concilium enim definit: *Si quis dixerit, hominem juſtificatum perſeverare poſſe ſine auxilio ſpeciali, anathema ſit.* Ecce dicit non poſſe perſeverare ſine auxilio ſpeciali; & hoc eſt certum ſecundùm fidem. Et illud aliud quod Pater aſſerit,
ſine

„ ſine errore dici non poteſt. Similiter Concilium „ Arauſicanum Canone ultimo dicit, Non eſſe ido- „ neum hominem juſtificatum ad perſeverandum „ ſine auxilio perſeverantiæ.

„ Ad hæc Lemoſius. *Reverende Pater, ſacrum Concilium intendit non poſſe hominem juſtificatum ſine auxilio ſpeciali perſeverare, id eſt, eſſe impoſſibile quod homo ſine auxilio ſpeciali perſeveret; non tamen negat potentiam eſſe in homine ad perſeverandum. Licet enim ad id habeat potentiam per gratiam juſtificantem, tamen ut exeat in actum indiget auxilio ſpeciali.* Vides, candide Lector, ut Lemoſius, audiente Pontifice nulloque præter Arrubalem contradicente, palàm & publicè judicaverit nullam aliam potentiam in juſto homine neceſſariam, niſi quæ ab ipſa gratia juſtificante fluit, ut poſſe perſeverare dicatur in accepta juſtitia, hoc eſt & præceptis urgentibus obedire, & ingruentibus tentationum tempeſtatibus obſiſtere. Nimirum *Reverendi Patres debuiſſent animadvertere*, (ut Armachanus Archiepiſcopus Molinæ defenſores ſtatim monuit) *quod eſt duplex potentia, alia ab actu ſeparata, alia actui conjuncta.* His nequaquam, fractus Arrubal, vehementiùs inſtitit, rurſumque compellans Pontificem: *Beatiſſime Pater*; inquit, *conſtat eſſe definitum in Concilio, hominem per gratiam juſtificatum non habere potentiam ad perſeverandum: & ego non dubitarem pro iſta veritate ſanguinem fundere.*

Non ſanguinem, ſed bilem fudit: nec pro veritate, ſed contra veritatem: nam canonem fidei non propugnabat, niſi in ſenſu fidei contrario, eoque multiplici. Per illud enim auxilium ſpeciale, non adjuvantem gratiam quæ efficaciter moveat voluntatem, ſed aliud nihil intellige-

telligebat, quàm ipſam excitantem gratiam quæ novo influxu & actione in operationem piam influens, appelletur adjuvans, quia liberum arbitrium pro ſola ſua libertate voluit illa benè uti. Inſuper putavit omninò tolli arbitrii noſtri libertatem, ſi tale donum perſeverantiæ concederetur, per quod Deus efficaciter & inſuperabiliter efficiat, ut homo infallibiliter perſeveret, quale intellexit Concilium. Denique gratiam habitualem, ſeu charitatem inhabitantem talem eſſe ſomniabat, ut refert Lemos, ex qua potentiæ nihil ad perſeverandum homini juſtificato proveniret, niſi quatenus ex motu liberi arbitrii, illâ pro innata ſua libertate uteretur & ad novum influxum excitaret.

E contrario pro veritate Canonis Tridentini certabat Lemoſius, qui cum poſſe actui conjunctum ineſſe negabat hominibus juſtis, ſine ſpeciali illo auxilio præter quod nihil aliud deſideratur ad perſeverandum, ſimul aliud poſſe ab actu ſejunctum ultrò admittebat, illud ſcilicet quod è charitate inhabitante in animam juſti profluit.

Faceſſat hinc igitur Arrubal, notatæ propoſitionis verbo tenus aſſertor: tales non ambit Arnaldus defenſores; adverſos libentiùs ſentiet. Quoties enim ejus propoſitionem in S. Thomæ Diſcipulis in odium & erroris opinionem trahere ſunt conati, toties illi Congregationis totius ſuffragia & approbationem conciliavere. Die 10. Januarii anni 1606. in Congregatione 44. coram Paulo V. inter plures propoſitiones quas Ferdinandus Baſtida Jeſuita expugnare aggreſſus eſt ut Calvinianas, hanc quartam protulit: *Sine auxilio efficaci gratiæ homo non poteſt bene operari, nec ad Deum converti.* At die 9. Novem-

38. Romani Cenſores Arnaldo ſuffragantur.

vem-

vembris ejuſdem anni, in Congregatione in qua collectæ ſunt propoſitiones damnandæ ut fidei abſonæ, hujus cenſuram, Pariſienſi ſimillimam, erroris damnavit his verbis: *Qui dixerit gratiam iſtam ad volendum & operandum quæ pertinent ad ſalutem, aut non eſſe ita efficacem, ut præveniendo voluntatem noſtram, ipſam vera & reali efficientia præmoveat, & faciat velle atque operari, aut* SINE EA POSSE *aliquem actu velle & operari: Errat.* Quamobrem cum quidam Theologiæ Profeſſor in Academia Lovanienſi hanc concluſionem 26. Theſibus ſuis inſeruiſſet: *Quiſquis ergo gratiam efficacem ita neceſſariam exiſtimas, ut ſine ea opus bonum fieri aut tentatio ſuperari non poſſit, agnoſce te cum eodem* (Janſenio) *impie blaſphemare & hæreticè ſentire*; has Theſes damnavit & prohibuit Sedes Apoſtolica die 15. Martii anni 1684. ut refert P. Bernardus Deſirant Auguſtinianus Eremita & Doctor S. Facultatis Lovanienſis in Theſibus Theologicis, De Gratia Chriſti, Lovanii defenſis 14. Junii ejuſdem anni.

Si quod inter illam celeberrimæ Congregationis doctrinam & propoſitionem Arnaldinam diſcrimen intercedit, in eo certè verſatur, quòd longè clariùs à Congregatione aſſertum habemus Arnaldinum dogma, quàm in ipſa Arnaldi propoſitione. Interim quanti ſit ponderis illa ſanctio, tametſi nondum Apoſtolica autoritate promulgata, nemo non videt, qui illius judicata per integrum ferè decennium contradictoriis diſputationibus diſcuſſa meminerit & ſepties repetito ad Jeſuitarum inſtantiam examine ad incudem fuiſſe revocata. Et tamen tam maturè ſancita doctrina, quæ gravis iſtius controverſiæ ſumma eſt, in qua totius de gratia doctrinæ cardo

vertitur, hæc ipſa eſt quam in clariſſimi Arnaldi Epiſtola impiam, blaſphemam, hæreticam pronuntiarunt Cenſores Pariſienſes.

Sed enim Arnaldi Epiſtola in homines incurrens exulceratos & incenſos, inimicorum malevolentiæ patuit, qui captatis inſidiosè nonnullis verbulis quæ in erroneum ſenſum detorqueri poſſe viſa ſunt, Sorbonæ illa non excutienda, ſed damnanda obtulere. Opportunum illis admodum videbatur quod hæc Epiſtola autoris nomen præferebat, cujus odio magis etiam quàm ipſius doctrinæ flagrabant. Nam ſi doctrinæ illos cura ſollicitaſſet, cur non ipſam Patrum Apologiam invadebant, in qua inviſa ipſis dogmata latiùs longè & uberiùs quàm in hac Epiſtola traduntur & explicantur. 29. Cenſura quomodo & quibus ſubſtructa.

Ad hanc autem condemnationem aſſequendam multæ machinæ admovendæ fuerunt.

Primùm, ut ſibi Suffragiorum multitudinem certò conficerent, multò plures ex Mendicantium familiis in Facultatem induxerunt, quàm per ipſius leges licebat; quos poſtmodùm ex iſtis legibus è Facultate ipſimet exegerunt.

2. Annitentibus ipſis, infenſiſſimis Arnaldi adverſariis & iis ipſis quos editis voluminibus validè confutatos ad ſilentium adegerat, excutiendæ ejus Epiſtolæ cura mandata eſt.

3. Cum huic ſtatuto complures è Doctoribus interceſſiſſent, re ad ſupremum Senatum delatâ, graviter invectus eſt Regius Advocatus in apertam illam iniquitatem, quâ infeſtiſſimis inimicis, non judicium modò, ſed ipſa in reum inquiſitio tribuebatur: ac in favorem Arnaldi ſuas, ut loquuntur, concluſiones adjunxit, ſecutuſque fuiſſet haud dubiè majoris Judicum partis aſſenſus, ni Aulæ Gallicæ in alteram partem

tem inclinantis ſtudia obſtitiſſent, cujus operâ octo præter numerum Judices immiſſi: quibus effectum eſt, ut adversâ Arnaldo ſententiâ duobus aut tribus calculis victrice, res ad Facultatis arbitrium remitteretur.

4. Cum in ipſa Facultate plurimi Doctores oppoſitæ factionis potentiâ minimè territi ſtrenuè adversùs eam pro Arnaldi innocentiâ pugnarent; ad eorum infringendam conſtantiam adeſſe in omnibus conſeſſibus juſſus eſt Seguierus Galliæ Cancellarius, qui Doctoris quem Adverſarii oppreſſum volebant aſſertores ſuâ præſentiâ perterrefaceret. Et cum quidam nihilominus fortiter obſiſterent, ſtatutum inſuper ne cui ultra ſemihoram ſermones protrahere liceret: ne ſcilicet ſpatium eſſet ad Arnaldinam periodum, quam cenſurâ inuſtum omni ope tendebat adverſa factio, traditionis & ſcholaſticorum autoritate vindicandam. Hac iniquitate factum, ut pluſquam ſeptuaginta Doctores, libertatem Facultatis violatam ante conteſtati, ab illis ſe conſeſſibus ſubduxerint.

At ſi Cenſuram caſſam & irritam demonſtrat hæc agendi ratio apertè violenta, magis etiam materiæ ipſius vitio corruit. Damnat enim propoſitionem ex SS. Auguſtino & Chryſoſtomo ad verbum exſcriptam, quamvis alio quàm à Patribus uſurpata ſenſu, ejus verba ab Arnaldo ſumta, nemo docere potuerit.

30. Cenſura ſemper indefenſa.

Itaque quamprimum hæc Cenſura prodiit variis ſtatim ſcriptis labefactata eſt, unoque præcipuè cui *Diſſertationis Theologicæ* titulus inditus; cujus evidentiæ ac robori vix quiſquam cordatus & intelligens Lector reluctetur. Docet enim, cum in propoſitione quâvis nihil aliud ſpectari poſſit niſi verba & ſententia, illam

lam de qua lis erat, ſi verba ſpectes, paſſim apud Patres & ſcholæ Doctores haberi; ſin autem ſententiam attendas, eo ſenſu acceptam ab Arnaldo, qui toti Eccleſiæ ipſiſque adeò adverſariis tanquam purus orthodoxuſque probetur.

Itaque duo in hoc negotio contigerunt quæ non temerè aliàs contigiſſe reperies. Primum, ut Cenſura Sorbonica validiſſimè tum Latinè, tum Gallicè oppugnata, ſive modum, ſive remipſam ſpectes, neminem ex tam numeroſo eorum à quibus confecta eſt cœtu defenſorem habuerit. Alterum, quòd illi Doctores, viva voce ſæpiùs conteſtati hujus propoſitionis verba, utpote ex Patribus exſcripta, apud ălium quàm apud Arnaldum fore catholica, & propter latentem demum ſenſum quo illa ab ipſo accepta jactabant, à ſe damnata, nunquam tamen ad eum ſenſum proferendum quamvis iteratis precibus & querelis adigi potuerint.

Neque verò hujus Cenſuræ confectoribus curæ fuit ut eam non iniquam docerent, ſed id demum, ut Doctoribus ſibi penitùs non obnoxiis è Facultate extruſis ſoli in ea nemine obſiſtente regnarent, nihilque in ea niſi arbitratu ſuo fieret. Hoc autem aſſecuti ſunt fixâ præter Facultatis morem hac lege, ut qui iniquiſſimæ Cenſuræ ſubſcribere recuſaret, è Facultate pelleretur: quod illi tam præfractè ac rigidè exſecuti ſunt, ut inaudito planè auſu funebres exſequias, pro quibus certum pretium a ſingulis Doctoribus expenditur, celebrare recuſaverint pro ipſis etiam è cœtu ſuo Epiſcopis, qui magnâ pietatis famâ defuncti Cenſuræ ſubſcribere noluerant. Quin & defuncto Eminentiſſimo Cardinali Retzio, qui cum Sorbonæ Doctor

ctor eſſet, huic tamen Cenſuræ minimè ſubſcripſerat, cum multi ſolitas preces adhibendas cenſerent, pervicit Syndicus, unus ex iſtius factionis primariis, ut iſto pietatis officio fraudaretur.

31. Cenſura n Facultatis non eſſe. Quæ hucuſque à me narrata ſunt, ſufficiunt opinor, ut cuique præjudiciis immuni perſuadeant Clariſſimum Arnaldum contra jus omne & æquitatem eſſe damnatum, immò catholicam in eo veritatem eſſe confixam: quod longè clariùs elucebit cum ipſa ejus Apologetica ſcripta perlecta fuerint. Sed & ex iiſdem non minùs manifeſtum evadet, tam enormem Cenſuram non poſſe ſine gravi injuria Sacræ Facultati Theologiæ Pariſienſi adſcribi.

In duas enim partes ſciſſam in hoc judicio videmus Facultatem Theologicam.

Una duces habuit eos qui impotenti ſingularis illius Viri odio apertè flagrabant: qui cum diutiſſimè ſcholam Theologicam moderati eſſent, Doctores longè plurimos addictos ſibi & morigeros habebant; qui Arnaldi ſcriptis publicis laceſſiti oppreſſum eum jampridem miris modis cupiebant; qui Aulæ Gallicæ gratiâ valentes plurimum, ſummas etiam poteſtates ad comitia vocaverant, ut terrorem incuterent & per illas in libertatem ſuffragiorum imminerent. Unde promtum eſt opinari, alios metu ſuffragatos eſſe, alios privato favore ductos, alios, vel vehementi magis quàm æquo & ſecundùm ſcientiam zelo abreptos in potentiorum iviſſe ſententiam, vel quietis amantiores priùs habuiſſe irrequieti ſpiritus hominibus cedere, quàm cum illis digladiari & audire, Janſeniſta.

Altera pars iis conſtabat qui nullo alio quàm verita-

veritatis ſtudio duci potuere, cum nihil ex Arnaldi defenſione commodi, multa verò incommoda iis poſſent accedere: qui præterea tam egregium doctrinæ ſpecimen in Comitiis præbuerunt, ut omnibus admirationi fuerint. Et hi octoginta ferè numerantur, qui eam propoſitionem defenderunt, cujus ſi verba attendas, ex ſanctis Patribus ſyllabatim deſcripta ſunt; ſi ſenſum, is illis obvius ineſt & defenditur qui paſſim in ſcholis catholicis traditur & à SS. Patribus traditus habetur.

Quis igitur cordatus homo & partium ſtudio vacuus ad priorem illam partem, quæ Cenſuram ſpretis ſolennioribus judiciorum Eccleſiaſticorum & Facultatis legibus procudit, Facultatis potiùs nomen & autoritatem tranſferat, quia numero per vim & dolum aucto aliam ſuperat, quàm in alios ferè octoginta, qui Cenſuræ totis viribus obſtiterunt extrema quæque magis experiri parati, quàm illius participes fieri.

His profectò circumſtantiis magnum præſtruitur innocentiæ Arnaldi præjudicium. Certa enim ſunt hæc & explorata: contra quorum fidem nemo reclamare vel hiſcere auſus; tametſi, calente adhuc negotio, tam viva voce quàm ſcriptis publicis aſſerta fuerint & in omnium ore verſata.

Hinc effectum eſt, ut præter eos qui vel Cenſuram promoverant, vel his erant ſuffraganti, aut qui Facultatem moderantes potentiorum nutibus obſequuntur, aut qui demum aulæ, tempori, utilitatibus ſuis, aliorum auribus ſerviunt, vix quiſquam alicujus nominis repertus ſit, qui Cenſuram pro legitimo Facultatis fœtu palàm agnoverit, aut non apertè reſpuerit, 32. Nulla Cenſuræ habita ratio.

velut malis artibus ac violentia conceptam atque perfectam.

Quis enim, inquiunt, putet Cenſuræ artifices tam invidioſas & inauditas machinationes, ut eam qualemcumque obtinerent, tentaturos fuiſſe, ſi per tritas juris vias ſolenneſque judiciorum Theologicorum ritus ad legitimam & Canonicam Cenſuram pervenire ſe poſſe ſperaviſſent; cum præſertim eſſent ejuſmodi, quibus humana omnia ſubſidia & præſidia præſtò erant, ut cauſam ſuam ad libitum ſine mora & obice ullo promoverent? Adverſariorum Arnaldi ſumma autoritas, Regiorum Miniſtrorum favor, Eccleſiaſticorum ſeculariumque Procerum potentia ad nutum his parata & addicta. Hæc ſcilicet, & alia non pauca, ſatis non erant, ut unius Doctoris Theologi ab hominum ſocietate ante decennium abſtracti, nulla ope humana inſtructi, doctrina examinaretur, & ſi quidem erronea eſſet, liberâ ſententiâ damnaretur? Verùm ad id aſſequendum tot taleſque adhibendæ fuerunt machinæ, quales ſuperiùs indicatæ ſunt, & omnia ſuſdeque vertenda. Profectò qui judicio tot tamque pravis prehenſationibus adornato Theologiæ Doctorem damnatum eunt, eumdem mihi in anteceſſum abſolvere videntur.

Revera, tam iniqua & intolerabilis viſa eſt Cenſura, ut nonnulli Doctores ab Arnaldi ſenſibus non parùm alieni, adeóque Auguſtinianæ de gratia doctrinæ minùs æqui, non ſolùm rem nomini ſuo probroſam & ſaluti pernicioſam facturos ſe duxerunt, ſi Cenſuræ ſubſcriberent; ſed hoc etiam debere ſe putarunt afflictæ Doctoris inſignis innocentiæ, & conculcatis judiciorum Theologicorum ipſiuſque æquitatis legibus,

gibus, ut ſcriptis publicis tam enormis judicii vitia, vel potiùs vitiorum portenta, omnibus patefacerent: ne ſimpliciorum animis fucum faceret ſplendidum Facultatis Theologicæ nomen, de qua nemo eſt qui non magnificè ſentire amet, aut etiam debeat, cum judicium communibus ac liberis ſuffragiis concordique ſententiâ ab illa ritè profertur.

Ad Cenſuræ contemtum deinceps coïre viſi ſunt, Doctorum exemplo, omnium Ordinum homines, iique præcipui ac majoris dignitatis. De Pace Gallicanæ Eccleſiæ reddita nutu Pontificis Clementis IX. Regiſque auſpiciis & ſapientiâ, quicunque nonnihil audierunt, non ignorant, quàm benignè, quanta humanitate, quantis officiorum ſignificationibus ab omnibus exceptus ſit Vir magnus, poſt quatuor & viginti annorum ſeceſſum tum primùm velut luci redditus. Nuntius Apoſtolicus, Gallicani Epiſcopi, Rex Maximus, Primores quique, tum Aulæ, tum Senatus, tum denique Academiæ Viri, quanti eum facerent, cum quantæ lætitiæ ſenſu ejus tandem conſpectu fruerentur, publicè teſtati ſunt. Tunc verò de Pariſienſi Cenſura quid factum? Ne verbum quidem. Et tamen ſi impietatis, ſi blaſphemiæ, ſi hæreſeos reus erat Arnaldus, ut Cenſores pronuntiant, nihil priùs ab illo exigendum fuit, quàm ut hæreſim ejuraret & ſubſcriberet Cenſuræ. At ne ulli quidem venit id in mentem. An ſomno intempeſtivo ſopitus tenebatur Pontificius Miniſter? An cauſæ fidei cura nulla erat Epiſcopis qui Pacis negotium promoverant, quos inter Eminentiſſimus Eſtræus & Illuſtriſſimus Harlæus, tunc Rothomagenſis, poſtea Pariſienſis Archiepiſcopus? Fortè exciderat illis quidnam præſcribant

33. Altum de Cenſura ſilentium in pace Clementina.

bant Eccleſiæ leges circa ſuſpectæ fidei homines, immò publico primæ Facultatis Theologicæ judicio erroris damnatos? Accedit, quòd illi Præſules pacis ſequeſtri & Pereſixius Pariſienſis Archiepiſcopus, omnes, uno excepto, inter Facultatis Pariſienſis Theologos numerabantur, ac proinde Cenſuræ neſcii eſſe non poterant: & tamen altum apud omnes de Cenſura ſilentium, nihilque prorsùs negotii Arnaldo circa illam faceſſerunt. Qua agendi ratione Orbi univerſo palàm & apertè teſtati ſunt, nullo apud ſe in pretio infauſtum illud fuiſſe judicium, quod ſubſidente contentionum æſtu contemtui eſſe cœperat, nec efficere potuerat ut Eximii Doctoris illius fides in dubium vocaretur, quandiu aulicus favor Cenſorum conſiliis non afflabat.

Fatendum interim Patrem Annatum, Regiæ conſcientiæ Arbitrum, quo inſcio ac invito totum pacis negotium actum ac perfectum fuerat, cum id cùm ſuis ægerrimè ferret nihil non tentaſſe, ne Arnaldus ejuſque amici Facultati Theologicæ reſtituerentur: & viris magnæ in Aula autoritatis ſpe dignitatum nonnullarum ineſcatis & in conſilii ſui conſortium adſcitis, rem tanta dexteritate tractavit, ut tandem optato fine potitus ille ſit.

34. In repetito pacis tractatu nihil de Cenſura. Ex hujuſmodi ſucceſſu, quem Aulicorum gratia & ambitio præſtiterat, conjicere quiſque poteſt nihil ab iiſdem non tentatum apud Apoſtolicam Sedem ut paci moras injicerent, vel potiùs eam funditùs diſturbarent. Nec conjecturis opus eſt. Res enim eſt nemini non comperta, & publicis etiam monumentis & inſtrumentis conſignata, vix ſancitam fuiſſe pacem, immò per Regium Decretum 23. Octobris anni 1668.

1668. confirmatam & promulgatam, cum pacis inimici partim ſecretioribus monitis, partim ſuorum aſſeclarum operâ & induſtriâ, variis ſuſpicionibus ac malignis ſuſurrationibus aures animoſque Pontificiorum Miniſtrorum impleverunt, ut Eccleſiaſticæ concordiæ opus inverterent: nihil ut propius fuerit, quàm ut Aulam Romanam ad ſua inflecterent conſilia. Nec dubium quin ſuam illam Pariſienſis Facultatis Cenſuram ac judicium grandiore tubâ perſonuerint. Igitur ad incudem revocatum eſt pacis negotium. Numeroſam Cardinalium, Epiſcoporum, Theologorum Congregationem conflavit ſummus Pontifex, in qua per tres vel quatuor integras hebdomades diſcuſſa ſunt pacis inſtrumenta, arcanæ monitiones ventilatæ, omnia ſcrupuloſè penſitata, accuſationes adversùs Arnaldi fidem toties recoctæ, denuò ſunt examinatæ, ſcriptum ab eo ſubſignatum quo tota quatuor Epiſcoporum ac Theologorum agendi ratio exponebatur, in Apoſtolicæ Sedis lucem productum ſillabatim perpenſum eſt. Tantum autem abſuit ut Arnaldi fides ex Cenſuræ præjudicio nutaverit apud Pontificem ejuſque Miniſtros, ut potiùs ex Arnaldi teſtimonio quatuor Epiſcoporum fides ac ſinceritas illis probatæ fuerint, ut ex Eminentiſſimi Roſpiglioſi Cardinalis Patroni Regeſta teſtatiſſimum habetur: *Sanctitatis ſuæ juſſu*, inquit, *per Secretariam Status ſcripta eſt ad Nuntium Apoſtolicum Epiſtola, data 20 Januarii 1669. cujus ſumma eſt quòd Declaratio Illuſtriſſimi Epiſcopi Catalaunenſis à* DOMINO ARNALDO *pariter ſubſcripta, ac poſtmodum Archiepiſcopi Senonenſis autoritate confirmata; authentica inſuper teſtimonia &c. tanti ponderis viſa ſunt ſuæ Sanctitati, ut longè tutius*

ſit his argumentis inniti, quàm contrariis quibuſdam monitis ſecretioribus, quibus Synodalium Actorum à quatuor Epiſcopis conſcriptorum fides in dubium vocabatur, &c.

Pax igitur denuò ſancita eſt, & omnibus modis confirmata, nulla Cenſuræ ratione habita, nulla Arnaldo ſubſcriptione imperatâ, nulla erroris illi per Cenſores affiĉti ejuratione petita, quæ ſi unquam, hac certè maximè occaſione petenda erat.

35. à 2. Archiepiſ. Pariſienſibus quæ ratio Cenſuræ habita.

Quid verò Perefixius ejus Civitatis in qua condita eſt Cenſura Archiepiſcopus, immò & inter Cenſuræ fautores non poſtremus, quid, inquam, de illa cum Arnaldo, in eo reſartæ pacis articulo? Prorſus nihil, nec cum illis quidem Paſtoribus qui occaſione Formularii à ſuæ Parochiæ regimine cunctiſque Paſtoralibus muniis remoti fuerant, nec cum aliis bene multis qui à Cenſuræ approbatione & ſubſcriptione ſemper abhorruerant. Hi enim palàm & in omnium oculis, ſacris operati ſunt, verbo Dei & Sacramentis adminiſtrandis vacaverunt, ſciente ac permittente Archiepiſcopo; redditi ſunt ſuis Eccleſiis Paſtores ab illis abſtracti, Arnaldum peramanter habuit, omniumque Eccleſiaſticorum muniorum liberè exercendorum plenam eidem impertiit Facultatem. Nec aliter cum eodem Doctore Harlæus Perefixii ſucceſſor ſe geſſit: ita ut per undecim ferè annos, inprimis Catholicus, nihil obſtante Cenſurâ, habitus ſit; niſi ſi contenderint adverſarii potuiſſe utrumque Archiepiſcopum, ſalvâ conſcientiâ, Presbytero non Catholicè ſentienti, immò Viro *peſtilentis doctrinæ* & ea *lue* infecto *quæ jam multorum animos occupaverat*, ſi Cenſoribus fides, impunè ſacrorum omnium poteſtatem

tem

tem facere. Quòd autem Catholicus Theologus, omnibuſque Catholicis & Catholicæ Eccleſiæ Præſulibus acceptiſſimus, à Facultatis Theologicæ gremio velut Acatholicus avulſus remanſerit, hoc verò eſt quod portento ſimillimum mihi videtur, quodque poſteris argumentum futurum eſt rei prorſus ſingularis, quæ fidem vix habitura ſit. Et illa quidem magnum malitiæ ac potentiæ adverſariorum Arnaldi argumentum fuit, ſed non minùs certum innocentiæ ejus indicium, probatio comtemtûs in quem abierat Cenſura: cujus quidem obtentu multa per vim & imperium perpetrabantur à potentibus; ſed cujus nullus reſpectus erat apud Judices, à quibus ſecundùm Juris præſcripta agentibus nihil ſperare ſe poſſe arbitrati ſunt adverſarii, ne id quidem, quod ultrò ſequitur ex legitima ſententia Theologica, quæ dogma aliquod ut hæreticum, impium & blaſphemum feriat, ut delatâ ad Epiſcopale tribunal ejus causâ, cujus doctrina proſcripta eſt, ſi huic uſque inhæſerit aut eam abdicare renuerit, omnium ſacrorum exſors judicetur & ab Eccleſia extorris fiat.

His accedunt quæ paulò poſt geſta ſunt occaſione inſignis Operis, *De perpetuitate fidei Catholicæ circa ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum*: ſive enim ad ſummum Pontificem, cui illud nuncupavit Arnaldus, animum advertamus; ſive ad Gallicanos Epiſcopos & Pariſienſes Doctores, qui non opus ſolummodò, ſed ipſum etiam Autorem miris laudibus extulerunt, ubique Cenſura tacitè vapulat & flocci fieri videtur. Quaſi verò ſummus Pontifex tam publicum munus ab hæretica vel ſuſpecta manu ſibi deferri permiſſurus fuiſſet; aut ſibi acceptiſſimum fuiſſe, Autori 36. Quæ elogia ab Epiſcopis & Doctoribus Sorbon.

per Nuntium Apoſtolicum ſignificari, non ſine laude plurima, juſſurus. Gallicanos autem viginti ſeptem Præſules quod attinet, & viginti inferioris ſubſellii Doctores, nunquam profectò tam ſplendida elogia in hominem à celeberrima totius Orbis Facultate Theologica impietatis, blaſphemiæ & hæreſeos damnatum effudiſſent, qualem fuiſſe Arnaldum nemo dubitet, niſi qui futilem, iniquam, & falsò Facultati adſcriptam eſſe Cenſuram non dubitat. Inter Præſules duodecim erant Doctores Pariſienſis Facultatis Theologicæ, tres verò nunc Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales Eſtræus, Camuſius & Janſonius.

Sens. Archiepiſcopus Senonenſis, Magnus ille Gondrinus, non veretur in ſua Approbatione, in ore atque oculis Sorbonæ totiuſque Gallicanæ Eccleſiæ hanc laudem Arnaldo impertiri, *ſummam eumdem gloriam in eo poſuiſſe, unam ut ſequeretur ac defenderet Veritatem; ſingulare Eccleſiaſticæ Unitatis ſtudium in eo ſemper emicuiſſe, eumque ſanctiſſimæ huic Chriſti Domini Sponſæ arctiſſimo & inviolabili amoris vinculo nunquam non adhæſiſſe.* Et tamen *peſtilentem* illam, ſi Deo placet, *doctrinam* non ejuraverat.

Reims. Remenſium Illuſtriſſimus Archiepiſcopus & Dux, Primuſque Franciæ Par, Carolus Mauritius Le Tellier, non minùs doctrinâ quàm autoritate præfulgens, Sorbonæ tunc Doctor, nunc etiam Proviſor, Claudium Calvinianæ ſectæ Miniſtrum meritò ſugillat, *quòd Arnaldum Catholiciſſimum Theologum, velut apud Catholicos ſuſpectum traducere voluiſſet.*

Alet. Electenſis Præſul, ille quem ut Gallicanæ Eccleſiæ Decus, ut Gregis Dominici ipſorumque Paſtorum formam omnes ſuſpexerunt, crimina-

minationes quas hactenus famæ Arnaldi aſpergere nonnulli conati ſunt, ab eo procul repellit, idque omne vel falſis ſuſpicionibus vel malitiæ deputat.

Epiſcopi Convenarum, Conſeranenſis & Rivienſis communi Approbatione Librum commendantes, Autorem ſpreto Cenſorum judicio *Doctorem ac Socium Sorbonicum* prædicant. *Commenge, Conſerans & Rieux.*

Tutellenſium Epiſcopus Miniſtrum Claudium irridet, ut qui ſcripſerat *Arnaldum ab Eccleſia Romana pro ſuo non agnoſci.* Addit inſuper, rem eſſe fidelium lacrymis ac gemitibus dignam, quòd nonnulli Catholici Arnaldum falſis rumoribus infamare conati eſſent, variis illum calumniis proſcindentes; æquum planè eſſe, ut qui aſcendens ex adverſo hoſtibus Eccleſiæ opponit ſe murum & ſtat in prælio pro Domo Iſraël, inimicorum ejus odium ſpontè incurrens, ejus fama ac fidei integritas ab eorum maledictis vindicetur, qui adversùs ipſum tam importunè, quàm iniquè inſurgere non ceſſant. *Tulles.*

Agathenſis Præſul doctiſſimus ac vigilantiſſimus Doctorem noſtrum ſanctorum Doctorum numero accenſet, quos Spiritus Sanctus pro quorumvis temporum neceſſitate ad Eccleſiæ ſuæ defenſionem ſuſcitavit. *Agde.*

Antonius Godellus Vencienſis Epiſcopus, cujus nomen per omnes Eccleſias meritò celebratur, " ſingulari Providentiæ beneficio contigiſſe aſſerit, ut quo tempore Diabolus potentiſſimum hoſtem adversùs Eccleſiam armavit (Claudium, de quo ſupra, indicat) eodem Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ ſtrenuum Veritatis defenſorem ſubminiſtraverit, eumque cœleſtis Doctrinæ luce perſuſum, ſpirituſque ſui ardore ſuccenſum; ac primùm quidem Deum *Godeau Ev. de Vence.*

pro

» pro ſua providentia non uno omnipotentiæ
» ſuæ miraculo ſuam illi libertatem aſſeruiſſe pro
» Eccleſia certaturo neceſſariam; deinde verò om-
» nibus illum donis abundè inſtruxiſſe, ut ſplendi-
» dam de inimicis Eccleſiæ victoriam reportaret.

Non eſt hujus loci per omnes ire laudes quas alii aliis verbis Epiſcopi, quaſque Sorbonici Doctores quatuor & viginti in Arnaldum certatim conferunt in ſuis Approbationibus. Ex iis plures non obſcurè, nec ſine laude, indicant eas lucubrationes quas è ſuo ſeceſſu pro veritatis & juſtitiæ tuitione ante emiſerat Doctor noſter, eumque *ſeceſſum nominis ejus famâ fulgentem ac triumphis nobilem* appellare non dubitant, ut qui *toties*, inquiunt, *in arenam pro veritate deſcenderit.* Unum eſt quod hoc loco ſine obſervatione prærerire nec velim nec debeam. Selectorum illorum è Facultate Pariſienſi Doctorum agmen jure merito ducit illius Decanus Fraxineus-Mincæus, Vir pietate, doctrina & gravitate conſpicuus. Is in illis viginti & quatuor Sociis ſuis integræ ac liberæ Facultati quaſi præſidens, non octoginta ferè ut olim refragantibus, ſed ne uno quidem diſſentiente, videtur mihi illatam Arnaldo reſarſiſſe injuriam, eumque omnium nomine in priſtinum Theologici Magiſterii gradum reſtituiſſe, cum illum EXCELLENTEM DOCTOREM nuncupavit, cæteris ſuo ſilentio annuentibus ac probroſæ Cenſuræ dedecus tacitè eluentibus.

De Freſnede Mincé.

En hominem quem ſui omnes inimici collectis viribus & artibus per totam Eccleſiam infamarunt, ut doctrinæ *temerariæ*, *impiæ*, *blaſphemæ*, *hæreticæ*, *peſtilentis*, *exitialis* artificem & Patronum. Qui quidem ſi in libero ac legitimo ſex Epiſcoporum conſeſſu ritè, ut edicunt

cunt Canones, erroris damnatus eſſet, tot Epiſcoporum ac Doctorum ſententiâ abſolutus poſſet cenſeri; quantò magis cum in eo damnando omnia contra æquitatis leges, contra juris præſcripta, contra naturæ ipſius ſenſum acta ſint, obnitentibus & contradicentibus ferè octoginta, quod centies repetendum eſt, judicibus. Si quis porrò tot Epiſcopos & Doctores Sorbonicos hæc omnia nihil de Cenſura cogitantes, ac veluti dormitantes egiſſe dixerit, is riſu potiùs quàm reſponſione dignus meritò judicabitur: cum liquidò contra appareat eos vel hanc maximè ob cauſam de Arnaldo ſic locutos eſſe, quòd eorum mentibus Cenſuræ iniquitas, non ſine contemtu & indignatione, obverſabatur.

E Gallia Romam pedem referamus, ut Summos Pontifices qui Clementi IX. ſucceſſerunt, Gallicanis Præſulibus ac Theologis in laudando Arnaldo ſuccinentes audiamus. Non pauca ſuppetunt nec incertæ fidei documenta, quæ teſtatam faciunt ſummam Clementis X. adversùs Arnaldum benignitatem & perhonorificam de doctrina ejus opinionem. Non tanti ſua faciebat Vir modeſtiſſimus, ut libros à ſe editos Pontificiis aſpectibus dignandos ſpontè præſumeret, nec illos ad Clementem mittendi fiducia eum ceperat. Sed nonnullis cum ipſo per Alterium Cardinalem Patronum communicatis, ita eorum lectione delectatus eſt Pontifex, ut eos impensè laudaverit apud Eccleſiaſticum Virum pietate inſignem, D. Leſcotium cujus literæ ſervantur, qui illorum operum exemplaria eidem Cardinali aliiſque nonnullis offerenda Pariſiis detulerat. Addidit Pontifex rem ſibi gratiſſimam facturum Arnaldum, ſi

37. Romani Pontifices quid de Arnaldo.

Clemens X.

ſi eorumdem exemplar ad ſe mittendum, vel potiùs ſuo in Gallia Nuntio tradendum curaret. Cardinalis verò Patronus à laudibus Autoris temperare ſibi non poterat, quas viceſies hoc elogio claudentem audivit vir ille ſinceriſſimus: *De Eccleſia optimè meritus eſt Arnaldus: optandum eſſet ut talem ac tantum Virum mors illi nunquam ereptura eſſet.*

Innocentius XI. Innocentius XI. quanti faceret Arnaldum, quâ eum benevolentiâ proſequeretur, fruſtra dixerim, cum publica id eloquantur & fama & teſtimonia. Omnium manibus verſantur Litteræ Eminentiſſimi Cardinalis Cibo Sacri nunc Collegii Decani, quibus Sanctitatis ſuæ nomine in ejus laudes excurrit: *Paternæ charitatis,* inquit, *quâ te Sanctitas ſua virtutemque tuam amplectitur, uberes ſignificationes tibi præſtabunt opportunitates ornandi tui, cujus interim pignus & ad preces quas polliceris & quibus ſanctitas ſua plurimùm confidit incitamentum, accipies benedictionem Apoſtolicam &c.* Ex aliis Viri illuſtriſſimi qui eidem Pontifici à ſecretis erat literis abundè ſignificatum habemus, *quo erga calamitatem ejus ſenſu paterna Sanctitatis ſuæ viſcera afficiebantur.*

Illuſtriſſimus Favoritus. Calamitatis nomine quid intellectum velit Miniſter ille, his verbis explicat: *Ferreus planè ſit, qui tenere lacrymas poſſit intuens, ex una parte eximiam eloquentiam, eruditionem, pietatem tuam, de Catholica Religione tam præclarè meritas; ex altera verò, miſerum in quo verſaris fortunæ ſtatum & conflatam malevolorum calumniis tempeſtatem, quâ huc illuc divulſus à Patria & Carorum amplexu jactaris, affecta jam ætate & valetudine; cum maximè deceret, te in domeſtico otio honoribus quibuſque florentem, vitæ per ſummam virtutem actæ & diuturni glorioſique laboris fructum uberrimum*

i cape-

capere...... Quamquam, ſi verum fateri volumus, & non ex vulgi, ſed ex ſapientium Virorum placitis de hujuſmodi caſibus judicare, invidiâ potiùs, quàm commiſeratione, dignus videris: cum perſecutio ipſa præclaram nomini tuo laudem afferat, animo verò ſolatium afferre debeat ſingulare, declarans eſſe te in eorum numero qui volunt piè vivere in Chriſto-Jeſu. Legi Sanctiſſimo D. N. Literas tuas, quarum ſententia cum plurium aliorum præſtantium Virorum ſenſu, qui ad Sanctitatem ſuam de eodem argumento ſcripſere, planè conſentit, in eo diſcrepans, quòd elegantiùs omnia & nervoſiùs & majore quodam ſpiritu fundis. *Romæ 3. Aprilis* 1680.

Nihil horum ſenſuum aut paternæ benevolentiæ quicquam per lapſum temporis excuſſum eſſe Pontificio pectori, non ſemel teſtatus eſt optimus Papa. De Arnaldo in purpuratorum Procerum Ordinem adlegendo aliquandò Sanctitatem ſuam cogitaſſe, etſi certum eſt & pluribus notum, nollem tamen hic commemorare, niſi Eminentiſſimus Cardinalis intimorum Romanæ Aulæ conſiliorum teſtis locuples, id nuper Pariſiis evulgaſſet, aſſeruiſſetque per unum Arnaldum ſtetiſſe quominus is Eminentiſſima illa dignitate ornaretur. De iſto Innocentii Pontificatu verba facere non priùs deſinam, quàm obſervatum à me fuerit, id, quod propiùs Cenſuram attinet, in illis Romanorum Procerum ac Miniſtrorum Literis Arnaldum nunquam non *Illuſtriſſimum Virum* ac etiam *Per-illuſtrem Doctorem Sorbonicum* inſcribi.

Innocentium excipit Alexander VIII. qui quam de Arnaldo opinionem, affectúmque ſingularem in inferiori gradu poſitus induerat, in ſummo Pontificatus Apice non exuit. Nonnullam *Alexander VIII.*

nullam enim ei gratiam conceſſit is Pontifex, plures largiturus, ſi diuturnior Pontificatus fuiſſet, & opportunas occaſiones præbuiſſet Arnaldus. Exſtant Literæ ante Pontificatum propria manu ad ipſum Italicè ſcriptæ 13. Decembris anni 1679. cùm jam à ſex menſibus Gallia exceſſiſſet Doctor noſter: in quibus quo illum affectu proſequeretur Eminentiſſimus Cardinalis ſignificat.

Acceptis enim ab eo libris *De Perpetuitate fidei Euchariſticæ*, hæc ad illum poſt pauca Eminentiſſimus. "Quas poſſum maximas Humanitati tuæ gratias refero, enixè rogans ut in eo *De Perpetuitate* libro, memoris in me animi perpetuitatem conſpicias, conſtanſque tibi in omni occaſione gratificandi ſtudium, quod nunquam exuturus ſum. Quas pateris moleſtias moleſtiſſimè ego fero: certus tamen non modicum te ſolatium ex virtute & pietate tua ſumturum. Si præterea ad Romanam Apoſtolicamque Sedem in quocunque caſu recurreris, ſemper in me ſinceram & conſtantem te beneficiis afficiendi voluntatem invenies. Experire, quæſo te, & cura ut frequentes ad id occaſiones mihi ſubminiſtres.

Hæc omnia exploratùm faciunt nullam omnino Cenſuræ rationem Romæ eſſe habitam, ſive à Pontificibus, ſive ab Apoſtolicæ Sedis Miniſtris: quibus etiam confirmatur quod ab Eminentiſſimo Card. Franciſco Barberino, ſacri olim Collegii Decano, & ab ipſo Alexandro VII. PP. audivit Clariſſimus Abbas Brunetti, Cenſuram illam ab Apoſtolica Sede nunquam fore approbandam.

38. Quo apud Doctores in pretio Cenſura.

Sed ipſis Pariſienſibus ac Sorbonicis Doctoribus quantum jam illa ſordeat, quàm grave & into-

intolerandum illis ſit ſubſcriptionis jugum Alumnis ſuis impoſitum, etſi plerique apertè ſignificare non auſint propter incommoda ab adverſariis Arnaldi imminentia, erumpunt tamen interdum, pro data occaſione, communis indignationis & contemtûs indicia, quæ intra pectus contineri non patiuntur ſingularis in ſummum Virum reverentia, & labis Theologicæ Facultati per Cenſuram illatæ ſenſus. In nuperis illius Comitiis, pro cauſa Abbatiſſæ Agredanæ habitis, quàm præclaris laudibus Arnaldum palàm & publicè ornaverint plures ex inſignioribus illis Theologis, quàm moleſtè tulerint refricatam à nonnullis infauſtæ Cenſuræ memoriam, res fuit in Academia Pariſienſi notiſſima, viriſque quibus Academiæ decus & honos cordi eſt, longè acceptiſſima. Et tamen Cenſura illa ſpuria, informis & omnigenis ſcatens vitiis, quæ irritam illam & omni autoritate vacuam produnt, adhuc à pluribus jactatur; adhuc eidem non ſecùs ac ſymbolo fidei captivas manus dant Theologicorum graduum candidati; adhuc paſſim ab Arnaldi æmulis circumfertur velut quoddam terriculum, quo mulierculaum aſſeclarumque ſuorum horrorem adversùs illum concitent.

Nec dubium eſt quin ſplendidum Sorbonæ nomen pleroſque decipiat in diſſitis quibuſque provinciis ac regionibus, per quas nuda Cenſuræ exemplaria ſparguntur, ſine ulla earum rerum notitiâ, quæ ſi ſcirentur, neminem ſpecioſa larva falleret. Inde factum eſt ut ad Arnaldi perindè atque ad hæretici nomen plerique horreant in Hiſpania, in Germania, aliiſque remotioribus regnis, ubi Cenſuræ rerumque ejuſmodi nulla cognitio, niſi quam ſubdo- 39. **Exteros alioſque Sorbonæ nomen illudit.**

læ

læ adverſariorum illius relationes attulerunt. Hinc in prima editione Catholicæ illius Querimoniæ, Epiſcopi Malacenſis nomine publicata, Arnaldum hæreticum pronuntiaverant illius autores, inconſulto Illuſtriſſimo Præſule. Quæ cauſa fuit ut omnia illius exemplaria igne comburi juſſerit idem Epiſcopus. Teſtis eſt omni exceptione major R. P. Salvator de Aſcanio, qui ſchedulâ, propriâ manu ſubſcriptâ, ejus rei fidem facit, his verbis ex Hiſpanico verſis: *Hæc editio ſuppreſſa fuit, nec illius exemplaria ſuperſunt ulla, præter hoc ipſum, & alterum quod penes Illuſtr. Epiſcopum Malacenſem remanſit. Fortè & aliquot alia ſibi ſervavit Pater Petrei, qui editionis illius compos fuit. Cauſa porrò ſupprimendi fuit, quòd ſine conſenſu Illuſtriſſimi Præſulis Doctori Antonio Arnaldo* HÆRESEOS NOTA *inurebatur, quamvis hæreticus non ſit. Omnia illa exemplaria ego ipſe propriis manibus igni tradidi. In cujus rei fidem ſubſcripſi* FR. SALVATOR DE ASCANIO.

Epiſcopus Malacenſis.

Eſta impreſſion ſe ſuprimio, y no quedaron mas que eſte y otro exemplar en poder del Sig. Obiſpo de Malaga. Pudieron quedar otros en poder del P. Petreï, por cuya mano corrio. La cauſa di ſuprimirla fue por que ſin conſentimiento de ſu Ill. tratan aqui à Antonio Arnaldo de Hereje, no lo ſiendo. Queme por mis manos todos los exemplares: y por verdad lo firme. FR. SALVADOR DE ASCANIO.

Sed quid mirum tam inſulſam hæreſeos Arnaldinæ fabulam in tam longè diſſitis regionibus impunè narrari, cum in Galliarum meditullio, in ipſius aulæ Gallicæ luce, diſſeminare eam non veriti ſint non infimæ notæ homines. Unum Jeſuitam profero, quia recens eſt; ſed parco nomini, cui ipſe non pepercit, cum ad Poëtam quemdam ſcribebat 18. Decembris anni 1695. *Arnaldum damnatis ab Eccleſia erroribus ad ultimum uſque ſpiritum obſtinatè adhæſiſſe; Sorbonam reprobatâ ejus doctrinâ eumdem à Societate ſua eliminaſſe; ipſam ejus doctrinam ab Eccleſia, non ut falſam modò damnatam eſſe, ſed etiam ut infectam hæreſi, quâ,* inquit, *non omni ex parte immunis eſt liber* DE PERPETUITATE &c. Audax

dax

dax facinus! librum viginti ſeptem Archiepiſcoporum aut Epiſcoporum, quos inter Cardinalitia dignitate tres Eminent, & totidem ferè Sorbonicorum Doctorum approbationibus munitum, non hæreſi vacuum in omnium Epiſcoporum oculis pronuntiari. Sed bene eſt: inde diſcimus quo pede Arnaldinam hæreſim metiri nos oporteat, cum Arnaldi liber aliquis ab ejuſmodi hominibus hæreſi infartus proclamabitur. Si quis omni eruditione refertus, omnium approbatione dignus, ſi quis doctiſſimorum Virorum, Epiſcoporum præſertim judicio talis fuerit, ut & Eccleſiæ utilitates maximas & Arnaldo ipſi exiſtimationem ſingularem conciliare poſſit, is apud infrunitos & iniquos æſtimatores hæreſim ſapit, nec erroris labe purus; etiamſi, inquam, triginta Epiſcoporum judicio ſit Catholicæ fidei aſſerendæ, debellandis Eccleſiæ hoſtibus, unitati Corporis Dominici resarciendæ inprimis idoneus.

Quæ huc uſque narravimus ac diſſeruimus exploratum, ni fallor, faciunt, non Arnaldi modò honoris intereſſe, hæreſis notam ei inuſtam eluere; ſed intereſſe quàm maximè ſacræ Facultatis Pariſienſis famæ, ne eam cenſuram procudiſſe credatur, quâ propoſitio omninò Catholica Calvinianis erroribus accenſeatur. Intereſt ipſius Catholicæ doctrinæ, ne illa cùm apud Gallos, tùm apud exteros hujus facti ignaros, pro hæretica, impia, blaſphema habeatur. Cui enim non valde rerum Theologicarum perito non imponat Sorbonici nominis ſplendor & autoritas? Intereſt denique & Sanctorum Patrum & doctiſſimorum Theologorum, à quibus paſſim tradita legitur proſcripta illa à Cenſoribus doctrina.

40. Recudendorum ſcriptorum neceſſitas.

Nulla autem aliâ ratione illorum omnium honori conſuli poteſt, quàm recenſione earum rerum quæ in Arnaldina iſta cauſa actæ ſunt, & lectione ſcriptorum quæ pro defenſione propoſitionis confixæ ad Sorbonica comitia miſſa ſunt, aut in publicum prolata; omnia denique quibus & Cenſorum technæ ac machinationes, & octoginta ferè Doctorum ſeceſſio, quos inter plures Epiſcopi, & Cenſuræ ipſius iniquitas, in lucem ſunt productæ. His enim æqua mente perlectis, perſpicuum fiet, non Sorbonæ ſeu Facultatis Theologicæ opus id eſſe, ſed nonnullorum qui Judicum numero contra juris & ſtatutorum præſcripta conflato & aucto, ſaniorem partem obruerunt.

Quoniam autem Scripta illa per quadraginta annorum decurſum diſtracta ſunt, & vix in curioſorum Bibliothecis reperiuntur, operæ-pretium fuit ea in unum volumen colligere, quæ antea ſeparatè erant edita. Quod conſilium eo magis neceſſariò ineundum fuit, quòd experientia docuit & raritate exemplarium & ignoratione hujus negotii contingere poſſe, quemadmodum non ſemel contigit, ut Viri etiam doctiſſimi, qui de illo verba facere, immò & ſuum judicium proferre debeant, eâ tamen ſolâ ejus notitiâ inſtructi ſint, quæ ex publicis rumoribus vel ex adverſariorum relatione paſſim hauritur. Unde factum ut ne ipſe quidem controverſiæ ſtatus ſatis illis perſpectus ſit, & quæſitus à Cenſoribus in propoſitione Arnaldina nodus ipſos fugerit.

Exemplum è pluribus unum profero, idque inſigne & conſpicuum, quippè quod in ipſius Romanæ Urbis luce, in omnium Eruditorum oculis verſatur: unde major elucidandæ rei inſtat

ſtat neceſſitas, ne Clariſſimi Arnaldi fama in illorum animis periclitetur, apud quos maximè illius intereſt ut integra & illibata ſervetur.

Sub finem anni 1695. prodierunt Romæ unâ cum Hiſtorica Diſſertatione de Uno ex Trinitate carne paſſo, *Hiſtoriæ Pelagianæ Henrici Noris ab Anonymi ſcrupulis Vindiciæ*, Autore pariter anonymo, at præclaræ eruditionis & exquiſiti judicii ſcriptore, ut vel ſcripta illa teſtantur. Is in Diſſertatione V. quâ à Clariſſimo Noriſio, Viro ſupra laudem, etſi nondum tunc temporis Eminentiſſimo, Janſeniſmi calumniam depellit, eâdem operâ ab illo removere conatur ſuſpicionem aſſertæ propoſitionis Arnaldinæ. At ne pro voto ſuccederet Apologiſtæ anonymo officioſus hic conatus, obſtitit ignoratio rerum tunc in Sorbonicis Comitiis geſtarum, & ſcriptorum quæ Cenſuræ occaſione pro Arnaldi defenſione edita ſunt.

41. Cenſores in Apoſtol. Sedem parum reverentes.

Ac primùm quidem non tam pronis oſculis oblatam objectamque ſibi Cenſuram amplexus eſſet eruditus Anonymus, Apoſtolicæ Sedis, ut ſatis patet, inprimis ſtudioſus, ejuſque ſplendori procurando addictus, ſi noviſſet in condendæ Cenſuræ conſilio nullam habitam eſſe rationem reverentiæ Summo Pontifici ejuſque Apoſtolicæ Sedi debitæ, contemtúmque ſacræ ejus autoritatis, primum ad Cenſuram procudendam gradum fuiſſe. Rem explico: cum in primis Comitiis 4. Novembris anni 1655. habitis facta eſſet de examinanda Arnaldi Epiſtola propoſitio per Facultatis Syndicum, è conjuratis unum, ſtatim ex adverſo ſurrexit Doctor Ludovicus à Sancto-amore, paucíſque præfatus de integritate fidei Clariſſimi Arnaldi, de ſincera ejus contentione & obedien-

tia Innocentianæ Conſtitutioni exhibita, graviter commonuit Sacram Facultatem, ut rei momentum maturè perpenderet; Epiſtolam de qua ad illam referebat & conquerebatur Syndicus, ab ipſo Arnaldo ad Summum Pontificem eſſe tranſmiſſam, cum propriis ad ſuam Sanctitatem Literis, quibus ipſi de Epiſtolæ delatæ argumento, neceſſitate, doctrina rationem reddebat; utramque Epiſtolam oblatam & acceptam fuiſſe die 24. Septembris proximè elapſi, quas cum in manibus haberet Pontifex, multis ſuam de Autoris pietate & eruditione exiſtimationem ſignificaſſe, curaturumque ſe ne, quid amplior illa contineret diutiùs ipſe ignoraret; Eſſe igitur, addebat Santamorius, è reverentia Supremæ Sedi ac Summo Pontifici debita, ut integrum illi negotium ſervaretur, quod ipſa Apoſtolica Sedes ad ſuum antea tribunal delatum jam occuparat. Porrecta Epiſtola majori Facultatis Scribæ ſtatim coram omnibus lecta eſt, avidiſque auribus excepta. Tum Facultatis Decanus, Comitiorum Arbiter, concluſit: Æquum ſibi videri, ut hoc de negotio Apoſtolicæ Sedis Judicium exſpectaretur. Decani Voto ſuffragati ſunt antiquiores Doctores qui ſtatim poſt illum ſententiam ſuam dixere, quibus & alii plurimi acceſſerunt, ſuumque ſuffragium graviſſimis rationum momentis confirmarunt. Sed major pars, ut ſæpè, meliorem vicit. Quæ ex tam infauſtis Comitiorum exordiis ſecuta ſunt, pluribus referuntur in ſecundo hujus voluminis ſcripto, in Inſtrumento ſeu Conteſtatorio Arnaldi Libello & in tribus Apologeticis ejuſdem Epiſtolis, poſt Cenſuram ſcriptis.

Hæc neſciviſſe eruditum Anonymum, mirum

rum non eſt, cum ne annum quidem Cenſuræ perſpectum habuerit. Sed ut rei caput propiùs inſpiciamus, videndum an ſaltem Propoſitionis Arnaldinæ ſenſum, & errorem illi à Cenſoribus affictum, ſit aſſecutus.

In utroque figendo non ſibi admodum conſtare videtur doctiſſimus Apologiſta. Tres omnino Propoſitiones à ſe invicem diſcrepantes Arnaldo adſcribit, ni fallor. Primam ſic deſcribit: *Narrant Arnaldum aſſeruiſſe D. Petro tentatione pulſato defuiſſe gratiam proximè ſufficientem ad evitandam negationem: qui cum noluiſſet eam gratiam admittere, Doctorum albo eraſus, ſolum non quidem vertere, ſed mutare coactus ſit.* 42. Anonymus in figendo Arnaldi ſenſu varius.

Alteram continuò ſubjicit, non jam alienis, ſed propriis verbis expreſſam: *Eo*, inquit, *tota controverſia redacta erat, Num homo juſtus inſtante præcepto habeat potentiam proximam ad orandum.*

Tertiam ſic explicat ad calcem hujus §. 2. *Arnaldi & Janſenii opinio à Facultate Theologica Pariſienſi damnata fuit, quod dixere Petrum præſumſiſſe, quia deſertus priùs fuerat à gratia efficaci, ſine qua non potuit orare, cum ſine adjutorio* QUO, *nullus orare poſſit. At ſecus docuit Auguſtinus.*

Si ex prima deſcriptione Arnaldi errorem expiſcaris, is eſt: De fide eſt Petrum habuiſſe gratiam proximè ſufficientem ad evitandam negationem: & hoc quia negavit Arnaldus, temerarius, impius, blaſphemus, hæreticus, & anathemati ſubjectus, judicatus eſt.

Si ex ſecunda, alter is error exſurgit: De fide eſt Petrum, qui juſtus erat, habuiſſe poteſtatem proximam ad orandum: Arnaldus non ita ſenſit, & ideò temerarius, impius, blaſphemus, hæreticus &c.

Si ex tertia, is cenſendus error: De fide eſt Petrum non ante privatum eſſe gratia efficaci, ſine qua non poterat orare, quàm præſumſiſſet de propriis viribus: contrarium ſenſit Arnaldus, eamque ob cauſam impius, blaſphemus, hæreticus &c.

In prima agitur de poteſtate proxima non negandi; in ſecunda de poteſtate proxima non orandi; in tertia, de poteſtate proxima non præſumendi. Tam diverſi proinde errores, quàm diverſæ ſunt tres illæ potentiæ proximæ, & impotentiæ illis oppoſitæ; tametſi omnes ſibi invicem connexæ & concatenatæ. Nam prima pendet à ſecunda; ſecunda pendet à tertia apud Apologiſtam: & pariter uniuſcujuſque privatio. Nam negavit Petrus, quia non oravit; non oravit autem, quia præſumſit: ſeu proxima potentia non negandi Petro defuit, quia deerat proxima potentia orandi; hæc autem proxima orandi potentia defuit, non defectu potentiæ proximæ ad non præſumendum, inquit Apologiſta, ſed ex ſuperbiæ vitio quod proprio illius fundo inerat.

Non quæro in præſenti quibus Canonibus, quibus in Conciliis, Symbolis, Scripturis, conſignati inveniantur tres illi fidei articuli, quos impiè violaverit Arnaldus; hoc unum modò inquirere mei eſt inſtituti, an Arnaldi mentem aſſecutus ſit doctiſſimus Apologiſta. Nec conjecturis aut divinationibus indulgere animus eſt, ſed ex ipſius Arnaldi Epiſtola, Apologeticis, ſcriptis aliis, dum lis penderet, oblatis, Cenſorum Collegio obtruſis, exſculpere. Quæ enim illius menti cogitatio inſederit, quam ſententiam fando vel ſcribendo proferre voluerit, undenam tutiùs ac feliciùs eruere quis poſſit, quàm

vel

43. Arnaldus Petrum non priùs deſertum dixit, quàm elatum.

vel ex obvio propoſitionis ſenſu, quem verba præ ſe ferunt, vel ex ipſius autoris teſtimonio?

A tertia propoſitione initium facio, quâ Arnaldus aſſeruiſſe dicitur, *Petrum præſumſiſſe, quia deſertus prius fuerat à gratia efficaci, ſine qua non poterat orare, cum ſine adjutorio* QUO *nullus orare poſſit.* Ad illam propriarum virium fiduciam quod attinet, certum eſt in illam Petrum lapſurum non fuiſſe, ſi gratiâ efficaci ad non præſumendum neceſſariâ præmunitus fuiſſet. At efficacis hujus gratiæ abſentiam cauſam fuiſſe ut de ſe præſumſerit Petrus, nec dixit Arnaldus, nec dixiſſe accuſatus eſt à Cenſoribus. Dici ab illis potuiſſet, qui omnem gratiam, ad hoc neceſſariam ut inſtanti præcepto actu obediatur, peccatori debitam contendunt; ab eo dici non potuit qui efficacem, & ad obediendum neceſſariam, & peccatori indebitam credebat; qui tamen in ejus abſentiam non refudit inobſequentis Petri peccatum, ſed in ipſum peccantem, cujus voluntas, ut verba Auguſtini uſurpem, quandiu in ea Deus non operatur ut in bono perſeverare velit, inter tentationes *propria infirmitate ſuccumbit*, & ideò perſeverare non poteſt, quia *deficiens infirmitate* nec vult, aut non ita vult *infirmitate voluntatis*, ut poſſit.

Hanc eamdem Arnaldi fuiſſe ſententiam cum ſæpè aliàs ipſe ſignificavit, tum maximè & ex profeſſo docuit in Scripto cui titulus: *Vera S. Thomæ de Gratia ſufficiente & efficaci doctrina*

ũ 4 *di*

Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverarare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes *infirmitate ſua* voluntas ipſa ſuccumberet: & ideò perſeverare non poſſent quia *deficientes infirmitate* nec vellent, aut non ita vellent *infirmitate voluntatis*, ut poſſent. Subventum eſt igitur *infirmitati voluntatis humanæ*, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. *Aug. De Corrept. & grat. cap.* 12.

dilucidè explanata; quod hujus Collectionis p. 108. habetur. In cujus Articulo XXII. p. 134. ex eodem Angelico Doctore demonſtrat, Deo imputari non debere quod juſtus gratiâ efficaci deſtitutus in tentatione cecidit, ſed cadentis ejuſmodi juſti ſuperbiæ vel peccato vel vitio.

Si id igitur in Arnaldi propoſitione reprehendit & reprehenſum putavit Anonymus, eamque ob cauſam Cenſurâ confixam fuiſſe propoſitionem: *Quia Autor Epiſtolæ Petrum præſumtione non peccaſſe dixit.* 2. *Quia Petro gratiam Dei ſpontaneo nutu & ſine ulla, ex parte Petri, cauſa ſubtractam ſenſit.* 3. *Quia negavit propter præſumtionem eſſe ſubtractam.* 4. *Quia impoſſibilia Dei mandata dixit eſſe.* 5. *Quia Petrum timore, ignaviâ, ſocordiâ cecidiſſe negavit:* facilè crediderim ipſum id totum hauſiſſe ex Cenſorio Suffragio Patris Joannis Nicolaï, in quo ſpurius ille Thomiſta quinque illas calumnias evomuit: quas breviter & validè confutatas legere eſt in Appendice Confutationis Moliniſticarum ejus Theſium ſeu Specimine calumniarum per totum illud Suffragium Arnaldo aſperſarum, quod hujus voluminis pag. 438. occurrit, pluráque Arnaldi loca ſubminiſtrat in quibus aſſerit, *ideò Petro gratiam defuiſſe, quia de ſuis viribus nimiùm præſumſerit..... A Deo derelictum in præſumtionis ſuæ pœnam:* ut diſertè loquitur in Scripto 2. Apologetico p. 76. Conſuli etiam poſſunt Scriptum 1. Apologeticum ſect. 2. pag. 33. ubi deſertionem gratiæ in deſerti ſuperbiam rejicit, & probat inſignibus Leonis PP. I. Auguſtini & Baſilii locis: necnon & Vindiciæ S. Thomæ circa gratiam ſufficientem ſect. 5. art. 2. pag. 604: & Epiſtola 3. Apologetica pag. 241.

Ad

Ad alteram propoſitionem, quæ eſt de orandi gratia & potentia, pergamus: *Eo*, inquit Doctiſſimus Apologiſta, *tota controverſia redacta erat, Num homo juſtus inſtante præcepto habeat potentiam proximam ad orandum.* Itane? At à quibus eò redacta? An à Sacra Facultate? Minimè id quidem. An ab Inquiſitoribus? Nec id apparet uſpiam. Nonnulli è Magiſtris in hunc ſenſum traxerunt Arnaldi verba, alii in alium, pro ſuo quiſque intellectu & genio, vel pro ſuæ ſcholæ placitis, vel demum pro ſua libidine, ſummi Viri doctrinam miſerè torſerunt, ut ex illa venenoſi aliquid exprimerent anathematibus ſuis expiandum. Cum enim certum eſſet ac fixum in adverſariorum animis Cenſuram qualemcunque in Arnaldum procudere, nec poſſent propoſitionem obvio autoris ſenſu intellectam configere, alienum illi quem configerent affinxerunt in Comitiis; nam quem ſenſum Cenſura ipſa invadat, altum in ea ſilentium. Cum igitur Cenſorum cœtus Cenſuræ ſuæ rationem nullam protulerit, ex illa quam Epiſtolæ partem proſcripſerint, quibus probris affecerint, plus liquidò apparet; quid in illa culpaverint, nuſpiam occurrit. 44. Arn. non de orandi gratia intelligendus.

An igitur Arnaldus in iſtam de orandi gratia explicationem verba ipſe ſua inflexerit, modò inquirendum. Hoc ſi ita eſſet, iſtud Arnaldo dare vitio non poſſet eruditus Apologiſta, quem idem potiùs haberet ſententiæ ſuæ aſſertorem & Patronum. Diſertis enim verbis aſſerit, *Defuiſſe Petro gratiam proximam ad orandum pro impetrando ulteriori adjutorio, neceſſario ad ſuperandam tentationem negationis*; quia *eidem gratia Petrus de ſuis viribus præſumens obicem liberè oppoſuit.* Nec obiter id aſſerit, ſed fusè probat, Differt. 5. §. 2 pag. 306. Edit. Rom.

&

& ſuas demum probationes in brevem hunc coarctat ſyllogiſmum: *Homo ut ſit proxime potens orare, debet habere judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ ac neceſſitatis majoris gratiæ impetrandæ. Sed qui de viribus ſuis præſumit non habet judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ ac neceſſitatis majoris gratiæ impetrandæ. Ergo is non eſt proxime potens orare.*

At verò ex dictis ad primam propoſitionis expoſitionem locisque Scriptorum Arnaldi indicatis conſtat, ipſum in eadem illa ſententia fuiſſe; præſumſiſſe Petrum de ſuis viribus: idque aſſeruit non in Scriptis ſolis quæ Cenſurâ jam procusâ & excusâ emiſit in lucem, ſed & iis quæ propoſitionis examini anteverterat. Immò & in ipſa Epiſtola, in ipſo Capite & loco unde excerpta eſt propoſitio de Petri lapſu, non ſemel ſignificat, non omnem Petro gratiam defuiſſe, & quæ illi defuit hanc in elationis pœnam & remedium fuiſſe ſubtractam. Poſtquam enim pag. 218. Petri juſti exemplum propoſuit, *Cui non adfuit omnis per interiores & actuales motus gratia neceſſaria ut poſſet*, non quamlibet, ſed *hanc tentationem quæ ex mortis metu ingruebat*; ad id probandum ſtatim refert Innocentii I. & Cœleſtini Romanorum Pontificum verba, quibus docent nos, inde contingere ut tentati, Deo non auxiliante, vincamur, quòd de nobis ipſis, non de gratiæ adjutorio præſumimus.

Idem continuò ex ſerm. 8. S. Leonis de Epiphania ſuggerit, ad Petri caſum ſemper animum advertens, *fieri poſſe ut à ſanctioris etiam vitæ hominibus gratia ſua manum ſubtrahat, in pœnam ſuperbiæ.*

Quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur. *Innoc. I. ad Conc. Carthag. & Cæleſtin. ad Gallos Epiſc.*

Tum

Tum pag. 225. & 226. immediatè ante propoſitionem Cenſurâ notatam, claris verbis, Chryſoſtomo teſte, aſſerit id Petro contigiſſe, quia repugnaverat iis quæ à Magiſtro cælum ejus prænuntiante dicta fuerant, & quia ejus quàm aliorum elatiores erant ſpiritus. Denique idem Petri vitium in cauſa fuiſſe cur ſibimet à Deo relinqueretur, obſervat eâ in linea quæ proximè antecedit confixam propoſitionem: quæ quidem aliud non eſt quàm conſectarium ex principiis illis deductum.

Ex quibus conſtat Arnaldum eumdem in Petro de ſuis viribus præſumente obicem agnoviſſe, quem Apologiſta; quo poſito obice, ſuo ſe vitio eâ poteſtate proximâ ad orandum privavit Apoſtolus: ex quo conſecutum eſt ut gratia ad non negandum neceſſaria ei impertita non fuerit, ut ex profeſſo docet pagina 134. in eo Tractatu quo veram S. Thomæ de Gratia ſufficiente & efficaci Doctrinam explanat. *Si quæras*, inquit, *cur aliquando juſto gratia efficax ad ſuperandam tentationem neceſſaria à Deo non datur*: *Reſpondeo hujuſce rei cauſam plerumque ex orandi negligentia repetendam. Victoria enim adverſùs tentationes orantibus ſicut oportet à Deo promiſſa meritò illi non datur, qui eam precibus ſuis à Deo impetrare non curat, ſive ob ſocordiam, ſive ob inanem in ſeipſo confidentiam, uti contigit B. Petro.* Poſt quæ datâ operâ diſcutit alteram hanc quæſtionem: *Cur gratia efficax ad orandum neceſſaria juſto aliquando non detur.*

Verùm alienus cum ſit omninò ab Arnaldi propoſitione ſenſus ejuſmodi, plura de eo dicere neceſſe non eſt: ſuam quippè ſolam præſtare tenetur, non alienam, quæ illi poſt Cenſorum nonnullos adſcribitur in Anonymi Diſſerta-

ſertatione. De operandi, ſeu de non negandi, non de orandi gratia, quæſtio mota eſt. Non de iſta, ſed de illa ſermo unicè eſt in notato Epiſtolæ loco. In illa ſola totius difficultatis cardo vertitur. *Quidquid*, inquit ipſe Arnaldus in altero ad Facultatem Scripto, *de hoc* (orandi adjutorio) *ſtatuas ad propoſitionem meam minimè ſpectat. Non enim in ea agitur de orationis, ſed de operationis gratia, quam ſemper eſſe efficacem Diſquiſitor ille* (Moynius) *agnoſcit. Neque enim quæritur, an B. Petrus orare potuerit, ſed an tentationem ſuperare. Non potuiſſe fatetur, cum gratia efficaci caruerit, quâ ſolâ ex illius ſententia tentationes ſuperari poſſunt. Ergo propoſitionem meam, quæ id ſolùm aſſerit, pro catholica habere debet, quidquid interim de orationis gratia ſtatuere ipſi libuerit, de qua nunc non diſputo.*

V. pag. 76.

Plura etiam in fuſiore Diſſertatione Theologica part. 4. art. 7. *Primùm*, inquit, *cum fatentur non adeſſe ſemper gratiam agendi, quâ proximè poſſimus implere præceptum, adeóque multa Deum præcipere quæ non poſſumus ſecundùm præſentes vires, cum ampliores nobis impetrandæ ſint* (idem ultrò fatetur Apologiſta de Petro) *hoc ipſo ſenſum omnem probant, quem ſub propoſitione controverſa complexus ſum. Concedunt enim Petro defuiſſe gratiam efficacem, ſine qua proximè præceptum implere & tentationem vincere non poſſumus: quod unum illâ quam invaſerunt propoſitione continetur. Utrum autem habuerit gratiam actualem orandi, an non habuerit, alia quæſtio eſt ab Epiſtolæ propoſitione planè diverſa, de qua nihil mihi affirmandum aut negandum fuit, cum ea res inter Annatum & me non ageretur....... Ne quis igitur aliorsùm propoſitionem Epiſtolæ meæ accipiat, atque ego ſcribens intellexi, iterùm hìc profiteor, ſolam*

lam me efficacem gratiam, non orandi, ſed profitendi Chriſtum, à Petro removiſſe.

Jam probè intelligit Clariſſimus Anonymus 45. Solam non negandi gratiam à Petro amovit. non alium proſcriptæ propoſitionis ſenſum pro Arnaldino habendum, quàm quem pro ſuo Arnaldus ipſe agnovit, quem ex Informatore primùm hauſerat idem Anonymus, & qui revera eſt obvius, unicus, genuinus propoſitionis ſenſus. Locus modò à me deſcriptus ſolus ſufficeret, ut hanc autoris mentem fuiſſe planum fieret, niſi poſterior eſſet Cenſurâ. Juvat ergo ex utroque Apologetico Scripto, ad Facultatem ipſam ante propoſitionis examen miſſo, pauca repræſentare. In primo, quod 7. Decembris die editum eſt hæc habet ſect. 2. *Cum hìc non* V. pag. 33. *de quavis gratia diſputem, ſed de illa tantùm gratia efficaci quæ Petro neceſſaria erat, ut ex vero pietatis affectu tam gravem tentationem ſuperare proximè poſſet, cum de illo dico, poſt Chryſoſtomum, defuiſſe illi gratiam ſine qua nihil poſſumus, obvius & planus propoſitionis meæ ſenſus eſt, defuiſſe ei gratiam illam ſine qua nihil poterat quod ad vincendam illam tentationem attinet, hoc eſt, ſine qua proximè & expeditè tentationem illam ſuperare non poterat. Cum enim ſine gratia, ut cum ſchola loquar, generatim ſumta nihil poſſumus, ſine unoquoque gratiæ genere nihil poſſumus, proximè ſcilicet & expeditè, in iis ad quæ genus illud gratiæ neceſſarium eſt.*

Hæc rurſus poſt unam paginam: "Ut omnem ex verbis meis præter ſenſum meum intellectis, offendiculi occaſionem præcidam, " profiteor & declaro, cum dixi poſt Chryſoſtomum Petro gratiam defuiſſe ſine qua nihil poſſumus, mihi in animo non fuiſſe omnem omnino interiorem & actualem à Petro gratiam " Pag. 34.

amo-

„ amovere, cum eam tantùm impugnandam ſuſ-
„ ceperim, quam adverſarii affirmabant ita om-
„ nibus ſemper adeſſe, ut nemini non ſuppeditet
„ proximam & expeditam ad tentationem ſupe-
„ randam, vim & potentiam, ita ut eâ inſtructus
„ dici non poſſit tentationem ſuperare non po-
„ tuiſſe; quod tamen de Petro unanimi conſenſu
„ tradunt Patres. Quare & in hoc loco, & in
„ aliis, ubi de Petro ago, id tantùm verbis meis
„ expreſſum volui, defuiſſe tunc Petro gratiam
„ efficacem, quâ ut ſe Chriſti diſcipulum profi-
„ teretur, debitumque ipſi, etiam objecto mortis
„ periculo, teſtimonium redderet, indigebat.

Infinitus ſim ſi omnia ejuſmodi loca velim excerpere: ad cumulum ſufficiat *Monitum* quod alteri Apologetico ad Facultatem miſſo præfixit autor: *Ubicunque aio*, inquit, *gratiam alicui deeſſe ſine qua tentatio vinci non poteſt, de ea ſemper id poteſtate intelligi volo, ut ſæpe ſignificavi, quam proximam, immediatam, & expeditam Theologi appellant; & de ea tentationis victoria quæ ſalubris ſit & ſecundùm Deum.* (pag. 56.)

46. Anonymi opinio de potentia proxima in peccantibus.

Hoc ſemel conſtituto, affixâque ad hunc ſenſum Arnaldina propoſitione, operoſum non eſt palàm facere, eruditiſſimum Anonymum non magis ſui nunc Eminentiſſimi Scriptoris Apologiſtam egiſſe, quàm Clariſſimi noſtri Arnaldi: par enim & eadem utriuſque doctrina, quod quidem ad Petri lapſum attinet; niſi quod minùs gratiæ ac proinde minùs poteſtatis, in eo Apoſtolo admittere mihi videtur Apologiſta quàm Arnaldus.

Ac primùm quidem Arnaldi hanc propoſitionem apertè vindicat Anonymus, ut Catholicam & omnis erroris expertem, cùm non ſolùm docet quòd, *Petrus ſecundùm quas tunc habe-*

bat

bat vires non potuit tentationi reſiſtere, ſed etiam cur non habuerit, & quantum in S. Auguſtini doctrinâ certa ſit hæc opinio, ſtudioſè & animoſè probat. Nam Diſſertationis hujus quintæ cap. 1. §. 1. hanc primam Eminentiſſimi Clientis propoſitionem ſtatuit ac tuetur.

I. Tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati, tametſi negata fuerit ipſi gratia proximè ſufficiens quâ poſſet exſequi mandata.

Deinde cap. 2. hanc ejuſdem propoſitionem ſecundam propugnat.

II. Tali auxilio proximè ſufficienti privari etiam juſtos, tum cum urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſine gratia.

De prima ſic pronuntiat: *Hæc eſt doctrina apud Theologos pervulgata, qui tradunt ſatis eſſe potentiam remotam ad implendum præceptum, ut tranſgreſſor legis reus criminis habeatur, nec ſemper requiri, ad legem violandam, potentiam proximam ejuſdem implenda.*

Adductoque plurimorum Theologorum ſuffragio nonnulliſque S. Auguſtini autoritatibus, decernit " quòd Gratia illa, quâ homo habet " *bonam voluntatem, ſed adhuc parvam & invalidam*, implendi præcepti, dicitur remotum " auxilium ad implendum præceptum, quia cum " ea ſola gratia NON POTEST *mandatum* facere, " ſed indiget adjuvari ulteriori ac majori auxilio " quod dicitur auxilium proximum, à quo homo " conſtituitur in potentia proxima ad exſequendum præceptum, ac ſine ulteriori hoc auxilio " habet potentiam tantùm remotam faciendi præcepti. "

De ſecunda hæc habet: " Statutam Noriſii Theſim invicta Synodi Tridentinæ autoritate, " uno præ cæteris interprete Suarez, ſolidè æquè "

„ ac clarè ſtabilio. In Seſſ. 6. de Juſtificatione cap.
„ 11..... *Et facere quod poſſis & petere quod non*
„ *poſſis*, &c. Et poſt plura, quibus hanc autoritatem urget ex Suarezio, hunc ſyllogiſmum ſubjungit.

„ Qui non habet potentiam proximam obſer-
„ vandi præcepti, habet privationem auxilii proxi-
„ mè ſufficientis:

„ Sed juſtus quandoque urgente præcepto non
„ orans, non habet potentiam proximam obſervan-
„ di præcepti:

„ Ergo tunc habet privationem auxilii proxi-
„ mè ſufficientis.

„ Major propoſitio eſt certa; quia ab auxilio
„ proximè ſufficienti conſtituitur formaliter &
„ eſſentialiter potentia proxima in juſto ad obſer-
„ vandum præceptum. Decretoria Suarez ſenten-
„ tia eſt lib. 4. de Gratia cap. 4. num. 3. *Tunc di-*
„ *citur auxilium proxime ſufficiens, quando conſtituit*
„ *hominem in actu primo proximè potentem ad ope-*
„ *randum.* Minor eſt doctrina Synodi Tridentinæ
„ ex Auguſtino deſumta. Concluſio eſt Theſis
„ ipſiſſima Noriſii, quam Informator uti erro-
„ neam & Janſenianum dogma proponit.

Sic, ſolo adjutore Suarezio, Tridentinæ Synodi opem conciliat Noriſio ſuo, ne hæreticus audiat. *Tantam enim*, inquit, *Noriſianæ cauſæ fiduciam habeo, ut ejus præcipuam defenſionem in unius Suarezii doctrina collocare non dubitem.* Felix Vir tantus! cui Suarezii ſuffragium ſatis fuit, ut Eccleſiæ anathemata ab ea averteret doctrina, quam ut Arnaldus contra fulmineæ Cenſuræ ictum protegeret, non ſuffecit Chryſoſtomus, non Auguſtinus, non univerſus Sanctorum Patrum & Conciliorum chorus, totaque omnium ſeculorum Traditio veneranda.

Ne

Ne tamen ſocius ſine ſocio contra Societatis leges incederet, comitem ei adjunxit Jeſuitam non imparem, Michaëlem de Elizalde, "*Quem*, " inquit, *ob acumen ingenii mirari ſæpe ſoleo.* Is " lib. 5. de recta doctr. morum qu. 12. §. 4. pag. 68. " ferè indignatus, quoſdam legis tranſgreſſiones " ob voluntariam impotentiam commiſſas à pec- " cato excuſare, ait: *Vos dicitis*, POTEST; *Con-* " *cilium & Auguſtinus dicunt*, NON POTEST: " *& ego Concilio & Auguſtino crediderim. Atque* " *utinam in peccatoribus habitualibus non ſint hujuſ-* " *modi impotentiæ permultæ conſequenter*, &c. "

Ex iis quæ de Theſi fuſiùs ſcribit Doctiſſimus Apologiſta, hæc delibavimus. Quid de Hypotheſi noſtra ſubjiciat, paucis aperimus, quibus unuſquiſque intelligat, ſtrenuum anonymum propoſitionem in Arnaldo reprehenſam non modò ſuam feciſſe, ſed alia etiam plura addidiſſe, quæ in Arnaldo longè magis adverſariorum odio & invidiæ patuiſſent. 47. De Petro negante quid anonymus.

Apertè ergo & diſertè Arnaldinam propoſitionem his verbis amplectitur, & Auguſtini eſſe aſſerit: *In primis*, inquit, *docet* (*Auguſtinus*) *Petrum tentatione pulſatum non habuiſſe reapſe vires reſiſtendi tentationi*. Et infra: *Hanc tantam charitatem* (*quâ potens eſſet in actu primo, ut Scholaſtici loquuntur*) *Petrus cum Chriſtum negavit, nondum habebat*. Et iterum: *Petrus ſecundùm quas tunc habebat vires* NON POTUIT *tentationi reſiſtere... Putabat ſe poſſe quod ſecundùm eas quas tunc habebat vires* NON POTERAT. Plura non ſcripſit Arnaldus, & eadem quæ hìc, vidente Roma & probante, Eximius Noriſii Vindex aſſerit, iiſdem ille & aliis Auguſtini verbis confirmavit ac tuitus eſt. Diſſ. V. c. 2. §. 2. p. 306.

2. Eam propoſitionem adhuc magis corroborat, cum ex profeſſo docens Petrum, viribus

ad reſiſtendum idoneis & potentiâ proximâ Chriſtum confitendi deſtitutum, tentationem ſuperare non potuiſſe, inſuper ſtudioſe probat id ei accidiſſe in præſumtionis ſuæ pœnam. Ad quæ ſuggerere poſſet Arnaldus eadem quæ ad Moynium Cenſorum & Inquiſitorum unum obſervavit in altero Apologetico, pagina 76. *Reſpondebit ille*, &c.

3. Tametſi Arnaldus doctrinæ Patrum & loquelæ inhærens rectè defenderit in Apologeticis, Petrum non potuiſſe confiteri Chriſtum poteſtate proximâ, immediatâ & expeditâ, ſeu quæ omnia ad agendum neceſſaria complectatur, quæ poteſtas propriè ad gratiam per ſe efficacem pertinet; quia tamen cum doctiſſimis Theologis Braduardino, Eſtio, Tiphanio Jeſuita, aliiſque multis, cenſet gratiam efficacem, quatenus eſt principium bonæ voluntatis, nihil aliud eſſe quàm miſericordiam Dei ſeu voluntatem gratuitam Dei, bonum voluntatis humanæ motum operantis, ſine ulla media qualitate tranſeunte, conſequenter gratiam efficacem non ad actum primum, ſed ad ſecundum; non ad poſſe, ſed ad velle, neceſſariam ſtatuit. *Non enim*, inquit, *poteſt pertinere ad actum primum, cum operatio divina non aliquam formam tranſeuntem imprimat in voluntate, ſed immediatè ipſum actum ſecundum ſimul cum voluntate, vel ſolâ, vel etiam habitualibus donis inſtructâ, producat.* Quamobrem cum ſolam efficacem gratiam ad confitendum Chriſtum neceſſariam Petro neganti abrogaverit, in eodem poteſtatem actus primi, ſicut in omnibus generatim juſtis, libenter admiſit. Ex quo ſequitur ipſum admittere potuiſſe in Petro negante Chriſtum, ut & in omnibus juſtis, potentiam proximam in actu

Diſſ. Theol. part. 3.

pri-

primo, in eo ſenſu quem cum Alvare explicat in Diſſert. Theolog. part. 3. artic. 7. Et revera Theologi illi quibuſcum ſentit de natura gratiæ efficacis Arnaldus, omne id quod ad potentiam proximam Alvares requirit, longè prolixiùs quàm iſte concedunt, ut loco mox laudato probat idem Arnaldus.

At verò Apologiſta nuſquam illa concedit, ſed ubique ad magnam & robuſtam charitatem, ad magnas Vires, hoc eſt, ad gratiam per ſe efficacem pertinere contendit & poteſtatem actûs primi & potentiam proximam ad complendum Dei mandatum. Non malè igitur Informator & Scrupulorum Autor aſſeruêre Doctiſſimum Scriptorem, non minùs quàm Arnaldum, Cenſuræ Pariſienſi ſubjacere; cum ipſum magis etiam illâ impeti clarum ſit.

48. Potentiam orandi proximam Petro adimit Anonymus, non Arnaldus.

4. Non ſolùm proximam operandi potentiam Petro abrogavit Apologiſta; ſed etiam proximam orandi potentiam, quam Arnaldus nuſquam negavit. Doctiſſimum Apologiſtam audiamus, Diſſert. V. cap. 2. §. 2. ſic ſcribentem: "Eò tota controverſia redacta erat: Num homo juſtus inſtante præcepto habeat potentiam proximam ad orandum. Cui quæſtioni cum putem me proximè ſatisfeciſſe, unam tamen exceptionem ſubdendam exiſtimo. Nam quamvis Noriſius palàm & apertè teſtetur, hominem urgente præcepto *poſſe ac debere orare* pro impetranda gratia ad mandati impletionem neceſſaria, id intelligendum eſt, NISI homo ponat obicem, ſuóque vitio ſe ea poteſtate proxima ad orandum privet: quod impedimentum reapſe opponi poſſe demonſtro."

En ut in juſto obicem ponente proximam orandi potentiam non agnoſcit, ſed apertè aſ-

ſerit talem urgente præcepto debere orare, ſed *non poſſe* propter obicem. *Num* autem, inquit, *reapſe talem obicem Petrus oppoſuerit, eſt quæſtio facti, in qua S. Auguſtinus ſuis in libris ſæpiſſimè ac conſtanter aſſeveravit, D. Petrum de ſuis nimiùm viribus præſumſiſſe.* Nimirum, ut pluribus expendit Apologiſta, *cum Petrus putabat ſe poſſe quod ſecundùm eas quas tunc habebat vires* NON POTERAT, *liberè judicium erroneum induxerat, quo putabat viribus quas actu habebat poſſe oppetere mortem pro Chriſto: quo judicio implicitus, de ſe præſumens,* NON POTUIT *cum eodem componere judicium rectum, quo putaret majores ſibi à Deo vires precibus impetrandas eſſe: quod judicium ad orationem prærequiri ſuperiùs oſtenſum eſt, & ex cujus defectu homo non eſt in potentia proxima ad orandum.* Plura ſuperiùs deſcripta ſunt.

Contra Arnaldus ſæpè profeſſus eſt, orandi gratiam à ſe non eſſe Petro negatam, nec ad eum ſenſum trahi poſſe ſuam propoſitionem; in ea non agi de orationis, ſed de operationis gratia; ac proinde quidquid de orandi gratia dicatur, ad ſuam propoſitionem non pertinere, *Diſſert. parte 4. art. 7.* ut ſupra retulimus. Præterea profitetur, *Etiam illis juſtis qui nec orare volunt, neque conantur, adeſſe tamen poteſtatem orandi in actu primo Thomiſtico ſenſu ſufficientem, ſed per gratiam habitualem tantùm, non per actualem,* &c.

49. Non omnem tunc Petro gratiam actualem ademit Arn.

5. Hoc igitur inter utrumque Theologum diſcrimen occurrit, quòd Arnaldus omnem actualem orandi gratiam Petro tunc adfuiſſe nec negat, nec aſſerit. Immò ſatis ſignificavit in priori ſcripto Apologetico, non ægrè admiſſurum ſe in eo *gratiam quâ orare voluerit parvâ & invalidâ, ut Auguſtinus loquitur, voluntate.* Et certè, ut verum ſit Petrum, tunc

Script. Apol. 1. Sect. 2. pag. 33.

cum

cum nimiâ de ſe confidentiâ illuſus Domino contradixit lapſum illi ſuum & ſequendi uſque ad mortem impotentiam prædicenti, de orando Deo nihil cogitaſſe; quis audeat aſſeverare eumdem poſteà in horto à Domino admonitum de jam imminente periculo, de ingruente tentatione, de inſtanti militum adventu, de orandi neceſſitate (*Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*) & ipſo timore mortis, quo vehementiùs correptus eſt in Domo Caïphæ, compulſum, nullas in eo conflictu excitationes interiores ad orandum ſenſiſſe, nullam ne imbellem quidem orandi voluntatem habuiſſe, nullum conatum vel tenuem exeruiſſe, ac proinde actuales aliquas gratias excitationis, voluntatis, & conatus ejuſmodi effectrices? Profectò ut parùm ſapienter id ita fuiſſe certò quis affirmaverit; ita non ſine falſitatis periculo negaverit. Negaſſe tamen mihi videtur Vindex anonymus, atque ita omnem actualem orandi gratiam non unâ ratione à Petro amoviſſe. Nam *cum ad orandum pro impetranda gratia neceſſaria ad exſequendum præceptum concurrant notitia præcepti, deſiderium ejuſdem faciendi, ac judicium practicum propriæ infirmitatis*, ut habet anonymus, ſi *Petrus judicium practicum prorſus oppoſitum formavit*, ut formaſſe cenſet ille, vix ullum internis illis ad orandum incitamentis locum reliquiſſe cogitari poteſt. Etenim, ut ſcitè aſſerit ille, ad orandum, ad quod ex præcepto in tentatione tenemur, non ſolùm fideli occurrere debet notitia præcepti implendi, ſed & notitia præcepti de orando pro impetranda implendi gratia: nec ſolum deſiderium implendi præcepti à quo tentatio avertit, ſed etiam deſiderium implendi præcepti de orando pro impetranda gratia ad *Diſſ. V. c. 2. §. 1.*

implendum præceptum quod tentatio impetit, At utrumque excludit *judicium practicum quo quis judicat ſe poſſe ſine ulteriori Dei auxilio mandatum implere & ponit obicem orationi faciendæ*; ac proinde excludit *gratiam illuminationis in intellectu*, quæ definitio eſt cognitionis præcepti ſeu actûs fidei apud Apologiſtam; excludit & inſpirationem ſanctam in voluntate, ex qua inſpiratione fluere dicit deſiderium præcepti faciendi: quæ æquè vera ſunt de præcepto orandi, ac de præcepto contra quod fidelis tentatur. Poteſt luminis amplius aliquid accipi, ad explorandam autoris mentem de impotentia Petri ad orandum, ex duplici comparatione quam ille eodem §. 2. inſtituit inter Joannem & Petrum, & iterum inter eumdem Petrum tunc præſumentem & Pelagianos. Sed hæc pluſquam ſatis, ut cuique ſit exploratum, vel Arnaldi doctrinam ab Eruditiſſimi Anonymi doctrina, nullo diſtare intervallo, vel ſi quod interſit, Arnaldo iſtud favere quàm maximè. Non enim jam ex affinitate Noriſianæ doctrinæ cum Arnaldina, ulla adhæreſcit Eminentiſſimo Scriptori erroris ſuſpicio; ſed ex propoſitionis Arnaldi cum Eminentiſſimi Noriſii ejuſque doctiſſimi Apologiſtæ ſenſibus conſortio, aſperſa Clariſſimo Doctori hæreſeos calumnia omni ex parte diluitur. His quippe quæ explicuimus diligenter expenſis, faciliùs invenias qui Cenſores Arnaldi ſugillent, eam doctrinam proſcribentes quam Roma approbat, quàm qui ſuccenſeant Romanis illi dogmati ſuffragantibus quod Arnaldi Cenſores, ſtudio partium acti, octoginta ferè Collegis contra obnitentibus & contradicentibus, damnare ſunt auſi.

Diſſ. 5. c. 2. §. 1.

Non moleſtè feret Vir doctiſſimus, qui ta-

cito nomine meritam præclaræ eruditionis laudem ſibi ipſe invidit, ſuam de Arnaldi opinione diſſertationem à me eſſe diſcuſſam. Immò, gratulabitur, opinor, & ſe Arnaldinis Apologeticis, & viciſſim Arnaldum illius Vindiciis eſſe defenſum; occaſionemque ſibi datam (quæ eſt liberaliorum ingeniorum indoles) omnem de ejus ſenſibus ſuſpicionem malam abjiciendi.

Cum autem iſtam admittendi, non illi ſolummodò, ſed aliis etiam exterorum plurimis, cauſa fortaſſe fuerit non ſatis familiaris Gallicæ linguæ uſus, eam ob rem in Latinam verſa ſunt quinque Arnaldi ſcripta ad ejus cauſæ notitiam maximè neceſſaria, ut quæ omnium ferè in Sorbonicis Comitiis actorum ſeriem & circumſtantias, momentaque adversùs Cenſuram graviſſima referunt. Scripta igitur quæ nunc primùm Latinè prodeunt, ordine II. IX. XII. XIII. & XIV. hæc ſunt: *Animadverſiones in Comitia 4. Novemb. &c. Libellus conteſtatorius, & Epiſtolæ Apologeticæ tres Arnaldi &c.* Quibus quindecim alia interſeruntur latinè primùm elucubrata. 50. Scripta V. nunc primùm Latinè prodeunt.

Nolim porrò hoc loco diſſimulare, cum iſta omnia jam recuſa eſſent & propè venum ibant, monitum me ab amico Romanarum rerum ſcientiſſimo, nonnulla è ſcriptis illis Romano Indici fuiſſe inſerta. Adverto tamen illo Indice non contineri quinque illa à me jam commemorata, nec Notationes in Cenſuram, nec prolixam Arnaldi Diſſertationem Theologicam, nec Notas Thomiſticas adversùs Moliniſticas Joannis Nicolaï Theſes, nec Vindicias S. Thomæ adversùs Cenſorium ejuſdem ſuffragium, nec geminam Ad Andegavenſem Epiſcopum Epiſtolam: quæ omnia, poſt Cenſuram edita ſunt, Cenſuræ que vitia, & unà Cenſorum machinationes arteſque

impetunt: quamvis Decretum illud S. Congregationis anno integro & ſex circiter menſibus poſterius ſit his ferè omnibus opuſculis. Undenam ortum diſcrimen, neſcio; hoc ſcio, ſuſpecta eſſe Albiziana tempora. Quandiu enim Aſſeſſoris S. Officii munere functus eſt Albizius, Moliniſtis eorumque aſſeclis ad nutum obſequens, Auguſtini diſcipulos, omni patrocinio deſtitutos, quâ valuit autoritate protrivit. Quod igitur de Bellarmino Jeſuita, cujus Controverſiæ juſſu ſummi Pontificis proſcriptis libris annumeratæ olim fuerunt, dixere Vitæ ejus Scriptores, quid vetat, mutato nomine, de Arnaldo narrari: *Qui* (Arnaldi) *nomen obſcurare cupiebant, rati ſuæ gloriæ demi, quidquid cederet alienæ, homines accendendis offenſionibus callidi, Pontifici ſenſim adulari, re non diſcuſſa urgere atque inſtare quo ejus Opera inhiberentur & inſeri Catalogo deberent voluminum proſcriptorum. Fraudem excepit eventus, & ii quorum invidia* (& alii affectus) *in occulto, adulatio in aperto erat, facile impetrarunt ut hoc pacto in* (*Arnaldi*) *libros ſæviretur.* Sed ut in omnes ſæviretur quia obtineri non potuit, ii à Cenſura Romana liberi remanſere, qui Pariſienſis iniquitatem aperiebant; à qua puras manus abſtinere, è re Sedis Apoſtolicæ judicarunt ſapientiſſimi ejus Adminiſtri, & ipſe Pontifex Alexander VII.

Silveſter Petra-Sancta Vita Bellarmini lib. 2. c. 7.

Quidquid ſit de aliis, hoc ſanctè poſſum profiteri, in iis recudendis nihil quidquam admiſiſſe me voluiſſe, quod Apoſtolicæ Sedis honori & ordinationibus vel minimùm detraheret. Quod igitur fecit neceſſitas defendendæ innocentiæ Viri tam bene de Eccleſia & Apoſtolica Sede meriti, benignè, ut confido, accipiet Sedes Apoſtolica, quæ ſuorum filiorum innocen-

centiam malevolorum obtrectationibus obſcurari non amat, multo minùs patitur Defenſorum ſuorum famam inermem & indefenſam invidorum patere calumniis.

Quam immeritò partium aut novitatis ſtudium in defendenda Chriſti Gratia Viro magno objecerint adverſarii, intelligent tam Illuſtriſſimi quàm Eminentiſſimi fidei judices, ipſeque Epiſcoporum Epiſcopus, ex primis illius Theſibus, ante motam in Belgio vel in Galliis de Auxiliis gratiæ contentionem propugnatis, præſente ac plaudente Clero Gallicano, approbante Sorbona. Has Theſes excipiunt aliæ in Regia ejuſdem Academiæ Navarra defenſæ, in qui bus integrum Auguſtinianæ doctrinæ ſyſtema diſertè & ſplendidè expoſuit quidam Petrus Darbo (de quo plura apud Launoium in Navarrici Collegii Hiſtoria) illamque defendit propoſitionem, applaudente Pereyreto magno ejuſdem Collegii Magiſtro, ipſo Corneto ſpectante & approbante, quæ iiſdem connitentibus in Arnaldo paucis poſt annis impietatis & hæreſeos damnata eſt.

Proſcriptionem doctrinæ Perſonæ proſcriptio ſubſecuta eſt. Nec mirum: eò enim ſpectabant illæ Adverſariorum Tragœdiæ. An id juris Facultatibus Academicis ſine Epiſcoporum autoritate competat, non eſt hujus loci inquirere. Scio à Joanne Bagotio doctiſſimo Jeſuita ſcriptum, ut ſine anathemate errores damnant Academici cœtus, ita ſine proſcriptione aut ulla infamiæ nota errantes emendare. *Sub anathemate*, inquit, *damnant* (Epiſcopi in Synodis) *diſſentientes, & in Spiritu Sancto ita ſe definire pronuntiant; quod nequaquam faciunt Doctores in ſuis Cenſuris aut Conventibus Academicis.* *Et*

51. Expulſus è ſinu Facultatis, quo jure

Apolog. fidei par. 1. p. 402.

Et verò ſi quis aliter quàm majorum eorum pars ſentit; non idcircò aut Doctorum albo eraditur, aut ulla infamiæ nota afficitur.

Loc. Theol. lib. 8. c. 4. V. p. 163.

Ab his non multum abludunt hæc Melchioris Cani doctiſſimi Epiſcopi ex Dominicanorum Ordine aſſumti verba: *In Scholaſtica*, inquit, *diſputatione plurium autoritas obruere Theologum non debet; ſed ſi paucos viros, modò graves, ſecum habet, poterit ſanè adversùs ſtare: non enim numero hæc judicantur, ſed pondere.* Quæ verba ſua fecit Bannes ejuſdem Ordinis. Et utrique accedit Chriſtophorus Gillius à Launoio laudatus p. 164.

Hæc à me tamen dicta ſic nolim accipi, quaſi ſacram Facultatem jure in ſuos animadvertendi, ac etiam eliminandi, minutam velim. Illo utatur, per me licet, Facultas; ſed Facultas, inquam, non Facultatis pars contra alteram colligata. Si enim Facultatis Decreta, non omnium aut ferè omnium conſenſu ſancita in alicujus doctrinam & famam, non facilè apud ſapientes autoritatem ſibi conciliant, multò certè minùs ea quibus collegas ſuos de magiſterii gradu pars deturbat & à totius Societatis corpore reſcindit.

52. Præter Juris Ordinem confixus & expulſus.

Sed quid ſi præter legum præſcripta, iiſque ſpretis ſolenniis, quæ in ullo quovis judicio, ſaltem perſonario, omitti nefas eſt, præſertim in capitalibus fidei & famæ cauſis? Fruſtra eſſe ejuſmodi cenſuras & judicia, jura clamant, clamat religio. Quàm verò infirma ſemper habita ſint ea quæ non unanimi aut ferè unanimi Doctorum conſenſu ſancita ſunt, non obſcurum. Quam enim aliam ob cauſam tam curioſè obſervaſſent ſcriptóque adnotaſſent in Cenſuris an. 1250. *unanimiter omnes conſenſiſſe, omneſque Magiſtros appoſuiſſe*

poſuiſſe ſigilla ſua, uno excepto; qui tamen tenori literæ non contradixit, ſed ſigillum ſuum apponere noluit: An. 1277. *concorditer:* An. 1333. *omnes in eam ſententiam conveniſſe:* An. 1387. *Cenſuram adversùs Monteſonum per totam Facultatem concorditer factam:* An. 1408. *diligenti & concordi deliberatione:* An. 1413. *per deliberationem maturam & concordem multum ſolenniter & palàm & libere*, contra Joannem Parvi: An. 1428. & 1429. *ex matura, diligenti ac concordi deliberatione:* An. 1482. *nemine opponente:* An. 1490. *viſum eſt omnibus uno excepto:* An. 1497. *uniformi deliberatione, & concluſione & concorditer:* An. 1502. *reclamante nemine.* In alia, *contradicente nemine:* An. 1521. *unanimi omnium voto probata, ratificata, & confirmata.* Eod. anno contra Lutherum, *unanimi omnium voto, unanimi omnium aſſenſu.* An. 1526. *unanimi omnium conſenſu:* An. 1552. *omnium Doctorum conſenſu:* An. 1554. *unanimi conſenſu:* An. 1611. *omnes & ſinguli.*

Eccur nihil ejuſmodi in Arnaldina Cenſura legimus? Scilicet lepidum fuiſſet & tanto apparatu dignum, ſi *omnes & ſinguli conſenſiſſe* dicerentur *exceptis octoginta ferè Magiſtris noſtris.* Cur etiam non additum, *quod prædictus* Antonius Arnaldus *tunc & alias* AUDITUS FUIT AD LONGUM, quod legimus in Cenſuris an. 1428. contra Joannem Gorellum Minoritam & an. 1429. contra F. Joannem Sarazin Dominicanum? Nimirum, quia ne ſemel quidem Cenſores audire voluerunt Arnaldum ſe ipſum defendentem, inſtantiſſimè licet id à Facultate petiiſſet; quem contra ipſi ad ſui defenſionem vocare, urgere, compellere debuerant. Cur demum ibidem non legitur, ut in Decreto an. 1482.

1482. contra F. Joannem Angeli Minoritam: OMNIBUS MAGISTRIS IN MAGNO NUMERO *tam Secularibus quàm Religioſis in Præfata Congregatione*, UNUS POST ALIUM AD LONGUM AUDITIS? Ratio in promtu eſt. Defenſorum Arnaldi diligentiæ & eruditioni temporis anguſtiis obſtiterant adverſarii, eoſque ex comparato & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihoræ circulum coegerant. Parendum fuerat: &, quod iniquiſſimum eſt, accuſatorum conditioni; &, quod miſerrimum, inimicorum poteſtati.

V. Ciceroni pro C. Rabirio verba relata ab Launoio p. 192.

53. Antiqua ex Launoio exempla.

Hæc cum alii ſcriptores, tum præſertim Joannes Launoius Doctor Pariſienſis in Tractatu de ſcholis celebrioribus cap. 60. & 61. & in Notationibus in Cenſuram, quæ loco pag. 150. habentur, nonnullis prætermiſſis; neque enim integras Notationes recudere animus fuit, ſed quæ Arnaldinam in iis cauſam juvant. Idem Vir doctiſſimus nonnulla etiam habet in Hiſtoria Navarrici Collegii, quæ opportunè huc transferrentur, niſi hæc Præfatio jam ultra æquos limites producta eſſet. Tomo 2. pag. 1032. narrat Joannem Peſchant, Doctorem Theologum Pariſienſem, ex Facultate expulſum fuiſſe, quia ipſius adversùs Henricum III. Galliæ & Poloniæ Regem Decreto ſubſcribere recuſavit. Et quamvis huic Decreto non ferè octoginta, ut Arnaldino, reſtitiſſent, ſed vix duo vel tres, iniqua tamen ſententia non prohibuit quin poſt annos aliquot Decani munus in Facultate indeptus ille ſit & obierit.

Quàm facilè fuerit ut aliquot Regni Proceres adversùs Arnaldum æmulorum artibus circumventi fuerint, docent exempla ab eodem Launoio relata. Refert Tom. 1. p. 256. de Jacobo Merlino Doctore, Canonico, & magno Eccle-

Eccleſiæ Pariſienſis Pœnitentiario, qui primùm in carcerem conjectus eſt, tum ad Nannetenſem Urbem relegatus; quia, inquit, *nimis ardenter & piè* concionatus fuerat adversùs exorientes tunc hæreſes & hæreticos. Beda & Clericus, uterque Pariſienſis Theologus, anno 1533. Lutheranorum factione, ut idem narrat, in exilium pulſi, cum Domino Le Picard, poſtea S. Germani Autiſſiodorenſis ad Regiam Luparam Decano, Viro inprimis Catholico & pietate conſpicuo: qui etiam in cuſtodiam datus eſt anno proximè ſequenti 1534. calumniis propter Conciones ab hæreticis aſperſus. De quo mira Hilarion à Coſta in ejus Vita narrat & Launoius. Tom. 1. Hiſtor. Navarrici Collegii p. 258. & ſequ.

54. Abſens ſine monitione prævia damnatus

Violata inſuper in Arnaldi cauſſa lex hæc præcipua, utroque Jure præſcripta, & nunquam ac nuſquam violabilis, Ne quis abſens damnetur, niſi priùs ſemel, iterum & tertiò vocatus & monitus. Hanc urget Launoius in Notatione XI. ex omnium tribunalium uſu & capitalium Judiciorum omnium forma, illuſtratque exemplo Judicii Academici in cauſa Monteſoni: cui addo exemplum cauſæ Renati Benedicti, cujus acta habentur ad calcem Collectionis Autorum, qui de Biblicis in vulgarem linguam tranſlationibus ſcripſerunt, Pariſiis an. 1661. editæ. Quæ cauſa cum anno 1567. eſſet ad Facultatis tribunal delata, tamen Benedictus nonniſi die 1. Octobris annni 1572. ſententiam excepit his verbis memoratam in laudatæ Collectionis Appendice pag. 39. *Facultas*, inquit, *congregata per Juramentum in materia fidei*, (quæ ſolennis formula in hac cauſa cautè ſemper apponitur, in Arnaldina nunquam) *eumdem Benedictum rogavit, ut tandem*

dem errorem agnoſceret, ac potiùs matri quàm ſibi crederet. Quod ſi pertinaciter in opinione maneret, nec de facto Facultati pareret, POST TOT VOCATIONES, MONITIONES, EXHORTATIONES ET PRECES, *cogi Facultatem illum tanquam filium contumacem de ſuo gremio ejicere, donec rediret ad meliorem mentem.*

55. Spretæ Arnaldi modeſtia, demiſſio, ſatisfactio. Quanto Arnaldus Benedicto innocentior erat, (immò verò omni ex parte innocens) tanto cum majori manſuetudine ac animi demiſſione ſe habuit erga Facultatem Theologicam. Ad quam delatas ut didicit nonnullas Epiſtolæ ſuæ propoſitiones, quarum altera fidei abſona, altera non ſatis erga Principes Eccleſiæ honorifica dicebatur, continuò ante omnem Cenſuram, nec exſpectatâ Facultatis ulla monitione, ſic utrique querelæ miſſis ad illam Scriptis ſatisfecit, ut primam pravi omnis ſenſus vacuam demonſtraverit, pro altera, etſi nullius irreverentiæ ſibi conſcius, veniam tamen petierit, ne ex honore ſupremis Patribus debito vel tantillum quid detrahere voluiſſe putaretur. Sed nihil iſta profuerunt apud profeſſos Arnaldi inimicos, facinoris duces, qui cæco impetu ad Cenſuram publicandam, & Collegam ſuum atroci aliqua nota infamandum properabant, cujus occaſionem ſibi quavis ſatisfactione eripi impatientiſſimè ferebant.

56. Quid ſperandum à ſacra Facultate. Sed tempus erit, (cur enim veritatis Defenſori id non auguremur, quod ſibi Veritas ipſa debere videtur?) tempus, inquam, erit aliquando, cum ſacra Facultas tam indigni judicii pudenda myſteria revolvens, & illatam tam ſibi caro, tam omnibus venerando capiti injuriam exhorreſcens, conflatam inde invidiam à ſe depellere ſeriò cogitabit, Cenſuram è ſuis commentariis craſam, exciſam volet, eamque paucorum

corum conſiliis & molitionibus confectam, Facultati ipſi falſiſſimè adſcribi, Orbi catholico denuntiabit.

57. Ad Sorbonicam Societatem parænesis.

Túque, Clariſſima Sorbona, tot magnorum olim Virorum Parens, quorum omnium præclaras dotes in uno redivivas Arnaldo receperas, ſuſpexeras, amaveras; meminiſti? certè meminiſti, quanti conſliterit tibi talem ambiiſſe Socium: quot votis, quot curis, quot laboribus, quot, ut ita dicam, præliis illum tibi aſſeruiſti. Neque id ſemel: vix enim illum tibi adſciveras, partis pro veritate victoriis jam illuſtrem, cum veritatis inimici nihil non movere ac moliri, ut has tibi delicias tuas eriperent: quas & aliquando tandem eripuerunt.

Reviviſcat ergo in amantiſſimæ Matris viſceribus nativum ardenſque illud ſtudium, quod te ad cariſſimi tot nominibus filii defenſionem & tutelam tunc commovit, cum occaſione Libri De Frequenti Communione, penè ad ignem ille depoſceretur. Faſtos relege domeſticos, & ſerva tam ad hæc tempora facti memoriam recenſe: *In Comitiis extraordinariis habitis* 14. *Martii anni* 1644. (verba ſunt Regeſti) *adhuc priore* (Sorbonæ) *M. Chaſſebras*, ſtatutum eſt, *ut pro viribus Societas ſubveniret Domino Arnauld, ſubtrahereturque inimicorum calumniis, qui in ipſum exitia & alias tribulationes intentabant. Ideò decretum fuit, ut omnes Socii conglobatim, & in magno comitatu adirent Viros Principes, Ducem Aurelianenſem, Principem Condæum, Eminentiſſimum Cardinalem Mazarinum & Illuſtriſſimum Franciæ Cancellarium; ac ut Dominus Senior* nomine cæterorum iis enixè ſupplicaret, ne D. Arnauld indefenſum, neque inauditum, Romam ablegari paterentur, faverentque potiùs in hac cauſa Sorbonæ,*

* Ita nominatur *Decanus Domus Sorbonicæ.*

bonæ, quæ tutelam Socii periclitantis ſuſceperat, quàm adverſariorum furori, qui ex populi rumore alias ei tribulationes Romæ promittebant.

58\. Acamia Pariſienſis defenſionem Arnaldo debet.

Neque, opinor, celeberrima illa Pariſienſis Academia ſui uſque & uſque Arnaldi Arnaldinique Nominis, cui tantum debet, obliviſcetur. Ab Antonio Arnaldo ante centum annos tam ſtrenuè, tam amanter defenſa, Antonio Filio an defenſionem, non certè indebitam, denegabit? Quæ violenter impulſum ut caderet non ſuſcepit, cadenti non occurrit, manum tandem non porriget, ut proſtratum erigat? Defenſionem, quam ab illa exſpectat Arnaldus, vel potiùs Arnaldi Memoria, *non indebitam* dico: quæ enim debita magis ab Academia eſſe queat, quam cui Ampliſſimus Rector, quatuor Facultates & ſingulæ Nationes, omnes demum Academiæ Ordines frequentiſſimis ac ſolenniſſimis Comitiis, ſeſe obſtrinxerunt, & publica promiſſione, & inviolabili Sacramento, & obligatoriis Literis, majore Academiæ ſigillo ſubſignatis: quæ non tam munus gratuita liberalitate impenſum, quàm honorarium juri Patrocinii & defenſionis laboribus repenſum. Non incerta loquor, non dubia vendito. Pateant Univerſitatis Tabularia. Referentur Annales Academici, & proferantur quæ adhuc exſtant authenticæ Litteræ, quibus addictam conſtat Arnaldo ejuſque immortali Memoriæ, Univerſitatis tutela & protectio. En ſolenne Edictum, quod prolixiorem Præfationem claudat.

„ Rector et Universitas Parisiensis,
„ Omnibus præſentes Literas inſpecturis, Salutem
„ in Domino, qui vera eſt omnium Salus.

„ Etsi Imperatorum Legibus ſancitum non
„ ſit, ut in recepti beneficii immemorem detur

tur ἀχαριςίας Actio; eos tamen qui Humanitatis « ſe Doctores profitentur, ab ingrati animi vitio « præcipuè decet reſugere; nec tam quid mores « vulgi ferant, quàm quid æquitas & honeſtatis « ratio ſuadeat, ſecum expendere, eáque bene de « ſe meritis hominibus officia liberè præſtare, « quæ apud Perſas Prætoris Edicto inviti coge- « rentur exſolvere: aut, ſi referre gratiam non « poſſint, honorificis ſaltem verbis agere, & ani- « mo habere. Quapropter cum Conſultorum di- « ſertiſſimus & diſertorum Conſultiſſimus D. ANTONIUS ARNALDUS, in Foro Pariſienſi ſpecta- « tus à multis annis Patronus, pro Defenſione « juris Academici...... tantopere deſudarit, & « longa comtáque Oratione, quæ Doctorum « manibus teritur, probarit...... Cúmque idem « pro Defenſionis laboribus & Patrocinii jure o- « blatum ſibi ab Academia honorarium remiſerit, « gratuitamque ſuam operam eſſe voluerit; ne « apud Nos ingrati animi culpa reſideat, placuit « Rectori, quatuor Facultatibus & ſingulis Na- « tionibus, ut perpetua tanti beneficii memoria « publicis Tabulis conſignata & teſtata apud po- « ſteros exſtaret, huicque Sacramento ſe omnes « Academiæ Ordines obſtringerent, ſe ea officia « quæ à bonis clientibus fido Patrono ſolent de- « ferri, omnia IN ILLUM EJÚSQUE LIBEROS ac « poſteros ſtudioſè collaturos, nec eorum un- « quam honori, commodis, famæque defuturos. « Cujus promiſſi ut gravior eſſet fides & ſanctior « autoritas, maximo graviſſimóque Comitatu « apud Maturinenſes decretum eſt, ut à Me « JOANNE GALLANDIO RECTORE perſcriberen- « tur hæ velut obligatoriæ Literæ, eædemque « Meo & Scribæ chirographo & majori Aca- « demiæ ſigillo ſubſignatæ, Patrono offerrentur. «

„ Quod Ego Gallandius præſtiti: quo ſecundò „ Rectore....... Decretum iiſdem verbis à me „ perſcriptum eſt, quibus apud Maturinenſes „ conceptum, & concordibus omnium Ordinum „ ſuffragiis gratóque Concionis totius applauſu „ & acclamatione ſancitum fuit die decima-octa- „ va menſis Martii, anno inſtauratæ Salutis hu- „ manæ milleſimo quingenteſimo nonageſimo “ quinto. (ſubſcriptum ſic) Viſa per me RECTOREM GALLANDIUM (&ſcribam) DU “ VAL.

SED ſanctiora Te tuentur, Magne Arnalde, quàm terrena quævis, præſidia. Annus enim hujus ſæculi M. DC. XCIV. qui ab aſſerto per cariſſimum Patrem Academiæ jure Centeſimus erat, idem Tibi fuit optatæ reſtitutionis ac veræ libertatis annus, in quam VI. id. Auguſti vindicatus es, à multiplici exilio ad unicam Electorum Patriam revocatus, veróque redditus omnium Deo ac Domino, CUI UNI ADHÆRERE BONUM EST.

Onuſtum & annis & meritis, Pater,
Maturior te vis rapit. Ah novos
Quis alter errorum architectos
Jam paribus malè perdet armis?

Cœlo receptum te nihil opprimet.
Non regnat iſtic invidia, aut furor.
Sed ſcripta, ſed famam hîc, ſed oſſa
Et cineres violare tentat.

Fruſtrà. Sepultum publica vox magis
Magiſque luget. Non timidus caput
En tollit Orator, Poëta,
Quicquid Apollineæque turbæ eſt.

HUMA-

HUMANÆ LIBERTATIS
NOTIO
AB ANTONIO ARNALDO DOCTORE SORBONICO DELINEATA.

MONITUM.

Satis ſupérque ſuos de Gratia divina ſenſus compertos fecit Arnaldus. De mentis humanæ libertate minùs fortè perſpecta eſt ejus doctrina. Hinc ceptùm conſilium his de Gratia ſcriptis præmittendi ſcriptiunculam à Clariſſimo Viro paucis ante obitum annis adornatam, ex qua intelligere quiſque poſſit, quanta ſit libertatis & gratiæ apud ipſum concordia, quámque conformis ſolidis S. Thomæ principiis.

SUbſtantia cogitans vocatur MENS.

Mens concipi poteſt, vel ſecundùm ea quæ illi ex ſe competunt, vel ſecundùm ea quæ illi competunt quatenùs eſt unita corpori.

Menti ex ſe competit intelligere vel noſſe; velle vel amare.

Menti, quatenùs eſt unita corpori, competit ſentire qualitates corporeas, lumen, colores, ſonos, ſapores; tangi dolore, voluptate ſenſuali &c; habere appetitus famis, ſitis, &c; commoveri paſſionibus corporeis iræ, gaudii, &c.

De Mente conſiderata ſecundùm ea quæ illi ex ſe competunt.

DUæ ſunt Mentis Facultates ab ipſa indiſtinctæ realiter: INTELLECTUS & VOLUNTAS.

Unaquæque illarum Facultatum habet ſuum objectum. Mens dum intelligit, aliquid intelligit; dum vult, amat, aliquid vult, aliquid amat.

Objectum intellectûs eſt VERUM, vel reipſa verum, vel quod menti per errorem verum apparet.

Objectum voluntatis eſt BONUM, vel quod verè bonum eſt, vel quod Mens apprehendit ut bonum.

Notandum enim eam eſſe connexionem inter illas duas Facultates, ut Mens nihil amet per voluntatem, quòd non apprehendat per intellectum. Hinc verbum vetus: *Ignoti nulla cupido.*

Neutra harum Facultatum ferri poteſt extra totale ſuum objectum.

Intellectus intelligere non poteſt, niſi quod eſt verum, vel reipſa, vel ſpecie tenus.

Nec voluntas amare, niſi quod Mens apprehendit ut bonum.

Hinc ſequitur, aliqua eſſe objecta ad quæ naturaliter determinatur intellectus, ut iis aſſentiatur; & aliqua ad quæ naturaliter determinatur voluntas, ut ea velit & amet.

Nam ſi ſint aliqua ita clara & ſimplicia, ut in eis nulla poſſit apparere ſpecies falſi, intellectus naturaliter determinatur ut iis aſſentiatur. Talia ſunt prima principia: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: Cogito; ergo ſum: Videre

dere mihi videor colorem album.: Sentire mihi videor dolorem.

Si ſit aliquod bonum, in quo non poſſit intellectus apprehendere niſi bonum, ſine ulla ſpecie mali, Mens naturaliter determinabitur ad illud volendum & amandum: nec poteſt Mens illud non amare quandiu nullam concipere poteſt per intellectum ſpeciem mali, ſub qua illud voluntas reſpicere poſſit: alioquin voluntas ferretur ultra ſuum objectum totale. Tale bonum eſt Beatitudo in communi: unde fit ut omnes homines velint eſſe beati, nec ullus poſſit velle eſſe miſer, ut ſæpè docet Auguſtinus. Non quod fieri non poſſit ut quis dicat, *Volo eſſe miſer*; ſed qui ſic loquuntur, id tantùm intelligunt: *Volo eſſe in eo ſtatu, in quo arbitraris me eſſe miſerum.*

Liberè Mens vult & amat ea omnia quæ non ſunt volita per ſe (ut eſt, velle eſſe beatum) qualia ſunt ea omnia quæ volumus in hac vita cùm advertentia rationis, præter volitionem beatitudinis in communi: quia ad id ſolùm naturaliter Mens determinatur; ad reliqua verò omnia ſe determinat per illam ipſam volitionem, per quam vult eſſe beata.

Quantumvis infallibilis ſit determinatio, per quam voluntas ſe determinat cum advertentia rationis, ad quæ naturaliter non eſt determinata, id non officit libertati, quia non impedit quin Mens velit quia vult, & eo ipſo eſt domina ſui actus. V. Differt. Theolog. parte 3. art. ult. p. 369. §. *Quæres.*

In eo videntur omnes Philoſophi conſenſiſſe, immò omnes homines non prorsùs barbari.

Nam 1. nullus non videt aliqua eſſe peccata, ad quæ infallibiliter determinant habitus mali,

vel aliqua mala diſpoſitio, qualis eſt appetitus vindictæ in homine graviter læſo. Si pulchra mulier cupido ſe tradat Regi amanti & ad illam libidinem propenſiſſimo, infallibiliter ſuam libidinem explebit. Si Rex crudeliſſimus & vindictæ cupidiſſimus, ſubditum à quo graviter læſus ſit in poteſtate ſua habeat, infallibiliter in illum deſæviet.

2. Omnes conſentiunt etiam eos qui ex vitioſo habitu gravia peccata committunt, etiam in iis circumſtantiis in quibus nemo non videt eos infallibiliter à ſe determinatos fuiſſe ad illa vel flagitia, vel crimina committenda, vituperari poſſe & debere, & ſupplicio affici, ſi non ſint ſupra leges.

3. Ii tamen omnes exiſtimant neminem vituperio & pœnâ dignum eſſe, niſi qui liberâ voluntate id fecit propter quod aut vituperatur aut punitur.

Ergo inſita videtur omnibus hominibus opinio, liberè eos agere, qui ex vitioſo habitu vel pravâ aliquâ cupiditate ſe infallibiliter determinant ad peccandum.

Determinatio Dei per gratiam quantumvis efficacem, qua Deus operatur in nobis velle & operari, non officit libertati.

Deus enim operando in nobis velle, facit ut velimus conformiter noſtræ naturæ, hoc eſt determinando nos ipſos ad id ad quod non ſumus naturaliter determinati; adeóque quantumvis mens efficaciter à Deo moveatur, agit ut actus ſui domina, & vult quia vult, ex volitione ſcilicet beatitudinis ad alia ſe determinans; quod ſufficit ut agat liberè.

Conciliari etiam poteſt libertas cùm gratia efficaci per ſenſum compoſitum, qui in eo conſiſtit, quòd etſi v. g. contemtus mortis in martyre

per

per gratiam efficacem inſpiratus, non ſimul poſſit eſſe cum actu oppoſito, poteſt tamen ſtare ſimul ille contemtus mortis cum potentia ad actum oppoſitum: quia tota poſſibilitas voluntatis per hunc actualem contemtum mortis non eſt exhauſta, ut ita dicam. Præclarus eſt in hanc rem locus Auguſtini: *Ut Abraham ob ſtipendium fidei conſequeretur dilatationem ſeminis, præparata eſt gentium voluntas à Domino, & ut vellent quod & nolle potuiſſent, ab illo factum eſt, qui ea quæ promiſit, potens eſt & facere.*

In ult. opere contra Jul. lib. 3. c. 2.

Cum Mens naturaliter determinata ſit ad amandam beatitudinem in communi, ſeu ut velit ſe eſſe beatam, ita ut non poſſit vel non velle ſe eſſe beatam, vel velle ſe non eſſe beatam, vel velle ſe eſſe miſeram; ſequitur ut ſit etiam naturaliter determinata ad amandum illud bonum quod proponitur ab intellectu cum omnimoda claritate in ſe ipſo, & non per ſpeciem, ut bonum omne, bonum perfectum, ipſum bonum, fons omnis boni, adeóque in quo impoſſibile eſt apparere ullam ſpeciem mali, quando ita cognoſcitur.

Si enim aliquod bonum voluntati ita proponitur, ut omnimodè bonum, & ſecundùm omnem conſiderationem, ex neceſſitate naturali voluntas in illud tendit, & non poteſt illud non velle, quia ut illud non vellet, oporteret ut illud bonum apprehendi poſſet ſub ſpecie mali & defectus; quod eſt contra hypotheſim.

Hinc ſequitur amorem beatificum liberum non eſſe, quia Mens noſtra ad amandum Deum clarè viſum, eſt naturaliter determinata.

Neque dici poteſt Mentem noſtram Deum clarè viſum velle amare quia vult, ſed enim ex neceſſitate movetur à Deo clarè viſo ad illum amandum, quia ſubjicitur tota voluntatis poſſibilitas

bono univerſali & perfecto, quale eſt Deus ſummum hominis bonum, cum ab intellectu voluntati clarè proponitur.

Neque hic locum habet ſenſus diviſus & compoſitus: quia ut infallibilitas actûs in ſenſu compoſito non officiat libertati, oportet ut actus ſimul poſſit eſſe cum potentia ad oppoſitum, quod eſt ſenſus diviſus: ut, cum martyr per gratiam efficacem infallibiliter determinatur ad contemtum mortis, ſimul ſtat cum illo potentia ad timorem mortis. Sed cum actu amoris beatifici non ſtat ſimul in voluntate potentia ad oppoſitum, id eſt potentia ad volendum Deum non amare. Nulla enim unquam poteſt eſſe in voluntate potentia ad oppoſitum ejus ad quod naturaliter determinatur; at naturaliter determinatur ad amandum quod ſibi ab intellectu proponitur ut ſummum bonum, bonum perfectum, in quo nulla poteſt eſſe ſpecies mali: non enim apprehenderetur ab intellectu ut bonum omnimodè perfectum, ſi apprehenderetur ut habens aliquam ſpeciem mali. Ergo repugnat ineſſe menti potentiam ad non amandum Deum clarè viſum.

Etſi Beati, qui Deum vident, in amore beatifico liberi non ſint, in cæteris omnibus liberrimi ſunt, quamvis quæ Deo placere ſciunt, invictiſſimè velint.

Idem de Chriſto dicendum. Etſi naturaliter determinaretur ad amandum Deum quem clarè videbat, etiam in terris degens, liberè mortem oppetiit, quamvis invictiſſimè determinatus fuerit per unionem hypoſtaticam ad ſervandum in omnibus Patris mandatum, factus pro nobis obediens uſque ad mortem crucis.

Dum in hac vitâ Mens abſtractiùs tantùm Deum

Deum cognoſcit (quia cognitio illa valdè imperfecta eſt quoad claritatem, quamvis ſit certiſſima) non naturaliter determinatur ad illum amandum, ſed tantùm cum illum cognoſcit per intuitivam illam viſionem, quæ omnes infinitas illius perfectiones ita menti noſtræ præſentes ſiſtit, ut nulla tunc in eo ſic apprehenſo ſpecies mali apparere poſſit. At cum in hac vita ad aliquas illius perfectiones attendere poſſit, & de aliis non cogitare, ut cum avari Deum conſiderant tanquam qui poſſit illos ditare ſi velit, poſſunt Deum apprehendere tanquam ſuum inimicum, cum gravia illis damna eveniunt, eóque nomine illum odiſſe vel ſaltem non amare.

Præclarus eſt in hanc rem Sancti Thomæ locus: " Cum in Deo ſit unum & idem ejus ſubſtantia & bonum commune, omnes qui vident " ipſam Dei eſſentiam, eodem motu dilectionis " moventur in ipſam Dei eſſentiam, prout eſt ab aliis " diſtincta, & ſecundùm quod eſt quoddam bonum " commune: & quia in quantum eſt bonum com- " mune, naturaliter amatur ab omnibus: quicum- " que videt eum per eſſentiam, impoſſibile eſt " quin diligat ipſum: ſed illi qui non vident eſſen- " tiam ejus, cognoſcunt eum per aliquos particu- " lares effectus, qui interdum eorum voluntati " contrariantur: & ſic hoc modo dicuntur odio " habere Deum. &c. 1. p. q. 60. a. 5. ad 5. & alibi. "

Sunt quidam effectus Dei, qui repugnant in- " ordinatæ voluntati, ſicut inflictio pœnæ, & " etiam cohibitio peccatorum per legem divinam, " quæ repugnat voluntati depravatæ per pecca- " tum. Et quantum ad conſiderationem talium ef- " fectuum, ab aliquibus Deus odio haberi poteſt, " in quantum ſcilicet apprehenditur peccatorum " prohibitor & pœnarum inflictor. 2. 2. q. 34. a. " 1. 7. in c.

Vi-

Video quid iis omnibus opponi poſſit : nimirum eſſe tantùm quæſtionem de nomine, an liberum appellari debeat quidquid eſt voluntarium cum advertentia rationis, ne illis quidem voluntatibus exceptis ad quas à natura determinamur ; an verò illæ voluntates, quæ ſunt neceſſariæ neceſſitate naturali, excipi debeant ? Excipit eas D. Thomas ; ſed non videtur excepiſſe Sanctus Auguſtinus.

℞. Sunt multæ diſputationes quæ reduci poſſunt ad quæſtionem de nomine, in quibus tamen non parvi momenti eſt diſpicere, qui meliùs loquantur & magis appoſitè ad communes hominum notiones. Id ergo diſquirendum.

1. Duo ſunt genera voluntatum & volitorum, quæ plurimùm à ſe invicem diſtant. Unum, quod tale eſt, ut à natura ad illas voluntates determinemur, itaut illa volita neceſſariò velimus neceſſitate naturali, qualis eſt appetitus beatitudinis in communi, & amor Dei beatificus. Alterum, quod volumus, quia volumus, non neceſſitate naturali ad volendum determinati, ſed quia ita volumus, ut ſimul ſtet cum actu volendi potentia ad oppoſitum. Cum ergo duo illa genera voluntatum maximè diſtinguantur, nonne ſatius eſt illas ita diſtinguere, ut poſteriores appellemus voluntarias & liberas, priores verò voluntarias & non liberas, quàm utraſque confundere, ut faciunt qui dicunt unas & alteras æquè eſſe liberas ; immò priores magis eſſe liberas, quàm poſteriores.

2. In hac diſputatione quæritur potiſſimùm quæ libertas neceſſaria ſit, & quæ ſufficiat ad merendum & demerendum in hoc ſtatu naturæ corruptæ. At communis hominum notio eſt, non mereri vel demereri, niſi eos qui quod

agunt

agunt ſuoptè nutu agunt, & ex ſua electione. At quis exiſtimet homines ſuoptè nutu agere, & ex ſua electione, dum id volunt, ad quod volendum à natura determinantur, & naturali neceſſitate moventur ad volendum, quale eſt velle eſſe beatum. Melius ergo videntur ſentire, qui id voluntarium eſſe concedunt, liberum negant.

3. Scrupulum hic addam de eorum opinione qui gratiam conſtituunt in delectatione victrici, quæ ſit velle indeliberatum, & non liberum. Supponamus hominem non multùm liberalem, pauperem offendere, qui eleemoſynam ab illo petat: deliberat, proponit ſibi mandatum Chriſti, & dat eleemoſynam propter Deum. In illorum ſententia à poſteriori colligere eſt tria in illius animo contigiſſe, deliberationem in intellectu, in voluntate verò delectationem victricem, quæ ſit velle indeliberatum, & poſtea piam dandæ eleemoſynæ voluntatem, quæ ſit illius delectationis effectus. Ego verò non video cur illa delectatio quæ ſubſecuta eſt deliberationem, ſit minùs libera, quàm voluntas dandæ eleemoſynæ. Nulla enim voluntas deliberata cenſetur propter deliberationem quæ ſit in ipſa voluntate, ſed propter deliberationem quæ præceſſit in intellectu: deliberare enim intellectûs eſt, non voluntatis. Atqui deliberatio, ex hypotheſi, non minùs præceſſit delectationem, quàm voluntatem dandæ eleemoſynæ. Ergo malè ſupponitur illam delectationem eſſe tantùm velle indeliberatum, adeóque non liberum: vel malè ſtatuitur omnem voluntatis actum deliberatum eſſe liberum.

V. Theſ. an. 1635. p. 652. §. *primum ſalutis deſiderium etiam liberum inſpirando.*

4. Non miror plures antiquos Theologos exi-

exiſtimaſſe omne voluntarium eſſe liberum. Facile enim fit, ut id generaliter verum eſſe abſolutè pronuntietur, quod generaliter verum eſt, uno tantùm caſu excepto, ad quem potuerunt non attendere; vel ſi de illo caſu cogitarint, fugit illos ratio cur excipiendus eſſet, quæ non fugit Sanctum Thomam.

APPENDIX I.

De Libertate quæ competit Menti quatenus cognoſcitiva eſt.

JAm dictum eſt Mentis duas eſſe Facultates, cognoſcitivam & appetitivam. Cognoſcitivam, quæ intellectus dicitur, circa Verum verſari; Appetitivam, quæ voluntas appellatur, circa Bonum.

Postulatum.

QUia voces, *voluntas*, &, *velle*, poſſunt eſſe æquivocæ, & præter *appetitum boni* ſignificare nutum omnem Mentis, quo ſe Mens in unam partem movet potiùs quàm in aliam; poſtulo, ut mihi liceat *nutum à voluntate* diſtinguere, dum voluntatem, prout ab intellectu diſcernitur, in ea tantùm ſignificatione uſurpo, quæ denotat vel appetitum boni, vel Facultatem appetitivam boni.

Propositio Quæstionis.

QUæritur, an Mens quatenus eſt cognoſcitiva, independenter à ſua Facultate appetitiva boni, ſit libera, id eſt, an ſe habeat ad oppoſita, an ſe ſuo nutu moveat in hanc potiùs quàm in illam partem, an ſit domina ſui actus.

actus: id enim intelligo per libertatem, dum quæro an hæc competat Menti quatenus cognoſcitiva eſt.

Supponenda ad Solutionem.

MEns, quatenus cognoſcitiva eſt, apprehendit & de apprehenſis judicat. In apprehendendo libera non eſt: nam in eo patitur potiùs quàm agit. Apprehenſa de quibus judicat, vel ſunt evidentia, vel obſcura, id eſt, non ita clara, ut Mens dum ſua ratione bene utitur, poſſit iis aſſentiri ſine formidine erroris.

Evidentia, vel ſunt per ſe clara, vel per aliud.

1. Si ſint evidentia per ſe, ut ſunt prima principia naturaliter nota, nulla eſt circa ea libertas Mentis, ut cognoſcitiva eſt; quia à natura determinamur ad iis aſſentiendum; nec poſſumus non aſſentiri, quia nulla in iis eſſe poteſt ſpecies falſi.

2. Secundò, ſi ſint evidentia per aliud, ut ſunt propoſitiones quæ demonſtrativè deducuntur ex principiis per ſe notis, ut, Cujuſvis trianguli tres angulos æquales eſſe duobus rectis; Mens liberè aſſentitur, quia ſe ipſa determinat ad aſſentiendum, cum non ſit ad aſſentiendum determinata per naturam, ſed per ratiocinationem, quæ eſt opus ipſius mentis. Unde fit, ut ſint ejuſmodi propoſitiones, quibus ſoli docti aſſentiuntur ſine erroris formidine; indocti verò, vel dubitant an ſint veræ, vel ut falſas rejiciunt; ut cum dicitur imperitis, Solem longè eſſe terrâ majorem.

3. Si propoſitiones non ſint evidentes per ſe, nec demonſtrabiles, ipsâ experientiâ probari poteſt mentem noſtram liberè iis aſſentiri,

quia

quia independenter à ſemetipſâ ut eſt appetitiva boni, poteſt iis aſſentiri vel non aſſentiri. Si enim ab aliquo quæras, an ſol moveatur circa terram immotam, vel terra circa ſolem immotum; in quamcumque partem ſe determinarit, ſine ullâ probabilitate diceretur id non potuiſſe fieri, niſi per Facultatem quæ eſt *appetitiva boni*. Quæ enim ſpecies boni potuit movere mentem illius ad unam potiùs quàm alteram illarum opinionum amplectendam? Item ſi quæras, an materia ſit in infinitum diviſibilis, in quamcumque partem ipſius problematis propenderis, nulla ratione dici poteſt, te in eam inclinatum fuiſſe à mente prout eſt appetitiva boni. Quid enim tua intereſt materiam eſſe vel non eſſe in infinitum diviſibilem?

OBSERVATIO.

OBſervandum tamen, non me negare, quin ſæpiſſimè intellectus, maximè in probabilibus, determinetur à mente, quatenus eſt appetitiva boni. Quotus enim quiſque eſt qui non experitur multa eſſe quibus quotidie aſſentitur, quia aliqua ſpecies boni eum movet ad aſſentiendum. Ita cibos qui palatum jucundè afficiunt, facilè judicamus eſſe ſalubres. Item ſi nuntietur Gallos inter & Germanos commiſſum eſſe prælium, facilè credet Gallus, Gallos fuiſſe victores; Germanus, Germanos; unuſquiſque pro amore erga ſuam gentem.

APPENDIX II.

De Mente, quatenus eſt unita corpori.

SEnſationes, delectationes quæ vocantur corporeæ, dolores ex corpore malè affecto, ap-

appetitus naturales famis, ſitis &c. paſſiones ex ſpirituum commotionibus ortæ, ut ſunt motus iræ, gaudii, timoris, ſunt modificationes mentis, quatenus eſt unita corpori, quæ propriè non videntur, nec ad intellectum ſeu rationem, nec ad voluntatem pertinere; niſi fortè quis dicat, eas ejuſdem eſſe generis ac ſimplices intellectus apprehenſiones.

Quare ſicut in eis apprehenſionibus nulla libertas eſt, ita nec in illis modificationibus, quæ mentem non afficiunt, niſi cum aliquid accidit in corpore.

Non enim Mens vel eſt Facultas ad oppoſita, vel eſt actus ſui Domina, vel ſuopte nutu ſe movet, cum videt colores, audit ſonos, eſurit, ſitit, vel ſubito iræ, gaudii, vel timoris motu percellitur.

Sed cum mens ad illas modificationes attenta per intellectum, eas per voluntatem amat, gaudens ſe illis affici, & deliberata voluntate ea deſiderat ad quæ illi naturales appetitus impellunt tunc ſolùm liberè agit, quia tunc ſe habet ad oppoſita, & eſt domina ſui actus, & ſuopte nutu ſe movet.

Quare non videntur motus, quos appellant primò primos, poſſe afferri in exemplum actuum voluntatis qui non ſunt capaces meriti & demeriti: quòd, etſi liberi ſint à coactione, non ſint liberi à neceſſitate. Actus enim illi, quandiu ſunt primò-primi, non ſunt voluntatis actus, ſed pertinent ad mentem quatenus eſt juncta corpori.

EPI-

EPISTOLA
EMINENTISSIMI CARDINALIS A. CIBO
Nunc Sacri Collegii Decani juſſu S. D. N. INNOCENTII PP. XI.
SCRIPTA
Ad Clariſſ. ANTONIUM ARNALDUM *Doctorem Sorbonicum.*

PErilluſtris & admodum Reverende Domine.

Læto benignoque vultu excepit & attentè legit SANCTITAS SUA Litteras, quibus Ipſi magnâ cum gaudii & filialis obſequii ſignificatione Pontificatum Maximum gratulatus fuiſti: in iiſque congruentes mœrori ſuo, ob labefactatam hominum temporumque injuriâ Eccleſiæ diſciplinam, pietatis tuæ ſenſus libenter agnovit. Eruditionis enim & ingenii laudem, quâ jam pridem apud omnes inclaruiſti, collaturum te ſperat, pro virili tua, in malorum medelam, quæ tam piè ac tam dolenter meritò defles; procul verò eos affectus habiturum, quibus nonnulli egregii cæteroquin Viri & omni laude præſtantes, ita aliquando abripi ſe patiuntur, ut non tam in fide errores, quàm in diſputatione adverſarios inſectentur. Libros quos à te adversùs Calvinianam hæreſim editos Sanctitati ſuæ offers, pari animi benignitate Ipſa excepit, aliquam temporis partem graviſſimis curis detractura, ut illis evolvendis impendat, quos ſingulari ſtudio ac doctrina, nec minori eloquentia & ingenio elaboratos omnium manibus teri jam inaudivit. Cæterum Paternæ charitatis, quâ te Sanctitas ſua virtutemque tuam amplectitur, uberes ſignificationes tibi præſtabunt opportunitates ornandi tui; cujus interim pignus, & ad preces quas polliceris, & quibus Sanctitas ſua plurimùm confidit, incitamentum accipies Benedictionem Apoſtolicam, quam tibi me interprete amanter elargitur. Ego verò, dum Sanctitatis ſuæ juſſa exſequor, gratias humanitati tuæ de amantiſſimo officio tuo & de præclaro munere plurimas habeo, libentiſſimè relaturus, ſi frequentes ſe dederint occaſiones, de tua eximia virtute, pietate, eruditione bene merendi; ac precor Deum læta tibi omnia cum diuturnâ incolumitate largiatur. *Romæ 2. die Jan.* 1677.

D. S. ad Officium paratiſſ.
A. CARDINAL CIBO.

Superſcriptio.
Perilluſtri & admodum Reverendo
D. ANTONIO ARNALDO
Doctori Sorbonico.

CAU-

CAUSA ARNALDINA CIRCA CENSURAM PARISIENSEM.

I.

ANTONII ARNALDI DOCTORIS SORBONICI AD ALEXANDRUM VII. PONTIFICEM MAXIMUM EPISTOLA

Quâ ſuæ Sanctitati obtulit ejuſque Judicio ſubjecit ſuam ad quemdam Ducem & Franciæ Parem Epiſtolam II. ex qua notatæ propoſitiones duæ decerptæ ſunt.

BEATISSIME PATER,

Quamvis ea ſit Chriſti Vicarii ac Petri Succeſſoris amplitudo & autoritas, ut ad Eum, quaſi ad communem omnium Parentem, omnibus etiam Eccleſiæ filiis, nedum nobis qui Apoſtolicâ ejuſdem autoritate in Doctores inauguramur, aditus pateat; tamen à Sede illâ, omnibus longè

ſupereminente, convenienda atque imploranda ſæpè homines privatos ipſe illius apex ac majeſtas ſumma deterret. Cùm verò præcelſa illa ac ſingularis poteſtas cum ſingulari etiam humanitate conjuncta eſt, & Apoſtolicæ autoritatis ſplendor, benignitatis quaſi nube ac velo temperatus, blandiùs ad ſe homines invitat & allicit; tum verò Pontificem Maximum ut Patrem ſuum quiſque tanto veriori, quanto ſecuriori reverentiâ compellare ſe poſſe confidit. Hinc factum eſt, Beatiſſime Pater, ut publica totius Orbis de Sanctitate Veſtrâ in Petri Sedem provectâ gratulatione & eximiæ benignitatis Tuæ famâ commotus, ſcribendi ad Beatitudinem Veſtram, conſilium fiduciamque conceperim. Expono igitur Sanctitati Veſtræ, quando id per Eam licet, rem non tam meam, quàm Eccleſiæ & Chriſti, adeoque non jam à Te alienam, ſed tuam, quando quæ tua ſunt à Te aliena, quæ autem Chriſti ſunt, tua tantum Te habere velle, ſplendidis nuper indiciis, mirante Orbe, teſtatus es. Nec verò neceſſe eſt rei totius ſeriem vel repetere altiùs, vel longiùs perſequi, cùm Epiſtolam in quâ de injuriâ à nonnullis Sacerdotibus Viro & genere & dignitate & pietate illuſtri factâ conqueſtus ſum, Sanctitatem Veſtram legere dignatam, quæque adverſùs illum zelo nonnullo, ſed præpoſtero, tentata ſunt, minimè probaſſe acceperim. Cum autem adverſùs eamdem Epiſtolam Sanctitati Veſtræ, ut hîc audiebatur, non ingratam, multi nihilominus ſcriptis acerbioribus in dies inveherentur; quamvis ab illo

illo contentioſo ſcribendi genere multùm abhorreret animus, facere jam, ut conſtitueram, mihi integrum non putavi, ne quæ ſcribendo aſtruxeram, jam ſilendo abjicere, & Eccleſiaſticæ quam propugnare conatus eram veritati, ſi minùs per me injuriam facere, ſaltem facientibus conſentire viderer. Hanc igitur Epiſtolam Secundam, prioris propugnatricem ac vindicem, Sanctitatis Veſtræ Apoſtolico Judicio cum omni ſubmiſſi animi obſequio ac reverentiâ offero: cujus prolixitatem, libri quàm epiſtolæ nomine digniorem, eò faciliùs excuſabit Benignitas Tua, quòd eam vitaſſem planè, nec jam excuſandam haberem, niſi me libellorum aliorum ex aliis in priorem Epiſtolam meam erumpentium multitudo & confidentia in hanc latiùs & nervoſiùs ſcribendi neceſſitatem, vel invitum me ac reluctantem adduxiſſent. Quòd ſi in hanc Epiſtolam perſpicaces illos, quos univerſo Orbi Chriſtiano debet, oculos conjicere non dedignetur Beatitudo Veſtra, quamvis in hoc qualicumque opere conemur tenues grandia, & ſublimioris mentis tuæ omnia penetrantis, omnia etiam aliis ardua facilè tranſcendentis aciei nequaquam ſenſuum noſtrorum tarditas reſpondeat; in eo tamen ſinceriſſimum meum & in Catholicam veritatem ſtudium, & in Apoſtolicam Sedem obſequium ac devotionem ingenuè, atque ut reverâ eſt repræſentatam, facilè, ni fallor, Sanctitas Veſtra recognoſcet. Mihi quidem, Beatiſſime Pater, jampridem non fides modò, ſed etiam tenuis illa, quam è libris Eccleſiæ haurire conatus ſum, do-

ctrinæ ſacræ notitia, certiſſimè perſuaſit, Chriſtianos omnes filios eſſe, non veritatis tantùm, ſed & caritatis. Veritas errorem omnem & hæreſim, Caritas ſchiſma & diviſionem excludit. Caritatis autem vinculum Unitas, Unitatis centrum Apoſtolica Sedes eſt. Huic ergò Sedi, in quâ fœliciſſimè præſides, Sanctiſſime Pater, totâ devotione adhæreſco. Eadem enim Fides & Catholica & Romana & Una eſt. Fruſtra verò Fidem tenet qui Caritatem violat, qui diſſolvit Unitatem. Non eſt membrum, ſed hoſtis & Eccleſiæ & Chriſti, qui ſcelere vel Judæis inauſo individuum Chriſti Corpus dividens, & quod Deus conſociavit diſſocians, divellere ſe audet à Capite Eccleſiæ, à Vicario Chriſti. Faxit ille ſupremus animarum Paſtor & Epiſcopus, ut Sanctitas Veſtra ad Regnorum & Eccleſiæ pacem, divinæ veritatis tutelam, Chriſtianæ pietatis inſtaurationem, in throno Petri diutiſſimè vigeat incolumis.

BEATITUDINI VESTRÆ,

Addictiſſimus & obſequentiſſimus Filius & famulus ANTONIUS ARNALDUS Doctor & Socius Sorbonicus.

E Portu-Regio Aug. 27
Anno Domini 1655.

ANIMAD-

I I.

ANIMADVERSIONES

In ea quæ Acta ſunt in Comitiis Facultatis Theologiæ Pariſienſis, habitis apud Sorbonam die 4. *Novembris an.* 1655. *ſuper eâdem Epiſtola* ANTONII ARNALDI *Doctoris Sorbonici ad quemdam Ducem & Franciæ Parem.*

I.

QUam ſcripſit Arnaldus alteram Epiſtolam, ea ſic probata fuit omnibus verè doctis, & ab omni odio ſtudioque partium liberis hominibus, ut cum ſatis apertè convinceret illa, quàm pura ſit hujus Theologi doctrina, quàm ab omni novitatis ſtudio alienus animus, ſpem afferre viſa ſit certæ pacis ac tranquillitatis. Accidit tamen, fato neſcio quo, ut quæ conciliatrix pacis futura videbatur Epiſtola, eadem novos belli tumultus excitaverit, novâſque tempeſtates, quas moleſtiſſimè ferunt quibus cara eſt Eccleſiæ concordia, & Sorbonæ laus. Verùm hæc ita accidiſſe nemo mirabitur, quiſquis noverit ferociores & implacatos eorum ſpiritus, quibus intolerabilia videntur S. Auguſtini dogmata.

Facilè judicatum eſt fore ut ejus Epiſtolæ laudationem non ferret perverſa eorum indoles; & quo vehementiùs probaretur illa æquis rerum æſtimatoribus, eo infenſiùs atque acriùs hoſtes eam impeterent; criminarenturque ſtudioſiùs, quo veriùs moderatum ſcribentis animum arguere, & Eccleſiæ fidem aſſerere certiùs videretur. Scilicet nobis in mentem venit effati illius Evangelici, non eſſe ſervum majorem Domino; cumque hujus Epiſtolæ Scriptor profiteatur mirabilis gratiæ Doctoris ſenſa ſequi ſe conari in omnibus, non mirum eſt, id de hac Epiſtola dici poſſe, quod olim de eximio Auguſtini Opere ſcripſit D. Proſper in Epiſtola ad Eundem: *Recenſito hoc Beatitudinis tuæ libro, ſicut qui ſanctam atque Apoſtolicam doctrinæ tuæ autoritatem antea ſequebantur, intelligentiores multò inſtructioreſque ſunt facti; ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores quàm fuerant, receſſerunt.* Qua in re hoc mirum videri debuit, quòd ejuſmodi homines, quorum calliditas ſingularis & inaudita vafrities conſilia diſſimulat, hoc in negotio ſua ars defecerit, tamque parum diſſimulanter egerint, ut eos non tam tuendæ veritatis ſtudio, quàm defenſorum ejuſdem odio incenſos fuiſſe manifeſtum ſit.

I I.

Hinc eſt quod ab unius menſis

ſis ſpatio poſuerunt in eo ſtudium & operam omnem, ut quem ex Doctoribus ſibi ad omnes nutus obtemperantem fore noverant, eum ad Syndici munus eveherent. Quod quidem univerſa Sacra Facultas ſenſit eò manifeſtiùs, quòd licet Domum Sorbonicam inter & Navarricam perpetua ſit diſſenſio, qui tamen è Sorbonicis doctrinam Auguſtini non probant, ii Navarricum Doctorem antepoſuerunt Sorbonico longè antiquiori, qui quidem eorum opinioni nunquam ipſe fuerat adverſatus, ſed cujus æquitas atque moderatio præcipitibus temerariiſque eorum conſiliis minùs idonea videbatur. Neque tamen iis ad id aliâ viâ graſſari licuit, quàm quæ Syndici electionem facit prorſus irritam, utpote Statutis Facultatis ac Senatus-conſultis contrariam. Qui enim favebant Doctori Sorbonico, non victi ſunt niſi Religioſorum Mendicantium ſuffragiis, quorum cum non plus quàm binos ex ſingulis Ordinibus ſuffragia ferre in Comitiis Statuta ſinant, viginti ſex præter legem & conſuetudinem ad ſuffragia admiſſi ſunt.

III.

Cum itaque hac de re inter ipſos novumque Syndicum conveniſſet, fecerunt quod ſolent omnes qui æquitati cauſæ videntur minùs confidere. Rem quovis modo occultant. Sed dum aliud obſcurè moliuntur, aliud ſpe ac ſpecie ſimulationis oſtentant, ſpargunt rumores qui conſilii ſuſpicionem omnem amoveant, & nonnullorum è ſuis minacia dicta emolliant. Nimirum Mag. Guiart, qui cum vellet fieri Syndicus, ad obtinenda nonnullorum Doctorum ſuffragia, fidem obſtrinxerat ſuam, non ſiturum ſe ullas in Facultate quæſtiones agitari, quæ turbandæ pacis occaſionem præbere poſſent; idem non dubitavit aliquot diebus ante Comitia, nonnullis quos Auguſtini doctrinæ favere noverat, iterum polliceri, ſe ea de re nihil acturum omnino: quò libentiùs abeſſent illi à Comitiis, à quibus eos revera hæc Syndici data fides abduxit. At oſtiatim ad Comitia & clàm invitati ſunt & adducti adverſæ factionis participes, quorum agmen auxit imprimis numeroſa Mendicantium caterva, quos eorum voluntati mancipatos eſſe ob cauſas notiſſimas, ignorat nemo. Namque, ſicuti ſupra dictum eſt, cum juxta Statuta Sacræ Facultatis & Senatus-conſulta binos tantùm ex ſingulis Familiis adeſſe liceat in Comitiis, (quæ lex non ſpectat alios Ordines, puta Benedictinorum, Bernardinorum, &c.) in hæc Comitia pluſquam triginta, atque ex iis 15 aut 20 Franciſcani intruſi ſunt. Ita rem illam, quantumvis iniquam, facilè ſibi ex voto ſucceſſuram ſperaverunt; neque in tantâ addictorum ſibi Doctorum venalium colluvione ac vociferatione habituram quidquam ponderis ſanorum hominum rectè & liberè ſentientium autoritatem.

IV.

I V.

Itaque totum ejuſmodi negotium ſolâ rei geſtæ commemoratione refellitur, in quo ſcilicet leges & Concluſiones Facultatis violatæ ſunt. Nam quia Societates & Collegia nonniſi pace & concordiâ ſtare poſſint; fuit hæc prima Sacræ Facultatis cura, ut pax inter ſuos ſervaretur. Cùm enim habeat hoc illa ſibi propoſitum, ut ſectas & ſchiſmata arceat ab Eccleſia, neceſſe eſt ipſa paci propriæ invigilet, nec ſuos inter ſe turpiter diſſidere patiatur. Hinc ſi quando accidit ut de rebus graviſſimis, puta Summi Pontificis Poteſtate, Doctores inter eſſet aliqua opinionum diſſenſio; ne Facultatem in factiones & ſectas diſtraheret ſententiarum diverſitas, providit ſapientiſſimè ut altum eſſet de quæſtionibus his litigioſis ſilentium, libera eſſet ſua cuique ſententia, néve, armatis civili bello in ſe invicem variis partibus, ipſa labaſceret & peſſundaretur. Cujus moderationis ſuæ fructum illa tulit optatiſſimum: quæ enim aliquantiſper tanta animorum contentione quæſtiones agitatæ ſunt, ſopitæ ſunt non minùs, quàm ſi nullæ unquam extitiſſent.

V.

Quem modum in præſenti negotio tenuit eadem Facultas, variiſque cavit Concluſionibus, ne quid ab univerſo Doctorum Collegio eâ de re decerneretur. Idque mirum videri debet; quòd ut caveret id Sacra Facultas contenderunt ii potiſſimum, qui nunc in eàdem ſeditionis atque diſcordiæ facem inflammare conantur. Aliquot enim abhinc annis cùm ad Sacram Facultatem nonnulli Doctores detuliſſent libellum Franciſci Veron, qui inſcriptus eſt *Linguarium Janſeniſtarum*, ineptiis, erroribus, calumniis pleniſſimum, M. Cornet, tunc Syndicus, declaravit non poſſe examinari libellum hunc, quin agitarentur res plurimæ controverſæ, ob quas excandeſcerent hinc inde animi, arderetque Facultas bello civili ac domeſtico, quæ res una libellum Cenſuræ ſubſtraxit. Nempè aſſenſum eſt Syndico, & in eam ſententiam hiſque verbis ſcripta eſt Concluſio, *pro bono pacis*, ſunt ipſiſſima Concluſionis verba, nullum fore libelli examen publicum, ne opinionum varietas disjunctionem animorum faceret, bellique periculoſi fax eſſet libellus ille temerarius. Jam verò Corneti, Doctorumque aliorum ab Auguſtini doctrinâ abhorrentium agendi rationem quis non mirabitur? Tunc diſcordiarum vel minimas cauſas tolli volebant; nunc iidem veluti claſſicum canunt. Nolebant perſtringi vel leviter libellum viliſſimum, linguarium fictitium, erroribus, deliriis, ineptiis refertum; nunc Epiſtolam gravem, Scripturæ & SS. Patribus conſentaneam, laudatam ab omnibus quos nulla afflavit factionis contagio, proſcribi & inuri notâ infami poſtulant. Nolebant Cenſoriam

ſoriam Animadverſionem cadere in M. Veron alienum hominem; nunc unum è ſuis Doctorem notum, cujus neque morum, neque Scriptorum pœnituit hactenus Facultatem, turpiſſimo judicio condemnari volunt. Unde facilè intelligitur ejuſmodi homines pacem olim, nunc bellum ſuadentes, id agere quod teſtatur Auguſtinus hoſtes Eccleſiæ infenſiſſimos feciſſe: *Quod volumus Sanctum eſt.* Optanda pax, ſi modò rebus noſtris accommodata ſit; bellum neceſſarium, ſi id utilitas noſtra poſtulat. Optanda pax, cùm judicio & Animadverſioni Cenſoriæ cupimus eripi Scriptoris ineptias erroreſque graviſſimos; bellum neceſſarium nobis Auguſtini ipſius doctrinam damnari aut opprimi cupientibus. Optanda pax ſi nobis alienum hominem contra Facultatis Doctores innumeros tueri placeat; bellum neceſſarium nobis Doctores inter diſcordiam concitare & Facultatem in partes adverſas diſtrahere ſatagentibus.

V I.

Quæ verò inconſtantia mutabilitaſque mentis præcipites agere ſolet homines qui non unam ducem ſequuntur veritatem & rationem, fecit ut idem Mag. Nicolaus Cornet, qui noluerat libellum hunc à Sacra Facultate damnari, ne pacem ejus turbarent intempeſtivæ diſputationes, finxerit ipſe poſteà variis de rebus ſeptem aut octo propoſitiones, quas ſine ullius Autoris nomine damnandas propoſuit. Sed reclamarunt 70 Doctores ſeculares; quorum expoſtulationis æquitatem cum cognoviſſet Curia Pariſienſis, ad quam illi pro more confugerant, decrevit eadem Facultas ut paci conſuleretur, nec ulla fieret amplius ejuſmodi rerum mentio. Cum itaque hoc in negotio violata ſit Sacræ Facultatis ſupremique Senatus autoritas, manifeſtum eſt debuiſſe Syndicum non modò tem illam non aggredi, ſed pro munere ſuo aliorum conatibus fortiter obſiſtere.

V I I.

Quæ verò ab Innocentio X lata eſt poſtea Conſtitutio, tantum abeſt ut favere tantillum poſſit Sacræ Facultatis perturbatoribus, ut eorum facta damnet. Prætexi quidem fortaſſe id poſſet, ſi huic Conſtitutioni Pontificiæ minùs obtemperaretur. Verùm cum Diplomati à nemine omninò reclametur, ſitque præcipuum hoc Epiſtolæ, de qua agitur, argumentum, ut oſtendat Auguſtini Diſcipulos damnare ex animo quinque propoſitiones; nonne temerè & ſine cauſa videntur ii velle novos tumultus jam ſedatos in Sacra Facultate excitare, qui volunt in ea diſquiſitionem fieri Propoſitionum aut quas definivit Summus Pontifex, ſi tantùm de 5 Propoſitionibus agitur, aut quas definiendas non eſſe ſtatuit, ſi agitur de aliis quæſtionibus ad gratiam pertinentibus, maximéque de gratia efficaci neceſſariâ

ad

ad ſingulos pietatis actus, qua de re; fatente ipſo Patre Annato, in Libello cui titulus: *Cavilli Janſenianorum p.* 30. nihil omninò ſtatuit Summus Pontifex? Itaque M. Guiartus, quàm iniquè ageret demonſtravit apertiſſimè, cùm hanc unam habendi Comitia cauſam attulerit, quòd ex quo tempore, ſcilicet ab uno menſe, Syndicatu fungitur, delatæ ſint ad ſe nonnullorum hominum magnatum querelæ de Libello, cui titulus: *Secunda Arnaldi Epiſtola*; in quo damnati à Summo Pontifice & Epiſcopis errores propugnantur. Cùm enim luce clarius ſit, in eo totum eſſe Arnaldum in ſua Epiſtola, ut refellat hanc calumniam, ſéque oſtendat propoſitiones à S. Pontifice damnatas non tueri; cui hoc videbitur veriſimile, ſcilicet Arnaldum eas propoſitiones tueri in hoc ipſo libro, quem ſcripſit ideò ſolùm, ut palàm faceret omnibus, has propoſitiones damnare ſe ex animo? Sentiant illi de Arnaldo quod ipſis libuerit; ſed neminem novi qui Doctorem hunc ſtultum aut mente captum dixerit, eundemque exiſtimet eò inſaniæ deveniſſe, ut propoſitiones damnatas tùm Catholicas eſſe contendat, cùm eas clarè & diſtinctè pronuntiat & fatetur hæreticas.

VIII.

Verùm inauditæ & incredibilis criminationis cauſa quæ fuerit, facilè reperitur. Tot graves enim magnatum querelæ, ſi propiùs res ſpectetur, unius ſunt P. Annati, qui moleſtè tulit ſuis de Pontificia Conſtitutione interpretationibus non eandem fidem, quàm ipſi Conſtitutioni ab Arnaldo fuiſſe habitam: hoc eſt, non potuiſſe adduci Arnaldum, ut quæ ſunt Auguſtini ſanctiſſimorumque Pontificum dogmata, ea non ſecus atque errores impios atque manifeſtas hæreſes deteſtaretur; ipſique Annato crederet affirmanti, hæc ab Innocentio X. damnata, de quibus ne verbum quidem in Conſtitutione. En verum & unicum Arnaldi crimen. Quantumvis ſubditus morem gerat Conſtitutioni Pontificiæ, eandem violaſſe exiſtimabitur, quia cum ei obtemperet, non paſſus eſt eâ Molinæ diſcipulos abuti ad damnandam S. Auguſtini de gratia doctrinam certiſſimam: quia non exiſtimavit, juxta perverſam horum interpretum mentem, hanc eſſe vim Cenſuræ in quinque propoſitiones individuas & peculiares latæ à S. Pontifice, ut priſcorum Pontificum de gratia doctrinam prorſus peſſumdaret: quia, pro ſua in S. Sedem Chriſtique Vicarios reverentia, non exiſtimavit ſibi licere Pontifices Pontificibus quaſi ſibi invicem contrarios opponere; vetera Pontificum Romanorum decreta falſâ recentium interpretatione abrogare; nefaſque duxit, in eam Sedem, per quam ſervatur Eccleſiæ unitas, ſchiſmata & diſſidia admittere.

IX.

Quod ſi concedatur, non erit Jeſuita

Jeſuita quiſpiam, cui non liceat S. Thomæ diſcipulos appellare hæreticos, excommunicatos, autoritati Concilii Tridentini rebelles, adverſarios. Quis enim neſcit Dominicanorum Theologis doctiſſimis, qui apud S. Sedem damnandos Moliniſtarum errores detulerant, id unum tunc objeciſſe Molinæ Diſcipulos, quod Dominicani de vi & efficacia gratiæ Chriſti in voluntatem humanam, juxta mentem Auguſtini & Thomæ, contra Moliniſtarum ſenſum aſſererent, id omninò repugnare Concilii Tridentini Decretis, quibus definitum eſt, liberum arbitrium gratiâ motum & excitatum poſſe, ſi velit, non conſentire? Porrò quis hoc toleraſſet? Nonne univerſa Eccleſia os ejuſmodi hominibus occluſiſſet, qui perſuadere voluiſſent Oecumenicorum Conciliorum autoritatem in Scholis rejici & pro nihilo haberi, quia dum omnes decretis & autoritati Conciliorum aſſentiunt, de ſenſu tamen & interpretatione Canonum eſt inter Theologos aliqua diſſenſio? Quis eſt qui non intelligat idem præſenti in negotio agi; ſique Molinæ Diſcipuli, quas afferunt de ſenſu Conſtitutionis interpretationes, eas contenderint aliorum interpretationibus anteferri oportere (quamquam alii nullas interpretationes afferunt, quandoquidem fatentur 5. Propoſitiones damnatas ſine gloſſematis, juxta vim terminorum, & in ſenſu obvio intelligendas eſſe) nonne Moliniſtarum eſt ſententiam ſuam argumentis & rationibus confirmare? Verùm nonne manifeſtiſſimum eſt violari Sedis Romanæ dignitatem & Eccleſiæ ſanctitatem, ſi quis contenderit, Doctores Catholicos, quantumvis profiteantur Apoſtolicæ Sedi ſe ſubditos, tamen autoritati Pontificum adverſari; quia nimirum ipſis non ſapiunt certæ nonnullorum hominum interpretationes & gloſſemata, quæ falſiſſima eſſe demonſtrantur? Atqui Scholaſticorum ſunt hæ concertationes problematicæ, quæ minimè pertinent ad Conſtitutionem Pontificum in ſe ſpectatam; in quibus non eſt cur alterutrius partis Theologi alii alios arguant & criminentur, quaſi Conſtitutioni Pontificiæ adverſarios. Neque enim ejuſmodi criminationi in Doctores Chriſtianos locus eſſe poteſt, niſi duobus modis: Primò, ſi profiteantur palàm & publicè nolle ſe Conſtitutioni acquieſcere: altero, ſi propoſitiones damnatas aut ipſiſdem verbis, aut iis ſaltem verbis quæ ſenſum eundem clarè & diſtinctè, non verò obliquè exprimerent, tueantur. Ex iis porrò alterutrum quis eſt qui objiciat Arnaldo, niſi impudentiſſimus ac perditiſſimus calumniator?

X.

Atqui cavit diligentiſſimè M. Guiart ne Epiſtolæ Arnaldinæ locum ullum excerptum citaret, qui favere videretur erroribus damnatis à Pontifice, aut qui Cenſurâ dignus eſſet vel minimâ.

Quod

Quod quia omiſit, pro nihilo habenda prorſus, quæ inde ſecuta ſunt. Hæc eſt enim laudabilis conſuetudo in Sacra Facultate, quovis tempore uſurpata, ut librum nullum Syndicus damnandum Comitiis offerat, ex quo non excerpſerit aliquas propoſitiones, quas quia Cenſurâ dignas judicat, examini ſubjiciendas cenſet. Quod ut ita fieret, æquiſſimum eſſe cenſuit ſapientiſſima Facultas. Cùm enim de damnando aliquo libro vel una Syndici poſtulatio notam inurat neſcio quam, & opinionem pravæ doctrinæ, ſaltem apud rudes & imperitos, relinquat, poſtulat hoc legum omnium, non Chriſtianarum modò & Eccleſiaſticarum, ſed naturalium civiliumque æquitas, ut ne fiat hæc injuria præſertim homini Presbytero & Doctori, cui ad Eccleſiaſtica munia neceſſaria eſt famæ integritas, niſi priùs certum ſit in eo libro contineri aliqua reprehenſione digna, atque è re Theologica eſſe, ut is liber ſuſpectus à Doctoribus deſignatis diligenter expendatur. Cùm verò Sacræ Facultatis ſit dijudicare, utrum Examinatorum judicio permitti debeat liber delatus à Syndico, neceſſe eſt præcipua ſaltem capita, & præcipuas propoſitiones reprehenſione dignas indicet Syndicus; alioqui non niſi temerè & de re ignota judicium ferret Facultas, poſſetque pro arbitrio Syndicus per Facultatem infamiâ aſpergere quos vellet Scriptores, quamtumvis orthodoxos, quos vel ipſa Cenſuræ jactata in Comitiis mentio rudibus & imperitis ſuſpectos faceret.

X I.

Itaque hac in re ne muneri ſuo faciat ſatis Syndicus, ſolus prohibet conjurationis amor & nocendi voluntas: atque perſpicuum eſt Magiſtrum Guiart ideò nullam propoſitionem excerptam ex Arnaldi Epiſtola protuliſſe in medium, quia veritus eſt ne ſtatim ſibi reclamaretur ab innumeris Doctoribus, qui quas criminans cauſas prætexuiſſet, facilè diſcuſſiſſent. Qui metus fecit, ut cùm de damnanda Arnaldi Epiſtola in Comitiis retulit, non ſolùm juxta conſuetudinem non exhibuerit Catalogum errorum quos in ea deprehenderat; ſed poſtulantibus Doctoribus ut indicaret aliquos errores, & palàm legeret, quò melius de poſtulatione ejus judicaretur, recuſarit morem gerere, certus videlicet, quod ſibi negaret æquitas & ratio, id ſe conjuratorum ſuffragiis conſecuturum eſſe. Sed non ſatis attendit cum poſtulationis ſuæ cauſas, quas ipſe ſentiebat nemini fore probabiles, proferre recuſaret, de toto negotio ex violatis Comitiorum Sorbonicorum legibus malè omnes exiſtimaturos.

X I I.

Accedit quod Mag. Guiartus, cum de damnanda Arnaldi Epiſtola retulit, ſignificavit delatas ad ſe à Viris regni primoribus de hoc ſcripto querelas. Si enim de

rebus ad regnum pertinentibus ageret hæc Epiſtola, aut ſi quid ea contineret autoritati, imò & ſaluti Regum periculoſum, perinde ac tot libri à Sacra Facultate damnati, & Senatus-Conſultorum autoritate igne combuſti; fuiſſet fortaſſe locus in Comitiis Sorbonicis querelam hanc primorum regni Virorum interponendi. Cùm verò non niſi de argumentis Theologicis ad Remp. minimè ſpectantibus agatur, atque in ea Epiſtola diſploſi ſint cavilli nonnullorum, calumniantium Epiſtolæ Scriptorem Pontificiæ Conſtitutioni non obtemperautem eſſe, & Reip. intereſſe ut is damnaretur; quò ſpectant ejuſmodi hominum conſilia, qui ad diſcutiendam quæſtionem Theologicam procerum autoritatem adjungi cupiunt, niſi ut quæ ſolet eſſe Aulicorum hominum ratio, ea rebus adhibeatur Theologicis, hoc eſt ambitioſis ſpes, parùm fortibus terror objiciatur; denique vincantur quovis modo hominum illorum animi, quos plus movet rerum ſuarum, quàm veritatis amor.

XIII.

Quæ verò hanc Magiſtri Guiart iniquam poſtulationem conſecuta ſunt, conjurationis certiſſima ſunt argumenta. Vix enim dicendi finem ille fecerat, cum M. *de S. Amour* Doctor & Socius Sorbonicus ſurrexit, dixitque habere ſe quod auditu dignum coràm exponeret, ſcilicet Arnaldum adeò non ſuſpicatum eſſe viſum iri ſe in hac Epiſtola propoſitiones aſſerere Pontificia Conſtitutione proſcriptas, ut eam Epiſtolam ſcripſerit eo conſilio, quo palàm faceret ſe ex animo Conſtitutioni Pontificiæ aſſentiri, & libellorum numero infinitorum fidem ejus hac in re temerè accuſantium calumnias refelleret, de quibus, quia turbas excitarent inter Theologos, ad Sacram Facultatem à Syndico referri fuiſſet longè æquius: Arnaldum conſcientiâ ſuæ fidei fretum, quam vulgaverat ſui purgandi causâ Epiſtolam, hanc miſiſſe ad S. Pontificem, additâ alterâ latinè ſcriptâ, quâ certiorem eum faceret quibus de rebus accuſaretur, ſeque Sanctæ Sedi obſequentiſſimum eſſe ſignificaret: decimâ quartâ Septembris proximè elapſi Summo Pontifici Epiſtolam utramque fuiſſe redditam, quam cùm manibus accepiſſet S. Pontifex, ab eo laudatam Scriptoris & pietatem & eruditionem, eumque licet infinita negotiorum multitudine obrutum, tamen pollicitum fuiſſe fore ut utramque ſibi legi curaret. Addidit Doctor *de S. Amour* habere ſe præ manibus latinè ſcriptæ ab Arnaldo ad S. Pontificem Epiſtolæ exemplum, ipſius Arnaldi manu ſubſcriptum: quod cùm Scribæ dediſſet, lectum eſt altâ voce in medio conſeſſu, maximâ omnium attentione. Decanus, qui pro more præerat Comitiis, cœpit res de quibus deliberandum eſſet, proponere, paucíſque dictis de utraque re, addidit,

auditam fuiſſe ab omnibus Syndici querelam de Arnaldi Epiſtola; tum eâ de re M. *de S. Amour* orationem; æquum ſibi videri ut ſuper ea re Summi Pontificis expectaretur judicium. Qui duo priores Doctores ſententiam dixêre, idem atque Decanus cenſuêre, cum ea res in manibus eſſet S. Pontificis, Romanæ Sedis expectandam eſſe ſententiam. Qui tertius loco ſententiam dixit, Doctor antiquiſſimus & unius Eccleſiarum Pariſienſium Paſtor; laudavit pluribus Decani cæterorumque ſententiam, quam æquiſſimam graviſſimis rationum momentis fuſè probavit. Cui aſſenſi ſunt alii quàm plurimi.

XIV.

Quis non exiſtimaſſet ejuſmodi Doctores, debitæ in Sedem Romanam obſervantiæ præcones perpetuos, quique Auguſtini Diſcipulos hactenus eo nomine præſertim criminati ſunt, quaſi S. Pontificis & ejus autoritatis contemptores; quis, inquam, non exiſtimaſſet eos libenter amplexuros fuiſſe certa illa ſummæ Arnaldi in Sedem Romanam obſervantiæ argumenta, & antiquioribus Magiſtris fuiſſe aſſenſuros? Verùm cùm iis certum eſſet huic Epiſtolæ notam inurere, ſcriptoremque quoquo modo poſſent, in invidiam vocare, non eam ſententiam ſecuti ſunt quæ videretur ſanior & reverentiæ Summo Pontifici debitæ convenientior; ſed id unum ipſis propoſitum fuit, ut quod jam pridem concupierant, quavis ratione obtinerent, abrogatis proſcriptiſque Patrum & Pontificum de gratia Chriſti dogmatibus nova commenta ſua confirmarent. Ex quo perſpicuum eſt fucum facere rudibus & imperitis Doctores illos, qui in vulgus tantopere jactant ſummum illud ſuum in Sanctam Sedem obſequium: hoc enim nomine vocant in odium alios, eoſque rebelles S. Pontifici calumniantur, quorum ſincera & ab omni fuco aliena eſt in S. Sedem obſervantia: ſed egregii & jactabundi illi defenſores ac vindices autoritatis Pontificiæ, verbis tuentur illam quidem acerrimè; cum id res eorum poſtulat; ſed factis eandem negant & rejiciunt, cùm eorum conſiliis minùs accommodata eſt.

XV.

Eâdem illâ explendi odii libidine impulſi, omnia communis æquitatis jura violarunt. Scripſerat Arnaldus Epiſtolam, de quâ nunc agitur, eo conſilio, ut oſtenderet quàm mali exempli, quantumque à verâ Eccleſiæ diſciplina alienam rem admiſiſſet unus ex Eccleſiæ S. Sulpicii Sacerdotibus erga Virum genere & fortuna conſpicuum; ſuſceperat apertè tota Societas Eccleſiaſticorum illius Eccleſiæ tuendum hoc factum, quod Aulam pariter atque Urbem univerſam offendit; extitêre tamen Doctores quatuor ejuſdem Sulpicianæ Societatis, qui ſuffragia tulerunt ſua, & illis in Comitiis palàm inſurrexerunt in Arnaldum. Civilibus

in negotiis Judices, quamtumlibet ſpectatæ probitatis æquitatiſque ſint, ſui rejectionem fieri adeò non ægrè accipiunt, ut ultrò judicum perſonam ipſi deponant, cum ea res, quæ in controverſiam venit, illos vel minimum videtur ſpectare; rati ſcilicet iis qui publicè judicia exercent cavendum, ne propter privatum aliquod commodum incorruptâ fide non reddita jura videantur. Contrà verò hîc Doctores unius & ejuſdem Societatis ſuffragium ferunt in ea contentione quæ contra ipſam illam Societatem excitata eſt, ſedentque judices in propriâ cauſâ.

XVI.

Mirum ſanè quoque eſt hac in controverſia ultro auditam fuiſſe ſententiam Doctorum illorum quos Sulpiciani Sacerdotes conſuluerant, maximè verò ejus inter illos de quo in ſecunda Epiſtola hæc habet Arnaldus Pag. 14. „De ultimo verò, qui hoc factum „ſibi probari ſignificavit, nihil „mirum, cùm notum ſit quàm „parum reverenter & circumſpe„ctè de S. Auguſtino multories „ſit locutus. Et præterea, ſi quan„do volet tum ſubſignare ſuum „ad Eccleſiaſticos illos reſpon„ſum, tum rationes, quibus illud „nititur, ſcriptas ſubjungere, ſpes „eſt futurum tunc ut Theologus „aliquis exiſtat, qui cæcitatem „ejus & ignorantiam miſeritus, „ipſi demonſtret, nihil ex Sanctis „Eccleſiæ Patribus, aut ex ipſis „Caſuiſtis, quorum reſponſa ve„luti quædam oracula accipit, „depromtum afferri poſſe, quo „opinionem tam diſſolutam ac „Eccleſiaſticæ diſciplinæ contra„riam muniat. Quis non videt illum, hac in contentione ſic implicatum, Judicis munere fungi non debuiſſe? Oportuit palàm probaret reſponſum illud ſuum, notumque faceret perperam ſibi objectari ſuſceptam eorum defenſionem, qui Eccleſiaſticam diſciplinam violaſſent, nedum propriâ in cauſâ pronunciaret, ac ſe judicem gereret ejus Viri, cujus impugnationes ab ipſo priùs retundi par fuit.

XVII.

At Deus, quem juvat quandoque improbos ſuis ipſorum artibus arguere, & eos obcæcare qui una odii libidine rapiuntur, permiſit illos homines hoc in negotio tam impotenter agere, ut ne minimam quidem æquitatis ſpeciem ac umbram ſervare curaverint. Atque ut hoc omnibus pateat, ſatis erit recenſere nomina eorum quos cognoſcendæ excutiendæque Arnaldi Epiſtolæ præfecerunt.

Primus eorum eſt M. *Cornet*, qui cùm Jeſuiticam veſtem olim induerit, mentem nondum exuit, fabricator quinque Propoſitionum, dux & ſignifer omnium doctrinæ S. Auguſtini inimicorum.

Secundus, M. *Chappelas*, ipſe quoque quondam Jeſuita, & qui nihil non tentavit, quo ſancti Gratiæ Doctoris Doctrinam convelleret, dum fruſtra annixus eſt ut Liber *De Gratia victrice* Cenſuræ ſubjiceretur.

Ter-

Tertius, M. *le Moine*, privatim & publicè Arnaldo infenſus, in quem edita eſt SS. Patrum Apologia, cujus ipſe authorem arguit Doctorem hunc, & in quâ illum nova & perniciosa dogmata, opiniones falſas & hæreticas invehere, argumentis & claris & certiſſimis probatur, iterumque quis viva voce facilè probaverit, ſi ſua ille commenta tueri audeat in congreſſu legitimo.

Quartus, M. *de Breda*, qui paſſim deblaterat in diſcipulos S. Auguſtini, quos Janſeniſtas appellat; qui prædicat nullum deinceps ex illis admiſſum iri in Sorbonam, & quem conſtat apud viros quoſdam egiſſe, ut ita fieri vellent.

Quintus eſt M. *Bail*, à quo edita & ſcripta plurima, quibus nupera Molinæ dogmata firmaret, maximè autem Liber *De Beneficio Crucis*, qui ſanè erroribus ac falſitatibus totus ſcatet.

Sextum denique locum tenet Pater *Nicolai* Dominicanus, qui contumelioſam in S. Auguſtini Diſcipulos Præfationem nuper affixit in fronte Libri editi ab ejuſdem Ordinis Religioſo; & cui in illa libri Magiſtri Habert confutatione, quam ipſe cum quibuſdam aliis tribuit ei Viro cujus judex eſſe vult, exprobratum eſt, modeſtè quidem & parcè, eum Ordinis ſui dignitati maculam inuſſiſſe non levem, cum approbavit librum, qui ſubvertit illam de Gratia doctrinam, quam Divi Thomæ diſcipuli omnes tam glorioſè propugnaverunt. Privata autem hujus Dominicani in Arnaldum offenſio ita omnibus nota perſpectaque eſt, ut illam in ipſis Comitiis declarare teneri ſe ille putaverit, falſuſque ſit nullas ſibi jam judicis partes relictas, cùm cauſa quæ ageretur eſſet verè ſua. Nonne ergo valdè occæcatos fuiſſe oportet talium machinationum duces, qui Religioſum hunc iſta palàm confeſſum voluerint tamen ſedere principem inter judices.

XVIII.

Conſpectis ejuſmodi Judicum nominibus, antequam illi ad Inquiſitionem faciendam accedant, facilè quivis præceperit quale judicium laturi ſint. Palàm cernitur jamdudum, & extat grandibus, ut ita dicam, characteribus inciſum in eorum & factis & verbis: illud præ ſe ferunt libri omnes, in quibus opiniones ſuas diſſeminarunt, lata variis in Comitiis ſuffragia, publicata in ſcholis ſcripta. Si duobus ſaltem viris æqui bonique ſtudioſis inter ſex illos Inquiſitores ſedem dediſſent; licet vix paulo minùs ipſis conſtitiſſet ſuæ conjurationis eventus (ut pote quatuor oppoſitis adverſus duos) illam tamen non ita ſuſpectam odioſamque feciſſent. At verò planum eſt, ne unum quidem admiſſum niſi omninò addictum ipſis, ita ut timuiſſe videantur, ne quis ſuæ in judicando temeritatis propior teſtis exiſteret. Statuerant ſcilicet communi conſenſu notare ac deformare Epiſtolam, quæ ipſa per ſe nullum præbet eorum repre-

prehenſioni locum; caliginem offundere rebus clariſſimis; candidè ſimpliciterque dicta malignè interpretari; illa omnia diſſimulare quæ faciunt ad purgandum eum quem accuſant; è principio extra omne dubium poſito falſiſſimas eruere conſequentias, ut inde Scriptorem damnarent, non ex iis quæ reverâ ſcripſit; at ex iis quæ ipſi affingunt infenſi illius inimici; denique illi temerè tribuere vanum quemdam commentitiumque errorem, tum cùm negari non poteſt ejus doctrinam eſſe verè Catholicam & Orthodoxam. Nulli libri ſunt, ne ſacros quidem ac probatiſſimos excipio, quos ejuſmodi cenſuris notare facile non ſit. Et hæc ſunt arma tenebrarum, quibus hæretici vexare & commaculare ſolent quidquid ſacra Eccleſiæ doctrina habet ſanctum magis & inviolabile.

XIX.

Quàm inſolens & aliena ſit à Facultatis moderatione & inſtituto inita hac in re ratio ac via, abundè declarabit ſumptum ex ejus tabulariis nobile exemplum. Vir clariſſimus Claudius Eſpencæus, qui palàm celebravit inviolatam S. Auguſtini auctoritatem in iis quæ Gratiam ſpectant; * præcipuum licet Facultatis ætatiſque ſuæ decus ac lumen; ſæviſſimas odii & invidiæ tempeſtates habuit ſubeundas; propter doctrinam ſuam ſæpiùs exagitatus eſt; moleſta multa audiit; tandem delecti ſunt qui eam excuterent, deque eâ judicium ferrent. Sed priuſquàm iretur ulteriùs, quæſitum ab illo eſt, ut ſcripto patet, numquid cauſas haberet aliquas, cur ex illis judicibus quempiam vellet rejici: reſponditque vir ille, nullas ſibi eſſe, & judices omnes æquos videri ac juſtos. Hæc tunc facere Facultas teneri ſe putavit ſupremâ & ſacrâ juſtitiæ lege. Quis ergo contendere audeat, illam debere nunc omninò aliam ſequi viam, ſuoque ipſam inſtituto adverſari, conceſſum ſingulis hominibus à natura jus violando? Cur in unum è ſuis Doctoribus alios nunc affectus induet, quàm ſolebat olim? Cur id Arnaldo denegabit, quod Eſpencæo eſſe ultrò offerendum exiſtimavit? Itane huic facta ſit copia è ſuis judicibus repudiandi quos potuiſſet habere ſuſpectos; ille cogetur eos accipere, quos nemo ignorat ipſi dudum infenſiſſimos? Denique cùm tunc monitus ſit Eſpencæus, videret an eſſet aliquid quod judicibus exprobraret ſuis, etſi delecti fuerant viri ſic omnem extra ſuſpicionem poſiti, ut eorum probitatē ac ſapientiam non potuerit ipſe non laudare; quis ferat nunc exigi, non ſine aperta odioſâque injuria, ut Arnaldus ultrò ſe permittat eorum hominum judicio, ad quos ejus cauſam privatim ſpectare ita patet, ut

* Invictiſſimus poſt Apoſtolum gratiæ Defenſor Auguſtinus.... Auguſtino tanto utique Dialectico & Theologo credamus,. & quidem in hoc argumento, in quo ubi ſi quis unquam alius poſt Apoſtolum regnavit. *Claudius Eſpencæus in .. ad Tim ch. Digreſſ* 10. & 11.

ſit eorum aliquos in Comitiis propterea puduerit judicum perſonam retinere.

X X.

Certiſſimum hoc juris naturalis principium, Debere nemini judices dari eos quos accuſatores habet & hoſtes, ſemper valuit in Eccleſiaſticis judiciis, non minùs quàm in Civilibus. Id quidem probarent exempla benè multa; at omnium inſtar erunt illuſtriora duo, quæ confirmabimus duorum magni nominis Pontificum Decretis, quæ in Jure Canonico reperiuntur. In Theodoreto legimus, *Imperatorem Conſtantinum convocaſſe Concilium Cæſareæ Paleſtinæ, deluſum ſcilicet artibus Epiſcoporum quorumdam, qui cùm malè eſſent in S. Athanaſium animati, hanc potiſſimùm urbem elegerant, ubi multos illi compererant eſſe inimicos. Sed divinus Athanaſius*, inquit Theodoretus, *cognita Judicum malâ in ſe voluntate, Concilio non adfuit, ideóque Imperator aliud convocavit Tyri, Athanaſio ſuſpectam eſſe Cæſaream colligens propter Euſebium hujus urbis Epiſcopum.* Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. c. 26.

Quod poſtea S. Chryſoſtomo contigit, id inſigne magis ac dignum animadverti. Cùm ei Theophilus Patriarcha Alexandrinus indixiſſet, ſiſteret ſe in Concilio quod ipſe convocaverat, ibíque dilueret impoſita ſibi crimina; his verbis reſpondit Chryſoſtomus: *Si quis propoſuit contra me, vultiſque veniam, manifeſtos inimicos meos, quos mihi negligentia ſua fecit infeſtos, conventu veſtro primùm abjicite. Sunt autem, quos ut ſuſpectos renuo, Theophilus, quem & in Alexandria & Lycia dixiſſe certum eſt:* In comitatum proficiſcor, ut Joannem deponam. *Id ex eo verum probatur, quòd adveniens neque congreſſus eſt mihi, neque communicavit. Qui ergò ante audientiam inimicus comprobatus eſt, quid poſt judicium facturus putatur? Acacium itidem abjici poſtulo, qui dixit:* Ego ipſi ollam condio. *Quid autem de Severiano & Antiocho dicam, quorum facinora ſæculi quoque theatra canunt? Itaque ſi me revera venire vultis, hos quatuor, ſi quidem judices ſunt, Concilio pellite; ſin autem accuſatores, eos ad judicium ſiſtite, ut ſciam quo mihi ordine certandum ſit: utrum quaſi contra adverſarios, an adversùs judices ſtandum: omninóque non ſolùm ad charitatem veſtram, verùm & ad omnem quoque univerſalem Synodum venire paratus ſum. Scitote igitur, quòd ſi millies miſeritis ad me, nullum aliud reſponſum à me reportabitis.* Omnes Concilii Epiſcopos ſibi eſſe infenſos non dicit Chryſoſtomus; de quatuor tantùm queritur, nihilque aliud affert propter quod eos ſibi judices nolit, quàm quoſdam ab illorum ore exceptos ſermones, quibus ipſorum in ſe malevolentia patebat. Credit tamen per legem divinam & Eccleſiæ regulas ſibi licere, omnium

aliorum judicio ſeſe non permittere, quamdiu inter judices ſuos ſedebunt quatuor illi Præſules, quos ferè tanquam accuſatores ſuos intuetur. At nunc volunt Arnaldo judices dari, non ſolùm Doctores quatuor Sulpicianæ Societatis, in quam maximè ſcripta eſt Epiſtola illa quam Cenſurâ notare ſtatuerunt, ſed etiam ardentiſſimos infenſiſſimoſque ejus inimicos eidem Epiſtolæ excutiendæ præfici, ſicque primum tenere inter judices locum; tametſi certum ſit, Cenſuram ab ipſis pendere ferè omninò, cùm è reliquis Doctoribus plerique nihil aliud quàm ſubſcribant Examinatorum ſententiæ.

XXI.

Quod Sanctorum exempla adſtruunt, id Summi Pontifices Decretis ſuis confirmaverunt. Sancit Adrianus I. (Capitulo 34. a. 785.) ut, *Si quis judicem adverſum ſibi ſenſerit, vocem appellationis exhibeat, ut cum ei conceſſum fuerit, integro negotio apud alium judicem, amotis dilationibus, poſſit audiri.* Verùm hac de re nihil expreſſius aut efficacius reperiri poteſt, quàm Nicolai I. teſtimonium, quod ex ipſius ad Imperatorem Michaelem Epiſtola excerptum his verbis in Juris volumine legitur. *Quod ſuſpecti & inimici judices eſſe non debeant, & ipſa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico poteſt, quàm ſi ei ad impetendum commiſerit, quem lædere fortè voluerit? Quod prò vidè Conſtantinopolitana Synodus Canonum ſuorum ſexto dignoſcitur prohibere capitulo.* Et infra: *Veniamus ergo ad ſanctam Chalcedonenſem Synodum, & quid nobis de Athanaſio Parrhæ- norum Epiſcopo referat, audiamus. Is enim antiſtes tertiò evocatus ad ſynodum, quia non occurrit, à Patriarcha ſuo canonicè condemnatus extiterat: ſed ſolùm quia, cum vocaretur ad Synodum, quod inimicus ſuus eſſet ipſe qui judicabat, clamavit, à ſancta Chalcedonenſi ſynodo ad cauſas illatas ſibi examinandas reſervatur: & niſi denuò convincatur, recipere Eccleſiam propriam judicatur. Quod ſi Athanaſius à Patriarcha ſuo depoſitus, quia de inimicitia ipſius conqueſtus eſt, iteratò ad judicium renovandum dirigitur, & niſi manifeſta ſibi officiant crimina, ſuæ reddi Eccleſiæ præcipitur; quantò magis Ignatius, qui non à Patriarcha, ſed ipſe potius exiſtens Patriarcha, minimè debuit Eccleſia propria (inimicis & ſuſpectis judicibus decernentibus) expoliari?* Et paulò poſt: *Veniat & facundiſſimus noſter Papa Gelaſius, hæreticorum expugnator fortiſſimus, & quod de Conſtantinopolitanis Epiſcopis more ſolito tunc ægrotantibus dixit, etiam nunc nobis ediſſerat. Quæro, inquit, tamen ab his, judicium, quod prætendunt, ubinam poſſit agitari? An apud ipſos; ut iidem inimici ſint & teſtes & judices? Sed tali judicio nec humana debent*

bent committi negotia, quanto minùs divina, id eſt, eccleſiaſtica. Qui ſapiens eſt, intelligat. Et revera hinc Juſtinianus Imperator pius legibus ſuis promulgaſſe dignoſcitur dicens. Liceat ei qui ſuſpectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recuſare, ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale eſt ſuſpectorum judicum inſidias declinare, & inimicorum judicium ſemper velle refugere. Hinc S. Athanaſius inimicorum ſæpe declinavit inſidias: hinc S. Joannes Os-aureum concilii contra ſe congregati renuit intrare collegium. Nicol. I. Ep. 8. ad Mich. Imp. & apud Grat. cauſa 3. q. 5. c. 15. Si lectis eximiis hiſce verbis, egregios iſtos Inquiſitores conſilii ſui tam iniqui tamque odioſi non pudeat, ſed ſint ita perfrictæ frontis, ut velint ſedere judices ejus Viri, in quem ipſos tot abhinc annis acerbum odium conceptum habere tota novit Gallia; depoſuiſſe eos profectò oportet, non eam dico reverentiam quæ Pontificum Decretis, Sanctorum exemplis, divinis humaniſque legibus debetur, ſed ſenſum omnem & humanitatis & honeſtatis.

XXII.

Prætereа operæ pretium eſt animadvertere, Cenſuras Facultatis Pariſienſis tantum hactenus, nec immerito, habuiſſe auctoritatis ac ponderis, quòd illa doctrinæ capita, de quibus latæ ſunt, excuſſa fuerint non præproperè & feſtinanter, at lentè cunctanterque, animis æquis & integris, re maturè, ſapienter eruditéque expensâ; ſicque confectæ illæ ſint concordi Doctorum omnium, aut ſaltem ferè omnium conſenſu. Etenim de communi hominum ſenſu & judicio ſapientum omnium peſſimè ſentiret is, qui Facultatem cernens ſic diſtractam & diviſam in præſenti controverſia, ſi fortè in diſcipulos S. Auguſtini conjurata factio ſuffragiis aliquot viciſſet, confectam ab illa Cenſuram pro legitima acceptum iri exiſtimaret: præſertim ſi apertè pateret, nullas omnino leges, nullum ſervatum ordinem; cuncta odio & libidine geſta; delectos libro excutiendo publicos apertoſque autoris inimicos; ſexaginta & ampliùs Doctores Seculares, qui ab illegitimâ illa Actione provocarunt, & poſſunt adverſariorũ numerũ æquare, in ferendis ſuffragiis victos ceſſiſſe, obrutos nempè Doctorum Regularium emendicato grege, qui ultra numerum per Statuta Facultatis & Decreta Curiæ ſic definitum; ut ad ſummum octo eſſe poſſint, legitimum in Comitiis ſuffragium ferendi jus non habent. Sapientes viri & æqui rerum æſtimatores de pluſquam ſexaginta Sorbonæ Doctoribus, qui ſunt adverſariis ſuis virtute, eruditione, fide, ne quid amplius dicam, pares, non judicabunt, ut eos quaſi fautores erroris ac hæreſis habendos putent, quòd numero ſuffragiorum victi ſint, accedentibus ſcilicet quinque ſexve Carmelitis, & decem circiter Franciſcanis, qui ferè

ſolo nutu ſententiam tulerint, Inquiſitorumque judicio adhærere ſe dixerint ſimpliciter, re, quæ in controverſiam veniebat, nullatenus expenſâ, ac ne fortè quidem cognitâ.

X X I I I.

Atque hunc communem vel ferè communem conſenſum potiſſimùm conſiderari in Sorbonæ Decretis, & ea longè aliter accipi, cùm alios aliis ſuperiores per factionem tantùm extitiſſe deprehenditur, ita certum eſt, ut qui aliquando in Facultatis Concluſionibus numero dominati ſunt, nihil non moliti ſint, & ad mendacia etiam confugerint, quò tale Comitiorum vitium tegerent. Contigit id quando Facultas adverſus Regem Henricum III anno 1589 confecit Decretum illud, quo ſubditos à jurata Regi fide liberos ſolutoſque declaravit. Notat Thuanus, clariſſimus in ſuprema Curiâ Præſes, publicatum fuiſſe hoc Decretum, veluti ſancitum concordi omnium conſenſu, & nemine repugnante ex iis ſexaginta Doctoribus qui adfuerant; cùm tamen conſtet, addit ille Hiſt. lib 94. *Seniores, ipſúmque adeò Decanum Joannem Fabrum, hominem antiqui moris, nec vulgariter inter eos eruditum, aliter ſenſiſſe, & valdè juvenes à tam pernicioſo conſilio in præſens temerario, apud poſteros infamiæ pleno, dehortatum eſſe, ac cenſuiſſe, ut res integra ad Pontificem remitteretur.* Quod & cenſuerunt in ultimis hiſce Comitiis Decani ac ſeniores Doctores. Ii, quorum tunc factio in Facultate prævaluit, ad apertum hoc & impudens mendacium profectò ideò tantùm confugerunt, quòd neceſſarium viſum ſit ad firmandum Decretum illud ſuum, & ne qui audiſſent, tum diverſas fuiſſe ſententias, tum Decanum & Seniores majoris partis opinioni adverſatos, ultrò exiſtimarent forſitan meliorem partem à majori victam: quoniam, ut ait vetus magni nominis ſcriptor, ſæpe in Comitiis publicis *major pars meliorem vicit.* Hoc ipſa Facultas agnovit deinde, quippe quæ Cenſuris bene multis damnaverit pernicioſam illam doctrinam quam tot Jeſuitæ in libris ſuis aſſerere tentaverunt, & à qua manaverat iniquum illud Decretum, Regum autoritati adeò exitioſum.

X X I V.

Atque ut pateat, non ſemper habendam tantùm rationem numeri Theologorum qui comprobant aut damnant doctrinam aliquam, cùm viciſſim alii non pauci eamdem tuentur, ſed ſæpiùs liberis integriſque animis eſſe neceſſariò ponderanda quæcumque utrimque afferuntur, audiamus quæ hâc de re præclara habet Gerſonius, doctiſſimus Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius, & inter eos clariſſimus quos illa Eccleſiæ dedit. *Lata eſt*, inquit 4 parte, de propoſitionibus ab Epiſcopo hæreticandis, *differentia inter artifices, ſicut & inter Doctores Theologicos, propter*

ter inæqualitatem exercitii in Theologia & ingenii diverſitatem; adeò quod duo vel tres debent aliquando majoris autoritatis eſſe, quàm centum vel ducenti, præſertim ſi appareat cauſa depravationis in affectu, quæ excœcat judicium rationis etiam circa prima principia moralia... Propterea debet Prælatus, vel Papa, vel Concilium, conſiderare rationem & cauſas dicendi magis quàm multitudinem dicentium..... Sicut pluries faciunt ipſi Commiſſarii facere requiſiti, & quòd ob hoc publicarentur deliberationes Magiſtrorum, ſuppreſſis nominibus eorum qui nollent nominari, ut fieret rationum ad invicem collatio. Deinde ſubjungit, Commiſſariis delectis in Concilio Conſtantienſi ad executiendam doctrinam quandam, de qua inter illius ætatis Theologos erat controverſia, datum fuiſſe id conſilii, ſcilicet cogendos magiſtrorum plurimos ſententiæ ſuæ cauſas & momenta palàm declarare, ut fieret rationum ad invicem collatio, ſicque veritas faciliùs innoteſceret.

XXV.

Tam prudens docti piique Gerſonii monitum indicat quàm hodierna in controverſia viam tenere oporteat, ſi una quæratur veritas. M. Cornet, Le Moine, & alii quidam Doctores cum Jeſuitis conjurati, Arnaldum criminantur quaſi damnatas à S. Pontifice Propoſitiones renovet; contra verò Arnaldus omneſque diſcipuli S. Auguſtini contendunt hanc accuſationem inde proficiſci, quòd Molinæ ſectatores, Conſtitutionem S. Pontificis falſis interpretationibus pervertentes, privata dogmata recens procuſa, atque, ut etiam Mariana Jeſuita ait, *Heſterna Ludovici Molinæ commenta*, pro fide totius Eccleſiæ venditant. Hac in contentione, quæ omninò Theologica eſt & de rebus ad Doctrinam pertinentibus, hac in accuſatione mutuâ Doctorum qui & ejuſdem corporis ſunt, & pari jure poſſunt alienas invicem opiniones impugnare, nonne, ſi ſuus æquitati ſervetur locus, hi & illi pariter audiendi ſunt, *ut rationum fiat ad invicem collatio.* Id unum hodie poſtulat Arnaldus. Epiſtolam ſuam inquiſitioni aut judicio ſubjici, nec refugit, nec timet. Inquiſitorum impotens odium & judicum corruptas præjudiciis mentes formidat: quæ duo ipſi quoque SS. Patres ita formidaverunt, ut celeberrimos Conventus Epiſcoporum ac Patriarcharum, in quibus ſui ſedebant inimici, ne ingredi quidem dignati ſint, licet aliunde parati cauſam ultrò ſuam defendere coram reliquis omnibus Orbis Chriſtiani Epiſcopis. Nihil aliud ſibi cum Divo Chryſoſtomo concedi flagitat Arnaldus, quàm quod ipſa etiam civilis juſtitia nemini unquam denegat: nempè ut infenſi hoſtes ſui judicum perſonam exuant, quam contra Divinum humanumque jus ſibi vindicarunt; accuſa-

cuſatorum tantùm retineant, quam ſolam gerere poſſunt hac in controverſia. Liceat quoque Arnaldo eorum nomina deferre, maximè verò Magiſtri le Moine, à quo Epiſtolam ſuam contendit ideò vehementer exagitari, quòd Doctrina S. Auguſtini in eâ expoſita convellat errores ac hæreſes novas, quas ille in ſcriptis ſuis, quæ in eâdem Epiſtolâ citantur, docuit, & quarum reum ipſum probare in ſe ultro recipit Arnaldus, ſi legitimus detur congreſſus, in quo coram ſapientibus ac probatiſſimis viris, non ſuſpectis, & neutrò inclinatis, hinc & inde verbis jactata ſcripto mandentur: (quod olim Divus Baſilius Epiſt. 75. propoſuit accuſatoribus ſuis, Catholicis Epiſcopis, qui hæreſes in ejus ſcriptis deprehenſas prædicabant.) Tum tota Facultas, ſicuti paucis abhinc annis ipſi propoſitum eſt per Actum publicum, † judicium, ſi videbitur, ferre ſuum poterit, cum ii Doctores qui in Comitiis ferendi ſuffragii jus habent, quid in controverſiam veniat, quid hi & illi verè ſentiant, perſpexerint penitus, diligenter excuſſis quæ ab utraque parte objecta fuerint & reſponſa. *Nam*, quemadmodum idem Baſilius in eadem ſcribit Epiſtola, *oportet eum qui æquus & communis auditor fieri volet, non totum abduci à præoccupante in dicendo, ſed exſpectare etiam reſponſum ejus qui accuſatur, quò ſic ex collatione utriuſque ſermonis veritas demonſtretur.* Et poſtea: *Si verò circa fidem eſt error, demonſtretur nobis Liber, rurſus æquum & commune judicium conſiderat, legatur crimen, examinetur anne ob ignorantiam potiùs criminantis crimen eſſe videtur, quàm quòd ex natura ſua condemnari mereatur id quod ſcriptum eſt. Multa enim bona non videntur eſſe talia his qui animi judicium non ſincerum habent. Nam & æqualiter graves moles non æquales eſſe videntur, cum non æquale inter ſe momentum habuerint lances.*

XXVI.

Spes eſt in ejuſmodi colloquio, Deo juvante, patefactum iri ipſa luce clarius, quæcumque in Arnaldi Epiſtola reprehenduntur, nihil habere commune cum iis propoſitionibus quas à S. Pontifice meritò damnatas publicis ſcriptis jam declaratum eſt, atque etiamnum declaratur. Imò patebit Doctorem hunc nihil aliud quàm expoſuiſſe Doctrinam S. Auguſtini ac ſanctiſſimorum Pontificum ipſiſſimis illorum verbis, ita ut qui legere valeat, latinè intelligat, & ſenſum communem habeat, hic illicò judicet unam & eandem procul omni dubio eſſe doctrinam; ſicque illam nequaquam poſſe damnari, niſi unâ damnetur ipſe Auguſtinus & plurimi pariter Summi Pontifices, qui non ſolùm laudaverunt

† In Comitiis S. Facultatis 1. Decemb. 1649 per D. Coppin nomine 50 & amplius Doctorum.

verunt ſenſus ſancti Gratiæ Doctoris, ſed eos etiam ſuis in libris docuerunt, ac Decretis confirmaverunt. Neque verò parùm commodè cecidit diſcipulis ſanctiſſimi illius Doctoris, quòd novum hoc conflatum ſit conſilium eum Cenſurà notandi. Deponunt quippè nunc Moliniſtæ larvam illam, ſub qua hactenus delituerunt: & quoniam hodierno in negotio nulla jam eſt de Janſenio controverſia, cujus intempeſtivè movendæ deinceps omnem ipſis præripit locum altera hæc Epiſtola, omnium oculis planum eſt, non jam Auguſtini interpretem oppugnari, ſed Auguſtinum ipſum. Ejus quidem nomini, quæ illorum indulgentia eſt, pepercerunt, nec eum inter hæreticos proſcripſerunt; at per Innocentii X Conſtitutionem comparatum ſibi jus credunt inter errores ac hæreſes reponendi probatiſſimos ſanctiſſimi Doctoris ſenſus de Gratia, quotieſcumque falſam aliquam, ineptam, inſulſamque cauſam ſibi finxerint dicendi, hanc eſſe doctrinam à S. Pontifice damnatam.

Hac profectò mente, temerario auſu & non ferendo, Jeſuitæ Pictavienſes, & Doctores aliquot iſtius Univerſitatis quos habent omnino ſibi addictos, damnaverunt Cenſurà publica * Doctrinam verè orthodoxam univerſæ Scholæ Sancti Thomæ, adverſam ſcilicet iis quæ docet Molina de ſalute hominum per gratias, ut vocat ſufficientes, quarum uſus pendeat à libero arbitrio; damnaverunt, inquam, doctrinam hanc, ſanctiſſimam ſanè ac maximè Catholicam, quaſi contrariam Bullæ Innocentii X. Adeò verum eſt, hac Conſtitutione & Cenſurà peculiarium quinque Propoſitionum ipſis cenſeri damnata ea omnia, quæ à ſuis commentis ſunt aliena.

Verùm, dum S. Auguſtini doctrinam damnant, non ſemper inanem hanc ipſius nomini reverentiam habent, ut fingant ignorare ſe an ejus illa ſit. Sæpiùs ſanctiſſimum Doctorem palàm & ex profeſſo impugnant: neque pudet prædicare illius ſenſus videri ſibi impia quædam & hæretica dogmata Summi Pontificis Conſtitutione damnata. Hoc nuper Aureliæ Jeſuita quidam, nomine *De Ville*, palàm ex cathe-

* Hæc Cenſura Pictavis prodiit typis excuſa, licet damnata per Cathedralis Eccleſiæ Capitulum, Sede vacante. Cenſuræ titulus hic inſcriptus eſt: *Propoſitiones oblatæ S. Theologiæ Facultati Pictavienſi, menſe Martio anni 1655. ut examini ſubjiciantur & debitis notis afficiantur.*

SECUNDA PROPOSITIO Theologia quæ docet Deum velle ſalvare omnes homines, & vi hujuſmodi voluntatis omnibus deſtinaſſe gratias ſufficientes, quarum uſus pendeat ex noſtra libertate, humanis noſtris cogitationibus ac ſenſibus longè magis accommodata eſt; ſed hæc ipſa eſt quam S Auguſtinus in Pelagianis oppugnavit, quæ S Thomæ Doctrinæ eſt contraria, Semipelagianiſmo conſona, & S. Scripturæ & Conciliis directè oppoſita.

CENSURA Hæc propoſitio eſt temeraria, Deo contumelioſa, ſcandaloſa, & impetit Innocentii PP. X Conſtitutionem contra quinque Propoſitiones Janſenii.

dra declaravit die Dominicâ vigeſima nona Auguſti. Etenim ægrè ferens Sorbonicum Doctorem, die proxima S. Auguſtino ſacrâ concionantem, adhortatum fuiſſe ſanctas Virgines, ut Confeſſiones, Soliloquia, & alia id genus ſanctiſſimi ſui Patris opuſcula legerent, affirmare auſus eſt concionatorem hunc Apoſtolicæ Sedis fulmina profectò contemnere, idque tam inſolenter, ut quicumque protervæ huic concioni adfuerant, hominis impudentiâ vehementer commoti atque offenſi, rogitarent invicem, num S. Auguſtinus nuper declaratus fuiſſet hæreticus. Hinc Calviniani Miniſtri * occaſionem arripiunt inſultandi Catholicis, & cum riſu excipiendi quidquid è S. Auguſtino affertur ad tuendam Eccleſiæ fidem contra novas illorum hæreſes. Contendunt quippe, quoniam Summus Pontifex, ſicut in vulgus ſpargunt Jeſuitæ, Auguſtinum damnavit circa ea quæ Gratiam ſpectant, qua in parte ſemper maximè valuit apud omnes ejus nomen ac auctoritas, perperam jam ſibi opponi Sanctum hunc in controverſiis de precibus pro defunctis, de Sanctorum invocatione, de cultu Reliquiarum, de Miſſæ Sacrificio, de perpetuitate Eccleſiæ, de neceſſitate remanendi in Eccleſiæ Catholicæ Communione ad ſalutem conſequendam, & de aliis ejuſmodi benemultis articulis fidei, quos nullus è SS. Patribus eâ vi aſtruit quâ maximus ille Doctor, cujus autoritatem huc uſque & Eccleſiæ filii ſanctam habuerunt & formidaverunt inimici.

XXVII.

Sed fruſtra ſperant infenſi illi hoſtes ſanctiſſimi Gratiæ Doctoris, obruere ſe poſſe ſanctam & verè Apoſtolicam ejus doctrinam. Illam per duodecim ſæcula totus Orbis veneratus eſt ante exortas Molinæ opinationes, & ad finem uſque mundi, quidquid illi fremant & moliantur, ſtabit inconcuſſa, nec avelli poterit ab Eccleſiæ Romanæ ſinu, quæ ſe ejus vindicem ac patronam toties eſt profeſſa. Si ita dominaretur vis, ut adverſus omne naturæ jus, ſexaginta & amplius Doctoribus Sorbonicis eriperetur libertas conquerendi de tot injuriis tam iniquis, tam apertis, tam probroſis; ſi infenſiſſimos Arnaldi inimicos, quos nemo ignorat ſtare cum iis qui quindecim abhinc annis machinantur illius perniciem, & palàm libellis typo excuſis ejus exilium, ſanguinem, vitam ipſam petunt, non puderet ſedere velle ejus judices; ſi Cenſurâ tot adverſantibus Doctoribus iniquè conrectâ pondus aliquod addidiſſent ſuis in ejus Epiſtolam mendaciis ac contumeliis, forſitan Veritas his circumtecta involucris minùs valeret apud ſimplices & indoctos; at

* Ita Claudius, Calviniſtici gregis tunc temporis apud Nemauſienſes Miniſter, declamavit Dominica 2. menſis Auguſti anni 1654. ut retulit auritus teſtis, vir quidam Eccleſiaſticus.

ut longè clarior eadem videretur & fortior viris vel talium rerum peritis, vel moderatis tantùm ac ſapientibus. Hi nimirum judicarent, eam profectò cauſam peſſimam eſſe ac prorſus deſperatam, quam tueri qui cupiunt, ſanctiſſimas humanitatis ac juſtitiæ jura violent neceſſe eſt, dum volunt Doctoris Sorbonici famam & innocentiam pendere ex eorum judicio, quos ille acerbiſſimos ſui hoſtes expertus eſt: oportere inſulſos profectò ac ſtolidè credulos exiſtimari homines ab iis qui Decretum, adverſantibus ſexaginta Sorbonæ Doctoribus confectum, putarent debere accipi pro communi totius Sorbonæ ſententia; quia nempè pars una, corrogatis undecumque Mendicantium Religioſorum ſuffragiis, numero fuerit aliquantum ſuperior: Quotieſcumque Theologi ejuſdem corporis tam apertè ab invicem diſſentiunt, ipſum corporis nomen, quod nullam per ſe autoritatem habet in conſcientias, parùm movere animos, ſi fortè illud pars una adversùs aliam velit adhibere: Licere tunc, juxta Gerſonii monitum, non tam numerare ſuffragia Theologorum, quàm ea ponderare: Hodierna in controverſiâ non debere mirum videri partem unam potuiſſe paulò pluribus ſuffragiis vincere, cùm homines privati commodi ſpe & illecebris facilè capiantur; partem verò alteram, ſatis per ſe numeroſam, eò digniorem fide, quòd extra ſpem omnem poſita, uno veritatis & æquitatis tuendæ ſtudio duci potuerit: Perridiculum eſſe & à ratione prorſus alienum iis qui aſſeveranter defendunt, duorum tantùm Theologorum vel Caſuiſtarum conſenſu probabilem fieri opinionem, ita ut eam, etſi ab aliis benè multis damnatam, liceat cuique tutâ conſcientia ſequi; iis, inquam, Doctores Sorbonicos pluſquàm ſexaginta non videri ejus eſſe momenti, ut quod credunt & apertè oſtendunt eſſe doctrinam S. Auguſtini, id reddant ſaltem probabile, tantumdemque ad confirmandos ſuorum animos ponderis habeant, quantum haberet duorum Caſuiſtarum auctoritas: Poſt editos in lucem tot libros tam doctos & ad probandam veritatem tam efficaces, quidquid æquorum virorum eſt non magni profectò momenti exiſtimaturos ejuſmodi Cenſuram, quæ quidem doctrinalis tantùm eſſet, non juridica, licet in ea conficienda ſervatæ diligenter fuiſſent omnes juris regulæ; eadem verò inanis eſt penituſque irrita, cum omni ex parte peccet: Denique eos qui ad artes tam iniquas & viris probis indignas confugiunt, palàm oſtēdere, longè ſibi facilius eſſe habere ad manum quaſi ſubſidiarios decem aut plures Franciſcanos in Comitiis numerum facturos, quàm libris eruditè diligenterque ſcriptis vindicare ſe ab erroribus ac hæreſibus, quarum reos illos ſcripto probarunt adverſarii, * iterum-

* *Adverſus Alphonſum le Moine, in Apologia SS. Patrum.*

iterumque vivâ voce probabunt, ſi fortè nova illa ſua dogmata in legitimo congreſſu tueri audeant.

Sic profectò judicarent viri quotquot ſunt ſapientes & docti, ſi poſſet factio qualicumque tandem modo eripere, ſicuti nefariè molitur, Doctori Sorbonico famam Catholici, quam habere debet vitâ ipſâ chariorem. At ſperandum eſt futurum, ut Deus Opt. Maximus, cujus Providentia ſervorum ſuorum innocentiæ ſemper invigilat, adeſſe pergat in poſterum ei viro, ſicut hactenus adfuit; nec ſiturum ab hoſtibus ſuis fortaſſe impugnari Veritatem, ac per aliquod temporis punctum penè opprimi, niſi ut eadem majori cum laude victrix poſtea triumphet, ejuſque vindices ſuis etiam pro illa tuenda laboribus coronentur.

III.

ANTONII ARNALDI EPISTOLA

AD

Sacram Facultatem Pariſienſem in Sorbona Congregandam 1 Decembris an. 1655.

Venerando Domino Decano & Sapientiſſimis Viris S. Facultatis Pariſienſis Doctoribus.

CUm is non ſim ego, SAPIENTISSIMI MAGISTRI NOSTRI, qui me errati omnis expertem vel credam ipſe, vel ab aliis credi velim; numquam mihi animus fuit Facultatis Pariſienſis, quam ut matrem veneror, & cui tot nominibus obſtrictus ſum, judicium defugere, modò ut ab naturali & æternâ lege, quæ Deus eſt, præſcriptæ juſti & æqui regulæ ſervarentur. Nemini verò dubium eſt, nihil eſſe ab omni æquitate magis alienum, quàm ut quiſquam damnetur inauditus, Hinc in Actis Apoſtolorum nota illa Feſti Proconſulis hominis ethnici de Paulo accuſato, à ſummis poſteà Pontificibus commemorata ſententia: *Non eſt mos Romanis damnare aliquem hominem, priuſquàm is qui accuſatur locum defendendi habeat ad abluenda crimina.* Si non fuit ille mos ethnicæ juſtitiæ, multò minùs Eccleſiaſticæ. Addo etiam, non eſt ille mos noſtræ Facultatis, ut aliquot ab hinc annis in Ludovici Cellotii cauſâ luculenter oſtendit, Supplex igitur à vobis poſtulo, quod jam ſcriptis antè aliquot dies ad Venerandum Dominum Decanum litteris ſignificavi, ut priuſquàm de

Epi-

Epiſtolâ meâ quidquam à veſtro Ordine ſtatuatur, quæ in illâ reprehenſione digna viſa fuerint ſcripto mihi exhibeantur; quò vel ingenuè agnoſcam, ſi in aliquo lapſus ſum; vel ſenſum meum explanem, ſi quid à me obſcurius dictum fuit; vel à SS. Patrum ſemitis nullatenus me aberraſſe oſtendam, ſi quid tanquam meum reprehenſum fuerit, quod à puriſſimis illis Chriſtianæ Theologiæ fontibus hauſtum fuiſſe demonſtrare potuero. Ego verò gravem ampliſſimo Veſtro Ordini injuriam me facere exiſtimarem, ſi tam æquæ poſtulationi quemquam veſtrûm reſtiturum eſſe arbitrarer, & id ſuis ne Facultas deneget metuerem, quod ultrò obtulit alienis, & quod ipſa vox naturæ, quod omnium legum & divinarum & humanarum oracula poſtulant. Faxit Chriſtus æterna Veritas & Pax noſtra, ut ſalvo ſemper Catholicæ veritatis depoſito firma in noſtro Ordine & verè Chriſtiana pax æternùm vigeat.

E Portu-Regio Prid. Cal. Decembris an. Dom. 1655.

Obſequentiſſimus Veſter
ANTONIUS ARNALDUS,
Doctor & Socius Sorbonicus.

EPIS-

IV.

EPISTOLA ET SCRIPTUM
ANTONII ARNALDI
DOCTORIS ET SOCII SORBONICI,

Ad ſacram Facultatem Pariſienſem in Sorbona Congregatam, die 7. Decembris an. 1655.

Venerando Domino Decano, & Sapientiſſimis Viris Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctoribus, Antonius Arnaldus Doctor ac Socius Sorbonicus.

E*TSI vitæ meæ ratio, quam à decem amplius annis, ad eorum qui exilium & cædem meam, reclamante Academia, gementibus vobis, ſæpius libellis popoſcerunt, odia quodammodo lenienda, ab omni hominum frequentiâ ſemotam duxi, ut publicam etiam in hoc negotio lucem declinarem, me ſatis admonere videbatur; libenter tamen in ampliſſimo conſeſſu veſtro coram adeſſe decreviſſem, ſi doctrinam meam in legitimâ diſputatione, rationibus ultrò citroque, tum voce tum ſcripto collatis, expendere atque illuſtrare licuiſſet. Verùm cum poſtremis comitiis ſtatutum acceperim, ut venirem in Conventum Facultatis*, tantùm mentem meam ſincerè ac ſimpliciter aperturus, non diſputaturus; *non putavi me commodiùs huic decreto parere poſſe, quàm ſi ſenſa mea vobis hoc ſcripto perſpicuè repræſentata exhiberem. Facile eſt enim chartam mortuam & elinguem non niſi præfinitò loqui, & redarguenti non obſiſtere; Doctorem autem Catholicum hæreſis accuſatum, cui in hac cauſa ex mente SS. Patrum non ſolùm defenſio licita, ſed etiam ſilentium vetitum, ac patientia interdicta eſt, coram reprehenſoribus ſuis ab omni diſputatione atque ab objectis ſibi criminibus propulſandis ſe abſtinere, non ita facile eſt. Neque enim ſatis videtur reus audiri, hoc*

eſt

eſt, ut in Actis Apoſtolorum legitur, locum defendendi accipere ad abluenda crimina, cum ei nec diſputare, nec crimina objecta diluere licet. Nota eſt enim perſpicua illa juris & civilis & canonici ſententia, quæ * Judicantem cuncta rimari decernit; & interrogandi, reſpondendi, objiciendi præberi ab eo patientiam jubet. *Præterea anguſtum certè, præſertim in re tanta, mihi ad reſpondendum tempus præfinitum videtur, cum Franciſco Garaſſo Jeſuitæ ad ſenſa ſua aperienda menſes duo, mihi vix dies quatuor attributi ſint. Nihilominus tamen quæ pro tam exiguo tempore ad illius præſertim Epiſtolæ meæ loci, qui quæſtionem juris complectitur, explanationem adnotare potui, ad vos miſſa precor ut benignè excipiatis. In quibus quidem ita veritati illuſtrandæ ſtudui, ut maximè brevitati ſtuderem. Cuncta enim perſtricta potiùs, quàm accuratiùs pertractata; & tamen clariſſimis, ni fallor, ac certiſſimis teſtimoniis confirmata ſunt. Vos igitur ſupplex oro & obteſtor eodem animo, quo ſinceram meam erga ampliſſimam Facultatem Matrem meam venerationem & obſequium priore jam Epiſtola teſtatus ſum, ut hæc cauſa in qua Sacerdotis & Doctoris Catholici fama & exiſtimatio, quam ſemper quantum licuit Eccleſia incolumem & illæſam retinere ſtuduit, appetitur, pro ſolita Facultatis noſtræ moderatione, benignitate & gravitate perpendatur; quique me, indignum licet, ſed memorem certè & gratum, tot jam beneficiis affeciſtis, veſtra in me merita, vetera novis, & priora poſterioribus cumuletis.*

Obſequentiſſimus Veſter
ANTONIUS ARNALDUS,
Doctor & Socius Sorbonicus.

E Portu-Regio
die 7. Decembris.

Vene-

* Cauſa 30. Quæſt. 5. c. Judicantem.

Venerando Domino Decano & Sapientiſſimis Viris S. Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctoribus, Ant. Arnaldus Doct. & Socius Sorbonicus.

DUo ſunt tantùm quæ in Epiſtola mea reprehenduntur, quorum alterum facti quæſtionem ſpectat, alterum juris. A poſteriore incipiam, utpote majoris multo momenti.

Propoſitio quæ ad jus ſpectat.

CEpendant, * *Monſeigneur, cette grande verité établie par l'Evangile & atteſtée par les Peres, qui nous montre un juſte en la perſonne de ſaint Pierre, à qui la grace ſans laquelle on ne peut rien, a manqué dans une occaſion où l'on ne peut pas dire qu'il n'ait point peché, eſt devenuë tout d'un coup l'hereſie de Calvin; ſi nous en croyons les diſciples de Molina.* page 226.

Hanc propoſitionem, ut audio, hæreticam cenſent & Innocentii X Conſtitutioni contrariam.

Ego verò, cum bona Facultatis venia, quatuor hîc præſtabo.

I. Oſtendam (quod in priori ad Facultatem Epiſtola facturum me ſpopondi) in illa Propoſitione nihil meum eſſe, nihil quod à puriſſimis Chriſtianæ Theologiæ fontibus hauſtum non fuerit.

II. Scrupulos omnes qui in illa Propoſitione, quæ non mea eſt, ſed Chryſoſtomi, aliquos movere poſſent, paucis excutiam.

III. Illam non hæreſeos modò, ſed & erroris omnis expertem eſſe demonſtrare conabor.

IV. Quantum à damnata per Innocentium X felicis recordationis propoſitione diſtet, evidenter aperiam.

Quod quidem antequam præſtem, hîc ſincerè profiteor, quod & in Epiſtola mea ſæpiùs feci, numquam in toto illo Scripto prolatiſque à me SS. Patrum teſtimoniis eam fuiſſe mentem meam, ut Summi Pontificis Innocentii X Conſtitutionem ulla ex parte violarem; aut è damnatarum propoſitionum doctrina quicquam adſtruerem; verùm id mihi tantùm conſilii fuiſſe, ut Pontificiæ Conſtitutionis falſæ & adulterinæ interpretationi, quam privati nonnulli pro Conſtitutione ipſa obtrudere volebant, obviam irem, ex qua Molinæ novitatibus, pro fidei articulis furtim in Eccleſiam inductis, certum Catholicæ, Pontificiæ & Auguſtinianæ de gratia Chriſti doctrinæ excidium conſequebatur.

SEC-

* Intereà, Vir Illuſtriſſime, veritas magna hæc per Evangelium conſtituta & Patrum teſtimonio confirmata, quæ nobis in Beato Petro exhibet hominem juſtum, cui gratia, ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione, in qua eum non peccaſſe dici non poteſt, ſtatim evaſit in Calvinianam hæreſim, ſi Molinæ ſectatoribus fides habeatur.

SECTIO I.

Propoſitionem illam autori Epiſtolæ adſcribi non debere, cum Patrum ſit; & quidem ipſorum verbis expreſſam.

Hic ſanè mirari ſubit, ex omnibus Epiſtolæ meæ Propoſitionibus eam potiſſimùm eſſe ſelectam, cui cenſoria nota eaque graviſſima inureretur; quâ non alia tutior ac minùs violabilis; cum illam non meam, ſed SS. Patrum eſſe clariſſimè pateat.

En verba Chryſoſtomi, in eâdem paginâ à me fideliter è Græco verſa: *La chute de S. Pierre ne lui arriva pas pour avoir été froid envers* Jesus-Christ, *mais parce que la grace lui manqua. Elle ne lui arriva pas tant par ſa negligence, que parce que Dieu l'avoit abandonné, pour lui apprendre à ne s'élever pas au deſſus de l'infirmité humaine, & pour faire connoître aux autres Apôtres*, QUE SANS DIEU L'ON NE PEUT RIEN; ὅτι χωρὶς Θεοῦ οὐδὲν γίνεσθαι δυνατόν. Infra vero hæc eadem Chryſoſtomi verba repetens, aio: *Les Peres nous montrent un juſte, en la perſonne de S. Pierre, à qui la Grace ſans laquelle on ne peut rien a manqué.*

Quæro igitur à reprehenſoribus meis, quid in illa ultima mea Propoſitione, quam ut hæreticam notant, à Chryſoſtomo expromtum non ſit; aut quid inter hæc duo diſcriminis eſſe velint: *La Grace a manqué à S. Pierre, afin qu'on pût apprendre par ſon exemple que ſans Dieu on ne peut rien;* & quod iiſdem verbis, ſed ſolùm ordine tranſpoſitis, poſteà repeto: *La Grace ſans laquelle on ne peut rien, a manqué à S. Pierre.* An, cum utraque hæc Propoſitio expreſſis Chryſoſtomi verbis conſtet; prima eodem tenore, altera ordine paululùm immutato contextis; ideò prima catholica, ſecunda hæretica cenſenda eſt; quaſi ſententiæ alicujus verbis paulùm inverſis, ſententia ipſa pervertatur, ac veritas in errorem commutetur.

Neque verò eadem ſententia, quam adeò graviter notant, minùs apertè Auguſtini eſt quàm Chryſoſtomi. En verba ſanctiſſimi Doctoris ſerm. 124. de temp. in meâ ipſâ Epiſtolâ paulò antè laudata: *Quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum? Et ideò B. Petrum Dominus paululùm ſubdeſeruit, ut in illo totum hominum genus poſſet agnoſcere, nihil ſe ſine Dei gratia prævalere. Qu'eſt-ce que l'homme ſans la Grace de Dieu, ſinon ce que fut S. Pierre lors qu'il renonça* Jesus-Christ. *Et c'eſt pour cette raiſon que Notre Seigneur abandonna S. Pierre pour un peu de tems, afin que tous les hommes puſſent reconnoître par ſon exemple, qu'ils* NE PEUVENT RIEN SANS LA GRACE DE DIEU. Etiam atque etiam rogo ut mihi oſtendere Cenſores non dedignentur, quî duo hæc diffe-

differant; alterum, quod Auguſtini eſt: *S. Pierre ſe trouva ſans la Grace, afin que les hommes reconnuſſent par ſon exemple, qu'ils ne peuvent rien ſans la Grace de Dieu;* alterum, quod ejuſdem Auguſtini aliorumque Patrum ſenſa repetens aio: *Les Peres nous montrent un juſte en la perſonne de S. Pierre, à qui la Grace ſans laquelle les hommes ne peuvent rien à manqué*, Quomodo enim exemplo Petri gratia deſtituti homines agnoſcere potuerunt, ſe nihil ſine gratia Dei prævalere, niſi ea gratia Petrus deſtitutus fuerit, ſine qua nihil homines poſſunt ſeu prævalent.

Neque id ſemel dixit Auguſtinus; ſed cum alio in loco ideò Petrum ſtare non potuiſſe affirmet, quia Dominus dicit, *Sine me nihil poteſtis facere*, manifeſtè idem tradit quod ego poſt Chryſoſtomum, Petro ſcilicet Gratiam defuiſſe, ſine qua teſte Chriſto nihil facere poſſumus: *Dicit ei Petrus*, inquit ſerm. 127. de Temp. Etiamſi oportuerit me mori tecum non te negabo. *Videte Fratres, reſponſionem diſcipuli, & intelligite dilectionis eſſe quod dixit. Sed quia per ſolum ſui amoris ſtudium, non addito etiam adjutorio Domini, voluit eſſe promiſſum, ſtare non potuit per hominem quod ſub divinitate pendebat. Fuit quidem in voluntate, ſed non fuit in virtute, ſicut ipſe Dominus dicit:* Spiritus promptus eſt, caro autem infirma: *& iterum*, Sine me nihil poteſtis facere. *Uſque ad mortem promiſit, & in timore negavit. Habuerat confeſſionem mirabilem, ſi habuiſſet in conſummatione virtutem.* Quid his verbis clarius? Quid ad meam Propoſitionem ab omni Cenſura vindicandam efficacius?

S E C T I O II.

Explanatur Propoſitio, & omnis offendiculi expers oſtenditur.

Cum graviſſimis Patrum teſtimoniis invictiſſimè adſtruatur Petrum in tentatione poſitum propriæ infirmitati relictum eſſe; neque illud ſingulare gratiæ donum à Deo conſecutum fuiſſe, quo poſſet invicto adverſus terrorem mortis animo Chriſtum profiteri, hoc unum in mea Propoſitione reprehendi audio, quod ita omnem à Petro gratiam auferam, ut non modò graviſſimam tentationem illam ſuperare non potuerit, poteſtate nempè proxima & expedita quæ per gratiam efficacem confertur; ſed nullam omnino per gratiam actualem potentiam habuerit. Hoc enim aiunt iis ſignificari verbis: *La Grace ſans laquelle on ne peut rien, a manqué à S. Pierre.*

Verùm cum hîc Chryſoſtomi tantùm verba exſcribam, ut anteà demonſtravi, non me, ſed Chryſoſtomum, ſpectat illa objectio.

Deinde paulò æquior quiſque facilè perſpicit, cum de gratia loquens, velut epitheti vice ſubjungo;

jungo, Gratia ſine qua nihil poſſumus; *La Grace ſans laquelle on ne peut rien*; exprimere me quod à Chriſto ipſo dictum eſt, *Sine me nihil poteſtis facere*; & quod à 214. Epiſcopis in Concilio Africano definitum eſt: *Gratiâ Dei per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ad cognoſcendam, verum etiam ad faciendam juſtitiam nos per actus ſingulos adjuvari; ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Has verò de gratia loquendi formulas nemo neſcit pro ſubjecta materia intelligi debere, & notare illud *poſſe*, ut ita dicam, quod *proximum & expeditum* Theologi appellant: ita ſi de oratione quis agens dicat, Fidelem orare non poſſe cum gratiâ deſtituitur ſine qua nihil poſſumus; non inde ſequitur, Fidelem iſtum ne eam quidem habere gratiam quâ credere poſſit & reverà credat, imò & quâ orare velit, parvâ & invalidâ, ut Auguſtinus loquitur, voluntate; ſed ſolùm non habere tunc efficacem illam & ſingularem orationis gratiam, ſine qua nemo ut oportet reipſa orare poteſt.

Quare cùm hîc non de quâvis gratia diſputem, ſed de illa tantùm gratia efficaci quæ Petro neceſſaria erat, ut ex vero pietatis affectu tam gravem tentationem ſuperare proximè poſſet, cum de illo dico, poſt Chryſoſtomum, defuiſſe ei gratiam ſine qua nihil poſſumus, obvius & planus propoſitionis meæ ſenſus eſt, defuiſſe ei gratiam illam, ſine qua nihil poterat quod ad vincendam illam tentationem attinet, hoc eſt, ſine qua proximè & expeditè tentationem illam ſuperare non poterat.

Cum enim ſine gratiâ, ut cum ſcholâ loquar, generatim ſumptâ nihil poſſumus, ſine unoquoque gratiæ genere nihil poſſumus, proximè ſcilicet & expeditè, in iis ad quæ genus illud gratiæ neceſſarium eſt.

Qua de re inſignis eſt Auguſtini locus in Epiſtola ad Sixtum. *Sicut*, inquit, *nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio ac fortitudine prævalet, nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit Spiritum ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei; nec habet quiſquam virtutem veram, charitatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per Spiritum virtutis, charitatis & continentiæ: ita ſine ſpiritu fidei non eſt quiſquam rectè crediturus; nec ſine ſpiritu orationis ſalubriter oraturus: non quia tot ſunt Spiritus; ſed omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult, quia Spiritus ubi vult ſpirat.* Ubi videmus ab Auguſtino unicuique gratiæ, ſive fidei, ſive orationis, ſive continentiæ, proprium effectum aſſignari, qui ſine ea non habetur.

Illuſtriſſimum eſt etiam in eandem rem Leonis magni teſtimonium in ipſa Epiſtola laudatum. *Dicente*, inquit, *Diſcipulis*

 Domi-

Domino, SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE.... *Et hæc cauſa ſanctis eſt tremendi atque metuendi, ne ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Metuendum ergo ſanctis eſt, ne ſi aliquantulùm ſuperbire cœperint, deſerantur ope gratiæ, de qua dicit Chriſtus, SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE, & remaneant in infirmitate naturæ. Et tamen perſpicacior quiſque facilè videt, non inde ſequi ſanctos in eo deſertionis ſtatu nihil prorſus facere poſſe, nequidem credere, nequidem ſperare in Deum, nequidem voluntate parva & invalida ad bona pietatis opera aſpirare, ſed ſolùm nihil poſſe quantum ſpectat ad illa pietatis opera reipſa peragenda, quorum cauſa ſuperbire cœperant, ſecundùm piiſſimam S. Auguſtini ſententiam lib. de Natura & grat. c. 28. *Deſerit aliquantum Deus unde ſuperbis, ut ſcias non tuum ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.*

Quare ut omnem ex verbis meis præter ſenſum meum intellectis, offendiculi occaſionem præcidam, profiteor & declaro, cum dixi poſt Chryſoſtomum Petro gratiam defuiſſe ſine qua nihil poſſumus, mihi in animo non fuiſſe omnem omnino interiorem & actualem à Petro gratiam amovere, cum eam tantum impugnandam ſuſceperim, quam adverſarii affirmabant ita omnibus ſemper adeſſe, ut nemini non ſuppeditet proximam & expeditam ad tentationem ſuperandam vim & potentiam, ita ut eâ inſtructus dici non poſſit tentationem ſuperare non potuiſſe; quod tamen de Petro unanimi conſenſu tradunt Patres. Quare & in hoc loco & in aliis ubi de Petro ago, id tantum verbis meis expreſſum volui, defuiſſe tunc Petro gratiam efficacem quâ, ut ſe Chriſti diſcipulum profiteretur, debitumque ipſi etiam objecto mortis periculo teſtimonium redderet, indigebat. Poſito enim ſemel dogmate illo, cujus veritas Scripturarum oraculis, SS. Patrum autoritatibus & nobiliſſimorum etiam ſcholæ doctorum teſtimoniis confirmatur, gratiam, nimirum efficacem, vim quandam ſpecialem certamque operis ut oportet efficiendi poteſtatem impertiri; quod quidem opus, ſenſu veriſſimo juxta vulgarem Scripturarum & SS. Patrum loquendi morem, ſine illo gratiæ præſidio benè fieri nequit. Hujus, inquam, dogmatis veritate ſuppoſita, dixi in eumdem ſenſum, B. Petrum cum efficacis gratiæ præſidio in tentatione caruerit, viribus etiam ad tentationem ſuperandam idoneis caruiſſe; adeóque diſcipulum illum cum tunc eſſet infirmior, Dominum ſuum ad mortem uſque ſequi non potuiſſe. Quæ quidem ſententia Chriſti ſententiæ adſtipulatur, ipſiuſque & ſenſu & verbis planè conſentit; cum Petrum ſuæ infirmitatis admonens ait: *Non potes me ſequi modò.*

SECTIO III.

Nihil videri in propoſitione probè intellecta, quod hæreſeos vel etiam erroris notari mereatur.

HÆc fuit mea mens, is ſenſus in propoſitione ab Inquiſitoribus notata, quem cum candidè, ſincerè ac ſimpliciter aperuerim, nihil jam in ea, quantum exiſtimo, cenſurâ dignum videri poteſt.

Tribus enim omnino partibus conſtat: prima eſt, Gratiam Petro defuiſſe cum tentatione pulſatus Chriſtum negavit.

Secunda eſt, Petro defuiſſe gratiam ſine qua nihil poſſumus, hoc eſt ut ſupra oſtendi, ſine qua propriæ infirmitati relictus graviſſimam illam tentationem ſuperare non poterat, potentiâ ſcilicet proximâ & expeditâ, quæ ab efficaci gratia eſt.

Tertia eſt, Petrum antequam in tentationem caderet, juſtum fuiſſe.

At nulla eſt ex his tribus Propoſitionis partibus, quam unanimi conſenſu Patres non tradiderint, ut qui ullam ex iis proſcribere velit, omnium ſæculorum traditionem convellat, neceſſe ſit.

De prima parte propoſitionis.

PEtro, cum negavit Chriſtum, gratiam defuiſſe (efficacem nempè, ut ante dixi, ad vincendam reipſa tentationem neceſſariam) cumque propriæ infirmitati fuiſſe à Deo derelictum, ut humilior rediret ac doctior, ſummo conſenſu tradunt Patres.

Baſilius hom. 22. de Humilitate. *Si ne hoc quidem intelligis, quod gratiam aſſecutus es, ſed gratiam Dei præ nimia ſtupiditate proprium reputas virtutem, non es honoratior B. Petro Apoſtolo: neque enim Chriſtum plus potes diligere quàm ipſe illum dilexit, ut & mori pro illo voluerit. Verùm quoniam arrogantiùs dixerat, Etſi omnes, &c. humanæ traditus eſt puſillanimitati, & prolapſus eſt in negationem; lapſu inſtitutus ad pietatem.*

Chryſoſtomus hom. 72. in Joan. *Caſus Petri non frigiditate, ſed ſuperni auxilii derelictu contigit.*

Idem homil. 32. in Epiſtolam ad Hebræos: *Illa negatio non tam erat ſocordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quod Deus eum deſeruerat.*

Idem homil. 83. in Matth. *Petrus, etſi bene animatus fuerat, divino tamen ſubtracto auxilio cecidit.*

Victor Antiochenus in cap. 14. Marci: *Dominus nimiam illam, quam præ ſe ferebant Apoſtoli, audaciam animique fiduciam nonnihil comprimere & caſtigare volens, Petrum quidem in trinam negationem prolabi, cæteros verò omnes per fugam diſpergi paſſus eſt.*

Auguſtinus de Corrept. & grat. cap. 9. *Quia David filius erat promiſſionis, non perditionis, expertus, Deo paululum deſerente, quid eſſet*

ipſe..... Hæc & vox Apoſtoli Petri eſſe potuit. Dixerat quippe in abundantia ſua : Animam meam pro te ponam ; *ſibi feſtinando tribuens quod ei fuerat à Domino poſtea largiendum. Avertit ab illo faciem Dominus & factus eſt conturbatus.*

Idem ſerm. 124. de Temporè. *Quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum.* Et alibi ? *Non fuit illa Petri deſertio, ſed eruditio. Niſi deſertus, non negaret; niſi reſpectus, non fleret.*

Theodoretus in Pſal. 118. *Sæpiùs divina gratia nonnullos ad breve tempus deſerit, utilitatem illis hinc procurans. Sic magnus Elias derelictus cum eſſet, in timiditatis affectum incidit, & humanæ naturæ imbecillitatem didicit; ſed confeſtim divinam iterum nactus eſt gratiam. Sic D. Petrus negando prolapſus eſt, ſed protinùs Deus eum ſuffulſit.*

Arnobius Junior in Pſalm. 29. *In voluntate ſua Dominus præſtat decori noſtro virtutem : nam ſi averterit faciem ſuam, quantumvis amemus Dominum, non eum plus Petro amabimus. Etſi ei dicamus cum Petro : Etiam ſi oportuerit me mori tecum non te negabo; poterit nobis negandi eum evenire perfidia, ſi averterit ſe à nobis.*

Theophylactus in Luc. cap. 22. *Petrus parum à Domino relictus.*

Multa alia poſſunt in eam rem afferri teſtimonia; ſed hæc ſufficiunt, ut quivis perſpicere poſſit, doctrinam à SS. Patribus & ab omnium ſæculorum Doctoribus tantò conſenſu traditam à nullo Theologo in dubium revocari poſſe, multò minùs erroris vel hæreſeos damnari.

De ſecunda parte Propoſitionis.

Petrum verò in hoc ſtatu, hoc eſt, ut loquuntur Patres, à Deo ad horam deſertum & propriæ relictum infirmitati, tam gravem tentationem non potuiſſe ſuperare (quod de potentia proxima ſemper intelligi volo,) & Chriſtum uſque ad mortem ſequi, (quæ ſecunda Propoſitionis pars eſt) non minùs apud Patres certum, & luculentiſſimis illorum teſtimoniis confirmatum. Pauca de multis afferam.

Hilarius in Matth. can. 22. *Amariſſimè flevit Petrus, recolens trepidationis culpam ſe nec admonitum* POTUISSE *vitare.*

Idem in Pſal. 52. *Neganti Petro claves tamen regni cœlorum non ademit, quia cum per trepidationem obrepſiſſet negatio; voluntati tamen uſque ad martyrium confitendi fides firma non deerat : ſed aliud eſt nolle, & aliud non poſſe. Territus enim Petrus etſi per carnis ſenſum, reſponſionis* NON POTUIT *tenere conſtantiam, per fidem tamen animi ſtatim flevit.*

Chryſoſtomus, quem in Epiſtola autorem ſecutus ſum, hom. 31. ad Hebr. *Negatio Petri non tam erat ſocordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quod Deus eum deſeruerat, erudiens ut humanam ſciret menſuram, & non repugnaret in quæ dicebantur à Magiſtro; neque ejus*

quàm

quàm aliorum eſſent elatiores ſpiritus, ſed ſciret quod ABSQUE DEO NIHIL POTEST FIERI, *& quòd Niſi Dominus ædificaverit domum fruſtra laborant qui ædificant eam.*

Idem tom 5. ſerm. 65. *Quamvis omnium robuſtiſſimi ſimus ac validiſſimi, ſi illius abſit auxilium, ne mediocri quidem* POTERIMUS *tentationi reſiſtere. Sed quid de nobis abjectis & vilibus loquor: licet Paulus ſit aliquis, aut Petrus, licet Jacobus, ſubſidio cœleſti privatus facilè vincitur & ſupplantatur & concidit.*

Idem hom. 72. in Joan. *Quid dicis, Petre? Dicenti* NON POTES, *te* POSSE *dicis? Experientiâ cognoſces,* NIHIL ESSE *dilectionem tuam ſine gratia divina. Unde conſtat hunc caſum Jeſum pro ipſius utilitate permiſiſſe. Nam cum aſſertionis ſuæ fervore quodam non ſtaret Petrus, non quidem impulit ad negandum, ſed* DESERTUM *reliquit, ut ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem,*

Auguſtinus verò ſæpiſſimè hoc de Petro tradit. Serm. 106. de Diverſ. cap. 1. *Secutus eſt Dominum paſſurum; ſed tunc* NON POTUIT *ſequi paſſurus.... Promiſit ſe moriturum pro illo, &* NON POTUIT *nec cum illo. Plus enim auſus erat, quàm ejus* CAPACITAS *ſuſtinebat; plus promiſerat, quàm* POTERAT.

Et ſerm. 124. de Tempore. *Ideò B. Petrum paululùm Dominus ſubdeſeruit, ut in illo totum hominum genus poſſet agnoſcere* NIHIL *ſe ſine gratia Dei* PRÆVALERE. Et eodem ſerm. *Quid homo ſine Dei gratia* POSSIT, *timor B. Petri evidenter oſtendit.* Et tract. 92. in Joan. *Quæ* (charitas plena ſcilicet & magna gratia) *Petro defuit quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere.* Quod legitur in Breviario Rom. Feria 6. poſt Octavam Aſcenſionis.

Et de Gratia & libero arb. cap. 17. *Charitatem* (magnam) *Apoſtolus Petrus non habuit, quando timore Dominum ter negavit; & tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat ad Dominum: Animam meam pro te ponam. Putabat enim ſe* POSSE *quod ſe velle ſentiebat.*

Mitto quod jam laudavi ex ſerm. 127. de Tempore.

Et ut à veteribus ad recentiores tranſeam: Hugo à S. Victore in Ann. in Joan. *Qui tantùm charitatem in propoſito habent, ſic videlicet ut proponant ſe priùs mori velle, quàm Chriſtum negare, cum perveniunt ad experimentum, deficiunt: non enim poſſunt perferre quod promiſerunt, & ſunt ſimiles Petro, qui, ut dicit Hieronymus, erat quaſi avis ſine pennis, quando ſe pro Chriſto moriturum promiſit. Avis enim ſine pennis volare vult, ſed* NON POTEST.

Cardinalis Toletus in c. 13. Joannis: *Permiſit autem Dominus Petrum ad tempus cadere, ut non ſuis viribus, ſed divinæ virtuti & gratiæ, quâ non juvante* NECESSE *eſt vinci & cadere, confidere diſceret.*

Illuſtris etiam viri doctiſſimi Guillelmi Eſtii, non quidem de Petro nominatim, ſed de juſto cadente ſententia, in illa verba

2. Paralip. c. 32. *Dereliquit eum Deus* (Ezechiam nempè ſanctiſſimum Regem) *ut tentaretur & nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.*] *Hic locus oſtendit*, inquit Eſtius, *Deo deſerente, id eſt, gratiam non dante, hominem* NON POSSE *ſuperare tentationem: non ita tamen, ut neceſſariò in illud peccatum incidat ad quod tentatur; (fieri enim poteſt ut tentatio tentatione repellatur, ſicut clavus clavo pellitur) ſed ita ut ab ea ſalubriter & ſecundùm Deum ſine Dei gratia ſe expedire non poſſit.*

Sed omnium illuſtriſſimum eſt Cardinalis Cajetani teſtimonium in Matth. c. 26. *Tunc cœpit Petrus deteſtari & jurare. Conſidera & treme, ô vir juſte: Petrus, ipſo Jeſu atteſtante mundus, ac per hoc in charitate exiſtens, ſacramentis Corporis & Sanguinis Chriſti dignè communicans, præmonitus de futurâ tentatione, paratus potiùs mori quàm negare Chriſtum, ad unius ancillæ vocem illum negavit, & ſucceſſivè addidit perjurium. Quare hoc? Quia magna differentia eſt inter gratiam habitualem & illius uſum: quia non ſumus ſufficientes ex nobis ad uſum charitatis & gratiæ, quam habemus in anima infuſam à Deo; ſed egemus ad utendum illâ continuo & gratuito Dei auxilio, quo quia caruit Petrus tunc, quia Deus reliquit Petrum tunc ſibi ipſi prædito charitate & gratia habituali, ideò cecidit & perdidit charitatis gratiam. Sic Moyſes, ſic David cecidit.*

Non video quid clarius vel expreſſius dici poſſit. Quare ſi nemo hactenus niſi piam & orthodoxam doctrinam his in verbis totque aliis SS. Patrum teſtimoniis deprehendit, non arbitror æquum quidem videri poſſe, ut quod in aliis ut catholicum prædicatur, in me ut hæreticum arguatur. Id enim unum adſtruo ego, quod illi clariſſimè & conſtantiſſimè docent, Petrum nimirum à Deo ad tempus derelictum, *vires idoneas*, ut inquit Auguſtinus, ad ſuperandam reipſa tentationem non habuiſſe.

De tertia parte Propoſitionis.

Reliqua eſt propoſitionis tertia pars, in qua ſuppono Petrum tunc cum tentatus eſt juſtum fuiſſe. Audio enim nonnullos, quò quicquid à Patribus de Petro ſibi ipſi derelicto traditum eſt infringere poſſint, negare tunc Petrum juſtum fuiſſe; ideóque illius cauſam ad juſtos referri non oportere. Probant autem, ut accepi, Petrum tunc non fuiſſe juſtum, eo quod tria capitalia crimina ante commiſiſſet. 1. Quod Chriſti verbis non acquieverit. 2. Quod cæteris ſe præpoſuerit. 3. Quod ſibi arrogaverit id quod precibus à divina miſericordia eſſet impetrandum.

Mirum profectò eſt Catholicos Doctores, quò clariſſimorum Eccleſiæ Luminum explorata dogmata convellant, hujuſmodi argumenti genus ab hæreticis & publicis Eccleſiæ Romanæ hoſtibus mutuari auſos, iiſque telis certam SS. Patrum doctrinam impe-

impetere, quæ ab iis ſolis jactantur qui in Eccleſiæ Caput aperto marte graſſantur, & Petro Apoſtolorum Summo Primatus ſui gloriam invidentes, in culpis ejus levioribus, & in nimia illa veri quidem, ſed tamen infirmioris adhuc atque incautioris amoris audacia, horrenda quædam crimina & capitalia facinora commenti ſunt.

Cum enim Magdeburgenſes Petrum per omnia deprimere ſtatuiſſent, horrendos ejus lapſus quindecim enumerant; eoſque dicunt non ſine conſilio Spiritus ſancti memoriæ traditos, ne Petro nimiùm tribueretur, quorum octavum eſſe volunt, (quod & nunc à nonnullis adverſùm me aſſeri audio) cum dixit, *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Quid autem ad hæc Bellarminus? *Sed audi*, inquit, *Hieronymum in hunc locum: Non eſt temeritas neque mendacium; ſed fides eſt Apoſtoli Petri & ardens affectus erga ſalvatorem. Audi Chryſoſtomum: Unde, inquit, id ſibi accidit? Ex multo certè amore & multa voluntate. Itaque, aut nullus hic lapſus fuit, aut certè amoris & pietatis exceſſus fuit.*

Ea illa erat Bellarmini vox, iſte ſenſus, cum Petri Sediſque Romanæ Primatum aſſereret. Nunc verò Catholicus Doctor hæreſeos inſimulatur, non quòd Petro gratiam defuiſſe dixerit, ſed quod Petrum pro juſto habuerit, neque cum acerrimis Apoſtolicæ Sedis inimicis horrendos illi lapſus adſcribat, quibus ante tentationem à gratia exciderit.

Neque me fugit Chryſoſtomum tria etiam peccata Petro adſcribere, ſed tria peccata, & ut ipſe loquitur, ἐγκλήματα, hoc eſt, tria in quibus meritò reprehendatur: quam vocem à latino interprete criminum nomine minùs commodè redditam, ſiquidem criminis vox ex perpetuo ferè latinorum Patrum ſenſu uſurpetur, nemo Græci ſermonis gnarus inficiabitur. Græcam enim vocem ἔγκλημα non tantùm capitale flagitium, ſed id omne de quo quis arguitur, quodque probro & vituperationi datur notare, querelas quoque & expoſtulationes ſignificare, certiſſimum eſt.

Atque ut quiſque optimus interpres ſui, illam ipſam nominis hujuſce vim atque ſignificationem liquidò confirmat idem Chryſoſtomus, qui illas Petri culpas, ut rectè notavit Bellarminus, ex multò erga Chriſtum amore, tum multis in locis, tum in eadem illa homilia, profectas eſſe affirmat: quæ aliorum Patrum communis etiam ſententia eſt.

Hilarius in Matth. can. 30. *Petrus pro fidei ſuæ calore reſpondet cæteris licet ſcandalizantibus, nunquam ſe ſcandalizaturum. In tantum enim & affectu & charitate Chriſti afferebatur, ut & imbecillitatem carnis ſuæ & fidem verborum Domini non intueretur, quaſi verò dicta ejus efficienda non eſſent. Sed tam ille, quàm cæteri, ne mortis*

quidem metu deceſſuros ſe de confeſſione numinis ſui pollicentur. Ad omnem enim ſe miniſterii conſtantiam intrepida fidei voluntate firmaverant.

Baſilius de humilitate: *Neque Chriſtum plus potes diligere quàm Petrus, qui uſque adeò eum dilexit, ut pro eo mori voluerit.*

Ambroſius in Luc. c. 22. *Quid negavit Petrus? Quod promiſit incautè. Devotionem conſideravit, non reſpexit conditionem.* Et paulò poſt addit: *Error Petri doctrina juſtorum eſt; & titubatio Petri omnium petra eſt.* Denique poſt commemoratum Petri lapſum continenter ſubjungit: *Unde etiam lapſus Sanctorum utilis.*

Hieronymus præter locum à Bellarmino notatum. *Petrus ex ardore fidei promittebat; & ſalvator quaſi Deus futura noverat.*

Auguſtinus ſerm. 127. de Tempore: *Noſtis quid temere B. Petrus promiſerit Chriſto; Etſi omnes,* inquit, *ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Dominus qui noverat fragilitatem humanam, Amen, inquit, dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis. Dicit ei B. Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Videte fratres reſponſionem diſcipuli; & intelligite dilectionis eſſe quod dixit.*

Victor Antiochenus in cap. 14. Marci, *Quantò Chriſtus Petri caſum magis affirmabat, tantò Petrus certæ prædictioni illius obnitens, fortiori pectore officium ſe ſuum deſerturum negabat. At unde quæſo tantæ vis animi proveniebat? Non aliunde quàm ab incenſa charitate.*

Arnobius Junior in Pſal. 106. *Aſcendit Petrus uſque ad cœlos, dicens Domino, Etiamſi oportuerit me tecum mori, non te negabo; deſcendit uſque ad abyſſos cum negat.*

Petrus Damiani Cardinalis Oſtienſis, & magnum Eccleſiæ Romanæ Lumen ſerm. 26. De Apoſtolis Petro & Paulo: *De gradu dulcedinis ad ſapientiæ gradum aſcenderat Petrus Apoſtolus cum diceret, Animam meam pono pro te. Nihil ſapientius neque fortius quàm, Animam meam pono pro te; nihil inſipientius neque debilius quàm, Neque ſcio neque novi quid dicas. Profectò jam diligebat dulciter, jam ſapienter; ſed utrumque perdidit, cum fortiter non dilexit, cum ad vocem muliercula Dominum & Magiſtrum celeriter abnegavit.*

Hugo à S. Victore annotat. in Joan. *Petrus, ex nimio charitatis affectu & ardore & ſe poſiturum animam & non negaturum pro morte promiſerat; ſed quia virtutem conſtantiæ cum hoc affectu non habebat, idcircò imminente periculo metu mortis deficit, & affectum charitatis, quem priùs habuerat, amiſit.*

Dionyſius Carthuſianus: *Hoc Petrus locutus eſt ex magnitudine fidei & fervoris, tamen incautè; non penſans propriam infirmitatem, & cæteris ſe fortiorem exiſtimans.*

D. Thomas 2. 2. Qu. 24. Art. 12. cum ſibi objeciſſet, non videri D. Petrum charitatem amiſiſſe cum negavit Chriſtum, eo quòd dicit Bernardus, Charitatem in Petro

Petro non fuiſſe extinctam, ſed ſopitam: Reſpondet. *Ad 2. dicendum, quòd charitas amittitur dupliciter. Uno modo directè, per actualem contemtum: & hoc modo Petrus charitatem non amiſit. Alio modo indirectè, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam paſſionem concupiſcentiæ vel timoris. Et hoc modo Petrus contra charitatem faciens charitatem amiſit, ſed eam citò recuperavit.*

D. Bonaventura in cap. 22. Lucæ. *Qui*, Petrus, *dixit ei: Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire: hoc verbum fuit amoris & fervoris; ſed tamen hoc erat cujuſdam præſumptionis, quia illud promittit ad quod non ſufficit, ſcilicet, quod paratus ſit pro Chriſto, & cum Chriſto mori, cum ſit opus perfectiſſimæ charitatis.*

Gerſon Tract. de Paſſione Domini. *Intuere S. Petrum. Quis credidiſſet aut ipſe aut alius, quod à tali fiducia & charitate abſque impugnatione cecidiſſet.* Idem Tom. 2. De Cognitione peccatorum venialium & mortalium, Conſid. 4. pag. 287. aſſerit *præſumptionem Petri fuiſſe tantùm peccatum veniale.*

Non hic repeto quæ ex Cardinale Cajetano ſuperiùs attuli, ubi diſertè *tradit Petrum cecidiſſe, quia ſibi licet charitate habituali prædito relictus fuit.*

Peccaſſe igitur aliquid Petrum, quod viribus ſuis nimium tribuerit, & ſe cæteris prætulerit, cum Chryſoſtomo & Auguſtino non negó; crimen autem aut flagitium admiſiſſe in eo quod ex multo amore, fervore, fide, devotione commiſit, cum iiſdem Patribus planè nego.

Neque verò alia mens eſt omnium hujus ævi Interpretum, qui licet tria in Petro cum Chryſoſtomo reprehendant, ea tamen non crimina, ut nonnulli fingere non verentur, ſed levioris cujuſdam imprudentiæ audentioriſque amoris culpas fuiſſe atteſtantur.

Cæterùm Petrus, ait Janſenius Gandav. in Concord. Evang. c. 133. *ex magno erga Dominum amore alienum à ſe putans, ut Chriſti periclitantis jam cauſâ offendiculum pateretur:* Etſi, *inquit*, ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor; *triplici nomine per indiſcretionem peccans, quia ſcilicet Domino contradixit, & quia aliis ſeſe prætulit, & quia de ſe nimis præſumſit, non attendens ſuam fragilitatem. Quoniam autem ex amore proficiſcebatur hujuſmodi aſſertio, non ſeverè illum Dominus redarguit; quia tamen plus de ſe quàm de aliis præſumpſerat, magis etiam aliis ſcandalizandus prædicitur.*

Joannes Heſſelius in cap. 26. Matth. *Reſpondens autem Petrus ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Petrus, inquit Hilarius, in tantum & affectu & charitate Chriſti efferebatur, ut imbecillitatem carnis ſuæ, & fidem verborum Domini non contueretur, quaſi dicta ejus efficienda non eſſent. Non ergo putandus eſt Petrus voluiſſe Chriſto dicere, quod falſum diceret,*

ſed

ſed nimio Chriſti amore verba ejus non attendit, non putavit Chriſtum prophetice iſtud dixiſſe. Sed nec mentitus eſt, nam ſincerè proponebat nunquam Chriſtum derelinquere; putabat enim ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat, ut ait Aug. de Grat. & lib. arb. cap. 17.

Sic Jeſuita Menochius, ſic Catholici omnes de Petro unanimi conſenſu pronuntiant. Alios aliter ſenſiſſe oſtendant ii, qui cum Magdeburgenſibus horrenda illa ſcelera Petro affingere non dubitant.

Sed nec pluribus Patrum teſtimoniis, nec longiori diſputatione nobis utendum eſt, ut illam Petri confidentiam criminis excuſemus. Ipſa Chriſti verba palàm pronuntiant, quàm perperàm nonnulli jactitent Petrum tunc non fuiſſe juſtum, ne ſcilicet fateri cogantur, in Petro nobis oſtendi juſtum cui in vehementi tentatione auxilium gratiæ ad eam vincendam neceſſarium negatum fuerit à Deo, ut non de ſe neque de viribus ſuis præſumere, ſed in Deo ſuo confidere diſceret.

Chriſtus enim cum lavare pedes diſcipulorum inciperet, in hunc modum omnes alloquitur: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet. Vos autem mundi eſtis; ſed non omnes. Sciebat enim quis eſſet eum traditurus.* Unde SS. Patres omneſque Scripturæ Interpretes conſtare pleniſſimè aſſeverant, diſcipulos omnes, uno Juda excepto, mundos & juſtos fuiſſe. Enimverò poſtquàm Petrus tribus ſe, ut volunt, criminibus obligaſſet, imò & reliqui Apoſtoli mortale etiam facinus admiſiſſent, ſi illis fides eſt, quandoquidem eâdem quâ Petrus præſumptione, prædicenti Chriſto omnes ſcandalum paſſuros reſtiterunt diſcipuli, ut Matthæus ſignificat his verbis: *Similiter & omnes dixerunt:* nihilominus Chriſtus iiſdem ad omnes verbis utitur, quibus internam eorum munditiam deſignaret Joan. 15. v. 3. *Et vos mundi eſtis propter ſermonem meum quem locutus ſum vobis.* Et paulò poſt: *Manete in me, & ego in vobis*: Ubi apertè gratia ſanctificans annotatur, quâ Chriſtus in ipſorum cordibus habitabat.

Neque verò temerè fuit, quod cum tunc Diſcipulis ſuis Chriſtus diceret: *Et vos mundi eſtis*; non ſubjunxerit quod priùs fecerat: *Sed non omnes.* Exeunte quippe traditore nullus ſuperfuerat non mundus, nullus non juſtus. Quamvis, ut hìc ait Auguſtinus, nullus eorum eſſet, utpotè imperfectus, cujus maculæ magis ac magis non eſſent abluendæ. *Jam vos mundi eſtis; Mundi ſcilicet*, ait Auguſtinus, *atque mundandi. Quis etenim in hac vita ſic mundus, ut non ſit magis magiſque mundandus.*

Diſertè verò Dionyſius Carthuſianus: *Mundi*, inquit, *eſtis à labe peccati mortalis jam alieni, habentes oculum ſimplicem ordinatamque charitatem.*

Idem uno conſenſu docent recentiores omnes. Maldonatus Jeſuita,

ſuita, cum illud de Chriſto: *Et vos mundi eſtis*, interpretatus eſſet de munditia & purgatione à peccatis, addit: *Non diſplicet quod à nonnullis eſt animadverſum, Chriſtum ad Judæ defectionem alluſiſſe, quaſi dixerit: Cum jam Judas diſceſſerit, qui ſcelere immundus erat, neminem inter eos manere immundum. Certè cum ſupra dixerit*, Vos mundi eſtis, ſed non omnes, *hoc loco non addidit*, ſed non omnes, *quia Judas non aderat.*

Cardinalis Toletus ejuſdem Societatis in eundem Joannis locum: *Judas*, inquit, *reſectus eſt ut palmes infructuoſus; at undecim purgati ſunt, utpote frugiferi.* Tum verò explicans quomodo Deus juſtos purget: *Reſecat*, inquit, *Deus à juſtis quantùm ad intellectum multas ignorantias* &c. *quantùm ad affectum vanas cupiditates* &c. Inter illa verò quæ à cœleſti Agricola reſecanda in juſtis eſſe ait, ne illis ſint impedimento, ponit vanam Petri reliquorumque Apoſtolorum confidentiam. *Purgati ſunt*, inquit, *à vana quadam confidentia. Nam Petro eorum primo dictum eſt, Ter me negabis.*

Utroque verò antiquior Janſenius Gandavenſis in Conc. Evangel. uno verbo eorum errorem confodit, qui Petrum cum tentaretur juſtum fuiſſe negant, ne gratiæ adjutorium juſto defuiſſe fateri cogantur: *Jam vos mundi eſtis & purgati; & ſublato ex vobis Juda proditore, palmite infrugifero, nemo eſt ex vobis jam immundus.*

Non poteſt igitur in controverſiam revocari, quin Petrus tunc juſtus fuerit, cum timore magno perterritus præ carnis imbecillitate Chriſto eum paululum deſerente, *Reſponſionis non potuit tenere conſtantiam*, ut ait Hilarius. Unde ſequitur ab omni erroris & hæreſeos labe immune eſſe, quod dixi in Epiſtola, In Petro juſtum demonſtrari, cui in vehementi tentatione gratia illa defuerit, ſine qua nihil fieri poteſt, hoc eſt, ſine qua ad ſuperandam illam tentationem vires idoneas non habebat per efficacem Chriſti gratiam & victricem delectationem demum ſibi conferendas.

SECTIO IV.

Propoſitionem Epiſtolæ à prima Propoſitione damnatâ toto cœlo differre.

Quod ſi illa Propoſitio, quæ in indiculo notata eſt, omnis hæreticæ pravitatis expers eſt, ut hactenus, quantum exiſtimo, liquidò demonſtravi; nulla ratio ſinit, ut cum primâ è damnatis ab Innocentio X Propoſitionibus confundatur, quam uti temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam ſummus Pontifex proſcripſit.

Et verò, ſi quis utramque inter ſe conferat, toto illas cœlo differre

differre deprehendet. Prima propoſitio damnata, tota eſt de impoſſibilitate mandatorum; de qua nullum verbum in mea.

Aſſerit eadem damnata propoſitio, Quædam præcepta juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam quâ poſſibilia fiant: quod abſolutè dictum, nullâque cum exceptione, quamcumque voluntatem complecti poteſt; ideóque ſub literali ſignificatione terminorum, Lutheranorum & Calviniſtarum hæreſim comprehendit, nunquam à juſtis mandata ſervari docentium, quæcumque illis ea ſervandi voluntas ſit, *utcunque ſpiritu Dei adjuventur*, ait Calvinus. Hanc autem Calvini nefariam & divinæ gratiæ ac juſtificationi exitiabilem hæreſim, tantùm abeſt ut ulla Epiſtolæ meæ verba repræſentent, ut eam potiùs inter varios hæreſiarchæ hujus errores, ab Apoſtolica Auguſtini de gratia Doctrinâ longè ſejunctos, & ab Eccleſia anathemate perculſos, diſertè proſcripſerim.

Accedit quod hæc eadem prima Propoſitio generatim atque universè aſſerit, Quædam juſtis volentibus impoſſibilia eſſe mandata, ſecundum præſentes quas habent vires: quæ ſi communiori ſignificatione, & ut ſonant accipiantur, uſitato more loquentium, iterum Calvini hæreſim comprehendunt, quâ nimirùm docuit, ab omni homine juſto iis viribus quibus in præſenti vita inſtructus eſt, ad vires alterius vitæ collatis Dei, mandata impleri non poſſe. Nihil in mea Epiſtola eſt quod, vel maligna interpretatione, in hæreticum hunc ſenſum trahi poſſit.

Denique generatim damnata illa propoſitio aſſerit & indefinitè, Deeſſe quoque iis juſtis volentibus & conantibus gratiam, quâ mandata poſſibilia fiant, quod universè ſumptum Calvini hæreſim repræſentat, SS. Concilii Tridentini anathemate damnatam; *Si quis dixerit Dei præcepta homini, etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Summus quoque Pontifex cum primam Propoſitionem damnaret, clarè innuit non à ſe alio ſenſu acceptam; cum dicat Propoſitionem ſe damnare jam anathemate damnatam, nimirum in Concilio Tridentino; *Anathemate damnatam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Certum eſt autem, etiam teſte Bellarmino Cardinali, non aliud anathemate hoc Tridentino perculſum, quàm quod hæretici aſſerebant, nunquam juſtis eam adeſſe gratiam quâ divina præcepta implere poſſent; ſed quicquid agerent illi ſanctius, id pro peccato, vel lethali, vel certè veniali, habendum eſſe. Nihil verò cum doctrina ſummorum Pontificum ſanctorumque Patrum, quam epiſtola mea exhibuit, error impius commune habere poteſt, cum hoc ſolùm Patres ſtatuant, quoſdam juſtos ita aliquando ten-

tentari, ut illis gratia ad ſuperandam tentationem neceſſaria deſit. Abſit autem hæc à cujuſvis Theologi mente ſuſpicio, ut putet ſententiam à ſummo Pontifice erroris, impietatis, Calviniani anathematis notâ inuſtam, eandem eſſe cum veritate catholica, quam Romanorum Pontificum & SS. Patrum perpetuus conſenſus aſtruxit. Quam qui negat, non ſatis ſe ipſe conſulit, nec ſatis attendit, quid quotidie in Oratione Dominica dicat his verbis: *Ne nos inducas in tentationem*; id eſt, inquit Auguſtinus Ep. 157. c. 2. n. 5. *Ne nos inferri deſerendo permittas.* Nam cum ex una parte nihil aliud his verbis poſtulemus, quàm *ut peccatorum tentationem ſuperare poſſimus*, ſicut ait idem Doctor Epiſt. 177. n. 4. ex altera, nunquam tentatione vincitur quicumque ſic orans exauditur. *Si quis enim*, ut inquit idem Auguſtinus Oper. imp. contra Julian. l. 1. c. 93. *exauditus fuerit in eo quod dicere juſſi ſumus, Ne nos inferas in tentationem, procul dubiò nullâ decipietur inſcitiâ, nullâ cupiditate vincetur.* Ex quo manifeſtè concluditur juſto quem vis tentationis vicerit, efficacis gratiæ, quæ hac Oratione petitur vim illi non adfuiſſe quâ tentationem ejus præſidio re ipſa poſſet vincere. Proſper. Epigr. 48.

In quo uno ſemper ſuperat qui non ſuperatur;
Quo dignante manum ſaldere, nemo cadit.

Miror verò non parum, hanc mihi doctrinam crimini tribui, quaſi damnatam à ſummo Pontifice, & ab iis maximè reprehendi qui eam ipſam in Theſibus palàm in Sorbona ipſa propugnatis approbarunt. Cum enim Dominus Hallier Syndicatu fungeretur, in Tentativæ Theſi, quæ 8. Jan. 1650. in Sorbona propugnata eſt, hanc ipſam doctrinam ſubſcribendo comprobavit: *Non ſolùm juſto, ſed & fideli, præcepta impoſſibilia non ſunt, nunquam etiam ulli fideli* (F. infideli) *impoſſibilia dici debent: Deus enim impoſſibilia non jubet. Aliquis tamen juſtus non eſt aliquando ad præceptum ſervandum proximè, immediatè & completè potens. Sana hæc eſt de Chriſti gratia efficaci doctrina, quam nemo erroris aut hæreſeos rectè damnare poteſt.* Hactenus Theſis.

Theſis hæc à Dom. Hallier approbata tria aſſerit. 1. *Divina præcepta nec juſto nec fideli impoſſibilia dici debere, Deo impoſſibilia non jubente.* Hoc ipſum Pontifex primam propoſitionem damnando ſancivit. Hoc & ego profiteor, neque in Epiſtola mea quicquam huic definitioni contrarium reperietur.

2. *Aliquos juſtos non eſſe aliquando ad præceptum ſervandum proximè immediatè & completè potentes.* Unde neceſſariò conſequens eſt, ipſo Domini Hallier, qui Theſim hanc approbavit, judicio, propoſitiones has magno à ſe intervallo eſſe diſjunctas: hanc nimirum, *Aliqua Dei mandata juſto eſſe impoſſibilia*: quod & in Theſi, & in Cenſura damnatur;

tur; & hanc alteram, *Aliquem juſtum non eſſe ad præceptum ſervandum proximè, immediatè, & complete potentem:* quod tunc locum tantùm habere poteſt, cum gratia ad illud proximè & immediatè complendum neceſſaria deeſt. Nihil verò aliud habet Epiſtola, nihil ſcripſi, quàm juſtis aliquibus inter quotidiana pericula verſantibus, non ſemper ad vincendas tentationes vim illam adeſſe, quam ea tantum largitur gratia quæ facit ut vincantur: Et hæc ipſa eſt vis immediata, proxima, & completa de qua in Theſi agitur. Quamobrem non video qua ratione quod ex Patrum ſententia dixi, de vi illâ proximâ quam gratia largitur; quæ quibuſdam juſtis aliquando deeſt, cum eo confundi ullo pacto queat, quod in primâ Propoſitione de mandatorum impoſſibilitate damnatur.

3. Hanc doctrinam de gratia Chriſti efficaci, ſine qua vis proxima deeſt quæ ad ſervanda mandata requiritur, ſanam eſſe, nec à quoquam damnari poſſe erroris aut hæreſeos. Ex quo efficitur Epiſtolam, quæ nihil aliud doceat quàm quod ipſa hæc Theſis docet, nec erroneam, nec hæreticam judicari poſſe, ipſo Domini Hallier judicio; & longè potiori jure ab ea propoſitione disjungendam, quam ſummus Pontifex hæreſeos, impietatis & blaſphemiæ damnavit.

Huic etiam doctrinæ ſubſcripſit Dominus Grandin, cum eſſet Syndicus, in Theſi Tentativæ in Sorbona propugnatæ die 19. Jan. anno 1652. *Gratia illa per ſe efficax ita neceſſaria eſt, ut ſine hac nullus unquam fidei, orationis, aut pietatis actus fiat, & voluntas nihil boni ad æternam vitam pertinentis velit & operetur. Illa dat completam & proximam potentiam ad bene agendum.*

Si gratia efficax, ſecundùm hanc Theſim à Domino Grandin approbatam, una ex parte ita neceſſaria eſt, ut ſine hac nullus unquam fidei, orationis aut pietatis actus fiat; ex altera verò, proximam & completam potentiam dat ad bene agendum, nonne luce clarius eſt, juſtum qui gratia efficaci deſtitutus tentatione vincitur, non habuiſſe, ad illam ſuperandam, potentiam illam proximam & completam, quæ à gratia efficace eſt. Non alio autem ſenſu, ut ſæpiùs profeſſus ſum, intelligi volo quod è Patribus retuli, Petrum in præſumtionis pœnam ſibi relictum, non potuiſſe graviſſimæ tentationi reſiſtere.

Hæc ſunt quæ ſuper Juris Quæſtione pro anguſtia temporis exarare mihi licuit: quæ vos etiam atque etiam rogo, ut benignis auribus & mentibus accip[illegible]s. Quæ quamvis omnia, ni fallor, clarè à me ac liquidò explanata ſunt; tamen ſi adverſus hanc Epiſtolæ meæ propoſitionem quæ reprehenditur, aliquid etiam aliud objiciatur, ſupplex poſtulo à vobis, ut mihi ſignificare & communicare non dedignemini.

Supereſt Quæſtio facti, quam in

in præcedenti occupatus pertractare non potui, ſed leviter tantùm perſtringere coactus ſum. Pro re igitur impræſentiarum pauca dicam, quæ tamen quantum mihi perſuadeo, ad hujus facti invidiam à me depellendam ſufficient. Unum velim attendatis, ſi placet, totum illud defenſionis genus non voluntatis fuiſſe, ſed neceſſitatis. Qui enim poſt Conſtitutionem Innocentii X intra religioſum ſilentium continere me decreveram, méque etiam diutiſſimè reverà continui, non potui, Catholicus Sacerdos ac Theologus, intentatam mihi ab adverſariis hæreſeos calumniam tacitus prætermittere. Ea autem erat hominum cum quibus res agebatur importunitas, ut vellent me convictum hæreſeos, niſi palàm ac publicè profiterer, Quinque illas propoſitiones damnatas totidem verbis in Janſenii Auguſtino reperiri. Ego verò, qui jam ſilere non poteram, tam iniquæ accuſationis mole oppreſſus, ſic tamen ſcripſi, ut ſua Conſtitutioni Apoſtolicæ reverentia ſarta tectaque remaneret, invidia omnis in adverſarios redundaret, quos tantùm hâc tam neceſſaria reſponſione repellerem, à contumeliâ Epiſcopis inferendâ, & facto, & animo alieniſſimus. Si à nobis pro fabricatis ſemper habitas dixi, de Illuſtriſſimis Præſulibus nullatenus cogitabam, ſed reſpiciebam ad ea tempora quæ Conſtitutionem Innocentii præceſſerunt, ne quis adhuc iniquiſſimè diceret hanc à nobis uſurpari cœptam eſſe reſponſionem, cum illas primùm Apoſtolica Sedes damnavit.

Hæc raptim, & eo tantùm conſilio, ne hanc defenſionis partem penitus omiſiſſe videar, quam, ſi tempus mihi à Facultate concedatur, ut ab ejus benignitate exſpecto, tam ab omni temeritatis ſuſpicione immunem præſtabo, quàm me & anteactæ vitæ ratio, & Scripta hactenus in lucem emiſſa, Epiſcopalis dignitatis obſervantiſſimum demonſtravère.

SCRIP-

V.

SCRIPTI PARS ALTERA.

Ad Sacram Facultatem Pariſienſem, in Sorbona Congregatam, die 10. Decembris anni 1655.

Venerando Domino Decano & Sapientiſſimis Viris Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctoribus Ant. Arnaldus Doct. ac Socius Sorbonicus.

QUam in Scripti mei ad vos miſſi priori parte, quæ juris & doctrinæ erat, audienda benignitatem mihi exhibuiſtis, Sapientiſſimi Viri; eamdem & in poſteriori, quæ facti eſt, vos ſupplex oro ut mihi exhibere non dedignemini. Quod ut etiam præſteris faciliùs,eam quàm breviſſimè fieri poreſt expediam. Atque ut in priori notarum Epiſtolæ meæ locum ab omni, quantùm reor, erroris aut hæreſeos labe vindicavi; ita & in hac poſteriori nonnulla Epiſtolæ meæ loca ab omni vel in Apoſtolicam Sedem, vel in Epiſcopalem Ordinem petulantiæ ac temeritatis ſuſpicione me vindicaturum, Deo juvante, confido.

LOCUS PRIMUS.
Page 49.

„* PRobè intellexit Vir Prænobilis per ejuſmodi probationem modeſtiæ ac moderationis ſuorum amicorum palàm fieri, quod cum puram putamque S. Auguſtini doctrinam defendiſſent, non verò damnatas iſtas propoſitiones, quas ſemper cenſuerunt confictas ab illorum dogmatum propugnatoribus, quæ Auguſtinianis adverſantur &c.

Quantùm hic locus ab omni in ſummum Pontificem injuria ſit alienus, clariſſimùm profectò eſſet, niſi quæ ad ipſius marginem adnotaram, diſquiſitoribus, cum eum exſcriberenr, reſecare placuiſſet. Ibi enim mihi tantùm in animo erat, ut breviter & quaſi obiter uni è ſcriptoribus prioris Epiſtolæ meæ impugnatoribus reſponderem, qui S. Auguſtini diſcipulos doli cujuſdam & fraudulentiæ coarguit, quaſi propoſitiones quinque,quas anteà tuta-

* *Ce Seigneur a fort bien jugé, que cette épreuve de l'humilité, & de la moderation de ſes amis juſtifioit, que n'a ant défendu que la pure doctrine de S. Auguſtin, & non ces propoſitions condamnées, qu'ils ont toujours regardées comme forgées par les partiſans des ſentimens contraires à ceux de ce grand Docteur.*

tutabantur, tum demùm damnare cœperint, cùm eas primùm à ſummo Pontifice damnatas audiere. Sic enim habet Autor ille in Libello, cui titulus eſt: *Lettre d'un Docteur Catholique à une Dame de condition: Depuis la publication de la Bulle, ils s'aviſerent d'une autre défaite, pour effacer la perſuaſion & la creance commune qu'on avoit qu'ils étoient condamnez. Ils commencerent de dire que ces Propoſitions avoient été forgées à plaiſir.*

Cùm igitur hanc fallaciæ ſuſpicionem à S. Auguſtini, candoris amantiſſimi, diſcipulis propulſare conarer, verba hîc ſubjecta è libello quatuor annis ante Conſtitutionem edito, ad loci hujus marginem appoſui, quibus quinque illas Propoſitiones, non demùm poſt Pontificiam Conſtitutionem, ſed ubi primùm Sacræ Facultati oblatæ ſunt, Domino Cornet ut earum autori attributas eſſe conſtaret. * "Res S. Facultati in ultimis Comitiis per „illius Syndicum propoſita &c. „Hoc ſibi in animum, proprio nutu, à nullo requiſitus induxit, „ut nonnullas propoſitiones, quas „vellet, quomodo vellet proprio „marte & ingenio procuderet. *Ita „Libellus, cui titulus*: Animadverſiones in conſilium à M. Nicolao „Cornet, S. Facultatis Syndico „initum in Comitiis 1. Julii habitis 1649. Pariſiis excuſæ ejuſdem anni menſe Auguſto. Non ergo hîc agitur de re ullâ quæ ad ſummum Pontificem ſpectet: agitur de re privatâ, de re geſtâ: Utrùm S. Auguſtini diſcipuli fraudulenter egerint, & quod antea tutabantur, poſtmodùm abjicere & condemnare cœperint. Crimen hoc, quod ipſis à ſcriptore illo intentatum fuerat, libelli ad marginem adſcripti certiſſimâ autoritate revincitur. Nihil hoc ad debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam; nihil ad Conſtitutionem Pontificiam, quæ quatuor demùm poſt annis in lucem prodiit. Si ergo, quid hîc dicatur, & cur dicatur, expendatur attentiùs, nemo quantùm opinor, hoc in loco Pontificiam Majeſtatem, vel Illuſtriſſimos Antiſtites minùs me coluiſſe atque obſervaſſe ſuſpicabitur.

LOCUS SECUNDUS.
Page 130.

„† ECcur ergo, inquiunt, gemina pro Janſenio Apologia conſcripta fuit? Nimirùm, „quia viſum eſt intereſſe plurimũ

D &

* *La propoſition qui a été faite à la Faculté dans la derniere Aſſemblée par ſon Syndic, &c. Il s'eſt aviſé de lui-même, ſans en être requis de perſonne, de former de ſa tête des propoſitions telles qu'il lui a plû.* In Libello qui titulus, *Conſiderations ſur l'entrepriſe faite par M. Nicolas Cornet, Syndic de la Faculté de Theologie de Paris, en l'Aſſemblée du premier Juillet* 1649. *imprimées à Paris au mois d'Aout de la même année* 1649.

† *Mais pourquoi donc, diſent-ils, a-t'on fait deux Apologies pour*

„& gloriæ Dei & honori Eccleſiæ, „ne certiſſima & inconcuſſa Au„guſtinianæ doctrinæ capita ſub „Janſenii nomine pro impiis & „hæreticis dogmatibus, in publi„cis Eccleſiarum pulpitis impunè „traduci ſinerentur; ne eadem fi„ctitiorum Conciliorum anathe„matibus, ineptis argumentis per „craſſam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ „ignorantiam confictis, autori„tatibus Scripturæ vel in litera „falſatis, vel in ſenſu adulteratis „proſcriberentur; ne demùm hæ„reſes erroreſque plurimi Epiſ„copo Catholico, ab iis alieniſſi„mo, adſcribi permitterentur.

Illas pro Janſenio Epiſcopo Iprenſi Apologias ad Pontificiæ Conſtitutionis contemtum trahi, mirum profectò videri poteſt. Sunt enim octo & ampliùs annis ante Conſtitutionem editæ; nec in illis de propoſitionibus à Sede Apoſtolicâ damnatis agitur, quæ necdum Facultati oblatæ, multò minùs Romæ damnatæ erant. Prætereà, quæ in illis Apologiis tractantur, à præſentibus controverſiis ferè aliena ſunt; qualis eſt immobilis gratuitæ prædeſtinationis veritas, tot ſummorum Pontificum, ſanctorum Patrum, & recentiorum etiam Theologorum autoritatibus approbata. Enimverò in Epiſtolâ meâ profeſſus ſum, me nulli privato Theologo, ut nec Janſenio eſſe addictum; damnataſque propoſitiones quinque, ubicumque, ſive apud Janſenium, ſive apud alterum repertæ fuerint, ex animo me condemnare. Ubi de divina gratia agitur, inter cæteros Patres Auguſtino potiſſimùm adhæreſcere didici; ac ne ipſi quidem ut Auguſtinus eſt ac privatus Doctor, ſed ut ab Eccleſiâ univerſâ, & præſertim à Romanâ omnium Matre & Principe, in hoc argumento, cæteris omnibus Patribus, perpetuâ Patrum, Conciliorum, ac Pontificum conſenſione Prælatus eſt. Quæ igitur in Epiſtola mea docui, ex Epiſtola ipſa, non ex interpoſita aliunde Janſenii, de quo non agitur, nominis invidiâ dijudicanda ſunt. Quare cùm locus iſte de Apologiis illis, neque ad ſummum Pontificem, neque ad Pontificiam Conſtitutionem, quæ tot poſteà annis prodiit, ullo modo pertineat; qui ipſum diligentiùs perſpexerit, debitum certè Apoſtolicæ Sedi honorem ac reverentiam in me, ni fallor, haud deſiderabit.

L O-

Janſenius? Parce qu'on a crû qu'il y alloit de l'interêt de Dieu, & de l'honneur de l'Egliſe, de ne pas ſouffrir que ſous le nom de Janſenius, on fit paſſer en pleine chaire les plus conſtantes maximes de la doctrine celeſte de S. Auguſtin, pour des impietez & des hereſies: qu'on les combatît par des Anathemes de faux Conciles, par des ignorances groſſieres dans l'hiſtoire Eccleſiaſtique, par des paſſages de l'Ecriture, ou falſifiez dans les paroles, ou corrompus dans le ſens: & qu'on impoſât en pluſieurs points des hereſies & des erreurs à un Evêque qui a été tres-éloigné de les enſeigner.

LOCUS TERTIUS.
Page 149.

„* POſt tot Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exempla, quiſquamne erit Vir Illuſtriſſime, tam parum æquus, tam ipſi rationi adverſus, qui ſibi facilè perſuadeat, ad hoc ut nonnulli Theologi pro hæreticis, excommunicatis & ab Eccleſiæ unitate ſegregatis habeantur, hoc unum ſufficere, quod cum catholici cujuſdam Scriptoris librum accuratè perlegerint, nec in eo invenerint propoſitiones nonnullas, ipſi poſt mortem adſcriptas in prævia Apoſtolicæ Conſtitutionis expoſitione, teſtari, prohibente conſcientia, non poſſunt eaſdem propoſitiones illo libro contineri. Quaſi verò mera facti quæſtio, cujus teſtes judiceſque ſunt oculi, in articulis fidei cenſeri poſſit, quos certum eſt niſi revelatione divina conſtare non poſſe: aut hæc juſta cauſa ſit criminis hæreſeos impingendi Theologis Catholicis, qui quidquid in ea Conſtitutione ad fidem pertinet ultrò amplectuntur; nec in eo quidem capite quòd factum ſpectat opinioni ſuæ pervicaciter adhærent, parati ab illa diſcedere, cum primùm ipſorum oculis eædem propoſitiones in eo libro legendæ à quovis ſubjectæ fuerint. Quæ quidem res omnium facillima, ſi verè ex illo excerptæ propoſitiones; contra verò, omnium difficillima ac etiam impoſſibilis, ſi re-

D 2 vera

* *Après tous ces exemples de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, ſe pourra-t'il trouver, Monſeigneur, quelqu'un aſſez déraiſonnable & aſſez injuſte pour s'imaginer, que parce que des perſonnes ayant lû un livre avec ſoin, & n'y ayant point trouvé des propoſitions qui ſont attribuées à un Autheur Catholique, après ſa mort, dans l'expoſé de la Conſtitution d'un Pape, ne peuvent declarer contre leur conſcience qu'elles s'y trouvent, quoi qu'en même tems il les condamnent en quelque livre qu'elles ſe trouvent; ce ſoit un prétexte ſuffiſant de les traiter d'hérétiques, d'excommuniez, & de retranchez de l'unité de l'Egliſe, comme ſi un point de fait, dont les yeux ſont juges, pouvoit être un point de foy, qui ne peut être établi que ſur une revelation divine, & une cauſe legitime d'accuſer d'héréſie des Theologiens Catholiques, qui embraſſent tout ce qui concerne la foy dans cette Conſtitution, & qui dans ce point de fait même ne ſont point opiniâtres, étant prêts de ſe rendre auſſi-tôt qu'on leur aura fait lire ces propoſitions dans le livre d'où l'on dit qu'elles ont été tirées: ce qui doit être la choſe du monde la plus facile, ſi elles en ont été veritablement tirées; comme au contraire, la plus difficile & même impoſſible, ſi elles n'y furent jamais. Et cependant quand on ſuppoſeroit même qu'ils ſe trompent dans ce point de fait, n'eſt-il pas viſible, Monſeigneur, qu'on ne leur pourroit reprocher en aucune ſorte d'être hérétiques, ou de bleſſer la foy de l'Egliſe: mais ſeulement de n'avoir pas de ſi bons yeux, ou de n'entendre pas ſi bien le Latin, que ceux qui ſoutiendroient le contraire?*

„vera nunquam in eo jacuerunt. „Sed enim hoc etiam ſuppoſito, „ipſos in hac facti quæſtione opi-„nione ſua falli, an non luce „meridiana clarius eſt, Vir Il-„luſtriſſime, ipſis propterea no-„tam hæreſis nulla ratione inuri „poſſe, nec violatæ fidei Eccleſiæ „crimen impingi; ſed hoc unum „objici, ipſos non adeò perſpica-„cibus oculis aut tanta linguæ la-„tinæ peritia pollere, quàm qui „aliter ſentiunt.

Si temperantiam & moderationem, quam ſuper Quinque Propoſitionum autore ſervare decreveram, perpetuò retinere licuiſſet, jam verba hæc mihi in Epiſtolâ meâ tutanda non eſſent, quæ à me nunquam ſcripta fuiſſent. Statueram enim, quod etiam multo tempore, & quamdiu licuit præſtiti, quicquid de hac facti quæſtione, vel à Chriſti Vicario, vel ab Illuſtriſſimis Antiſtitibus dictum, atque expoſitum fuiſſet, perpetuâ religioſi ſilentii reverentiâ honorare. Verùm ab hoc tacendi conſilio, quod voluntate ſuſceperam, autorum nonnullorum vehementia & atrocitas, ipſa fidei atque innocentiæ meæ adversùs eorum obtrectationes defendendæ neceſſitas, vel invitum me ac reluctantem abduxere. Cum enim illi me, ut anathemate perculſum, ab Eccleſia extorrem, & planè hæreticum ab omnibus habendum, libellis publicis infamarent, niſi quinque illas propoſitiones in Janſenii libro reperiri profiterer; ea illis reſpondere coactus ſum, quæ quamvis, niſi à ſinceri animi candore diſcederem, aliter loqui non poſſem, multò magis tamen, ſi fas fuiſſet, reticere maluiſſem. Quod ſi qua mihi inter ſcribendum vocula elapſa eſt, quæ à me adversùs accuſatorum meorum vim inconſultam, ad neceſſariam & me invito ſuſceptam fidei meæ defenſionem directa, aliò, quò certè non cogitaram, trahi poſſe videatur; Illuſtriſſimos Eccleſiæ Principes ſupplex oro atque obteſtor, ne me propterea debitum, vel Pontificiæ Majeſtati, vel Epiſcopali dignitati cultum atque obſequium ulla in re, non dicam lædere, ſed prætermittere voluiſſe exiſtiment. Quam enim ſincerè, atque ex animo Epiſcopalem ſemper Ordinem coluerim, quamque ad ſacram Eccleſiæ Hierarchiam non honorandam modò, ſed & ſi per virium tenuitatem liceret, aliquo modo tuendam, propenſus fuerim, ſatis opinor mea omnis anteacta vita declarat. Prætereà tot nominibus Illuſtriſſimorum Antiſtitum Ordini devinctus ſum, tantamque à ſacrâ illorum purpurâ & graviſſimâ autoritate, adverſus nonnullorum Opuſculorum meorum impugnatores, opem ac præſidium ſum expertus, ut niſi in auguſtiſſimum eorum Collegium præcipuo quodam amore ac reverentia affectus eſſem, non modò pietatis ac religionis, ſed & mei ipſius ac beneficiorum acceptorum non ſatis memor videri poſſem.

LOCUS QUARTUS.
Page 152.

„* Qua verò æquitate iſtud „ poſſit aſſeri, hanc juſtam „inurendæ alicui Catholico notæ „hæreſeos cauſam eſſe, quod vel „dubitet, vel modeſto ſe ſilentio „contineat, vel reverenter refu„giat atteſtari aliquas propoſitio„nes, nonnulli Eccleſiæ Catho„licæ Epiſcopo in Pontificia Con„ſtitutione poſt mortem adſcrip„tas, verè illius eſſe, quia nimi„rum Catholico illi librum Epiſ„copi accuratè legenti non oc„currerunt: præſertim cum idem „ille ſuam conſcientiam non pro„dere, aut oculorum ſuorum te„ſtimonio non reluctari conten„tus, in mera ſcilicet facti quæ„ſtione, ab omni circa ipſum „factum contentione abſtine„re paratiſſimus ſit, ac etiam „ſuum hunc ſenſum reverenti „ſilentio obtegere: quo quidem „obſequio nullum unquam reli„gioſius in rebus facti exhibitum „eſt Conciliis etiam œcumenicis.

Quæ ad loci præcedentis explanationem dixi, hoc ipſo Epiſtolæ meæ loco, quantùm exiſtimo, illuſtrantur multùm & confirmantur. Fidei enim meæ adverſus inconſideratorum ſcriptorum criminationes aſſerendæ neceſſitate compulſus, quam parcè tamen ac moderatè locutus ſim, verba quæ hîc citantur luculenter oſtendunt. Quibus hîc à ſuo corpore avulſis, ut ex ipſa contextus ſerie ac tenore ſua lux ac perſpicuitas reſtituatur, aliqua è ſuperioribus hic mihi repræſentanda videntur.

† „Si enim Jeſuitæ, qui palàm aſſeruerunt Marcelli Ancyrani libros, tametſi erroribus „& hæreſibus ſcatentes, approba„tos eſſe, ut fidei conſonos, ab „uno è Romanis Pontificibus & „una œcumenica Synodo, nihilo „minùs Catholici habentur: Si „alii Jeſuitæ, nonnullique ante „ipſos Catholici contenderunt „ſcriptorem aliquem, poſt mor„tem toto orbe damnatum, ab„ſolvi poſſe, ut de Origene ſcrip„ſit S. Hieronymus: Si inſuper „poſtquam Concilium œcume„nicum ſanxit, ut quicunque

* *Avec qu'elle juſtice pourroit-on prétendre, que le doute, ou l'humble ſilence & la retenuë d'un Catholique, à declarer que des propoſitions qui ſont attribuées, dans la Conſtitution d'un Pape, à un Prelat de l'Egliſe après ſa mort, ſoient veritablement de lui, n'aiant pû les y trouver, ſoit un legitime prétexte de le traiter d'hérétique, lors même que ſe contentant de ne pas agir contre ſa conſcience, & contre le témoignage de ſes yeux en un point de fait, il eſt reſolu de s'abſtenir de toute conteſtation ſur ce fait même, & d'y garder un ſilence reſpectueux, qui eſt la plus grande ſoumiſſion, qu'on doive aux Conciles même Oecumeniques dans ces faits particuliers.*

† *Car ſi les Jeſuites, qui ont ſoutenu que les livres de Marcel d'Angory, remplis d'erreurs & d'hereſies, ont été approuvez comme orthodoxes par un Pape & par un Concile general, ne laiſſent pas d'être catholiques: ſi d'autres Jeſuites & divers auteurs Catholiques avant eux ont prétendu qu'on pourroit abſoudre un*

„Origeni anathema nondixerint,
„anathemati ipſi ſubjiciantur,
„non tamen catholiei eſſe deſie-
„runt qui libros hoc titulo inſig-
„nitos ſcripſerunt: *Origenes de-*
„*fenſus, De Origenis ſalute:* Si quin-
„tum Concilium generale puta-
„vit damnari à ſe poſſe, ut impiam,
„Epiſcopi in Eccleſiæ ſinu mor-
„tui Epiſtolam, ſine ulla injuria
„Calchedonenſis Concilii œcu-
„meniei, in quo eadem hæc Epi-
„ſtola coram univerſa Synodo le-
„cta fuerat, ſine ulla ejuſdem of-
„fenſione vel cenſura: Si Pelagius
„Papa II. nihil Conciliorum œ-
„cumenicorum autoritati con-
„trarium protulit, eum de eodem
„argumento hæc ſcripſit: *Specia-*
„*lis Synodalium Conciliorum cauſa*
„*eſt fides. Quidquid ergo præter fi-*
„*dem agitur, nihil obſtat ſi ad judi-*
„*cium revocetur*: Si Jeſuitæ non-
„nulli aliique Theologi ſibi lice-
„re putaverunt Theodoreti libros
„ut orthodoxos defendere, ſerva-
„to Catholico nomine, tametſi
„Epiſcopi illius, inter Eeeleſiæ
„Græcæ proceres præſtantiſſimi,
„libros ritè diſcuſſos poſt mor-
„tem ejus ut impios proſcripſerit
„Concilium ex œcumenicis u-
„num: Si demum trium Concì-
„liorum generalium anathemata,
„duorumque Pontificum ſenten-
„tiæ, quibus Honorii Papæ Epi-
„ſtolæ poſt ejus mortem ut hære-
„ticæ damnatæ ſunt, ipſeque hæ-
„reticis annumeratus, non pro-
„hibuerunt ne tres Eminentiſſi-
„mi Eecleſiæ Romanæ Cardina-
„les, pluteſque alii Theologi,
„integrum ſibi eſſe putaverint,
„non perſonæ tantummodò il-
„lius Pontificis defenſionem ſuſ-
„cipere, ſed ejus etiam Epiſtolas
„ab omni errore puras aſſerere,
&c.

Igitur

auteur condamné depuis ſa mort dans toute la terre, Toto orbe damnatum, *comme ſaint Hierôme dit d'Origene: Et ſi encore qu'un Concile general ait dit:* Anatheme à ceux qui n'anathematizeront pas Origene, *ils n'ont point ceſſé d'être catholiques, pour avoir publié des livres qui portent pour titre,* La défenſe d'Origene, Origenes defenſus, *&* le ſalut d'Origene. *Si le V. Concile general crut pouvoir condamner comme impie une lettre d'un Evêque mort catholique, ſans faire tort au Concile œcumenique de Calcedoine, où cette même lettre avoit été lûë publiquement ſans avoir été marquée d'aucune cenſure. Et ſi le Pape Pelage II. n'a rien avancé de contraire à l'autorité des Conciles œcumeniques, lors qu'il a dit ſur ce ſujet:* Specialis Synodalium Conciliorum cauſa eſt fides: Quidquid ergo præter fidem agitur, nihil obſtat ſi ad judicium revocetur: *Que la foy eſt le ſujet particulier pour lequel on aſſemble les Conciles; c'eſt pourquoi tout ce qui s'y reſout hors la foy, peut être examiné & jugé de nouveau. Si les Jeſuites & d'autres Theologiens ont crû pouvoir, ſans ceſſer d'être catholiques, ſoutenir comme orthodoxes les écrits de Theodoret, l'un des plus ſçavans Evêques de l'Egliſe Grecque, qu'un Concile general, tenu après ſa mort, a condamnez comme impies après les avoir examinez. Et ſi nonobſtant les anathemes de trois Conciles generaux, & les condamnations de deux Papes, qui ont declaré hérétiques les lettres du Pape Honoré après ſa mort, & l'ont mis lui-même au nombre des hérétiques; trois Cardinaux & beaucoup d'autres Theologiens croïent avoir droit de juſtifier, non ſeulement la perſonne de ce Pape, mais auſſi ſes lettres comme exemtes de toute erreur, &c.*

Igitur Epiſtolæ meæ verba, ut cum iſtis quæ antecedunt connexa ſunt, ita cum his legi ac dijudicari debent.

„ Qua verò æquitate iſtud poſſit „aſſeri, hanc juſtam inurendæ ali„cui catholico notæ hæreſeos cau„ſam eſſe, quod vel dubitet, vel „modeſto ſe ſilenrio contineat, vel „reverenter refugiat atteſtari aliquas „propoſitiones, nonnulli Eccleſiæ „Catholicæ Epiſcopo in Pontificia „Conſtitutione poſt mortem ad„ſcriptas, verè illius eſſe, quia ni„mirum Catholico illi Librum E„piſcopi accuratè legenti non oc„currerunt: præſertim cum idem „ille ſuam conſcientiam non pro„dere, aut oculorum ſuorum teſti„monium non reluctari contentus, „in mera ſcilicet facti quæſtione, „ab omni circa ipſum factum iſtud „contentione abſtinere paratiſſi„mus ſit, ac etiam ſuum hunc ſen„ſum reverenti ſilentio obtegere: „quo quidem obſequio nullum un„quam religioſius in rebus facti ex„hibitum eſt Conciliis etiam œcu„menicis.

Præterea, quod diligenter animadvertendum eſt, hic agitur tantùm de illa juris Eccleſiaſtici quæſtione: An qui dubitet de facto aliquo in Pontificia Conſtitutione expoſito, ob id unum cenſeri debeat hæreticus, & à Chriſti corpore ſegregatus. Negavi ego, tot exemplorum autoritate & omnium Theologorum conſenſione permotus. In re igitur ipſa nihil à me peccatum eſt, ac ne in verbis quidem; quæ ut hic exhibentur, planè innoxia, & religioſæ modeſtiæ plena, quivis profectò facilè recognoſcit.

Hæc ad ea quæ in Epiſtola mea notata ſunt, quam candidiſſimè ac veriſſimè potui, ſi minùs diligenter, ſaltem pro temporis brevitate notavi. Vos autem, Sapientiſſimi Viri, ſupplex oro & obteſtor, ut pro veſtra pietate, eruditione, ac providentia, quæ à me ſunt vobis repræſentata, diſpicere atque expendere dignemini. Non poſtulo ut propter me veritas lædatur; ſed ut ne quodammodo in me læſa videatur. Nolite quæſo ſinere ut mihi crimini detur, quod ſententias, ac verba mea, è ſententiis ac verbis ipſis ſanctorum Patrum exprimere conatus ſim, quodque in re facti, de qua interdùm dubitari poſſe omnes Theologi conſentiunt, ſi quis dubitet, erroris aut hæreſeos notâ percelli non ideò debere docuerim. Mihi autem, adſit modò Dei gratia, quicquid vel nunc vel olim accidat, & Petri Succeſſorem Chriſti Vicarium, & Illuſtriſſimos Eccleſiæ Præſules impensè obſervare ac venerari certiſſimum eſt. Chriſtum verò, qui fons eſt omnis charitatis, rogo & deprecor, ut ipſius vos Spiritu regente, id in ampliſſimo conſeſſu veſtro decernatur, quod ad ipſius veritatis tutelam, ad animorum tranquillitatem atque concordiam, & ad nobiliſſimi Corporis veſtri, cui me quamvis indignum ac debile membrum adſciſcere dignari eſtis, honorem redundet & gloriam.

Sic ſubſcriptum

ANTONIUS ARNALDUS,
Doctor ac Socius Sorbonicus.

VI.

EPISTOLA
ET ALTER APOLOGETICUS
ANTONII ARNALDI
DOCTORIS ET SOCII SORBONICI,

Ad Sacram Facultatem Pariſienſem in Sorbonâ Congregatam, die 17. *Jan. an.* 1656.

MONITUM

Ubicumque aio gratiam alicui deeſſe ſine qua tentatio vinci non poteſt, de ea ſemper id poteſtate intelligi volo, ut ſæpè ſignificavi, quam proximam, immediatam, & expeditam Theologi appellant; & de eâ tentationis victoriâ quæ ſalubris ſit & ſecundùm Deum.

Venerando Domino Decano & Sapientiſſimis Viris S. Facultatis Pariſienſis Doctoribus.

PRopoſitionem Epiſtolæ meæ, quæ juris & doctrinæ eſt, cùm in ampliſſimo cœtu veſtro nunc primùm expendendam ac dijudicandam acceperim, Viri ſapientiſſimi, hunc Apologeticum, in ejus defenſionem à me conſcriptum, vos oro atque obteſtor ut benignè accipere dignemini. Reum enim audiri, & ea omnia quibus ſublevari poſſet attendi, cùm juſtitia humana præcipit, tùm materna Eccleſiæ indulgentia etiam hoſtibus ſuis, nedum filiis, ultrò ſemper ac libens obtulit. Hanc igitur loci qui in epiſtola mea reprehenditur defenſionem, ſi antequàm de doctrina ipſa ſtatuatur, ut veſtra me benignitas ſperare jubet, expendatis, omnes illas quibus locus ille hactenus exagitatus eſt difficulta-

tes

tes explanatas in ea, ni fallor, ac diſſolutas reperietis. Cùm enim nihil ſit in propoſitione mea quod culpari queat, niſi vel verba vel ſenſus; intelligetis profectò, verba ſi reprehendantur, non mea, ſed Clariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Chryſoſtomi & Auguſtini, è quibus ea mutuatus ſum, verba reprehendi: ſi autem ſenſus arguatur, meum certè ſenſum, meam mentem, non ab alienis, ſed à meipſo ſolo, præter Deum, cordis atque intentionis meæ teſte atque interprete eſſe repetendam. Quare jam totum loci hujus epiſtolæ meæ judicium partim è SS. illorum Patrum authoritate, ubi verba mea, partim ex Apologetici hujus inſpectione, ubi ſenſus meus continetur, pendeat neceſſe eſt. Cùm enim in hac cauſa, non de perſona, ſed de una propoſitione meâ Facultas ſententiam ferre decreverit; à doctrina quam ipſa propoſitio exhibet, ad alias controverſias me deduci, præter omnem æquitatem eſt. Declarationis prætereà meæ, qua vel Summo Pontifici Chriſti Vicario, vel Illuſtriſſimis Eccleſiæ Principibus quàm maximâ potui modeſtiâ atque animi ſubmiſſione ſatisfacere curavi, rationem vos pro æquitate ac benignitate veſtra habituros ſpero, ac in cujuſvis è Facultate noſtra Doctoris poteſtate futurum, ut quid de ea ſentiat, pro uſitata ſemper in Comitiis noſtris conſuetudine pronuntiet. Si enim hominis qui incuſatur vocem omnem, quâ ſe purgat, homines omnes, qui modò ſe homines, nedum Chriſtianos ac Sacerdotes meminerunt, cum aliqua miſeratione ac propenſa voluntate ſuſcipiunt, durius ſanè & immiſericordius videatur, ſi unius è fratribus veſtris, etiam cum ſe quàm humillimè poteſt demittit, vox inaudita repudietur.

Obſequentiſſimus Veſter

ANTONIUS ARNALDUS,
Doctor ac Socius Sorbonicus.

Die 16. Januarii,
An. S. 1656.

A N-

ANTONII ARNALDI

DOCTORIS ET SOCII SORBONICI

APOLOGETICUS ALTER,

Ad Sacram Theologiæ Facultatem Pariſienſem.

APologetico ſcripto ad loci unius, qui in Epiſtolâ meâ notatus fuerat, doctrinam illuſtrandam ac defendendam ad vos miſſo, VIRI SAPIENTISSIMI, exiſtimaveram fore, quod & in hujuſmodi fieri ſolet, ut Epiſtolæ meæ reprehenſores, ſi à me dictis minùs aſſentirentur, rationes certè meas rationibus coarguere, & SS. Patrum teſtimonia à me allata vel aliter exponere, vel aliis impugnare, vel quoquomodo diluere, atque infirmare ſtuderent.

Nunc verò aliud eos conſilii cepiſſe, aliam planè viam inſtitiſſe accipio. Omiſſis enim quæ tractanda potiſſimùm & excutienda erant, nec Scripturarum oracula à me repræſentata advertere, nec ſanctiſſimorum Eccleſiæ Doctorum placita attendere, ne dum perpendere dignati ſunt. Quin & doctrinæ meæ argumenta à me producta, ipſi ſubterfugia appellare contenti, alia planè ſiluerunt, alia leviter tantùm perſtrinxerunt, & à re quâ de agitur, ad aliena digreſſi ſunt.

Ut igitur eundem Epiſtolæ meæ locum de integro tuear, tria hîc faciam. Primùm quidem commemoratis iis quæ illi vix, aut ne vix quidem attingenda putarunt, aperiam ea, quæ ut vera & orthodoxa ſponte confeſſi ſunt. Deinde ex iis quæ vel ſilentio ſuo ſibi ineluctabilia declaravêre, vel ſuâ ſponte conceſſêre, ea quæ negant, certiſſimè conſequi, planum facere ac demonſtrare conabor. Denique locum illuſtrem Cardinalis Bellarmini de præceptorum impoſſibilitate per Tridentinam Synodum damnatâ, quem à me in priori ſcripto citatum Inquiſitores falſi arguerunt, ab eorum reprehenſione vindicabo.

SECTIO PRIMA.

Quæ à Diſquiſitoribus vel de induſtriâ prætermiſſa ſunt, vel leviter perſtricta, vel ultro conceſſa, recenſentur.

OBSERVATIO I.

PRopoſitionem in Indiculo notatam, non meam eſſe, ſed Chryſoſtomi & Auguſtini; & eam quidem ex illorum non ſenſibus modò, ſed & verbis ipſis expreſſam,

ſam, priori meo Scripto liquidò demonſtravi. Reprehenſores autem mei cum à me rogati eſſent, ut quâ in re ſententia mea quam incuſant, à Chryſoſtomi & Auguſtini ſententiâ diſcreparet, aperire dignarentur, ſolum mihi ſilentium oppoſuerunt, ac de re tantâ, in quâ quæſtionis cardo vertitur, tacere compulſi ſunt. Nôrant videlicet ea quæ planè ſimilia ſunt, ſeſe diſſimilia efficere non poſſe, nec in iis tergiverſationi locum eſſe, quæ per ſe ſplendidiſſima ſunt, atque oculorum ipſorum teſtimonio explorantur. Conferantur enim hæc tria inter ſe Epiſtolæ meæ loca, & ipſi oculi judicent num inter illa quicquam diſcriminis ſit.

Auguſtinus in Epiſtola laudatus, pag. 220.

Quid eſt enim homo SINE GRATIA DEI, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum. Et ideò B. Petrum paululum Dominus ſubdeſeruit, ut in illo totum hominum genus poſſet agnoſcere, NIHIL SE SINE DEI GRATIA PRÆVALERE.

Chryſoſtomus in Epiſt. laudatus, pag. 226.

Caſus Petri non frigiditate, ſed SUPERNI AUXILII DERELICTU CONTIGIT.... Illa negatio non tam erat ſocordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quod eum Deus deſeruerat, erudiens eum, ut humanam ſciret menſuram..... Et ſciret QUOD ABSQUE DEO NIHIL POTEST FIERI.

Autor Epiſtolæ hæc eadem Patrum illorum verba repetens, pag. 226.

SS. Patres nobis in B. Petro exhibent hominem juſtum, cui GRATIA SINE QUA NIHIL POSSUMUS, DEFUIT.

Les Peres nous montrent un juſte en la perſonne de S. Pierre, à qui LA GRACE SANS LAQUELLE ON NE PEUT RIEN A MANQUÉ.

OBSERVATIO II.

Quis ſit ſenſus horum Epiſtolæ meæ verborum; *La grace ſans laquelle on ne peut rien*, quàmque ex iis colligi minimè poſſit, Petrum omnis omnino gratiæ quâ quicquam poſſet, expertem fuiſſe, jam cuivis, quantùm opinor, manifeſtiſſimum eſt. Luculenter enim oſtendi, cum de gratiâ loquens, poſt Chryſoſtomum & Auguſtinum, epitheti vice ſubjungo: *Gratia ſine quâ nihil poſſumus*; exprimere me quod à Chriſto dictum eſt; *Sine me nihil poteſtis facere*; & quod à Cœleſtino Pontifice in Epiſtolâ ad Gallos cap. 9. *Quia per illum aliquid poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.* Has verò loquendi formulas cùm pro ſubjectâ materiâ intelligi debere nemo neſciat; neque hîc de quâvis gratiâ diſputem, ſed de illâ tantùm gratiâ efficaci quæ Petro neceſſaria erat, ut ex vero pietatis affectu tam gravem tentationem ſuperare cum effectu poſſet; cùm de illo dico poſt Chryſoſtomum, defuiſſe ei gratiam ſine quâ nihil poſſumus, obvium & planum

pro-

propoſitionis meæ ſenſum eſſe; defuiſſe ei gratiam illam, ſine quâ nihil poterat, quod ad vincendam reipſâ tentationem illam attinet.

Facile enim videre eſt, iis in verbis involutam ejuſmodi argumentationem latere: Sine gratiâ, teſte Chriſto, nihil poſſumus: At, ex Chryſoſtomo, Auguſtino, cæteriſque Patribus, Gratia Petro in tentatione defuit: Ergo Petrus, ſibi ipſi relictus, tentationem ſuperare non potuit; ſive, ut ait Hilarius in Pſal. 52. n. 12. *Reſponſionis non potuit tenere conſtantiam.* Quemadmodùm ſi quis ita loqueretur: Chriſto *confortante me*, *in quo* ſecundùm Apoſtolum, *omnia poſſumus*, ab illâ me tentatione expedivi; nemo ſanus inde concluderet, eum qui ſic loqueretur, quidvis agendi poteſtatem ſibi arrogaviſſe, ſed tantùm illam tentationem ſuperandi, eoque illum argumento uſum. Omnia, teſte Paulo, in eo poſſumus qui nos confortat: At in illâ tentatione Chriſtus me confortavit: Ergo illius ope ab eâ me tentatione expedire potui.

Non igitur alia mihi mens ſine calumniâ affingi poteſt; neque aliud quicquam ex verbis Chryſoſtomi & Auguſtini à me relatis concludi, quàm quod me ſignificare voluiſſe profeſſus ſum; Petrum ſcilicet, cùm efficacis gratiæ præſidio in tentatione caruerit, viribus etiam ad tentationem ſuperandam idoneis caruiſſe; adeóque diſcipulum illum, cùm tunc eſſet infirmior, Dominum ſuum uſque ad mortem ſequi non potuiſſe. Quæ quidem ſententia, ut jam dixi, Chriſti ſententiæ adſtipulatur, ipſiuſque & verbis & ſenſui planè conſentit, cùm Petrum ſuæ infirmitatis admonens ait: *Non potes me ſequi modò.*

OBSERVATIO III.

Adeò planam & expeditam propoſitionis meæ explicationem levi certè machina Inquiſitores impugnavêre: Omni prorſus gratiâ Petrum me ſpoliare contendunt, ſéque id probare aiunt ex antecedentibus, ubi de infidelibus & excœcatis diſputo, quos omni gratiâ deſtitutos fuiſſe exiſtimo. Sed quis non miretur adeò inſolitam argumentandi rationem? Ubi de infidelibus ago, nullam prorſus in iis veram Chriſti gratiam agnoſco. Fateor; neque id mirum, cùm ab Auguſtino cæteriſque Patribus didicerim, gratiam Dei per Chriſtum piis & impiis, fidelibus & infidelibus minimè eſſe communem. Ergo idem de Petro fideli, pio, juſto ſentio, cùm ei poſt Chryſoſtomum eam gratiam in tentatione defuiſſe aio, ſine quâ nihil poſſumus. Quis viros graves ita diſſerere poſſe exiſtimaret? Quis enim neſciat vitium eſſe in raciocinando vel maximum, cùm quis ex uno genere tranſit ad alterum, quodque in uno eóque diverſo valet, hoc ipſo valere etiam contendat in altero.

Sed ad unum, inquient, eumdémque ſcopum univerſa illa conſpirant. Neque id nego, ſed ſua quodque ratione. Hoc nempe

Anna-

Annati pronunciatum, quod pro Catholico dogmate venditabat, oppugnandum ſuſceperam: * „Gratiam interiorem voluntati „noſtræ neceſſariam, ut id poſſit „velle quod ipſi à Deo præcipi„tur, nunquam illi deeſſe in ea „occaſione in qua peccat. Huc igitur tendit quicquid vel de infidelibus, vel de excœcatis, vel de Judæis, vel etiam de juſtis dixi, neque aliud ex omnibus illis exemplis colligi volui, quàm falſum eſſe quod tam audacter Annatus affirmaverat, neque negari poſſe, quin deſit nonnumquam homini ea gratia quâ poſſit facere quod Deus jubet in eâ ipſâ occaſione, in qua peccat. Atqui nemo non videt ad id probandum nequaquam requiri ut Petrus omnis omninò gratiæ expers fuerit, ſed ſolùm ut in eâ occaſione in quâ peccavit, ejus gratiæ expers fuerit, ſine quâ tentationem ſuperare non poterat.

Quare Inquiſitorum illa reprehenſio, juſtam mihi de iis expoſtulandi materiam præbet. Jam enim video quo conſilio propoſitionem meam mutilaverint, & ab illâ ea reſecuerint quæ continenter, & ne ullo quidem commate interpoſito attexta clariſſimè oſtendebant, quæ de Petro dixi, ad unam illam Annati ſententiam, quam ipſi tutari auſi non ſunt, evertendam referri, non autem ad ullum dogma ſtabiliendum, multò minùs ad damnatarum ab Innocentio Propoſitionum, quas & ipſe me toties damnare profeſſus ſum, primam defendendam, quod tamen mihi per calumniam tam apertè iniquâ affingere non dubitant. En integer Epiſtolæ meæ locus. † „Intereà, Vir Illuſtriſſime, veritas „magna hæc, per Evangelium „conſtituta & Patrum teſtimonio „confirmata, quæ nobis in B. Pe„tro exhibet hominem juſtum, „cui gratia ſine qua nihil poſſu„mus, in ea defuit occaſione in „qua eum non peccaſſe, dici non „poteſt, ſtatim evaſit in Calvi„nianam hæreſim „ ſi qua fides „Molinæ ſectatoribus, qui iſtud „aſſerere non verentur; Ex iis „doctrinæ capitibus, quæ ab om„nibus Theologis unanimi con„ſenſu propugnantur, nec ab aliis „quàm à Calvini diſcipulis vo„cantur in dubium, unum iſtud „eſſe, *Quod gratia interior nulli* „*non adeſt homini in iis occaſionibus* *in*

* *Que la grace interieure qui eſt neceſſaire à notre volonté, afin qu'elle puiſſe vouloir ce que Dieu exige d'elle, ne lui manque jamais dans l'occaſion où elle peche.*

† *Cependant, Monſeigneur, cette grande verité établie par l'Evangile, & atteſtée par les Peres, qui nous montre un juſte en la perſonne de S. Pierre, à qui la grace ſans laquelle on ne peut rien, a manqué dans une occaſion où l'on ne peut pas dire qu'il n'ait point peché, eſt devenuë tout d'un coup l'hereſie de Calvin, ſi nous en croions les diſciples de Molina, qui ne craignent point de dire; Que ce point, ſçavoir que la grace interieure ne manque jamais à l'homme dans toutes les occaſions où il ne peut faire ſans ſon aide ce que Dieu commande, eſt un de ceux dont generalement tous les Theologiens Catholiques tombent d'accord, & qui ne ſont conteſtez que par les Calviniſtes.*

„*in quibus ſine illius adjutorio Dei* „*præceptum implere non poteſt.*

Quo conſilio in Indiculo ſuo poſt hæc verba ſubſtiterint, *les diſciples de Molina*, neque ſequentia addiderint, ipſi jam manifeſtum fecêre; ut ſcilicet in alienos ſenſus propoſitionem meam faciliùs traherent, cùm ſi integram illam exhibuiſſent, nemo non vidiſſet, quod de Petro omnis omnino gratiæ experti mihi adſcribunt, à propoſito meo alieniſſimum fuiſſe, cùm adversùs Annatum id unum contenderem, Petrum in eâ occaſione in quâ peccavit, eâ gratiâ fuiſſe deſtitutum, per quam tentationem illam ſuperare poſſet.

Quòd ſi ex antecedentibus mentem meam expiſcari lubebat, quantò potiùs attendere debuiſſent quod de ipſo Petro dixi, p. 218. * „Si credere neceſſe eſt, „S. Petrum, qui utique juſtus „erat, tunc cum ex mortis metu „tentatus eſt, per interiores „actualeſque motus, OMNI illa „gratia inſtructum fuiſſe, quæ illi „neceſſaria erat, ut poſſet tentationem ſuperare, Chriſtumque Dominum ad mortem uſque ſequi; quamvis idem Chriſtus, qui Veritas ipſa eſt, illi „denuntiaſſet, Quod nec ipſum „confiteri, nec pro ipſo mori tunc „temporis poterat: *Non potes* „*me ſequi modò.*

Nonne hic locus evidenter demonſtrat, non mihi mentem fuiſſe, cùm de Petri lapſu loquor, omnem omnino gratiam etiam actualem & interiorem ab illo amovere, ſed tantummodo adversùs Annatum oſtendere, non omnem Petro in illâ tentatione gratiam adfuiſſe, quæ ipſi neceſſaria erat, ut tentationem ſuperare poſſet: *Qu'il n'avoit pas alors* TOUTE LA GRACE *qui lui étoit neceſſaire pour pouvoir vaincre cette tentation.*

Conſtat ergo, & ex ipsâ verborum meorum ſerie ac tenore clariſſimè liquet, hunc unum & germanum eſſe orationis meæ ſenſum; alterum autem qui mihi affingitur, in eam non niſi aliunde per calumniam accerſitum invehi poſſe.

OBSERVATIO IV.

Cùm in meâ propoſitione ad hunc modum expoſitâ nihil eſſe docuerim quod à SS. Patribus traditum non ſit, Inquiſitorum erat ad hæc tot & tanta SS. Patrum teſtimonia reſpondere, ſi cenſuram ſuam tueri vellent. Quod cùm non fecerint, ſed ne tentaverint quidem, ut qui ea clariora eſſe perſpicerent, quàm ut ullis nebulis poſſent obſcurari, pro confeſſo iterum habendum eſt, eam illos Propoſitionem hæreſeos

* *Si on eſt obligé de croire que S. Pierre, qui étoit juſte, étant tenté par la frayeur de la mort, a eu par des mouvemens interieurs & actuels,* TOUTE LA GRACE QUI LUI ETOIT NECESSAIRE, *pour pouvoir vaincre cette tentation, & ſuivre* JESUS-CHRIST *juſqu'à la mort, quoi que* JESUS-CHRIST, *qui eſt la Verité même, lui eut declaré, Qu'il ne pouvoit alors le confeſſer & mourir pour lui:* Non potes me ſequi modò.

teſeos notare, quæ certam & exploratam apud SS. Patres & auctores omnes Catholicos doctrinam complectatur. Quod quale ſit, & quàm Chriſtianæ fidei exitiale, nemo ſcienter pius aut piè ſciens eſt, ut Auguſtini verbis utar, qui cum dolore & gemitu non perſpiciat.

OBSERVATIO V.

Inter cætera verò maximè obſervandum eſt, ante Scripti mei editionem reprehenſores Epiſtolæ præcipuum accuſationis ſuæ firmamentum in eo collocaſſe, quòd juſtum in Petro demonſtrari dixerim cui gratia defuerit, cùm contra illi ſummâ animi contentione affirmarent, Petrum antequam tentaretur, à juſtitiâ excidiſſe, ut qui ſe tribus criminibus anteà obſtrinxiſſet. Ubi verò tertia hæc propoſitionis meæ pars ita ſolidè confirmata eſt, & omnis generis teſtimoniorum vi roborata, ut nullus jam cavillationi locus ſupereſſet; ex eo magna illa quam antea præ ſe ferebat de Petri criminibus deſignandis confidentia jacuit repente & obmutuit. Veriti ſunt enim, ne qui Petri ſucceſſoris Conſtitutionem tuendam ſuſcepiſſe exiſtimari volunt, ſi in levioribus Petri culpis horrendas prolapſiones & immania quædam ſcelera comminiſci pergerent, Magdeburgenſium, Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis hoſtium, improvidam temeritatem æmulari viderentur.

Unus tantùm ex iis inventus eſt, qui Petri, ut me premeret, deprimendi non omnino abjecto conſilio, duobus me Joannis locis fraudulenter abuſum fuiſſe criminatus eſt. *In priori enim*, inquit, *Chriſtus Apoſtolos quidem mundos vocat, ſed ante præſumtionem Petri; in poſteriori autem mundos vocat, ſed ſolius fidei munditiâ.* Verùm quòd in priori illo loco fraudulentiæ me coarguit, quaſi quòd Chriſtus ante præſumtionem Petri dixerit, poſt eam dictum ſignificare voluerim, ab ejus reprehenſione ad oculorum omnium, latinè modò ſcientium, fidele teſtimonium provoco. Ideò enim ut ex ſolâ verborum meorum lectione clariſſimum eſt, prioris illius loci in quo ante illam Petri jactantiam Apoſtoli mundi dicuntur, mentionem feci, ut altero mox citato in quo poſt illam Petri præfidentiæ culpam, Apoſtoli nihilominùs mundi pronuntiantur, quam Petro primùm ut ceteris Apoſtolis munditiam Chriſtus attribuerat, eam etiam poſt leviorem illam culpam perſeveraſſe in eo, & ab eodem Chriſto commendatam fuiſſe probarem. Ideò in ſecundo loco commemorando hæc verba de induſtriâ appoſui: *Poſtquàm Petrus tribus, ut volunt, ſe criminibus obſtrinxiſſet, imò & reliqui Apoſtoli mortale etiam facinus admiſiſſent, ſi illis fides eſt.* Igitur ex toto orationis meæ contextu, hæc mea mens, hæc argumentatio perſpicuè elucet: Chriſtus Petrum & Apoſtolos ante nimiam illam confidentiam mundos dicit, eoſdem poſt illam mundos de integro pro-

pronunciat: Priorem igitur munditiam ſubſequens, quæ adeò gravis fingitur, culpa non ſuſtulit; cùm eam ipſam, poſtquàm admiſſa eſt, ejuſdem munditiæ repetita teſtificatio ſubſecuta ſit.

Quòd autem ait hunc ſecundum Chriſti locum de ſola fidei munditiâ explicari debere, ſi de fide mortuâ id intelligat, quaſi Petrus & reliqui Apoſtoli charitatem, quam antea habuerant, nimiâ ſuâ præfidentiâ jam amiſiſſent; Chriſtus ipſe mentem ſuam minimè ſic exponi ſinit, cùm ibidem addat: *Manete in me, & ego in vobis. Ego ſum vitis, vos palmites. Manete in dilectione meâ. Ego vos dixi amicos, &c.* Quæ quidem omnia planiſſimè demonſtrant, abſciſſo Juda palmite infrugifero, reliquos Apoſtolos, Chriſto veræ Viti, tamquam vivos palmites junctos fuiſſe, neque per ſolam fidem mortuam, ſed etiam per dilectionem, & charitatem, licet minùs perfectam & multùm illi imparem, quæ ipſis poſteà per adventum Spiritus ſancti conferenda erat.

Sed ab iſtâ interpretatione, ſi minùs aliorum, præceptoris certè ſui Doctoris Angelici, & clariſſimi inter ſuos Cardinalis Cajetani autoritate deterreri debuit: Quorum alter (*D. Thom.* 2. 2. *q.* 24. *art.* 12.) Petrum, cùm negavit Chriſtum, *charitatem amiſiſſe*, quam proinde habebat; *& eam citò recuperaſſe*, diſertè aſſerit: Alter verò (*Cajet. in Matt. c.* 26.) *Petrum ideò cecidiſſe, & perdidiſſe charitatis gratiam, quia Deus eum reliquerat ſibi ipſi prædito charitate & gratia habituali.*

His teſtimoniis addi poteſt eximius Auguſtini locus, *De Symbol. ad Catech. l.* 2. *c.* 6. qui juſtum labentem in Petri Chriſtum negantis perſonâ demonſtrari, iiſdem planè, quibus in Epiſtolâ meâ uſus ſum verbis expreſſit. *Tunc latro confitebatur*, ait, *quando Petrus turbabatur. Tunc iſte agnovit, quando ille negavit. Sed nunquid quia Dominus acquiſivit latronem, Petrum perdidit negatorem? Abſit, abſit. Agebat myſterium, qui fundebat pretium*, IN PETRO DEMONSTRANS, NON IN SE QUEMQUAM JUSTUM *debere præſumere; in latrone, nullum impium converſum poſſe perire. Timeat bonus, ne pereat per ſuperbiam* (quæ ſcilicet in causâ ſit, cur Dei gratiâ non adjutus in peccatum ruat, uti Petro contigit) *non deſperet malus de multâ malitiâ.*

OBSERVATIO VI.

Etſi fundatiſſima Auguſtini de gratiâ doctrina, *quam Romanæ Eccleſiæ Præſules, Præſulumque conventus aliorum, ratam & catholicam eſſe judicarunt*, ut fatetur etiam Jeſuita Petavius *Dog. Theol. tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 6. ſatis ipſa ſe graviſſima Eccleſiæ autoritate tueatur, gratulandum tamen Inquiſitoribus noſtris, quòd eam ipſi ultrò agnoverint ab omni erroris ſuſpicione liberam, imò & ſe gaudere dixerint, quod etiam S. Auguſtini doctrina *ſecurè dormiat inter medios cleros, & ſarta tectaque ſit, & quod habuerit Innocentium I. quarto ſæculo* (5. dicere debue-

buerunt) *ſui defenſorem*; *Innocentium autem X. hoc ſæculo vindicem à Wiclephi & Lutheri hæreſi.* Fixum ergo ratúmque ſit, Inquiſitoribus ipſis annuentibus, quod ab Auguſtino poſitum & decretum eſſe conſtiterit, nulli cenſuræ obnoxium eſſe poſſe.

OBSERVATIO VII.

Neque minùs honorificè de S. Thomæ doctrinâ locuti ſunt. Agnoverunt enim cum Patre Annato, quæ à ſancti Thomæ diſcipulis de divinâ gratiâ hactenus tradita ſunt, per Pontificiam Conſtitutionem minimè eſſe damnata; neque minùs quàm anteà cuivis ea tueri liberum eſſe.

OBSERVATIO VIII.

Ultrò etiam profeſſi ſunt *optimam eam eſſe doctrinam*, quæ cum Auguſtino ſanctiſque Patribus, & universâ S. Thomæ ſcholâ, victricem, & per ſe efficacem Chriſti gratiam ad ſingulos pietatis actus neceſſariam eſſe contendit.

OBSERVATIO IX.

Nec abnuerunt etiam erroris omnis expertem eſſe eorum ſententiam, qui poſt Auguſtinum, teſte ipſo D. Pereiret, Judæos ad vetus teſtamentum pertinentes, excæcatos, induratos, infideles, omni gratiâ carere affirmant. Hæc enim *problematicè in ſcholis diſputari*, primus illorum Inquiſitorum diſertè agnovit.

OBSERVATIO X.

Cùm ad Theſes in priori Scripto laudatas, quarum altera à D. Hallier, altera à D. Grandin tum Syndicis ſubſcriptæ ſunt & approbatæ, nihil Inquiſitores repoſuerint; manifeſtum omnibus eſſe debet, doctrinam in iis contentam, & in Sorbona publicè propugnatam, ab omni erroris aut hæreſeos ſuſpicione liberam eſſe: ex quâ quid conficiatur, poſteà videbimus.

OBSERVATIO XI.

Quæ autem hîc animadvertenda notavimus, ex Doctiſſimi Cardinalis Perronii duabus eximiis, & ad dijudicandas fidei controverſias perutilibus regulis concludere libet. Primâ hæc eſt: *Ut doctrina aliqua à SS. Patribus pro Catholica & orthodoxa univerſim tradita eſſe dicatur, eam in omnibus Patrum monumentis reperiri minimè neceſſe eſt. Neque enim omnes ſcripſêre de omnibus, nec omnium ad nos Scripta pervenêre: verùm doctrinæ alicujus pro catholicâ habendæ id erit certiſſimum indicium, cum regionis cujuſque clariſſimi Patres ad confirmandam eam conſentiunt; nec quiſquam, niſi deterioris ac ſuſpectioris notæ, ab eâ diſſenſerit. Sic B. Auguſtinus adversùs Pelagianos, undecim; ſic Synodus Epheſina adversùs Neſtorium, decem Patribus iiſque illuſtribus in doctrinam unam conſpirantibus in medium adductis, univerſæ Eccleſiæ fidem communem, & prioris ævi conſenſum ſeſe repræſentaſſe judicavit. Igitur quod à magni nominis Patribus, in variis Chriſtiani orbis regionibus ita aſſertum fuerit, ut nemo niſi notatus ab Eccleſiâ diſſenſerit, id pro universâ & catholicâ doctrinâ habeatur oportet.* Hactenus Perronius in Epiſtola ad Caſaubon. Obſerv. 5.

Observatio XII.

Altera eſt ejuſdem Cardinalis regula, quam adverſùs heterodoxos Eccleſiæ Catholicæ nomine his verbis proponit : *Sancti Patres locis iis quæ ad tuendam doctrinam noſtram proferimus, quod nos aſſerimus diſertè aſſerunt; locum verò quo id quod docemus diſertè negent, adverſarii noſtri ne unum quidem afferre poſſunt. Verùm ex aliis locis, aliqua tantùm velut conſectanea inferunt, quæ apud æquum tribunal ne audienda quidem putarentur. Quis enim non videat quàm ſit iniquum, ut expreſſas Patrum perſp. uáſque ſententias, iis quæ è nonnullis eorum vocibus perperàm intellectis & expoſitis per conſecutionem colligantur, evertere ſtudeas; cùm in ejuſmodi argumentandi genere paralogiſmus & fucus aliquis plerumque lateat. Valet id quidem ut ſanctos illos Doctores reos peragas, & quaſi incautos in diſputando, atque à ſe ipſis diſcrepantes incuſes, non autem ut eos pro judicibus, eorúmque placita pro ratis & inviolatis habeas.* Ibid. in fine Epiſtolæ.

SECTIO II.

Propoſitio in Indiculo notata, omnis erroris ac hæreſeos expers demonſtratur.

PRæmiſſis iis quæ Diſquiſitores vel tacitè vel expreſsè, hoc eſt vel nihil obloquendo, vel ſponte confitendo pro veris & catholicis habenda declararunt ; jam propoſitionem quam notant, omni vel erroris vel hæreſos ſuſpicione vacare, multis & iis quidem clariſſimis, ni fallor, atque inviċtiſſimis argumentis demonſtratur.

Prima Demonstratio.

Ex eo petita quod propoſitio non ſit Auctoris Epiſtolæ, ſed Chryſoſtomi & Auguſtini.

Qui ſcriptorem Theologum eo tantùm nomine hæreſeos accuſant, quòd primariorum Eccleſiæ Doctorum ſententiam ipſorum verbis ſincerè ac fideliter retulerit, neque cauſari poſſunt ſententiam illam ab exſcriptore vel in verbis vel in ſenſu corruptam fuiſſe, non in alios quàm in ipſos Eccleſiæ Catholicæ Magiſtros cenſuræ ſuæ fulmen intorquent.

Luce autem clarius conſtat Propoſitionem, quam damnandam Inquiſitores ſuſcepere, non meam eſſe, ſed Auguſtini & Chryſoſtomi, ut in priori Scripto ita manifeſtè demonſtratum eſt, ut contrarium adſtruere ne tentaverint quidem reprehenſores mei.

Ergo non me, ſed ipſa Eccleſiæ lumina hæreſeos damnare moliuntur. Quâ autoritate, ipſi viderint. *Ego certè*, ut inviċtiſſimi olim gratiæ defenſoris verbis utar, *me in hoc periculo mittere omnino non audeo, quia cum tantis ac tam ſanctis viris, non rixam, ſed pacem*

pacem & qualemcumque partem habere deſidero. Cæſar. Arel. in cauſa Contumelioſi in Conc. Gall. Tom. p. 235.

SECUNDA DEMONSTRATIO.

Ex communi Patrum doctrinâ.

A Concilio Tridentino ſeſſ. 4. graviſſimè prohibetur, *Ne quis contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat.* Ex certiſſimâ verò Perronii regulâ, de quâ ſuperiùs egimus, Sect. 1. Obſerv. 11. *Satis magnum eſt unanimis Patrum conſenſûs argumentum, cùm præcipui è Patribus in regionibus diſſitis doctrinam aliquam tradunt, neque ullus alicujus in Eccleſiâ autoritatis contrarium ſenſit.*

At in priori Scripto Apolog. 1. Sect. 3. (hìc pag. 35.) liquidò demonſtratum eſt, præcipuos è Patribus Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, dum Scripturas de Petri lapſu interpretantur, diſertè docere; *Petrum in illâ tentatione ſibi ipſi relictum fuiſſe; humanæ traditum eſſe puſillanimitati; divino ſibi ſubtracto auxilio cecidiſſe; Domino faciem ab illo avertente fuiſſe turbatum; divinam gratiam ad breve tempus illum deſeruiſſe; caſum illius non frigiditate, ſed ſuperni auxilii derelictu contigiſſe; reſponſionis non potuiſſe tenere conſtantiam; non potuiſſe verum teſtimonium perhibere; experientiâ cognoviſſe nihil eſſe dilectionem ſuam ſine gratiâ divinâ; expertum eſſe quòd abſque Deo nihil poteſt fieri; timore ſuo oſtendiſſe quid homo poſſit ſine gratiâ divinâ; in illo totum genus hominum agnoviſſe, nihil ſe ſine Dei gratiâ prævalere;* & plurima hujuſmodi. Neque ullum è Patribus adverſarii vel proferunt vel proferre poſſunt qui contrarium docuerit.

Non poteſt igitur illa doctrina ſine inſigni temeritate & aperto Tridentini Concilii contemptu hæreſeos inſimulari.

TERTIA DEMONSTRATIO.

Ex autoritate ſancti Thomæ.

Cùm doctrinam in B. Thomæ ſcholis traditam ab omni erroris ſuſpicione reprehenſores mei liberaverint, concludo ego &, ni fallor, evidentiſſimè demonſtro; quod in me arguunt, omnis erroris expers ipſorum judicio eſſe debere, cùm ab ipſo D. Thoma apertè traditum ſit.

Si de auxilio efficaci dictum à Chriſto eſt, *Sine me nihil poteſtis facere*, cum nemo inficiari poſſit defuiſſe tum Petro, cùm à tentatione victus eſt, auxilium Dei efficax quo illam vinceret; nemo etiam negare poteſt, quin verè & catholicè à Chryſoſtomo & Auguſtino, me referente, dictum fuerit, defuiſſe tum Petro gratiam ſine quâ nihil poſſumus.

At diſertè docet S. Thomas de *motione divinâ*, ſeu *auxilio Dei interiùs moventis*, quod efficax eſſe, & effectum illum infallibiliter habere, ad quem à Deo ordinatur, perpetuò docet, ut 1. 2. q. 112. a. 3. (a) Et q. 10. art. 4. ad

(a) Præparatio gratiæ conſiderari poteſt ſecundùm quod eſt à Deo movente, & habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quod Auguſtinus dicit lib. de Prædeſt. SS. *Quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicumque li-*

ad 3. (b) Et in quæſt. diſputat. qu. 6. de Elect. hum. ad 3. (c) de illâ, inquam, motione divina manifeſtè docet, ſine eâ, teſte Chriſto, nihil homines poſſe: *Dicendum*, inquit 1. 2. q. 109. a. 6. *quòd nihil homo poteſt facere niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joannis* 15. Sine me nihil poteſtis facere.

Ergo verè & catholicè ſecundùm D. Thomam à me dictum eſt poſt Chryſoſt. & Auguſt. Gratiam ſine quâ nihil poſſumus Petro defuiſſe; etſi nihil aliud iis verbis Patres illi ſignificare voluerint, ut anteà notavi, quàm defuiſſe tum Petro efficacem illam & ſingularem Chriſti gratiam, ſine quâ tam gravem tentationem ſuperare non poterat: quia nihil homo poteſt, niſi à Deo moveatur.

QUARTA DEMONSTRATIO.

Ex poſſibilitate præceptorum per illam propoſitionem minimè læsâ.

Cùm par fuiſſet ut Inquiſitores ad luculentiſſima Patrum teſtimonia reſponderent, ipſi contra ad pervagata & à propoſito aliena eorumdem Patrum de poſſibilitate præceptorum loca digreſſi ſunt; ſed quàm irrito conatu, ex ſuperiùs poſitâ doctiſſimi Perronii regula facilè demonſtrare eſt.

Cùm enim Patres diſertè multiſque in locis aliquid aſſerunt, qui contrarium eis affingere velit, alia loca proferat neceſſe eſt, quibus diſertè illud negetur. Sin verò ea tantùm teſtimonia afferat, è quibus per fallaces conſecutiones elicere tentet, quod Patrum ſententiis claris ipſorúmque verbis expreſſum convellat, apud æquum tribunal ne audiendus quidem eſſet, inquit eruditiſſimus Cardinalis.

Sic ſe res habet in præſenti negotio. Plurima loca SS. Patrum attuli, in quibus quod ego aſſero diſertè aſſerunt: *Petrum* nempe *gratiâ deſtitutum non potuiſſe verum teſtimonium perhibere.* Quid contra adverſarii? An vel eorumdem vel aliorum Patrum teſtimonia proferunt, quibus contra affirmetur, Petrum à Deo minimè deſertum fuiſſe, ſed divinæ gratiæ fultum præſidio ſe ad mortem pro Chriſto ſubeundam offerre potuiſſe? Ne unum quidem. Quid igitur? Quod SS. Patres docent de mandatorum divinorum poſſibilitate, ad id valere volunt, ut quod diſertè iidem Patres pronuntiant de Petro gratiâ deſtituto, hæreticum cenſeatur. Hóccine tolerandum argumentandi genus, vel apud æquum tribunal audiendum? Imò quis non videat, ſano quemque judicio præditum ſic contra argumentari debere.

Iidem Patres, qui docent Deum nemini impoſſibilia præcipere, docent Petrum à Deo deſertum

cere-

beratur. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, ut homo cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundùm illud Joan 6. *Omnis qui audivit & didicit, venit ad me.*

(b) Dicendum quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Unde non ſequitur, quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur

(c) Deus immutabiliter movet voluntatem propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt.

cæteris hominibus documento fuiſſe, nihil ſe ſine divinâ gratiâ prævalere. Niſi ergo ſapientiſſimos illos viros pro ſtultiſſimis habeas, qui à ſe ipſis turpiter diſſentirent, duo illa de mandatorum poſſibilitate & Petri deſertione, pro diſſentaneis habere non potes; nec niſi per calumniam quod Patres de priori dixerint, eò trahere, ut quod iidem de poſteriori dixerunt, hæreſeos accuſes.

Quinta Demonstratio.

Ex eo quòd Inquiſitores faſſi ſunt problematicè in ſcholis diſputari, An infideles omni prorſus gratiâ careant.

Omnia veterum Patrum de præceptorum poſſibilitate teſtimonia quibus Inquiſitores confici putant, ſine hæreſi dici non poſſe, alicui interdum juſto eam gratiam deeſſe, quâ deſtitutus urgente tentatione præceptum implere non poſſit, ad omnes omnino homines pertinent, etiam impios & infideles. Univerſi enim Patres dicunt, nemini Deum impoſſibilia jubere, ſive, id non præcipere quod ſit humanæ impoſſibile voluntati. De Conc. Tridentino non loquor quod de juſtis ſpeciatim loquitur. De illo enim in tertia Apologetici hujus ſectione uberiùs dicemus.

Atqui licet ex eorum Patrum ſententiâ omnibus hominibus, adeóque impiis & infidelibus mandata Dei impoſſibilia non ſint, nihilominùs tamen problematicè in ſcholis diſputatur (Inquiſitorum ipſa verba ſunt) an infideles ullam gratiam habeant per quam præcepta ſervare poſſint.

Ergo generalia illa de poſſibilitate præceptorum Patrum teſtimonia, quæ non minùs ad infideles quàm ad juſtos pertinent, minimè probare poſſunt in errorem vel hæreſim eum incurrere, qui dicat alicui interdum juſto eam deeſſe gratiam ſine quâ ab urgente contra præceptum tentatione ſalubriter & ſecundùm Deum ſe expedire nequeat. Nihilque à vero magis alienum, quàm quod Inquiſitorum antiquiſſimus confidentiſſimè aſſeruit; *idem eſſe ſcilicet dicere, Gratiam non dari aliquibus ſine qua non poſſunt obſervare Dei mandata, & dicere, Illa mandata eſſe impoſſibilia.*

Vidit hoc Eruditiſſimus Sylvius magni inter recentiores Thomiſtas nominis Theologus, dum hac ratione negat gratiam ſufficientem ad explicandam divinorum mandatorum poſſibilitatem quicquam conducere, tùm quod ea ſine efficaci ad ea ſervanda non ſufficit, tum etiam quia ſemper non datur, & tamen ſemper homines quamdiu hanc vitam degunt poſſunt præcepta ſervare. *Sive detur*, inquit in 1. 2. q. 109. a. 4. p. 723. *aliqua gratia quæ tantum eſt ſufficiens & non efficax, ſive non detur, ea ſecundùm rei veritatem eſt impertinens ad ſalvandum quòd homo poſſit divina mandata ſervare. Partim quia, ut ipſe illa ſervet, ea gratia non ſufficit; ſed oportet quòd etiam adſit gratia efficax, quæ & à ſolo Deo pendet & gratis ſeu ſine merito tribuitur: partim*

quia, juxta communem ſententiam gratia ſufficiens non ſemper datur, & tamen homines viatores ſemper poſſunt divina mandata ſervare, ac per conſequens etiam tunc quando non habent gratiam ſufficientem. Ergo ut obſervatio mandatorum dicatur eſſe poſſibilis, non eſt neceſſe venire eò ut dicatur, quòd habeant gratiam ſufficientem.

SEXTA DEMONSTRATIO.
Ex Gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos actus neceſſitate.

Gratiam per ſe efficacem ad ſingulos pietatis actus eſſe neceſſariam, docent omnes S. Thomæ diſcipuli, eamque doctrinam non modò ab omni hæreſeos labe intactam, ſed & optimam eſſe Inquiſitores agnoverunt. Hinc verò nullo negotio invictiſſimè oſtendi poteſt, cùm Petrus gratiâ efficaci ad vincendam tentationem neceſſariâ caruerit, tentationem ſuperare minimè potuiſſe.

Principium enim eſt lumine ipſo naturali notiſſimum, & à S. Thomâ plurimis locis 1. p. q. 41. a. 2. ad 5. 2. 2. q. 58. a. 8. ad 2. & q. 141, a. 6. ad 2. 3. p. q. 1. a. 2. c. & q. 46. a. 1. c. & 84. a. 5. c. traditum: *Id neceſſarium eſſe ad aliquem finem obtinendum, ſine quo ille finis obtineri non poteſt*; vel ſimpliciter, ſi ſit ſimpliciter neceſſarium; vel convenienter, ſi ſit tantùm ſecundùm quid neceſſarium, hoc eſt utile. Jam pridem verò damnati ſunt Pelagiani, eò quòd dicerent Gratiâ Dei nos indigere, non ut ſimpliciter, ſed ut *faciliùs* mandata ſervaremus. Ergo ſi Gratia per ſe efficax ea eſt, uti certè eſt ſecundùm univerſos S. Thomæ diſcipulos, quam ad mandata ſervanda ſuperandáſque tentationes *neceſſariam* eſſe Patres ſanxerunt, non ad *faciliùs* tantùm, ut aiebant Pelagiani, ſed ſimpliter ad mandata ſervanda tentationéſque vincendas neceſſaria eſt.

Adeóque ex ipſâ neceſſarii definitione, ſine gratiâ efficaci, quâ ſine dubio Petrus caruit, nec mandata ſervari nec tentationes vinci poſſunt.

Vidit hoc argumentum quantùm valeret Inquiſitorum ſolertiſſimus, cujus vim ut eluderet, confugit primò ad fucum ac fallaciam; deinde, ut cum Auguſtino loquar, ad acumen quoddam, ſed vitreum, quod lucet veri ſimilitudine, ſed frangitur veritate. Primùm enim reſpondit docere quidem Thomiſtas omnes, Gratiam efficacem ad mandata ſervanda neceſſariam eſſe, eámque optimam eſſe doctrinam; in hæreſim tamen incurrere qui illam teneat, niſi addat, quod itidem omnes Thomiſtæ docent, ita gratiam efficacem ad mandata ſervanda neceſſariam eſſe, ut tamen ſine eâ ſervari poſſint etiam complete proximè & expeditè.

Egregia ſanè & expedita, modò ut ſit ſolida & vera reſponſio. Si autem in re facti, quæ mutari nullo modo poteſt, ampliſſimo Ordini per indignam homine probo fallaciam illuditur; quis non miretur vel levitatem reſponſionis, vel confidentiam reſpondentis? Fateor enim Didacum Alvarezium nonnullóſque ejus ſequaces ita

ita neceſſariam ad ſingulos actus gratiam exiſtimaſſe, ut tamen ſine eâ præcepta divina proximè & completè ſervari poſſe crediderint. Sed pernego, & falſiſſimum eſſe contendo, Thomiſtas omnes in eâ eſſe ſententiâ. Contrà enim plurimi ſentiunt, & ſine gratiâ efficaci proximè & expeditè præcepta ſervari poſſe negant. Princeps enim omnium S. Thomas 1. 2. q. 109. cùm variis in articulis hujus quæſtionis, tùm præſertim 9. diſertè negat, *hominem etiam juſtificatum poſſe per ſeipſum operari bonum & vitare peccatum, abſque novo auxilio Dei ipſum moventis, dirigentis, & protegentis.* Quod quidem auxilium efficax eſſe ſecundùm S. Thomam, nemo inficiari poteſt. Idémque docent è veteribus Theologis qui illum conſecuti ſunt (a) Bradwardinus, (b) Ariminenſis, (c) Capreolus: E recentioribus (d) Cajetanus, (e) Lovanienſis Facultas univerſa,

(a) Poſtquàm in præcedentibus eſt oſtenſum, nullum tentatum ſolius liberi arbitrii viribus ſine gratiâ, vel cum gratiâ quantacumque, abſque alio Dei auxilio ſpeciali POSSE tentationem aliquam ſuperare; reſtat conſequenter inquirere, quod ſit illud auxilium quo tentati omnia ſuperant tentamenta, & ſine quo in omnibus ſuperantur....... Voluntas ergo divina eſt illud auxilium, ſine quo tentatus quilibet ſuperatur, & per quod tentatus quilibet ſuperans efficaciter ſuperat tentamentum, *De causâ Dei lib. 2, c. 5.*

(b) Ex iſtis puto ſatis patere, quòd etiam veri juſti, & in gratiâ exiſtentes, ut in tentationibus fortiter reſiſtant & in peccatum non cadant, indigent adhuc ſpeciali auxilio Dei & ſine illo non POSSENT reſiſtere quin caderent in peccatum. *In 2. diſt. 28. q. 2. art. 2. De auxilio eum efficaci loqui, quod non omnibus datur, ex toto articulo patet.*

(c) Non ſolùm juvat Deus ad bonum velle partialiter coëfficiendo, qui eſt modus communis quo concurrit ad cujuſlibet agentis creati effectum quemlibet; ſed etiam quodam modo ſpeciali, videlicet faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere, ita quòd ipſa voluntas partialiter concauſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter concauſandum: in quâ tamen motione ipſa non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens, in cujus poteſtate eſt ſequi motionem agentis, juvatur *ita ut agat ea, quæ non ſic adjuta nequaquam agere potuiſſet.* Et hoc eſt illud adjutorium ſpeciale, ſine quo dicimus nos nihil boni velle aut facere. Lib. 2. Sent. Diſt. 28. q. 1. art. 3. fol. 256. & ſeq. *Ut plura alia in eandem ſententiam.*

(d) Hinc habes, quòd non ſolum credere eſt donum Dei, ſed etiam poſſe credere eſt divinæ gratiæ, quàmvis poſſe credere potentiâ remotâ, naturæ ſit rationalis. Ex hoc enim quòd homo rationalis eſt naturæ, potentiam habet intellectus & voluntatis, quibus poteſt credere, ſed non niſi ex gratuito Dei auxilio appropinquat ad hoc ut fidei poſſit hærere Chriſtianæ. *In cap. 10. Joan. v. 39. Videri poteſt & in Matt. c. 26. & in Comm. in 1. 2. quæſt. 109.*

(e) Aliud autem eſt poſſe, in quo tam magnæ inſunt vires per ſufficientem gratiæ præparationem, ut ſatis ſit ad agendum. Per quam quidem gratiam non jam ſolùm ipſum poſſe, verùm etiam agere adjuvatur. *In Juſtificat. Cenſuræ pag. 131.*

ſa, itémque (f) Duacenſis, (g) Eſtius, (h) Cumel, (i) alii Thomiſtæ à Ledeſina laudati, (l) Sylvius, aliíque, quorum teſtimonia quædam repræſentavi, plura relaturus, ſi neceſſe ſit.

Alterum commentum eſt, nos in hac argumentatione concluſionem elicere è duobus principiis, quorum alterum è Molinæ ſcholâ repetamus; nimirùm, *Non poteſt fieri actus pietatis ſine gratiâ ad illum efficiendum neceſſariâ*; alterum è Thomiſtis, nimirùm: *At gratia efficax ad ſingulos pietatis actus neceſſaria eſt.* Unde concludimus: *Ergo nihil eorum, quæ ad pietatem pertinent, ſine gratiâ efficaci facere poſſumus:* quod hæreſim Inquiſitor ille eſſe contendit; poſſe enim hæreſim concludi ex duobus principiis ex diverſâ Theologorum ſcholâ repetitis, ut ſi quis ita argumentaretur: Secundùm Thomiſtas exiſtentiam humanam Chriſtus non ſuſcepit. At ſecundùm alios Theologos exiſtentia à naturâ non diſtinguitur. Ergo Chriſtus non ſuſcepit naturam humanam.

Sed

(f) Singularis Chriſti gratia non omnibus eſt communis, & tamen omnibus ad converſionem & ſalutem eſt neceſſaria..... Neque infidelis quiſquam credere poteſt, niſi per gratiam quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur. *Cenſ. Aſſert.* 14. lata anno 1588.

(g) Omnis hujuſmodi poſſibilitas, quoniam ab actu ſeparata eſſe poteſt, conſiſtit abſque initio bonæ voluntatis & juſtitiæ; SINE QUO TAMEN INITIO NON CONSISTIT EA QUÆ PROPRIE VOCATUR GRATIA CHRISTI, quemadmodum Auguſt. docet lib. de Nat. & Gratiâ cap. 42. Etenim gratia Chriſti (quod in ſequentibus pleniùs oſtendendum eſt) nòn eſt communis bonis & malis, ſed bonos diſcernit à malis: uti compluribus locis docet Auguſtinus, bonitatis nomine etiam primæ bonæ voluntatis initia comprehendens. *In* 2. *Sent. diſt.* 26. §. 1. *Qui & plurima alia paſſim habet in eandem ſententiam.*

(h) Qui caret efficaciter auxilii gratiæ Dei, non habet omninò immediatam & proximiorem virtutem & potentiam ad operandum, quia hanc præſtat efficax Dei gratia: ſufficiens verò auxilium præſtat quidem vim potentiæ, non quidem omninò proximam cum ultimâ actualitate, ſed minùs proximam, ſeu quaſi mediatam; vel minùs immediatam & incompletam, ſeu inadæquatam. *Pag.* 251. *ad* 1. 2.

(i) Alii verò Diſcipuli D. Thomæ qui docent, quod auxilium efficax prædeterminans voluntatem tenet ſe ex parte actus primi, tanquam conſtituens illum in ultimâ actualitate & in ultimo complemento ad operandum de quo ſupra diximus, debent dicere quod hoc auxilium aliquo modo pertinet ad auxilium ſufficiens, tanquam ultimum complementum & ultima actualitas ipſius. Unde auxilium ſufficiens non eſt completum & conſummatum, niſi per auxilium efficax & prædeterminans. Itaque ſecundùm iſtam ſententiam non datur auxilium ſufficiens completum & conſummatum, antequàm ſit conjunctum auxilio efficaci, quod prædeterminat voluntatem. *In tractatu de auxiliis quæſt. unicâ art.* 11.

(l) *In* 1. 2. *quæſt.* 109. *a.* 4. *p.* 723.

Sed falſa ſunt omnia quibus hæc comparatio nititur. 1. Enim qui hoc Diſquiſitoris argumento Chriſtum naturam humanam minimè ſuſcepiſſe probare vellet, non alio quàm hujuſce ſolius argumentationis præſidio fretus, infandam adſtrueret hæreſim, quæ omnium Scripturarum, Patrum, Conciliorum autoritate ſubvertitur. Tùm demùm igitur valeret & æqua eſſet comparatio, ſi nos non alio quàm hujuſce argumenti præſidio nixi ſtatueremus, ſine gratiâ efficaci nihil boni, quod ad veram pietatem & juſtitiam pertinet, effici poſſe. Atqui contra omnino ſe res habet, Quàmvis enim doctrina, quam tuemur, argumento etiam iſto probetur, non tamen ejus ſolius autoritate nititur. Autor ejus, Scriptura divina eſt. Autores ejus, ſancti ſunt Patres, qui id ſemper dixêre quod dicimus; ac ſine gratiâ quâ fit ut faciamus, nos boni quicquam efficere non poſſe, apertiſſimè profeſſi ſunt. Docebant enim quod à Chriſto ipſo didicerant, ubi Joannis 6. ſic loquitur. *Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus traxerit eum*: Et iterum, *Nemo poteſt venire ad me niſi fuerit ei datum à Patre meo.*

2. In exemplo illo à Diſquiſitore propoſito nihil mirum ſi principia duo compoſita hæreſim pariant, cùm principia illa planè pugnantia ſint atque contraria. Quid enim contrarium magis quàm illa duo: Naturam humanam ſuſceptam à Chriſto, non exiſtentiam naturæ humanæ, quod Thomiſtis placet: Et, Exiſtentiam naturæ humanæ à naturâ humanâ non diſtingui, quod alii Theologi docent. Quis autem duo hæc principia à me connexa, non dicam ſecum pugnantia, ſed vel diſparia ac diſſimilia cauſari audeat: *Nihil effici poteſt ſine eo quod eſt neceſſarium ad illud efficiendum*; &, *Gratia efficax ad ſingulos actus neceſſaria eſt.* Si igitur gemina illa principia cognata inter ſe ac probè connexa, & prætereà veriſſima ſunt; quid ex iis niſi verum conſequi poteſt? Quod autem Diſquiſitor ille proſcribere vult ut hæreticum, ipſo fatente è duobus illis principiis, quorum alterum non è Molinæ ſcholâ, ut ille ait, ſed omninò naturæ lumine innoteſcit, alterum ab ipſo, ut doctrina optima, eſt commendatum, neceſſariò conſequitur. Igitur quod ut hæreticum proſcribere vult, non poteſt eſſe niſi veriſſimum.

3. Falſum eſt nos duo illa principia è diverſis ſcholis, unum è Molinæ, alterum è B. Thomæ ſcholâ mutuari. Utrumque nobis B. Thomæ ſchola ſuppeditat. Quamquàm primum confirmemus interdum ex iis ipſis quæ Molinæ diſcipuli pro veris habent. Quàmvis enim nonnulli è recentioribus Thomiſtis, quò B. Thomæ doctrinam in vulgus quaſi plauſibiliorem efficerent, Alvarezio primo duce atque autore, fateri noluerint, ſine gratiâ efficaci bonum fieri minimè poſſe; fuit hæc tamen B. Thomæ certa ac perpetua ſententia, Hinc ille id

quod

quod non tantùm utile eſt, ſed ſimpliciter neceſſarium (qualis eſt, fatentibus Thomiſtis omnibus, gratia efficax ad actus pietatis) generatim ita definit, *Id ſine quo aliquid eſſe non poteſt*; ſpeciatim verò motionem divinam, quæ ipſi gratia efficax eſt, docet eſſe gratiam illam de quâ Chriſtus ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ita loquitur Angelicus Doctor, ita veteres omnes ejus diſcipuli ante Alvarezium & poſt Alvarezium plurimi locuti ſunt. Quin & ipſe Alvarezius quique eum ſequuntur, etſi aliquantulùm verbis diſcrepent, in re nihilominùs ipsâ conſentiunt. Quantamcùmque enim potentiam, etiam proximam & expeditam, ad bene agendum & ad ſuperandas tentationes attribuant homini efficaci gratiâ deſtituto; fatentur tamen non magis fieri poſſe, ut re ipsâ benè agat & tentationem ſuperet, quàm ut ſecuris acuta & ad ſecandum idonea reipsâ ſecet, quamdiu ab artifice non movetur; vel ut oculi quantùmvis ſani & perſpicaces reipsâ videant, quamdiu lumine non illuſtrantur. At ex communi omnium hominum ſenſu, rectè dicitur ſecuris, quantùmvis acuta, ſecare non poſſe, niſi ab artifice moveatur; vel oculi, quantùmvis ſani, videre non poſſe, niſi lumen præſto ſit. Ergo in ipsâ Alvarezii ſententiâ, quicquid ſit de potentiâ proximâ quam adeſſe vult homini qui auxilium efficax non habet, cum tamen fateatur non minùs hominem indigere auxilio illo efficaci ut re ipsâ agat, quàm ſecuris, artificis motione ut ſecet, aut oculi, lumine ut videant; rectè ſecundùm communem apud omnes homines vocum acceptionem, de homine cui efficax gratia defuit, dici poteſt, eum tentationem ſuperare non potuiſſe ſine eâ gratiâ quâ neceſſariò indigebat, ut eam reipsâ ſuperaret.

Quare Diſquiſitoris hujus reſponſio, arguta quidem, ſed planè expers veri, fundamento ipſius quod falſitate implicabatur cadente, corruit. Fruſtraque eum cauſatum liquet, doctrinam duobus principiis è duplici eâdémque diversâ Theologiæ ſcholâ repetitis innixam, hæreſim poſſe conficere, cùm hanc quam tuemur principiis & per ſe certiſſimis & inter ſe affinibus atque connexis, & ab eadem B. Thomæ ſchola deductis, fultam eſſe clariſſimè pateat.

Septima Demonstratio.

Ex Thomiſtis per Innocentii X. Conſtitutionem, uti fatentur adverſarii, minimè condemnatis.

Hactenus adverſarii ultrò agnoverunt, eos omnes Theologos quos B. Thomæ veſtigiis ſtudioſiùs inhærentes vulgò Thomiſtas, in ſcholis appellant, per Innocentii X. Conſtitutionem minimè condemnatos fuiſſe. Quod quidem omnium diſertiſſimè fatetur Annatus, qui Pontificem eas controverſias, uti anteà erant, intactas reliquiſſe, de quibus ante Janſenium in Catholicis Theologorum ſcholis diſceptabatur. Hoc ergo poſito ſeptima ſit noſtra

ſtra Demonſtratio.

Fas eſt, annuentibus adverſariis noſtris, ſalvâ Innocentianæ Conſtitutionis autoritate, ea tueri quæ ante Janſenium in Thomiſtarum ſcholis palàm & publicè magni nominis Theologi aſſeruêre.

At quod in notata Propoſitione, quæ Chryſoſtomi eſt & Auguſtini, hæreſeos arguitur, Petrum ſcilicet, vel aliquem alium juſtum, Gratiâ efficaci ad ſuperandam tentationem neceſſariâ ad tempus deſtitutum, tentationem ſuperare non potuiſſe; docent ii omnes ex Thomiſtis, qui & gratiam efficacem ad omnes & ſingulos pietatis actus neceſſariam cenſent, & ſine eâ nihil quod ad pietatem pertineat, fieri poſſe profitentur: ut ſunt, poſt S. Thomam, ii omnes quos ante citavimus, tum antiquiores, tum recentiores; & ſpeciatim Cajetanus Cardinalis in Matth. c. 26. qui *juſtos ad gratiæ habitualis uſum ex ſe ipſis ſufficientes eſſe negat, ſine continuo gratuito Dei auxilio; quo quia caruit Petrus, ideò cecidit & perdidit charitatis gratiam*: & Eruditiſſimus Eſtius qui exemplo piiſſimi regis Ezechiæ clarum eſſe ait, *Deo deſerente, hoc eſt gratiam non dante, hominem* (etiam juſtum qualis erat Ezechias) *non poſſe ſuperare tentationem, hoc eſt ſalubriter & ſecundùm Deum ſe ab illâ expedire*, Comm. in Paral. c. 32. v. 31.

Non poteſt igitur ſine manifeſtiſſimâ & iniquiſſimâ perſonarum acceptione in Propoſitione Chryſoſtomi & Auguſtini, quæ à me tantummodò refertur, id hæreſeos damnari, quod ab illis præſtantiſſimis Theologis, quos ab Innocentio X. minimè damnatos fuiſſe adverſarii ipſi ultrò fatentur palàm & publicè, nemine expoſtulante, traditum eſt.

Octava Demonstratio.

Ex eâ doctrinâ quam Inquiſitorum unus in ſcholis Sorbonicis docuit.

Accepi Inquiſitorum unum antequam diceret, ita eſſe præfatum, ut animum nullâ in me malevolentiâ ſuffuſum, imò & erga me propenſiorem præ ſe ferret. Sed mirum ſanè videri poſſit, quòd iſtius in me benevolentiæ non ſatis memor, præter multa atrocia ab illo uno in me dicta, continuò in hanc vocem erupit, *Hæreſim me inducere conari, & eam quidem hæreſim quâ nulla unquam deterior, nulla peſtilentior, non modò in Eccleſiam invecta eſt, ſed etiam unquam invehi poſſit.* Qui talem ſe gerit, & cùm amicus haberi vult, qualis erit ſi quandò oderit? Verùm doctrinam meam dum ille petit, ſuam graviter appetiiſſe facilè demonſtro.

Nam qui docet non aliam à Deo dari gratiam, quâ vel bonum operari, vel peccatorum tentationes ſuperare poſſimus, quàm per ſe efficacem; is neceſſariò fateri debet juſtum qui à tentatione vincitur, ac proinde gratiâ efficaci ad ſuperandam tentationem neceſſaria caruit, tentationem ſuperare non potuiſſe.

At id Scriptis ſuis, dum in ſcholis Sorbonicis Profeſſionis Regiæ munere fungeretur, Inquiſitor

ſtor ille ſemper docuit, *Gratiam ſcilicet operandi ſemper eſſe efficacem, & ſine illâ gratiâ efficaci vel tentationes ſuperari vel mandata ſervari non poſſe.*

Ergo vel peſtilentiſſimæ hæreſeos labe diſcipulos ſuos tum infecit, vel jam pro peſtilentiſſimâ hæreſi haberi vult, quod ipſe, niſi omnem pudorem abjecit, ſe in ſcholis Sorbonicis docuiſſe diffiteri non poteſt.

Reſpondebit ille, ſat ſcio, Petrum reverà à Deo derelictum tentationem ſuperare non potuiſſe; verùm id ei accidiſſe in præſumtionis ſuæ pœnam, ut ipſi à me laudati teſtantur Patres. Fateor id quidem; ſed quid ad Epiſtolam? Contendit autor Epiſtolæ, poſt Chryſoſtomum & Auguſtinum, *Petro gratiam ſine quâ nihil poſſumus, id eſt ſine quâ tentationem ſuperare non poterat, defuiſſe.* Quæritur an hæc propoſitio hæretica ſit, an verò orthodoxa. Quis verò ita mente captus eſt, ut non videat, propoſitionis hujus veritatem non infirmare, ſed contra magis ſtatuere, qui non modò Petro gratiam defuiſſe agnoſcit, ſed quare defuerit exponit. Eo enim verius eſt & certius illam Petro defuiſſe, quo magis oſtenditur non ſine causa eam illi defuiſſe. Ut ſi quis multos etiam baptizatos damnatum iri contenderet, nonne ineptiret prorſus, qui hoc argueret erroris, eo quod nemo baptizatus damnandus ſit, niſi qui ob peccata damnari meruerit; Neque enim tum baptizatos multos damnari negaret, ſed cauſam cur damnarentur afferret. Quare ſic iterum argumentum contexo.

Non negat Epiſtola (quod autor Epiſtolæ lubentiſſimè agnoſcit) ideò Petro gratiam defuiſſe, quia de ſuis viribus nimium præſumſerit, ſed id unum, poſt Auguſtinum & Chryſoſtomum, affirmat, Petro gratiam defuiſſe, ſine quâ nihil poſſumus, hoc eſt, ſine quâ tentationem illam ſuperare non poterat, quamcumque tandem ob cauſam ea Petro defuerit: de quo non erat tunc quærendi locus, cum id ſolùm adverſus Annatum probandum ſuſcepiſſet, pro Catholico dogmate habendum non eſſe, uti ille contendebat: *Quod gratia interior & actualis voluntati noſtræ neceſſaria, ut poſſit velle quod ipſi à Deo præcipitur, nunquam illi deeſt in ea occaſione in qua peccat.* Petro verò gratiam defuiſſe ſine quâ tentationem ſuperare non poterat, veriſſimum eſſe agnoſcit Inquiſitorum ille in autorem Epiſtolæ acerbiſſimus: & quod addit, Petro id accidiſſe in præſumtionis ſuæ pœnam, adeò propoſitionem illam non infirmat, ut potiùs confirmet. Quâ ergo fronte pro peſtilentiſſimâ hæreſi haberi vult, quod ipſemet pro veriſſimo agnoſcit.

Recurret fortaſſis ad Molinianam illam ſuam, & libero ſubjectam arbitrio, orationis gratiam, quam B. Petro non defuiſſe cauſabitur. Sed ut omittam, commentitiam illam Inquiſitoris Doctrinam de duplici & planè diverſo in una eademque Chriſti gratiâ, gra-

tiæ genere, operandi ſcilicet & orandi, quorum illud per ſe ſemper efficax ſit, hoc verò liberæ ſubditum voluntati, cujus pro nutu effectum habeat, vel non habeat, inane eſſe figmentum, catholicorum Theologorum auribus hactenus inauditum, & in quo explicando Inquiſitor ille altitudinem gratiæ neſciens, abſurdas planè atque improbabiles fabulas texuit: ut, inquam, id omittam, quicquid de hoc ſtatuas, ad propoſitionem meam minimè ſpectat. Non enim in eâ agitur de orationis, ſed de operationis gratiâ, quam ſemper eſſe efficacem Diſquiſitor ille agnoſcit. Neque enim quæritur, an B. Petrus orare potuerit, ſed an tentationem ſuperare. Non potuiſſe fatetur, cùm gratia efficaci caruerit, quâ ſolâ ex illius ſententiâ tentationes ſuperari poſſunt. Ergo propoſitionem meam quæ id ſolùm aſſerit, pro catholicâ habere debet; quicquid interim de orationis gratiâ ſtatuere ipſi libuerit, de quâ nunc non diſputo.

An eò iterum regreſſurus eſt, ut in iis vocibus, *la grace, ſans laquelle on ne peut rien, a manqué à ſaint Pierre*, univerſum peſtilentiſſimæ illius hæreſeos venenum collocet? Sed, ut omittam peſtilentiſſimas illas voces non meas eſſe, ſed Chryſoſtomi & Auguſtini; ut ſæpiùs demonſtratum eſt; quâ animi æquitate & candore in re graviſſimâ ad levem illam cavillationem confugere poteſt, quam & ſuperiori Scripto, & iterum in hujus priori ſectione dejeci? Clariſſimè enim oſtendi, verba illa Epirheti loco gratiæ adjuncta, *Gratia ſine quâ nihil poſſumus*, pro ſubjecta materia intelligi debere, adeóque nihil aliud me poſt Chryſoſtomum & Auguſtinum ſignificare voluiſſe, quàm Petro defuiſſe gratiam illam, ſine quâ tentationem illam ſuperare non poterat, quia ſine Gratiâ, teſte ipſo Chriſto, nihil poſſumus. Neque de hac re jam ampliùs diſputationi locus eſſe poteſt. Cùm enim Facultas decreverit, ut candidè ac ſincerè mentem meam explicarem, poſt ſinceram illam propoſitionis meæ explicationem Facultati ipſi exhibitam, non alius ſine aperta calumnia affingi poteſt propoſitioni meæ ſenſus, quàm quem ego genuinum eſſe oſtendi. Quare cùm in illo ſenſu ex Inquiſitoris illius de quo nunc loquor doctrinâ, nihil ſit quod meritò reprehendi queat, vereri profectò debet, ne dum eum cenſurâ pergit inurere, præjudicio potiùs quàm judicio, & animi quodam affectu, quàm rationis ductu, moveri videatur.

Mitto Inquiſitoris illius vocem adversùs gratuitam Dei gratiam atrocem & non ferendam, Non poſſe ſcilicet Deum denegare gratiam juſto & amico ſuo, abſque injuſtitiâ & crudelitate. Ergo crudelitatem & injuſtitiam Deo adſcripſerunt Patres omnes, qui Deum Petro juſto & amico ſuo gratiam denegaſſe uno ore aſſerunt? Sed nihil mirum adversùs Dei gratiam tale effatum ex ejus ore prodiiſſe, qui in ſcholis Sorbonicis

bonicis palàm & publicè docere non erubuit, *Deum gratiam ſuam* (non juſtis modò, ſed omnibus omnino hominibus quantùmvis impiis & ſceleratis) *ex juſtitiâ largiri, cùm præcipit aliquid, quod ſine gratiâ fieri nequit.* Quâ non aliam eſſe poſſe gratuitæ Dei gratiæ magis exitialem doctrinam, coram æquis judicibus demonſtraturum me ſpondeo. Interim huic perſpicuo & intolerando errori ſanctiſſimam Auguſtini vocem oppoſuiſſe ſufficiat: *Gratia Dei non erit gratia ullo modo, niſi fuerit gratuita omni modo.* De Pec. Orig. c. 24.

NONA DEMONSTRATIO.

Ex deſertione juſtorum ad tempus, quam unus Inquiſitorum agnovit.

Duplex in meâ de Petro à Deo deſerto propoſitione peccatum Inquiſitorum ultimus annotavit: 1. *Quia non fuit intentio Chriſti Petrum omnino deſerere, ſed ad tempus, ut humilior reſurgeret.* 2. *Quia non ſiſto in ſolo Petro, ſed argumentor ex Petro ad omnes juſtos; & quidem non de deſertione ad tempus, ſed ad perditionem æternam, cùm juſti multi ſi deſeruntur, deſerantur ad damnationem, cùm ſcilicet non reſurgunt.* At ex duplici illo peccato nullum in Propoſitione mea peccatum eſſe perſpicuè demonſtrari poteſt.

Non peccat enim, Inquiſitoris illius judicio, qui juſtos aliquos interdum ad tempus à Deo deſeri agnoſcit, ut ex ipſo ſuo lapſu humiliores redeant & doctiores.

At id unum propoſitio aſſerit; neque mihi ſine manifeſtiſſima calumnia affingi poteſt, quòd ex Petro argumentatus ſim ad omnes juſtos. Modò enim vel unus juſtus aliquando fuerit, qui inſtar Petri à Deo deſerti ut humilior rediret ac doctior, eâ gratiâ ad horam caruerit, quâ ingruentem tentationem ſuperare poſſet, ſalva eſt mea propoſitio.

Ergo ex Inquiſitoris illius ſententia, nullum eſt in mea propoſitione *peccatum*, niſi ad alienos ſenſus detorqueatur.

Quo autem nitatur Inquiſitor ille fundamento, ut juſtos à Deo deſeri poſſe concedat, modò ſint poſteà per divinam gratiam à lapſu ſuo erigendi, aliter neget, inquirere non eſt hujus loci. Monendus tantùm obiter eſt, ne hæc ſua ſententia ad Calviniſtarum hæreſim aliquantulum accedat, qui numquam juſtos ita à Deo deſeri aiunt, quin tandem aliquando ad eum ſint reverſuri, quod à Conc. Trid. damnatum eſt Seſſ. 6. c. 12. dum negat *de juſtificato ſine errore dici poſſe, quod aut ampliùs peccare non poſſit, aut ſi peccaverit certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat.*

DECIMA DEMONSTRATIO.

Ex Theſibus in Sorbonâ propugnatis A. 1650. *&* 1652.

Secundùm illas Theſes à Dominis Hallier & Grandin approbatas & in Sorbona publicè propugnatas, nullo expoſtulante vel conquerente, *ita mandata Dei juſtis omnibus poſſibilia ſunt*, ut tamen *gratia efficax*, quæ non ſemper juſtis datur, *proximam & comple-*

tiam ad bene agendum potentiam conferat, & aliquis interdum juſtus ad præceptum ſervandum proximè, immediatè & completè potens non ſit.

Atqui ex propoſitione in Indiculo notata nihil aliud ſequitur, *quàm Petrum efficaci gratiâ deſtitutum, ad ſuperandam tentationem proximè, immediatè, completè potentem non fuiſſe.*

Ergo nihil eſt in illa propoſitione quod vel erroris vel hæreſeos notari mereatur. Ad illam verò doctrinam ſic approbatam & publicè propugnatam reſpiciens in priori Apologetico, dixi ſectione 2. Propoſitionem meam notare illud *poſſe* quod *proximum & expeditum Theologi* appellant.

SECTIO III.

De vero Tridentini Anathematis in primæ propoſitionis damnatione memorati ſenſu, ex Cardinalis Bellarmini ſententiâ.

CUm Innocentius X. primam Propoſitionem proſcribat ut jam anathemate damnatam, omnéſque conſentiant ad Tridentinum anathema Pontificem alludere, quo percellitur qui dixerit, *Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratiâ conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia*; manifeſtum eſt primam propoſitionem in eo ſenſu à Pontifice acceptam, qui illa Tridentini Concilii ſanctione damnatus eſt.

Dixi verò in priori Scripto, *certum eſſe, etiam teſte Cardinali Bellarmino, non aliud anathemate hoc Tridentino perculſum, quàm quod hæretici aſſerebant; numquam juſtis eam adeſſe gratiam quâ divina præcepta implere poſſent, ſed quicquid agerent illi ſanctius, id pro peccato vel lethali, vel certè veniali habendum eſſe.*

Viderunt Inquiſitores quantùm id ſuæ cauſæ officeret; itaque Bellarminum falsò à me citatum eſſe conqueſti ſunt, negarúntque ab illo Tridentinum Canonem de præceptorum impoſſibilitate in eo quem dixi ſenſu acceptum: *Bellarminum enim diverſis capitibus & ſeparatim egiſſe de duabus illis hæreſibus, de impoſſibilitate ſcilicet generali præceptorum, & de ejuſmodi peccatorum fermento quæ ſemper occurrunt in obſervatione mandatorum, quæ tamen duo*, inquiebant, *confundere volunt adverſarii.*

Ego verò hæc duo non confundo, ſed tamquam duo unius ejuſdemque hæreſis membra connexa atque implicita, quorum unum propter alterum ab hæreticis aſſeratur, & utrumque ad unum eumdémque controverſiæ ſtatum pertineat, à Bellarmino confutata fuiſſe contendo. Quod ut meliùs percipiatur, quædam obſervanda ſunt.

Primum eſt, Numquam Lutheranos & Calviniſtas, dum de præ-

præceptorum impoſſibilitate ea diſputant, quam Synodus Tridentina damnavit, eam quæſtionem moviſſe, An alicui juſto interdùm ea gratia deſit quæ ipſi ad ſervandum præceptum neceſſaria erat, & quam aliis juſtis Deus largitur; ſed de omnibus omnino juſtis ſemper diſputaſſe, An ſcilicet ullus ſit, quàmvis ſanctus, qui præcepta divina verè & coram Deo ſervare poſſit.

Secundum eſt, Non illâ eos ratione præceptorum impoſſibilitatem adſtruere, quòd negent homines abſtinere poſſe à facinoribus & flagitiis quæ lege divinâ vetantur, ut ſunt homicidia, adulteria, furta, ſed tantùm quòd ea ſit ex peccato, quod etiam in baptizatis manere aiunt, licet non imputetur, mentis depravatio, ut omnes animi motus, etiam dum à ſpiritu agitur, quatenùs ex homine ſunt, corrupti ſint & infecti; ita ut nullum inde proficiſci poſſit opus, quod non juſtam opprobrii mercedem mereatur; adeòque non poſſe illis operibus, coram Deo malis & pravis, licet coram hominibus bona & laudabilia cenſeantur, legi divinæ ſatisfieri.

Tertium eſt, Duplicem diſtingui poſſe præceptorum divinorum poſſibilitatem; unam meram, puram, & ab effectu ſeparatam, qualis eſt etiam in iis qui præcepta aperiè transgrediuntur, ut cùm de Davide in adulterium lapſo dicitur, poſſibile ei fuiſſe de adulterio non committendo præceptum. Altera eſt poſſibilitas cum effectu, ut Auguſtinus appellat de Nat. & Grat. c. 42. quæ iis tantùm juſtis competit, qui in juſtitiâ perſeverant, & ita legem divinam ſervare poſſunt, ut & reipsâ ſervent.

Quæritur ergo de quo poſſibilitatis genere intelligenda ſint ea quæ Tridentina Synodus de præceptorum poſſibilitate adversùs Lutheranos definit ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 18. Si enim de priori, ne ſic quidem adversùs nos facit, cùm agnoſcamus etiam iis juſtis qui interdum labuntur, poſſibilia fuiſſe illa mandata quæ non ſervant.

Sed ſi, teſte Bellarmino, de poſteriori tantùm agat, hoc eſt, ſi id unum adversùs Heterodoxos, qui legem divinam ita impoſſibilem eſſe volunt, ut à nemine, quantùmvis juſto, verè & coram Deo ſervari poſſit, ut certiſſimum Eccleſiæ Catholicæ dogma definivit, non eſſe juſtis impoſſibilia mandata divina, cum à multis juſtis reipsâ impleantur; quam in me falſi accuſationem de Bellarmino malè citato intulerunt, in ipſos redundabit, neque ulli dubium erit, quin ſecundùm Cardinalis Bellarmini ſententiam, Tridentinus Canon de præceptorum impoſſibilitate malè prorſus in eos contorqueatur, qui tria hìc ſtatuunt:

Primum eſt, Juſtos piè viventes præcepta divina implere poſſe, & reipsâ implere, quod negant Heterodoxi, quos Tridentina Synodus condemnavit.

Secundum eſt, Illis etiam juſtis qui peccant, poſſibilia fuiſſe

illa

illa ipſa præcepta quæ tranſgrediuntur, non eâ tantùm poſſibilitate, quæ ex SS. Patrum doctrinâ impiis & infidelibus per naturam competit, ſed eâ quam juſtis confert *donum gratuitum naturæ ſuperadditum*, quo juſti ad non peccandum adjuvantur, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. 6. 9. &c. etſi ex eodem Angelico Doctore, *ulteriùs indigeant auxilio Dei animam interiùs moventis, dirigentis, & protegentis.*

Tertium eſt, Non omnes juſtos *per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis accipere*, cùm aliqui in bonâ converſatione non perſeverent; *quam tamen perſeverantiam bonæ converſationis qui non accipit, etſi baptiſmatis gratiâ renovatus*, ex Cæleſtini I. definitione in Ep. ad Gall. cap. 6. *ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evitandas carnis concupiſcentias idoneus non eſt*: ſeu, quod idem eſt, nonnullis interdum juſtis in tentatione deeſſe *illud auxilium Dei interiùs moventis, dirigentis & protegentis, ſine quo*, ex ejuſdem Angelici Doctoris ſententiâ, *ingruentes tentationes ſuperare non poſſunt.* 1. 2. q. 109. a. 9.

Paulò igitur accuratiùs inſpiciamus quid hac de re Bellarminus ſcripſerit.

I.

Quàm falsò adverſarii jactaverint Bellarminum de impoſſibilitate præceptorum, & de peccati fermento quod omnibus juſtorum operibus adhæreat, tanquam de duabus hæreſibus omnino diverſis egiſſe, patet 1. ex clariſſimis Bellarmini verbis, dum quæſtiones omnes quæ ſuper hac materiâ inter catholicos & hæreticos diſceptantur, breviter exponit in Præf. l. 4. de Juſtif. qui eſt de juſtitia operum. *De juſtitiâ*, inquit, *actuali, ſive operum, quatuor ſunt quæſtiones: una de neceſſitate, altera de veritate, tertia de merito, quarta de perfectione. Diſſidemus enim ab hæreticis hujus temporis, primùm, An ſint hominibus juſtificatis opera neceſſaria ad ſalutem, &c. deinde diſſidemus de ipsâ veritate juſtitiæ actualis, id eſt, Utrùm opera juſtorum ſint verè juſta, ita ut coram Dei judicio comparere audeant*: CUM QUA QUÆSTIONE COINCIDIT ILLA, *poſſitne homo juſtus legem divinam ita implère, ut in eo opere peccatum nullum admittat.* Quis poſthac de Bellarmini ſententiâ altercari queat? Non ſolùm enim illam quæſtionem, *Utrùm opera juſtorum ſint verè juſta*, cum illâ quæſtione, *Poſſitne homo juſtus legem divinam implere*, COINCIDERE diſertè profitetur, contra quàm Inquiſitores ſtatuere veriti non ſunt; verùm etiam illam ipſam poſtremam quæſtionem, de divinæ legis poſſibilitate, ita exprimit, ut nullus dubitandi locus eſſe poſſit, quin quod à Tridentinâ Synodo definitum eſt, à præſenti controverſiâ omnino ſit alienum. Is enim ex Bellarmino, & unicus & verus catholicos inter & hæreticos controverſiæ, de quâ Tridentini Patres pronuntiaverunt, ſtatus, *Poſſitne homo juſtus legem divinam ita implere, ut in eo*

opere peccatum nullum admittat. Nullus autem eſt catholicus qui heterodoxis id negantibus anathema non dicat. Ex Bellarmini ergo mente, Concilii Tridentini authoritate graviter abutuntur, qui ea illius decreta quibus nefarium illum hæreticorum errorem jugulavit, eò trahere volunt, ut quod docent omnes Patres de nonnullis juſtis, quibus interdum Deus, pro judiciorum ſuorum inſcrutabili altitudine, efficaces illas vires non ſubminiſtrat, quibus ingruentem aliquam tentationem ſuperare queant, pro hæreſi habeatur.

I I.

Neque minùs aperta ſunt quæ tradit Bellarminus, dum quæſtionem ipſam tractaturus, in quo ea ſita ſit, his verbis explicat lib. 4. de Juſtif. cap. 10. *Sequitur altera quæſtio de juſtitia actuali, quæ eſt de veritate juſtitiæ actualis, ſive operum. Eſt autem hic controverſiæ ſtatus, utrum homines juſtificati & gratia Dei adjuvante, poſſint ita legem divinam implere, ut opera ipſorum non modò non ſint appellanda peccata, ſed etiam verè ac propriè juſta dici mereantur. Et quidem hæretici hujus temporis partem negantem defendunt: docent enim legem divinam eſſe planè impoſſibilem homini etiam juſto, & inde colligunt nullam eſſe in nobis veram actualem juſtitiam, ſed omnia opera juſtorum eſſe mortalia peccata ex natura ſua. Ita Lutherus, Calvinus, Philippus, &c.*

Cui poſt hæc verba dubium eſſe poteſt, quin Bellarminus non pro diverſis & diſſentaneis hæreſibus habuerit, ut Inquiſitores aſſerere non dubitarunt, quod hæretici docent de impoſſibilitate præceptorum, & de omnibus juſtorum operibus peccato aliquo infectis, ſed pro unâ eâdemque hæreſi cujus hæc duo membra ſint; & unum quidem ex altero religatum: cùm non aliam ob cauſam hæretici doceant cuivis juſto divinam legem impoſſibilem eſſe, quàm quia illa ipſa juſtorum opera, quibus coram hominibus Dei legem obſervare videntur, ita in ſe polluta & impura eſſe exiſtiment, ut iis coram Deo divinæ legi nequaquàm ſatisfiat.

I I I.

Neque minùs id clarè paret ex ratione quam affert ut probet Kemnitium errare circa divinæ legis poſſibilitatem, etſi verbo fateri videretur legem Dei per gratiam poſſe ſervari. *Kemnitius,* inquit, *in examine Concilii, more ſuo fraudulenter agens, videtur admittere legem Dei per gratiam poſſe ſervari, modò non addatur perfectè... Ubi ſi exiſtimaret Kemnitius non poſſe legem impleri ita perfectè, ut juſti in tota vita non admiſerent operibus bonis ulla peccata venialia, nobiſcum ſentiret & cum ipſo Concilio, ut patet ex illo ipſo cap. 9. ſeſſ. 6. Sed non hoc ſenſu ille negat perfectionem operibus juſtorum; ſed quia cum cæteris ſectariis cenſet, non poſſe ita legem impleri, ut opus ſimpliciter juſtum appellari queat. Imperfectam enim dicit eſſe noſtram obſervantiam legis, quia judicat eam contaminatam & immundam, unde approbat*

probat dictum Lutheri, quod omnia opera juſtorum ſint verè peccata.

Quid iſtis verbis manifeſtius afferri poteſt? Non aliunde enim probat Bellarminus Kemnitium à Catholicis diſſentire circa poſſibilitatem divinæ legis, quàm quia cum Luthero ſentiebat omnia juſtorum opera eſſe peccata. Quem pudendum & exitialem errorem ſi abjiceret, non alia ejus eſſet quàm Tridentini Concilii hâc de re ſententia ſeſſ. 6. c. 11. Hinc verò perſpicuè ſequitur

1. Non pro duabus diverſis hæreſibus hæc duo Bellarminum habuiſſe, ſed ultimum illud de omnibus juſtorum operibus peccato infectis conſiderari voluiſſe, tanquam ex quo prior error de præceptorum divinorum impoſſibilitate penderet.

2. Ex ſententia Bellarmini de ea tantùm præceptorum poſſibilitate Synodum Tridentinam egiſſe, quæ cum effectu conjuncta ſit, & per quam juſti, qui per quotidianum Dei adjutorium perſeverantiam bonæ converſationis accipiunt, legem divinam reipsâ ſervant, licet non ita perfectè, ut in tota vita non admiſceant operibus ulla peccata venialia. Non poſſunt igitur ex Bellarmini mente ad aliam & planè diverſam quæſtionem Tridentinæ ſanctiones ſine calumnia detorqueri.

I V.

Poſteà verò ſeparatis capitibus agit de impoſſibilitate divinæ legis, & de juſtorum operibus omnibus peccato infectis (ut & Tridentinum Conc. duobus diverſis capitibus ea duo damnavit) ſed ita tamen ut ſemper prius ad poſterius Bellarminus referat, neque de pura & mera poſſibilitate legis ſollicitus ſit, ſed de ea quæ cum effectu conjuncta eſt. Neque enim quærit, quomodo poſſibilis lex ſit iis qui eam tranſgrediuntur; ſed, an ſint juſti qui eam implere poſſint, & re ipsâ impleant: An verò, quod hæretici jactabant, nemo quantumvis juſtus eam implere poſſit, & ei obſervandæ ſanctiſſimi quique impares ſint. Id verò evidenter oſtendunt argumenta omnia quæ ex divinis literis repetit eodem libro cap. 10. *Probamus*, inquit, *legem Dei eſſe poſſibilem, primò iis teſtimoniis quibus utitur Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. quæ non ſolùm poſſibilia, ſed etiam facilia teſtantur eſſe mandata. Matth. 11. Jugum meum ſuave eſt; & onus meum leve. & 1. Joan. 5. Et mandata ejus gravia non ſunt.* Quibus autem mandata Dei gravia non ſunt, niſi eis qui ex charitatis affectu ſervant. *Omnia quippe* (inquit Auguſtinus de Nat. & Grat. cap. 69.) *fiunt facilia charitati, cui uni ſarcina Chriſti levis eſt: aut ea una eſt ſarcina ipſa quæ levis eſt. Converſus ergo* (ut ibidem S. Doctor) *ad dominum Deum ſuum ex toto corde ſuo & ex tota anima ſua, mandatum Dei non habebit grave. Quomodò eſt enim grave, cùm ſit dilectionis mandatum. Aut enim quiſque non diligit, & ideò grave eſt; aut diligit, & grave eſſe non poteſt.*

In eo verò ſenſu hæc Scripturæ teſtimonia à Bellarmino accepta

eſſe, quæ ſequuntur perſpicuè demonſtrant. Poſt allatam enim & confutatam Calvini reſponſionem: *Domini autem*, inquit, *& Apoſtoli verba indicant, legem Dei eſſe jugum quod facilè portatur, & mandata ejus non eſſe gravia, ſed parvo negotio cuſtodiri, quod evidentiùs expreſſit David ſub metaphora viæ, cùm ait:* Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum; *& Apoſtolus ad Philipp.* Omnia poſſum in eo qui me confortat. *Ubi vides dilatationem cordis per infuſam charitatem & gratiam Domini confortantem, efficere ut mandata facilè ſerventur. Quod multo ante futurum prædixit Ezechiel. cap. 36. cùm ait:* Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea cuſtodiatis.

Et erit quiſquam adeò pervicax & obſtinatus, qui non agnoſcat Bellarminum nullatenùs agere de poſſibilitate præceptorum, quæ illis competat qui ea non obſervant, ſed de illa tantùm poſſibilitate cum effectu conjunctâ, quæ ad eos ſolùm pertinet qui ea reipsâ implent, qui jugum Chriſti portant, & qui dilatato corde viam mandatorum currunt, cùm per gratiam novi Teſtamenti ab Ezechiele prædictam Deus in iis facit, ut in præceptis ejus ambulent, & judicia ejus cuſtodiant?

V.

Neque minùs perſpicua ſunt quæ mox addit adversùs hæreticos divinæ legis impoſſibilitatem impugnantes. " Et hoc idem con„firmant loca quæ illi contra ad„ducunt. *Nam Chriſtus liberavit* „*nos de maledicto* legis quia fecit „ut mandatum impleremus; &, „*Nulla damnatio eſt his qui ſunt in* „*Chriſto*, non quia non imputa„tur prævaricatio, ſed quia ii „non ſecundùm carnem ambu„lant; & quia per gratiam Dei „fit, ut juſtificatio legis implea„tur in ipſis, ut ibidem ſubjungit „Apoſtolus. Quid hoc ad juſtos qui interdum labuntur? An verum eſt iis prævaricationem non imputari? Imò id ipſum eſt quod refellit Bellarminus. Non ergo de alia poſſibilitate legis agit quàm de illa per quam ita impleri poſſit, ut re ipsâ impleatur.

V I.

Secundò, inquit Bellarminus, *probatur ex teſtimoniis quæ docent mandata ſervari ab his qui diligunt, &c. At certè debemus & poſſumus diligere Deum & proximum, alioqui non poſſumus eſſe Chriſti diſcipuli, &c. nec poſſemus unquam amici Chriſti fieri, ſi non poſſemus diligere, &c.*

Poſt allatam verò Calvini & Kemnitii reſponſionem; *Eum ſcilicet qui diligit, legem implere; ſed neminem eſſe qui diligat ſicut oportet ut præcepto divino ſatisfiat:* Reſpondet, *Dilectionem quidem imperfectam eſſe, quia poteſt creſcere, poſſe tamen eſſe tam perfectam, ut præcepto divino ſatisfiat. Nam in primis*, inquit, *non poſſemus eſſe Chriſti diſcipuli & amici, niſi hoc præceptum dilectionis impleremus. Valdè autem abſurdum eſt, neminem eſſe poſſe Chriſti diſcipulum vel amicum,*

ſum. Nota NEMINEM. Hinc enim perſpicuò patet, eam eſſe autore Bellarmino circa præceptorum impoſſibilitatem hæreticorum ſententiam à Synodo Tridentina damnatam, per quam ſtatuatur, *Neminem eſſe in hac vita, qui etiam per auxilium Dei & ſpiritum gratiæ & charitatis in juſtificatione infuſum, legem implere poſſit.* Quid verò hic error impius cum SS. Patrum doctrinâ de Petro vel aliquo alio juſto à Deo ad tempus nonnunquam ſibi ipſi relicto, commune habere poteſt?

VII.

Tertiò probatur, inquit idem, *ex teſtimoniis quæ docent aliquos ſervaſſe mandata, ac præcipuè de dilectione ex toto corde & non concupiſcendo, &c.* Et poſt plurima Sanctorum exempla commemorata: *Habemus igitur*, inquit, *multos ſervaſſe legem Dei: ex quo evidenter ſequitur, ut non ſit impoſſibilis.*

Quid hoc argumento infirmius, imò inſulſius, ſi probandum ſuſcepiſſet, ut volunt adverſarii, neminem unquam juſtum eſſe cui præcepti implendi per ſufficientem gratiam plena ſemper & expedita facultas non ſit? Quis enim hunc paralogiſmum ferat, non modò homine docto, ſed vel puero, qui aliquem rationis uſum habeat, indigniſſimum? Abraham, Moyſes, Samuel, Helias, Heliſæus, Iſaias, alii Prophetæ, Apoſtoli, & inter cæteros Paulus, legem Dei ſervaverunt: ergo nemini unquam juſto in quacumque tentatione gratia actualis & interior deeſt, per quam proximè & expeditè legem Dei poſſit implere. Quis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Argumentari iſtud eſt, an nugari? Quis verò Bellarminum pro Eccleſia Catholica adverſùs hæreticos præliantem tam inepto ſophiſmate uſum exiſtimet? Contra verò ſtatue, quod res eſt, Bellarminum Lutheranorum hæreſim de præceptorum impoſſibilitate à Concilio Tridentino damnatam in eo repoſuiſſe, uti re verâ in eo poſita fuit, Quòd neminem quantumvis juſtum & divinæ gratiæ præſidio fultum eſſe dicerent, qui Dei legem ſervare poſſet. Invictè prorſus hanc hæreſim hoc argumento confodit: Abraham, Moyſes, Samuel, &c. legem Dei ſervaverunt, falſum igitur eſt eam ita eſſe impoſſibilem, ut nemo juſtorum ſit qui eam ſervare poſſit.

VIII.

Verùm quod addit, manifeſtiùs adhuc oſtendit, ita Bellarminum ſeparatis capitibus agere de impoſſibilitate legis ab Heterodoxis aſſertâ & à Tridentino damnatâ, & de errore illo quo exiſtimant omnia juſtorum opera verè eſſe peccata, ut tamen illa duo tanquam inter ſe omnino connexa conſiderari voluerit, & quorum unum propter alterum ab hæreticis aſſeratur: *Neque*, inquit, *ad hoc argumentum* (ex juſtorum qui legem ſervaverunt exemplo repetitum) *applicari poteſt communis Lutheranorum ſolutio, quòd SS. Patres mandata ſervaſſe dicantur, tum propter inchoatam obedientiam, tum*

propter non imputationem Dei. Non enim dici poteſt abſolutè implere mandatum, ſed potiùs abſolutè prævaricari, qui tam imperfectè illud ſervat, ut peccet mortaliter, & dignus ſit, propter illud opus, odio & irâ Dei & ſupplicio ſempiterno. Scriptura autem dicit illos abſolutè ſervaſſe, imò etiam toto corde ſervaſſe, &c.

Vides ut Bellarminus divinæ legis impoſſibilitatem, quam Lutherani & Calviniſtæ aſſeruerunt, & quam Tridentina Synodus damnavit, ſemper in eo reponat, quòd nemo juſtorum dici poſſit abſolutè implere mandatum, cùm omnium ſanctiſſimi iam imperfectè illud ſervent, ut peccent mortaliter, & digni ſint etiam propter illa opera, quibus legem divinam ſervare videntur, odio & irâ Dei & ſupplicio ſempiterno.

IX.

Veriſſimum igitur eſt, quod in priori Apologetico à me ſcripto, falſitatis & mendacii, velut ſuſcepto ab ipſis conſilio parùm commodum, Inquiſitores arguerunt: *Certum eſſe* ſcilicet, *etiam teſte Cardinale Bellarmino, non aliud Tridentino de præceptorum impoſſibilitate anathemate perculſum, quàm quod heretici aſſerebant, nunquam juſtis eam adeſſe gratiam, quâ præcepta divina implere poſſent; ſed quicquid agerent illi ſanctius, id pro peccato vel lethali, vel certè veniali habendum eſſe:* quod erat demonſtrandum.

Ex quo ulteriùs duo maximi momenti conſectaria ſunt: Primum eſt, autore Bellarmino, quem qui ſequatur, hæreticum opinor non dicent eſſe adverſarii, Tridentinum Canonem de impoſſibilitate præceptorum ad præſentem controverſiam minimè pertinere.

Alterum eſt: Cum Innocentius X. præceptorum impoſſibilitatem, quam in prima propoſitione ut hæreticam & impiam proſcripſit, jam anathemate damnatam eſſe, à Synodo nempè Tridentinâ, declaraverit, in Pontificiam Conſtitutionem non offendere, niſi qui damnatam propoſitionem tueatur, quocumque id prætextu faciat, vel aliis verbis eam præceptorum impoſſibilitatem adſtruat, quam autore Bellarmino Tridentina Synodus profligavit. Eam verò à præſenti controverſiâ omninò eſſe alienam, liquidò niſi fallor & evidenter oſtendi.

X.

Neque verò tantam lucem obſcurare poſſunt quæ contra Inquiſitores objecere. Negant primò, quæ Synodus de præceptorum impoſſibilitate damnavit, ad eum errorem pertinere quem Heterodoxi hoc demum poſteriori ſeculo induxerunt de omnibus juſtorum operibus peccato infectis, cùm illam de præceptorum impoſſibilitate hæreſim dicat Synodus à Patribus eſſe damnatam. Non autem illam damnaſſent Patres antequam eſſet.

Sed quis non perſpicit quàm inane ſit iſtud argumentum? Errorem enim de præceptorum impoſſibilitate Patres damnaverunt,

non quia ulli reverâ eſſent hæretici qui illum tuerentur, ſed quia Pelagiani Catholicis illum affingebant: quam calumniam ut SS. Patres à ſe amoverent, meritò errorem illum anathemare damnaverunt, docueruntque poſſibilia eſſe mandata, quia *certum eſt nos ea ſervare ſi volumus*; etſi tunc ſolùm *tantùm velimus, quantùm ſufficit ut volendo faciamus* (ut inquit Aug. ad hanc ipſam Pelagianorum criminationem reſpondens lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16.) *cùm ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit*, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis,& judicia mea obſervetis & faciatis. Quod cùm Lutherani & Calviniſtæ negare auſi eſſent, & hanc Chriſti gratiæ injuriam facere non dubitarent, ut ne quidem ejus ope ab ullo juſto lex Dei ſervari poſſet, meritò Concilium Tridentinum adversùs illorum hæreſim ea profert SS. Patrum teſtimonia, quibus illi ad Pelagianorum calumniam retundendam pridem ſanxerant, præcepta Dei non eſſe impoſſibilia, quia qui jubet *dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui jubet, & tantam dat voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata*, ut inquit idem Auguſtinus cap. 15. & 16.

Verùm, inquiunt iterum, iis argumentis Synodus Tridentina præceptorum poſſibilitatem adversùs Lutheranos adſtruit, quæ ad illorum errorem de omnibus juſtorum operibus peccato infectis nihil prorſus faciunt, ut cùm ait, *Deum ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerere, niſi ab eis prius deſeratur.*

At quæro ab eis ubi didicerint verba illa Concilii, quæ afferunt, ad præceptorum poſſibilitatem adſtruendam referri, quo nihil à veritate magis alienum. Multa namque in hoc c. 11. ſeſſ. 6. Concilium docet. Primum enim de præceptorum poſſibilitate agit adversùs Lutheranos & Calviniſtas, & ita quidem ut eam ſemper ſtabiliat & confirmet quæ cum effectu conjuncta ſit, & quæ ad juſtos tùm demùm pertineat, cùm piè viventes à viâ mandatorum non declinant. En verba Concilii omnibus ſuâ luce perſpicua, niſi alienâ interpretatione obſcurentur: *Nemo autem, quantùmvis juſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet* (quod hæretici contendebant, hoc pravo ſenſu intelligentes quod à Paulo dictum eſt, *Chriſtum nos liberaſſe de maledicto legis*, eò quòd, ut falsò exiſtimant, importabilis eſſet,& ei obſervandæ nullus unquam par fuiſſet aut eſſe poſſet.) *Nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt & onus leve. Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus: quod*

utique cum divino auxilio præſtare poſſunt.

Hactenus Concilium de præceptorum impoſſibilitate adverſus Heterodoxos, qui impio errore ita impoſſibilia eſſe præcepta Dei jactaverant, ut à nemine etiam per Dei gratiam ſervari poſſent, adeòque juſtificatos ab eorum obſervatione eſſe liberos, ne ſi illorum ſalus à præceptorum obſervatione penderet, ſalvari numquam poſſent. Quos Concilium iis rationibus & Scripturæ teſtimoniis redarguit, quæ, ut jam ex Bellarmino vidimus, non eos juſtos ſpectent, qui præcepta divina tranſgreſſi à juſtitiâ excidunt, ſed eos qui gratiâ adjuvante divinâ ea reipſa ſervant, cùm in eis Deus per ſingularem ſuam miſericordiam facit, *primùm quidem ut in facilibus agant quod poſſunt: deinde ut in difficilibus petant quod nondum poſſunt*; *tantam* ſcilicet ab illo *voluntatem implorantes, quanta ſufficit ad implenda mandata*; denique ut inſpiratâ ſibi per eandem gratiam *magnâ illâ & robuſtâ voluntate, divina mandata implere poſſint, cùm plenè perfectéque voluerint.* Ii ſunt quibus præcepta divina gravia non ſunt, quia *diligenti dilectionis mandatum grave eſſe non poteſt*, ut præclarè docet Auguſtinus de Grat. & lib. Arb. c. 15. & 16. De Nat. & Grat. c. 69. Quibus jugum Chriſti ſuave eſt & onus leve, *quia Charitati Chriſti ſarcina levis eſt*: Qui denique Chriſtum diligentes Chriſti ſermones ſervant: *Quod utique*, inquit Concilium, *cum divino auxilio præſtare poſſunt*, contra quàm hæretici impiè contendebant, neminem eſſe arbitrati, quantumvis juſtum, qui etiam cum divino auxilio Chriſtum diligere ſicut oportet ut legi divinæ ſatisfiat, & ejus mandata ſervare poſſet.

Hactenus igitur, ut jam dixi, peſtilentem illam Lutheranorum & Calviniſtarum de præceptorum impoſſibilitate hæreſim Synodus Tridentina profligavit. In iis verò quæ ſequuntur, explicat tantùm Synodus quo pacto à juſtis præcepta ſerventur. Fatetur enim non ita perfectè ab illis ea ſervari, quin bonis illorum operibus peccata venialia admiſceantur, ſed quæ talia non ſint, ut propterea deſinant eſſe juſti, quò referenda ſunt quæ Inquiſitores attulere tamquam pro adſtruendâ præceptorum poſſibilitate dicta, quod à vero alieniſſimum eſt. *Deus namque ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Senſus enim eſt ex graviſſimorum Theologorum ſententiâ, præſertim de ſcholâ D. Thomæ, *Deum ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerere*, juſtitiam habitualem per quam juſti ſunt ab eis ſubtrahendo, *niſi ab eis priùs deſeratur* per mortale peccatum. Ita locum hunc Concilii explicant (a) Medina,

(a) Sciendum eſt quod quando dicunt SS Patres & approbant ſacra Concilia, Deum ſuâ gratiâ ſemel juſtificatum non deſerere, niſi priùs ab eo deſeratur, explanatio eſt de gratiâ juſtificante. Numquam enim gratiam juſtificantem aufert ab homine, niſi propter peccatum mortale. *Medina in 1 q. 109. a. 10. in reſp. ad 3. object contra 4. Propoſ.*

na, (b) Eſtius, (c) Alvares, (d) Nugno, (e) Nazarius, (f) Ledeſma, (g) Sylvius, & alii paſſim quos nemo ſanus propter hanc explicationem, ſine ingenti temeritate, hæreſeos aut erroris inſimulare auſit.

Et certè ad gratiam ſufficientem, quæ omnibus ſemper detur, hæc Concilii verba torqueri non poſſe, vel hinc manifeſtè patet, quòd talis illa ſit quæ neminem deſerat, neque umquam non præſto ſit, quantumvis homo per peccata etiam atrocia Deum deſeruerit. Quare ſi de illâ ſtabiliendâ Synodus cogitaſſet, à quo longè abfuit, minimè dicere debuiſſet, *Deum ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerere, niſi ab eis priùs deſeratur*; ſed contra potiùs, Deum ſuâ illâ gratiâ ſufficienti ſemel juſtificatos, (imò vel facinoroſiſſimos) numquam deſerere, quantùmvis ille ab eis deſeratur.

Depulſis ergo leviuſculis illis Inquiſitorum objectionibus, nulli jam dubium eſſe poteſt, quin Lutheranorum & Calviniſtarum error de præceptorum impoſſibilitate à Tridentinâ Synodo anathemate damnatus, is ſit quem Cardinalis Bellarminus his verbis explicat, *non poſſe juſtum legem divinam ita implere, ut in eo opere peccatum nullum admittat.* Adeòque Tridentinas eâ de re ſanctiones contra Concilii mentem & ſcopum eò detorqueri non poſſe, ut quod iidem Tridentini Patres affirmant ſeſſ. 6. c. 12. *Juſtum in acceptâ juſtitiâ perſeverare non poſſe ſine auxilio ſpeciali*, ac proinde non omnibus juſtis communi, quod in eâdem ſeſſ. c. 13. *magnum perſeverantiæ munus* appellant, non inter ſanctiſſima fidei dogmata, uti eſt, ſed inter peſtilentiſſimas hæreſes recenſeatur.

X I.

Ex his omnibus, ni fallor, abundè patet, quantùm à Concilii Tridentini mente exerrent, qui propoſitionem, non meam, ſed SS. Patrum, illius ſacræ Synodi definitionibus adverſari ſibi falsò perſuaſere. Unum tamen hîc addere viſum eſt ejuſdem Illuſtriſſimi Cardinalis locum, quo invictiſſimè demonſtretur, unicum adverſariorum fundamentum quo ex malè intellectis Concilii Tridentini Decretis, in clariſſima Patrum doctrina hæreſes reperiſſe ſibi videntur, per ſeipſum ruere.

(*b*) Nec tamen ſi juſtus derelinquatur à Deo, ut fit in omnibus qui non perſeverant, ideò falſum erit quod dicunt Patres Concilii, Deum ſuâ gratiâ ſemel juſtificatos non deſerere, niſi ab eis priùs deſeratur: hoc enim dictum eſt de gratiâ juſtificante, ut ex ipſius verbis patet: atque hunc ſenſum habet, Numquam Deus gratiam juſtificantem aufert ab homine, neque amicitiæ renunciat, niſi propter peccatum ejus mortale, nam mortale peccatum eſt quod gratiam expellit & amicitiam diſſolvit *Eſtius in 2. diſt. 26. § 43. ad 5.*

(c) *Alvarez de Auxiliis lib. 11. diſput. 110. num. 19.*

(d) *Nugno in 3. par. qu. 62. art. 5.*

(e) *Nazarius in 1. part. qu. 23. art. 5.*

(f) *Ledeſma de Auxil. art. 12. ad 7.*

(g) *Sylvius in Comment. in 1. part. ad quæſt. 23. art. 5.*

ruere. Quæ enim ſibi invicem adverſari & repugnare exiſtimant, *Alicui ſcilicet homini mandatum ſemper eſſe poſſibile*, & tamen *non ſemper habere hominem illum gratiam Dei ſine quâ mandatum illud reipsâ ſervare non poteſt*, docebit eos Eruditiſſimus Cardinalis & Adverſariis noſtris minimè ſuſpectus, neutiquam repugnare, ſed optimè inter ſe cohærere, ſi rectè & Theologicè perpendantur.

Cùm enim duo hæc ſtatuiſſet (de Grat. & lib. Arb. lib. 6. c. 15.) Primum, *Gratiam excitantem internam neceſſariò præcedere debere hominis converſionem, ſive ab infidelitate ad fidem, ſive à peccato ad juſtitiam*; Alterum, *Auxilium Dei neceſſarium ad converſionem, non adeſſe peccatoribus omnibus momentis, ſed certis temporibus*; hanc ſibi ipſi objectionem proponit.

Objiciunt aliqui: Si ſemper requiritur excitatio præveniens, non igitur in poteſtate hominis erit converſio: non enim excitatio illa eſt in hominis poteſtate. Reſpondeo converſionem ſemper eſſe in poteſtate liberi arbitrii, quoniam poteſt ſemper converti quando voluerit: Id enim dicitur eſſe in poteſtate, ut Auguſt. definit lib. de ſpiritu & litterâ cap. 31. & lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. quod adeſt quando volumus, & quando nolumus non adeſt. Quo ſenſu admittit Auguſt. ibid. fidem eſſe in poteſtate liberi arbitrii; quia credit homo ſi vult, & ſi vult non credit. Cæterum ipſum velle credere, aut converti, non poteſt homo habere niſi per gratiam prævenientem acceperit ut poſſit. Neque eſt in poteſtate hominis, ut Deus illum vocet atque excitet. Alioquin non diceret Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. Ne quando det eis Deus pœnitentiam, & convertantur à diaboli laqueis.

Hic unicus Bellarmini locus funditùs evertit quicquid ab adverſariis meis hactenus allatum eſt, quo probarent propoſitionem meam meritò ſe hæreſeos incuſare. Hâc enim ſolâ argumentatione utuntur:

A Conciliis definitum eſt, præcepta Dei ſemper juſtis eſſe poſſibilia.

At ſi deeſt interdum alicui juſto gratia ſine quâ præceptum ſervare non poteſt, non erit ei tunc præceptum illud poſſibile.

Ergo ſine hæreſi dici non poteſt, deeſſe interdum alicui juſto gratiam ſine qua præceptum aliquod ſervare non poteſt.

Quàm falſa ſit autem hæc illatio, jam cuivis, ut opinor, perſpicuum eſt.

Primùm enim, etſi duæ primæ propoſitiones veræ eſſent, non tamen interim concludi poſſet, *hæreticum eſſe* quod inde conficitur; cùm ea quæ per viam argumentationis ex Eccleſiæ definitionibus eliciuntur, errores ad ſummum eſſe, non hæreſes, Theologi vulgò doceant.

Deinde, propoſitionem hujus argumenti falsâ Concilii Tridentini interpretatione niti, ſupra liquidò demonſtratum eſt; etſi aliàs negari non debeat, præcepta Dei ſemper juſtis eſſe poſſibilia.

Denique aſſumtionem, ex quâ pendet concluſionis veritas, omnino

nino falſam eſſe, egregia illa & planè Auguſtiniana, quam ſupra attulimus, Bellarmini doctrina evidenter oſtendit.

Si enim ſufficit peccatori, ut ipſius converſio ſemper in ejus poteſtate eſſe dicatur, quòd poteſt ſemper converti quando voluerit, quia ex Auguſtino id dicitur eſſe in poteſtate, quod adeſt quando volumus, & quando nolumus non adeſt; multò magis ſufficiet juſto, ut mandata Dei ei poſſibilia eſſe dicantur, quòd ea obſervat quando vult, non obſervat quando non vult.

Atqui ex Bellarmino, id ſufficit peccatori ut ejus converſio ſemper in ejus poteſtate eſſe dicatur; etſi ipſum velle converti non poſſit homo habere, niſi per gratiam prævenientem accepérit ut poſſit, neque ſit in poteſtate hominis, ut Deus illum vocet atque exciter.

Ergo multo magis id ſufficiet juſto, ut verè dicantur mandata Dei ſemper illi eſſe poſſibilia; etſi fieri nequeat, ut ipſum velle ea ſervare, quantùm ſufficit ut volendo faciat, in eo ſit niſi per gratiam efficacem, quæ non ſemper omnibus juſtis datur.

Dixi multò magis id competere juſto, quàm peccatori. Non enim ea tantùm ratione præcepta Dei juſto poſſibilia ſunt, quia poteſt ea ſervare ſi vult, juxta doctrinam S. Auguſtini *de eo quod in poteſtate noſtra eſſe dicitur*; verùm etiam quia per ſpiritum gratiæ & charitatis ſibi in juſtificatione infuſum, veram & interiorem habet ad ea ſervanda potentiam, etſi ex doctrina SS. Patrum & Conciliorum, ulteriùs indigeat eâ gratiâ, quæ ad ſingulos actus datur, ſive efficaci illo *Dei interiùs animam moventis auxilio*, ſine quo, ut expreſsè ait S. Thomas, mandata ſervare, & in accepta juſtitia perſeverare non poteſt.

Hinc fit, ut de juſto auxilio efficaci in aliquâ tentatione deſtituto rectè dicatur, & potuiſſe eum illam tentationem ſuperare, & non potuiſſe; potuit enim quantum ad potentiam illam quam gratia in juſtificatione accepta cuivis juſto ſuppeditat; non potuit verò, quia non habuit ea omnia quibus indigebat ut hæc potentia in actum ſuum exiret, ſicut loquuntur Theologi.

Quâ de re illuſtriſſimus eſt Cardinalis Cajetani locus in 1. 2. qu. 119. art. 1. *Quemadmodum*, inquit, *ſtant hæc duo ſimul: Homo habet potentiam viſivam quæ poteſt videre; &, Homo non poteſt ex ſola illa viſiva potentia videre, quoniam ſine extrinſeco lumine nunquam hæc potentia exibit in actum: ita in propoſito, quia gratia eſt quâ homo eſt potens elicere operationem bonam, & reſiſtere incurſionibus tentationum, & continuare in hoc, quod eſt perſeverare; ideò homo* juſtus *donatus dicitur dono quo hæc poteſt; ſed quia gratia* habitualis NON POTEST *exercere hos actus ſimpliciter, quando oportet, ubi oportet, &c. ideò dicitur quod hæc ſola gratia ſine ſpeciali auxilio,* (quod paulò poſt non omnibus juſtis dari diſertè affirmat) NON POTEST *hæc ſimpliciter.*

Id

Id ipſum verò eſt quod Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 22. ſub anathemate ſancivit; dum eum jubet eſſe anathema qui dixerit, *Juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei in acceptâ juſtitiâ perſeverare poſſe.* Juſtus autem in acceptâ juſtitiâ tamdiu perſeverat, quandiu legem Dei religiosè obſervat.

In quamcunque ergo reprehenſores mei partem accipiant quod à Concilio Tridentino definitum eſt, *Homini juſtificato & ſub gratiâ conſtituto præcepta Dei impoſſibilia non eſſe*; at non efficient, quin idem Concilium ſanxerit, hominem juſtificatum in accepta juſtitia, hoc eſt, in religioſa mandatorum obſervatione ſine auxilio, non communi, ſed ſpeciali perſeverare non poſſe. Quare ſi hæc duo inter ſe pugnant, ut perperam arbitrantur, ſancta Synodus à ſe ipsâ diſſidet; quo nihil in eam ab ipſis hæreticis contumelioſius dici poteſt. Si non pugnant; deſinant mihi objicere Tridentini Concilii de præceptorum poſſibilitate doctrinam, quandoquidem cum illa optimè cohæret quod SS. Patres docent, deeſſe nonnumquam alicui juſto ſpeciale illud auxilium ſine quo in præceptorum Dei obſervatione perſeverare non poteſt.

CONCLUSIO.

His demonſtrationibus & argumentis in toto hoc Scripto prolatis iiſque firmis, ni fallor, & perſpicuis, ab Epiſtolæ meæ propoſitione notatâ, omnis quantùm exiſtimo erroris, nedum hæreſeos labes aut ſuſpicio propulſatur. Ea verò paucis complecti libuit, quo qui me reprehendunt & faciliùs ea caperent, & me ſicubi eis exerrare videor, in viam Chriſtianâ mente & charitate reducerent. Ego id preſſius & præciſius ſcribendi genus, tum uſitato Theologorum mori aptius, tum ipſorum etiam ſtudio & affectui congruentius fore putavi. Sanctorum enim Patrum autoritates non magni à ſe fieri, cùm eas in priori meo Scripto expendendo intactas prætererierint, ſatis ipſi ſua ſponte profeſſi ſunt. Nec verò à re ipsâ de quâ agitur, quàmvis ipſi extraneis eam quæſtionibus involvere & aliò digredi tentaverint, avelli me unquam ac diſtrahi paſſus ſum. Malè enim SS. Patrum, quorum doctrinam in Epiſtola mea propoſui, honori conſulerem, ſi ipſorum propoſitionis defenſione omiſsâ ad aliena diverterem. Non enim jam agitur de iis quæ reprehenſores mei ſentire me prædicant; agitur de eo quod in Epiſtolâ meâ ſenſerim, & à Patribus hauſtum exſcripſerim. Id ante omnia diſceptetur, id dijudicetur neceſſe eſt. Si quid in ſenſibus meis habent quod prætereà reprehendant, altera diſceptatio eſt, alterum judicium. Quod ſi ipſis æquâ lege, voce & ſcripto rationes viciſſim conferre coram & congredi placeat, doctrinam me meam contra illorum reprehenſiones Deo juvante facilè cuivis me probaturum

turum eſſe confido.

Si quid tamen ad explanandam mentem meam, & pacem in Facultate noſtrâ conciliandam, à me prætereà deſideretur, id ego & præſtare diligenter, & ſtudioſè amplecti paratus ſum. Neque enim ego in hanc concertationem meâ ſponte prodii, ſed aſſiduis hominum, alios ex aliis in me libellos edentium clamoribus eò compulſus ſum, ut quod voluntate refugiebam, neceſſitate ſuſciperem. Sicut enim illi poſtquam in animum induxi ſcribere, ſcriptionem meam; ita & antea cum ſilere conſtituiſſem, ſilentium meum in invidiam, & occultæ perfidiæ ſuſpicionem adducere conati ſunt. Ut ergo à principio ab omni penitus contentionis ſtudio abhorrui; ita & nunc diſſidiis præcidendis, quantùm in me erit, omni operâ inſerviam. Veritas enim eſt amica pacis, ſed ejus pacis quæ ſit amica non inimica veritatis. Quare ſalvâ & incolumi ſummorum Pontificum, Conciliorum, SS. Patrum ac præcipuè B. Auguſtini & B. Thomæ de Gratiâ Chriſti doctrinâ, quicquid ad ſanciendam pacem ex æquo & vero propoſitum fuerit, libenter amplectar. Quòd ſi in SS. Patrum teſtimoniis vel citandis vel explanandis aliquid fortaſſe à me humano errore peccatum eſſet, & emendare paratus eſſem; & eum qui me à lapſu revocaret, præclarè de me meritum ducerem. Si autem in locis illis, quæ ad ſententiæ in Epiſtola mea notatæ defenſionem è cœleſtibus illis ac divinis Eccleſiæ Magiſtris exprompſi, nihil eſt quo fides vel interpretatio mea culpari queat, ſupplex vos oro atque obteſtor, Sapientissimi Viri, ne exemplo in poſterum ſanè periculoſo quicquam adverſùm me gravius ſtatuatur, quod in Epiſtola illa ſacris eorum veſtigiis adhæreſcere ſtudui, quorum diſcipuli eſſe debemus, ut aliorum Doctores eſſe poſſimus.

Sic ſubſcriptum,

Antonius Arnaldus,
Doctor ac Socius Sorbonicus.

Die 17. Januarii,
An. S. 1656.

PRO-

VII.

PROPOSITIONES
THEOLOGICÆ DUÆ,

De quibus hodie maximè diſputatur, clariſſimè demonſtratæ.

Omnibus omnia ſe factam clamat Apoſtolica Charitas, & ut omnes lucrifaceret, gaudere ſe cum gaudentibus, flere cum flentibus. Nec minùs multos Chriſtiana Veritas induit vultus, quò variè affectis hominum animis procliviùs influat. Sic apud Sanctos Patres, in quorum ſcriptis puriſſima relucet, nunc acriori oratione vitia & hæreſes exagitat, nunc dialogorum familiaritate ſeſe inſinuat, nunc Poëticæ deliciis delinit animos, nec populares etiam cantilenas ſubire refugit. * *Animadverto autem hoc tempore non paucos eſſe, quos veritas nuda & inornata delectet, & qui verborum apparatu fucum ſibi fieri metuant. Alios autem qui cavillationibus quibuſdam & calumniis, vim perpetuæ orationis eludant. Cur non igitur utriſque ſeſe veritas attemperet, atque iſtis quidem nudæ veritatis ſtudioſis ſeſe nudam offerat; & iſtorum tenebras & offucias ea luce diſcutiat quâ nullam humana ratio clariorem aut certiorem invenit. Hoc ego conſilio Theologicas propoſitiones duas, de quibus hoc tempore ſumma contentione diſputatur, clariſſimis domonſtrationibus probare tentavi. Quod ſi, ut ſpero, conſecutus ſum, nihilque eſt in iis quod non ex certis conceſſiſque principiis certaque conſecutionis lege eliciatur, fateatur neceſſe eſt qui in poſterum refragari audeat, non minùs gravem ſe humanæ rationi, quàm divinæ fidei injuriam inferre. Adeò fides & ratio, quæ ab eodem æterni luminis fonte derivantur, ſic arctè inter ſe cohærent & connexæ ſunt, ut illa violari non poſſit, quin hæc quoque pariter violetur.*

* Pſal. Abeced. S. Aug.

PROPOSITIO THEOLOGICA PRIOR DEMONSTRANDA.

Deeſt interdum alicui juſto gratia ſine qua nec tentationem ſuperare poteſt in ea occaſione in qua peccat, nec orare ſicut oportet ad obtinendam à Deo gratiam contra illam tentationem.

Assumtum Theologicum I.

DEeſt interdum alicui juſto gratia efficax, tum quâ tentationem vincat, tum quâ oret ſicut oportet ad obtinendam à Deo gratiam adverſùs tentationem. Alioquin nullus umquam juſtus à tentatione vinceretur, vel orare negligeret pro obtinenda adverſùs tentationem gratia.

Assumtum Theolog. II.

Gratia efficax ad ſingulos pietatis actus juſto neceſſaria eſt; adeoque & ad ſuperandam tentationem, & ad orandum ſicut oportet pro obtinenda adverſus tentationem gratia, cùm oratio non infimum inter pietatis actus locum obtineat. Ita ad unum omnes S. Thomæ diſcipuli, & Eruditiſſimus Pontifex Clemens VIII. in Scripto quod Pariſiis habetur propria ipſius manu ſubſignatum. Imo & ipſi Theologi qui ab illa propoſitione diſſentiunt quam demonſtrandam ſuſcepimus, doctrinam iſtam de gratiæ efficacis ad ſingulos actus neceſſitate, *doctrinam optimam* eſſe profeſſi ſunt.

Assumtum Theol. III.

Gratia efficax ad ſingulos pietatis actus neceſſaria eſt, non ſolum ut *facilius* fiant, ut aiebant Pelagiani jam dudum ab Eccleſia eam ob rem damnati, ſed ut abſolutè & ſimpliciter fiant: adeoque non eſt tantùm convenienter & ſecundùm quid neceſſaria, hoc eſt utilis, ſed eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſaria.

Axioma per se notum.

Definitio & definitum æquè latè patent. Seu

Definitio & definitum convertuntur. Seu

Definitum ſubſtitutum in locum definitionis, & definitio in locum definiti, non mutant ſenſum propoſitionis, reliquis vocibus manentibus.

Corollarium.

Itaque, ſi duæ propoſitiones hoc ſolo diſcrimine diſcrepant, ut quod in altera per definitionem, in altera per definitum exprimatur, reliquis propoſitionis vocibus manentibus; prout altera vera eſt aut falſa, aut hæretica aut orthodoxa; altera quoque aut vera erit aut falſa, aut hæretica aut orthodoxa.

Exemplum.

Si verbi gratia hæc vox *fratres* nihil aliud denotet quam *iiſdem parentibus geniti*: ita ut hæc vox *fratres* ſit definitum, illa vero verba;

ba, *iiſdem parentibus geniti*, ſit definitio; dico ambas has Propoſitiones:

I. Petrus & Paulus ſunt iiſdem parentibus geniti:

II. Petrus & Paulus ſunt fratres: eſſe ſimul aut veras aut falſas; nec fieri poſſe ut altera vera, altera falſa ſit.

DEFINITIO I. τυ NON POSSE.

Aliquem non poſſe dico, cum potentia quantumvis ad agendum ſtatuatur inſtructa, in actum prodire nequit, undecumque id accidat; etſi interim in alio ſenſu, eoque proprio & apud homines uſitato verè dici queat, *hominem illum poſſe*, quod ſecundum hanc definitionem verè etiam *non poſſe* dicitur.

Exemplum. Qui ſanos habet oculos, ſi in tenebris eſt verè dicitur *videre non poſſe*, quia facultas videndi, quantumvis ſana, ſine lumine in actum prodire nequit; etſi interim quod ad videndi facultatem attinet, veram habeat videndi potentiam, ſecundùm quam verè dicitur *poſſe videre*.

DEFINITIO II. NECESSARII.

Neceſſarium illud dicitur ſine quo res nullo modo poteſt eſſe, ſicut cibus eſt neceſſarius ad conſervationem vitæ humanæ; & illud eſt ſimpliciter neceſſarium.

Vel ſine quo res convenienter eſſe non poteſt; ſicut equus eſt neceſſarius ad iter; & illud eſt tantum ſecundum quid neceſſarium ſeu utile. Ita S. Thomas plurimis in locis. 1. p. q. 41. a. 2. ad 5. & 2. 2. q. 58. a. 8. ad 2. Et q. 141. a. 6. ad 2. Et 3. p. q. 1. a. 2. c. & q. 46. a. 1. c. & q. 84. a. 5. c.

Nos verò hîc *neceſſarium* appellamus quod eſt *ſimpliciter neceſſarium*, ſecundùm id quod dictum eſt in Aſſumto Theol. 3. Quare *neceſſarium* eſt definitum.

Id verò, *ſine quo aliquid eſſe non poteſt*; eſt definitio.

Hujus verò definitionis generalis, caſus illi particulares ſunt. Gratiam juſto neceſſariam, vel ad vincendam tentationem, vel ad orandum ſicut oportet pro obtinenda à Deo gratia contra tentationem, voco, ſine qua juſtus non poteſt, vel tentationem ſuperare vel orare ſicut oportet, &c.

Ita ut *gratia ad ſuperandam tentationem vel ad orandum ſicut oportet juſto neceſſaria*, ſit definitum.

Gratia verò, *ſine qua juſtus non poteſt, vel tentationem ſuperare, vel orare ſicut oportet*, ſit definitio.

COROLLARIUM.

Ex axiom. & defin. præcedenti ſequitur ambas has propoſitiones.

I. Alicui juſto deeſt gratia ad ſuperandam tentationem, vel ad orandum ſicut oportet neceſſaria:

II. Alicui juſto deeſt gratia ſine qua non poteſt, vel tentationem ſuperare, vel orare ſicut oportet, eſſe ſimul veras aut falſas, hæreticas aut orthodoxas.

Etenim duæ iſtæ propoſitiones hoc ſolo diſcrimine diſcrepant, ut quod in altera per definitum, in altera per definitionem exprimatur, reliquis verbis manentibus, nempè *deeſt alicui juſto*. Sed propoſitiones omnes in quibus ea conditio eſt, ſunt ſimul aut veræ aut falſæ, &c. Ergo, &c.

PRO-

PROPOSITIONIS DEMONSTRANDÆ PARS I.

Deeſt interdum alicui juſto gratia ſine qua tentationem ſuperare non poteſt in ea occaſione in qua peccat.

PROBATUR

Ex corollario præcedenti, ſi verum eſt *deeſſe alicui gratiam ad ſuperandam tentationem neceſſariam*, verum eſt etiam *deeſſe illi gratiam ſine qua tentationem ſuperare non poteſt.*

At deeſt interdum alicui juſto gratia efficax ad ſuperandam tentationem neceſſaria in ea occaſione in qua peccat, ex aſſumt. 1. & 2.

Ergo deeſt interdum alicui juſto gratia ſine qua tentationem ſuperare non poteſt in ea occaſione in qua peccat. *Quod erat demonſtrandum.*

PROPOSITIONIS DEMONSTRANDÆ PARS ALTERA.

Deeſt interdum alicui juſto gratia ſine qua orare non poteſt ſicut oportet ad obtinendam à Deo gratiam contra tentationem in occaſione in qua peccat.

Probatur eodem modo. Deeſt enim interdum alicui juſto gratia efficax neceſſaria ad orandum ſicut oportet in ea occaſione in qua peccat. Ergo ſubſtituendo definitionem in locum definiti, deeſt interdum alicui gratia ſine qua orare non poteſt ſicut oportet, &c.

MONITUM.

Cum his demonſtrationibus concludo *non poſſe* interdum aliquem juſtum, vel ſuperare tentationem, vel orare ſicut oportet, id ſemper intelligi volo ſecundum definitionem priùs datam τῷ *non poſſe*; adeoque id non impedit quin juſti omnes *per donum gratuitum naturæ ſuperadditum, quo natura corrupta ſanatur & ſanata elevatur ad operandum bonum vitæ æternæ meritorium*, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. a. 2. 3. &c. poſſint & orare ſicut oportet, & peccatum vitare, & mandata ſervare quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis; etſi ulteriùs indigeant auxilio Dei interiùs moventis, dirigentis & protegentis: quod non omnibus juſtis ſemper adeſt, & ſine quo tamen, ut idem docet eadem qu. art. 9. & 10. illa omnia reipſa præſtare juſti non poſſunt, illo ſcilicet ultimo & completo, quem definivimus, poſſibilitatis modo.

PROPOSITIO THEOLOGICA
POSTERIOR CLARISSIME DEMONSTRATA.

Non ſemper habent juſti omnes gratiam interiorem actualem ad vitandum peccatum in ea occaſione in qua peccant.

Definitiones vocum præcipuarum quibus utimur in hâc propoſitione demonſtrandâ.

DEFINITIO I.

Cogitationem voco quemvis actum intellectûs, ſive deliberatum, ſive indeliberatum.

DEFINITIO II.

Volitionem voco quemvis actum voluntatis, ſive deliberatum, ſive indeliberatum.

DEFINITIO III.

Gratiam voco miſericordiam Dei, per quam hominem juvat in iis quæ ad pietatem pertinent; ſive per exteriora adminicula, qualia ſunt prædicatio verbi divini, miracula, exempla, ſacramenta; ſive per interiora, qualia ſunt gratia ſanctificans, virtutum habitus, bonæ inſpirationes.

DEFINITIO IV.

Gratiam interiorem voco miſericordiam Dei, per quam interiùs hominem juvat in iis quæ ad pietatem pertinent, ſive per dona habitualia, ſive per auxilia actualia.

DEFINITIO V.

Gratiam interiorem actualem voco miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur in iis quæ ad pietatem pertinent. Ita D. Thomas de ver. q. 24. art. 14. Pro duplici verò mentis facultate, intellectu & voluntate, duplex etiam eſt gratia actualis. Itaque

DEFINITIO VI.

Gratiam actualem intellectûs voco miſericordiam Dei, per quam interiùs piam cogitationem in intellectu operatur.

DEFINITIO VII.

Gratiam actualem voluntatis voco miſericordiam Dei, per quam interiùs piam volitionem in voluntate operatur.

MONITUM.

Non hîc diſputo, an Deus piam cogitationem & piam volitionem immediatè per ſe ipſum in voluntate operetur, an verò mediantibus tantùm quibuſdam qualitatibus tranſitoriis, ut recentioribus Thomiſtis viſum eſt; ſed ſufficit mihi, piam cogitationem & piam volitionem in gratiæ actualis conceptu ita contineri, ut cum hæc adſunt, gratia actualis ſit, & ſine his eſſe non poſſit; neque fieri queat quin, ſubſtituendo definitionem in locum definiti, duæ illæ Propoſitiones

I. *Homo non habet piam cogitationem*

tionem vel piam volitionem circa aliquod objectum;

II. *Homo non habet gratiam actualem circa aliquod objectum;*

ſint ſimul veræ aut ſimul falſæ.

DEFINITIO VIII.

Peccatum voco, dictum, factum, concupitum contra legem æternam. Ita Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 27. Qua definitione omnia peccata tam mortalia quàm venialia comprehendo.

DEFINITIO IX.

Peccare per ignorantiam voco, cum quis planè neſciens aliquid eſſe peccatum, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo aliquid facit quod non debet facere: ut cum Judæi etiam leves ob cauſas repudium dicebant uxoribus; Ethnici verò plerique liberos recens natos vel exponebant, vel etiam occidi jubebant, ib ſibi licitum eſſe arbitrati.

DEFINITIO X.

Peccare per conſcientiam erroneam voco, cum quis illud facit, quod non ſolùm non credit eſſe peccatum, ſed firmiter credit eſſe opus maximè honeſtum, Deoque ipſi gratiſſimum; ita ut non ſolùm quis putet ſe non peccare cum illud facit, ſed contra ſe peccaturum ſi non faceret; ut cum Judæi Apoſtolos perſequendo exiſtimabant, Chriſto ipſo teſte, obſequium ſe præſtare Deo. Qua de re Bern. ep. 77. ad Hug. c. 4. *Si ignorantiâ numquam peccatur, quid ergo cauſamur adverſus occiſores Apoſtolorum, quandoquidem non ſolùm malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quæ id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo?*

DEFINITIO XI.

Peccare per ignorantiam, ſubreptionem, & inconſiderantiam voco, cum quis inter peccandum nullo modo cogitat id quod facit æquum ſit an iniquum; etſi fortaſſe, ſi animum adverteret, non ignoraret illud ſibi minimè eſſe faciendum. Ut enim rectè docet Aug. de Trin. l. 10. c. 5. *Aliud eſt rem non noſſe, aliud de re non cogitare. Neque enim*, inquit, *multarum doctrinarum peritum ignorare grammaticam dicimus, cum eam non cogitat, quia de medicinæ arte tunc cogitat*; ſive, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 2. *Nihil prohibet aliquid ſciri in habitu, quod tamen actu non conſideratur.* Plena eſt hominum vita talibus peccatis quæ per ſubreptionem & incogitantiam fiunt.

DEFINITIO XII.

Peccare per paſſionem voco, cum *ille qui eſt in paſſione conſtitutus*, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 2. *non conſiderat in particulari & in actu, id quod ſcit in univerſali & in habitu; puta intemperantiam in cibo eſſe fugiendam, in quantum paſſio impedit talem conſiderationem.* Sic peccare Ariſtoteles docet eos quos incontinentes vocat l. 7. Ethicor. c. 3. & poſt eum S. Thomas loco cit.

DEFINITIO XIII.

Peccare per malitiam voco, quando quis ſciens & volens inordinata voluntate, plus diligit aliquod bonum temporale, puta divitias & voluptatem, quàm ordi-

nem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei. *Cum enim malum nihil aliud ſit quàm privatio alicujus boni; per hoc quòd quis ſcienter vult diſpendium pati in aliquo ſpiritualium bonorum, ut potiatur aliquo temporali bono, dicitur ex certa malitia vel induſtria peccare, quaſi ſcienter malum eligens.* Ita S. Thomas 1.2.q.78.a.1.

COROLLARIUM I.

Peccata per ignorantiam & peccata per conſcientiam erroneam ad unum genus referri poſſunt, quod univerſim dicitur, peccare per ignorantiam. In eo enim conveniunt, quòd abſit à mente peccantis cognitio rei faciendæ, tum univerſalis & in habitu, tum particularis & in actu. Peccata verò per incogitantiam & peccata per paſſionem ad unum itidem genus pertinent, quod peccare per infirmitatem dicitur. In eo enim conveniunt & à prioribus diſcrepant, quòd habeat qui per incogitantiam & paſſionem peccat, cognitionem rei faciendæ in univerſali & in habitu, non habeat verò, interim dum peccat, in particulari & in actu: quod aliter vocatur conſideratio ſeu animadverſio.

COROLLARIUM II.

Peccata omnia ſecundùm cauſas interiores conſiderata ad illa tria genera reduci poſſunt, *ignorantiæ*, *infirmitatis*, & *malitiæ*: eſtque illa diviſio in ſuo genere adæquata. Ita S. Th. 1.2.q.76. & 78.a.1.

DEFINITIO XIV.

Vitare peccatum voco, ab aliquo peccato quod periculum eſt ne admittatur ita abſtinere, ut non aliqua prava cupiditate id facias, ſicut clavus clavo pellitur, ſed ex pio in Deum affectu.

DEFINITIO XV.

Gratiam actualem ad vitandum peccatum voco, quâ homo juvatur ad vitandum peccatum.

DEFINITIO XVI.

Juvari homo dicitur ad vitandum peccatum, vel ex parte intellectûs per inſpirationem piæ cogitationis, vel ex parte voluntatis per inſpirationem piæ volitionis, cum per alterutram removetur id quod ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis, animam impedit ne moveatur ad abſtinendum à peccato.

ASSUMTUM THEOL. GENERALE.

Ignorantia ex parte intellectûs, per quam fit *ut lateat* aliquid eſſe peccatum, vel etiam certo credatur non eſſe peccatum, & infirmitas ex parte voluntatis, per quam fit *ut non delectet*, vel facere bonum, vel à peccato abſtinere, *vitia ſunt quæ impediunt animam, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum.* Ex Aug. l. 2. de pecc. mer. c. 17.

COROLLARIUM *ex hoc aſſumto & Def.* 16.

Tum demum homo dicitur habere gratiam actualem quâ juvatur ad vitandum peccatum, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis, cum per inſpirationem piæ cogitationis *innoteſcit ei quod latebat*, vel per inſpirationem piæ volitionis *ſuave fit ei quod* non

non delectabat; ut etiam tradit ibid. S. Aug. his verbis: *Ut autem innoteſcat quod latebat & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt quæ hominum adjuvat voluntates.*

AXIOMATA
Vel naturaliter nota, vel præcedentium definitionum manifeſtè conſectaria.

Axioma I.

Qui nullam habet cogitationem nullamque volitionem circa aliquod objectum, puta de vitando peccato, non habet piam cogitationem vel piam volitionem circa illud objectum.

Axioma II.

Nihil volitum quin præcognitum. Unde manifeſtè ſequitur eum qui nullam habet cogitationem circa aliquod objectum, nullam etiam circa illud objectum volitionem habere, ac proinde nec piam.

Corollarium.

Qui nullam habet cogitationem de vitando peccato, nullam habet etiam gratiam actualem ad vitandum peccatum. Id manifeſtè ſequitur ex duobus præcedentibus Axiomatis, & ex definitione gratiæ actualis. Qui enim nullam habet cogitationem de vitando peccato, nullam habet circa vitandum peccatum piam cogitationem vel piam volitionem. Habere autem gratiam actualem eſt habere piam cogitationem vel piam volitionem ſibi à Deo inſpiratam. Ergo qui nullam habet cogitationem de vitando peccato, nullam etiam habet gratiam actualem ad vitandum peccatum.

Axioma III.

Qui peccavit per ignorantiam ſive ſimplicem ſive erroneã ac proinde ex def. 9. & 10. neque ſciens neque cogitans ſe peccare. Item qui peccavit per incogitantiam nullo modo advertens ſe peccare, vel per paſſionem eo modo quo dictum eſt in def. 12. hoc eſt actu ſolùm conſiderans quod libebat, non quod licebat, in his omnibus caſibus qui peccavit, nullam habuit cogitationem de vitando peccato: quod in duobus prioribus ne in univerſali quidem & in habitu cogitavit eſſe peccatum, in duobus verò poſterioribus cogitavit quidem in univerſali & in habitu, ſed in particulari & in actu non conſideravit nec cogitavit eſſe peccatum. Unde patet contra hypotheſim pugnare, quod talis habuiſſe dicatur piam cogitationem de vitando peccato.

Corollarium I.

Ergo nec gratiam actualem habuit ad vitandum peccatum, ex Coroll. Axiom. 2.

Corollarium II.

Multo etiam minùs talis dici poteſt, in his omnibus caſibus habuiſſe gratiam actualem quá juvetur ad vitandum peccatum, ſecundùm def. 16. & ejus Corollarium, hoc eſt inſpirationem piæ cogitationis, per quam ei innotuerit quod latebat, & inſpirationem piæ volitionis per quam ei ſuave factum ſit quòd non delectabat. Supponimus enim ei nihil de novo innotuiſſe, quod cum ante lateret, & nihil ei ſuave factum eſſe quod ante eum non delecta-

ret: quia ſublata cogitatione circa aliquod objectum, tollitur actualis notitia in intellectu & actualis delectatio in voluntate circa illud objectum.

ASSUMTA THEOLOGICA

Ex præcedentibus clara, vel experientia notiſſima.

ASSUMTUM I.

Juſti interdum peccant vel ex ignorantia ſive ſimplici ſive cum errore conjuncta; vel ex infirmitate, hoc eſt per incogitantiam & paſſionem. Probatur ex diviſione peccatorum in peccata ex ignorantia, ex paſſione, & malitia. Nemo enim dixerit juſtos numquam peccare niſi ex certa malitia: ergo peccant interdum vel ex ignorantia, vel ex paſſione. Sed de uno quoque ſpeciatim agere, non abs re erit. Ergo ſit

ASSUMTUM II.

Juſti interdum peccant per ignorantiam, ſecundùm definit. 9. Hinc Aug. l. de Spir. & litt. c. ult. *In multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere vel non diſplicere quod facimus; & poſteà per Scripturam ejus, ſive certa & perſpicua ratione commoniti cum didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoſcat. Plena humana vita eſt documentis talibus.* Et lib. 6. in Jul. c. 16. *Omni reatu omnium malorum caret baptizatus, non omnibus malis. Numquid caret ignorantia malo, per quod à neſcientibus innumera perpetrantur mala?*

EXEMPLA. Petrus, cum à Paulo reprehenſus eſt, quòd non rectè ambularet ad Evangelii veritatem, qui certè non cogitabat tum ſe peccare.

Fabiola, quæ vivente marito alium duxit, quia *perſuaſerat ſibi*, inquit Hieronymus in ejus Epitaphio, *& putabat à ſe virum jure dimiſſum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi univerſa cauſatio, viventibus viris, fœminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.* Quod peccatum lethale fuiſſe tum ejus natura indicat, tum Hieronymus, qui *naufragium* eam feciſſe per culpam hanc ſignificat, nec niſi per publicam pœnitentiam ad Eccleſiæ Communionem admiſſam fuiſſe.

Libellatici, qui libellos magiſtratibus offerebant, vel à magiſtratibus recipiebant, quibus ſacrificaſſe videri poterant, quos S. Cyprianus in Ep. ad Anton. id feciſſe teſtatur, *quòd exiſtimantes ſibi ſatis eſſe quod non ſacrificaviſſent, errore decepti erant.*

Multi ſunt qui, diſpenſationibus ſine idonea cauſa obtentis, plena ſecuritate faciunt quod eis facere non licet; quos tamen, ſecundùm ſapientiores Theologos, illæ diſpenſationes ſine idonea cauſa conceſſæ à peccato coram Deo non eximunt.

Pueri multi, præſertim ruſtici, parentum vel paſtorum incuriâ in ſumma Chriſtianæ pietatis ignorantia educati, partam plerumque in baptiſmo innocentiam perdunt iis peccatis quæ peccata eſſe neſciunt; nihil verò minùs norunt quàm adverſùs ingruentes

tentationes, Dei gratiam eſſe implorandam.

ASSUMTUM III.

Peccant interdum juſti per conſcientiam erroneam, ſecundùm quod dictum eſt in defin. 10. Quales ſunt boni alioquin viri, qui habent zelum, ſed non ſecundùm ſcientiam.

EXEMPLA. Multi ex Judæis ad Chriſtum converſis improvido legis zelo ducti, Gentiles cogebant judaizare, eo ipſo obſequium ſe præſtare Deo arbitrati, cum tamen peccarent, ut docet Paulus.

S. Cyprianus, cum anabaptiſmum totis animi viribus tueretur, & ob hanc cauſam commotior in Stephanum Papam inſurgeret. *Quam tamen*, inquit Auguſt. *in candidiſſimo pectore maculam ſanguis pro Chriſto effuſus abſterſit.*

ASSUMTUM IV.

Juſti interdum peccant per incogitantiam, inconſiderantiam, ſubreptionem. Hinc juſti omnes cum Davide ad Deum quotidie clamant: *Delicta quis intelligit! Ab occultis meis munda me, Domine.* Hinc omnes Sacerdotes in ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio veraciter & humiliter ſe illud offerre dicunt, *pro innumerabilibus peccatis & negligentiis & offenſionibus ſuis*; quod profectò intelligi ſolùm poteſt de peccatis quæ incogitantibus excidunt.

Huc etiam referri debet, vel ad ſuperiora, quod parùm intereſt, quod docet Chryſoſt. hom. 11. in 1. ad Corinth. *Ideò Paulum de ſeipſo dixiſſe: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; eo quòd in iis peccare potuiſſet, quæ peccata eſſe ignoraſſet.* Et quod ait Hom. 6. in Matth. *Nos in die judicii puniendos, non ob ea ſolùm quæ peccata fuiſſe cognovimus, ſed ob ea etiam quæ non novimus.* Exempla referre ſupervacaneum eſt, cum ea quiſque ex ſeipſo petere poſſit. Nullus enim eſt qui non quotidie experiatur in multis ſe peccare, quæ inter peccandum nullo modo advertit, ſed poſteà tantùm cum conſcientiam diligentiùs excutit.

ASUMTUM V.

Peccant interdum juſti ex paſſione ad eum modum qui notatus eſt in Defin. 12. quæ eſt S. Thomæ; cum *qui eſt in paſſione conſtitutus non conſiderat actu & in particulari id quod facit, ſibi non eſſe faciendum; licet id noverit in univerſali & in habitu.*

Sic juſti naturâ iracundi multa faciunt per iram, quæ irâ durante juſtiſſima ſibi videntur, quorum tamen poſteà maximè eos pœnitet. Facilè poteſt contingere, ut qui blaſphemandi conſuetudinem contraxit, etſi ad Deum converſus præſertim in converſionis initio, ſi ab irâ corripiatur, in blaſphemiæ verba cum ſcandalo prorumpat.

Ardentior in amicos vel propinquos affectus, ita plerumque excæcat viros alioquin bonos, ut eorum causâ ea ſine peccato ſe facere certò credant, quæ ſine peccato fieri nullatenus poſſunt; ut cum viri pietatis opinione ſpectabiles ex reditibus Eccleſiaſticis, quæ ſunt patrimonia pauperum,

propinquos ditant, vel Eccleſiaſticas dignitates non dignioribus, ſed amicis & propinquis ſuis conferunt, etiam plerumque indignis.

PROPOSITIO DEMONSTRANDA.

Non ſemper habent juſti omnes gratiam interiorem actualem ad vitandum peccatum in ea occaſione in qua peccant.

Aliqui juſti interdum peccant vel per ignorantiam, vel per conſcientiam erroneam, vel per incogitantiam, vel per paſſionem; *ex aſſumtu ſuperioribus.*

At qui ſic peccant non habent gratiam actualem ad vitandum peccatum in ea occaſione in qua peccant; *ex axiomatis.*

Ergo non ſemper habent juſti omnes gratiam interiorem actualem ad vitandum peccatum in ea occaſione in qua peccant. *Quod erat demonſtrandum.*

PROPOSITIONES *Conſectariæ duæ.*

PROPOSITIO I.

Nihil prohibet alicui interdum juſto deeſſe gratiam actualem ad vitandum peccatum in ea occaſione in qua peccat mortaliter & à juſtitia excidit.

Probatur. Nihil prohibet ea peccata, quæ à juſtis per ignorantiam vel per paſſionem quandoque committuntur, eſſe interdum peccata mortalia, ut patet exemplo Fabiolæ, Libellaticorum, & illorum qui ex carnali in propinquos affectu, Eccleſiæ bona ſublevandæ pauperum inopiæ deſtinata in divites effundunt: eorum denique puerorum qui malè educati, per ignorantiam in peccata mortalia labuntur.

At in ejuſmodi peccatis, quæ qui committunt, vel neſciunt propter ignorantiam, vel non advertunt propter paſſionem ſe peccare, non adeſſe peccantibus gratiam actualem in ea occaſione in qua peccant, demonſtratum eſt.

Ergo nihil prohibet alicui interdum juſto deeſſe gratiam actualem ad vitandum peccatum in ea occaſione in qua peccat mortaliter, & à juſtitia excidit. *Quod erat demonſtrandum.*

PROPOSITIO II.

Non ſemper adeſt juſtis gratia actualis ad obtinendam à Deo gratiam contra tentationem peccati in ea occaſione in qua peccant, cum deeſt illis gratia actualis ad vincendum illud peccatum.

Probatur. Cogitatio de obtinenda à Deo gratia contra tentationem peccati, non poteſt eſſe ſine aliqua cogitatione de vitando peccato.

At in ſuperioribus demonſtratum eſt, juſtos interdum peccare, etiam mortaliter, ſine ulla cogitatione de vitando peccato, & tum non habere gratiam actualem ad vitandum peccatum.

Peccant ergo interdum juſti ſine ulla cogitatione de obtinenda à Deo gratia contra tentationem peccati.

At qui nullam habet cogitationem

tionem de obtinenda à Deo gratia contra tentationem peccati, non habet gratiam actualem pro obtinenda illa gratia, ut ex dictis de gratia actuali ad vitandum peccatum facile colligere eſt.

Ergo non ſemper adeſt juſtis gratia actualis ad obtinendam à Deo gratiam contra tentationem peccati in ea occaſione in qua peccant, cum deeſt illis gratia actualis ad vincendum illud peccatum. *Quod erat demonſtrandum.*

A L I T E R.

Pueri poſt baptiſmum apud infideles educati, vel etiam apud Chriſtianos, ſed parentum incuria de Chriſtianæ pietatis officiis nihil prorſus edocti, quales nimium multi ſunt, præſertim in agris, ut ſupra dictum eſt, dum primo lethali peccato juſtitiam in baptiſmo partam amittunt, nihil minùs cogitant, quàm de Dei gratia adversùs tentationem imploranda, cum ſupponamus, quod nimium ſæpe cõtingit, prorsùs eos neſcire, gratiâ Dei ſe adversùs peccati tentationes indigere.

At, ex principiis ſupra poſitis, qui peccavit nullam prorſus habens cogitationem de gratia Dei imploranda, non habuit gratiam actualem pro imploranda Dei gratia.

Ergo poteſt contingere ut juſtus mortaliter peccet nullam habens gratiam actualem, vel ad vitandum peccatum, vel ad gratiam Dei implorandam. *Quod erat demonſtrandum.*

O B J E C T I O.

Adversùs demonſtratæ Propoſitionis præcipuum fundamentum.

Hoc unum objici poſſe Vir doctiſſimus exiſtimavit: Juſtum quidem qui peccat, vel per ignorantiam ſimplicem, vel per conſcientiam erroneam, vel per incogitantiam, vel per paſſionem, non habere dum peccat piam cogitationem de vitando eo peccato, quod eſſe peccatum vel ignorat vel non cogitat; nihil tamen obſtare quin habeat piam cogitationem de vitando generatim peccato, adeóque gratiam actualem.

R E S P O N S I O.

Reſpondeo I. Unumquemque ſuá ipſius experientiá notum habere, ſæpe à nobis peccari præcipuè per ſubreptionem & incogitantiam, & interdum per paſſionem, ſine ulla cogitatione de vitando peccato, ſive generatim, ſive in particulari.

Reſpondeo II. Non hîc quæri, An juſtus qui peccat habeat ſemper aliquam gratiam actualem, necne; ſed, An habeat gratiam actualem ad vitandum peccatum quod committit. Nemo enim, verbi gratiâ, negare poteſt quin S. Petrus, cum Antiochiæ ſe à gentilibus ad Chriſtum converſis ſubtrahebat, multas habuerit pias cogitationes, puta Judæos ſuæ curæ præcipuè eſſe commiſſos, ac proinde illorum infirmitati ſibi eſſe conſulendum. Sed quæritur, Utrum habuerit illam piam cogitationem & piam volitionem quibus à peccato illo retraheretur. In his enim conſiſtit gratia actua-

lis

lis ad vitandum peccatum. Non habuiſſe autem manifeſtum eſt, quia ſupponimus Deum, ut illius exemplo paſtores omnes humilitatem doceret, ſubtraxiſſe illi ad tempus veritatis lumen quo perſpiceret id quod à Paulo didicit, non rectè ſe ambulare ad Evangelii veritatem, & reprehenſione dignum eſſe quod ſibi laude dignum videbatur. Unde doctiſſimus Pontifex Gelaſius B. Petro *imbellem inſcitiam* attribuere non veretur.

Quare dum aliquis peccat per conſcientiam erroneam, quamvis cogitationem haberet de vitando generatim peccato, illa tamen cogitatio nequaquam dici poſſet gratia actualis ad vitandum peccatum: quia quamdiu homo conſcientiam illam erroneam habet, non ſolùm non juvatur ad vitandum peccatum illa cogitatione de vitando generatim peccato, ſed potiùs per illam ad faciendum id quod peccatum eſſe neſcit magis impellitur. Ut enim docet S. Thomas. 1. 2. q. 76. a. 1. *Conferens de agendis utitur quodam ſyllogiſmo, cujus concluſio eſt judicium, ſeu electio, vel operatio. Actiones autem in ſingularibus ſunt. Unde concluſio Sylogiſmi operativi eſt ſingularis. Singularis autem propoſitio non concluditur ex univerſali, niſi mediante aliqua propoſitione ſingulari.* Itaque cum illa cogitatio de peccato generatim vitando non poſſit menti præſtare niſi propoſitionem illam univerſalem; *Omne peccatum eſt vitandum*; ut homo juvetur per illam ad vitandum peccatum oportet ut aſſumat: *At quod mihi nunc faciendum occurrit, eſt peccatum.* Unde concludet: *Ergo vitandum eſt.*

Sin verò per conſcientiam erroneam ita diſpoſitus ſit, ut non modò non exiſtimet id quod faciendum occurrit eſſe peccatum, ſed contra certò credat ſe peccaturum ſi non faceret, luce clarius eſt tunc ita concluſurum;

Omne peccatum eſt fugiendum.

Atqui peccarem, niſi facerem id quod faciendum occurrit; puta niſi ego Saulus poteſtate mihi à principibus data uterer ad perſequendos Chriſtianos legis inimicos.

Ergo hoc mihi faciendum eſt.

Ubi vides in illo caſu cogitationem de vitando generatim peccato officere potiùs, quàm juvare, ad vitandum peccatum.

VIII.

VERA S. THOMÆ DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI

Doctrina dilucidè explanata.

Autore ANTONIO ARNALDO Doctore & Socio Sorbonico.

PRÆFATIO.

Eccleſiaſticæ Veritatis fons unus, Deus: unus alveus, ſacra & incorrupta Traditio, ab Apoſtolis, ſeu ſcripto, ſeu voce, ad ſucceſſores & diſcipulos, ab illis ad Patres, à Patribus ad nos propagata. Hoc unum Eccleſiæ præſidium adversùs perduelles, quod qui vel in uno capite convellit, totam ille Eccleſiam labefactat, ac fidem nudam & inermem hoſtibus præbet impunè calcandam. Nihil ergo neceſſe videbatur propoſitionem ab Auguſtino & Chryſoſtomo traditam, à me tantùm relatam, ac cæterorum Patrum conſenſione, nemine reclamante, munitam, adjectis inſuper ſcholæ Doctorum calculis aſſerere. Peſſimè enim de Eccleſia mereatur, qui Patres ſatis idoneos veritatis teſtes non habeat, quam non habemus niſi per illos. Sed tamen, quoniam S. Thomam numquam à Patrum autoritate diſtraximus, ipſiuſque doctrinam præcipuo quodam ſtudio ſecuti ſemper & venerati ſumus, faciendum duximus, ut ſcholæ Principem Eccleſiæ Principibus adjungeremus, quò totius Eccleſiæ una fides, unus ſenſus, una demum vox appareat. Simul nonnullis obſequendum fuit, apud quos parum tuta eſt antiqua veritas, niſi ſub ſcholæ nomine & tamquam præſidio deliteſcat; & aliis reſiſtendum, qui cùm S. Thomam vereri ſe fingant, ejus doctrinam ſub alieno nomine inceſſere, & triſtioribus notis inurere nihil verentur. Id igitur nobis hac in ſcriptione propoſitum eſt, Angelici Doctoris mentem ac ſenſum ipſius verbis expreſſum ſincerè & explanatè Theologorum proprio & ſcholaſtico plane more omnium oculis ſubjicere, quò ſimul illud diluceſcat Epiſtolæ meæ propoſitionem, tot calumniis vexatam, nihil omnino ab illius doctrinâ eſſe disjunctam, neque damnari poſſe, quin S. Thoma pariter damnato, tota ipſius Theologia funditus corruat. Cæterùm, ſi qua & Chriſtiano, & Sacerdoti fides, ſanctiſſimè confirmo, non alio ſenſu hanc propoſitionem aut ſcriptam umquam à me aut intellectam, quàm eo quem omnibus S. Thomæ principiis conſentire, perſpicuè, ni fallor, jamjam oſtenſurus ſum.

VERA

VERA S. THOMÆ
DE GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI
Doctrina dilucidè explanata.

ARTICULUS PRIMUS.

Duplex auxilium gratiæ : Habituale donum, & auxilium Dei moventis.

EX doctrina S. Thomæ duplex eſt auxilium gratiæ Dei. Primum eſt auxilium Dei hominem moventis ad bene agendum; alterum eſt habituale donum, naturæ divinitùs inditum; ſive, ut aliter vocat, Virtus gratuita virtuti naturæ ſuperaddita. *Gratia*, inquit S. Th. 1. 2. qu. 111. art. 2. in c. *dupliciter poteſt intelligi : Uno modo, divinum auxilium quo nos movet ad bene volendum & agendum; alio modo, habituale donum nobis divinitus inditum.* Et qu. 112. art. 1. *Gratia dicitur dupliciter: quandoque quidem, ipſum habituale donum Dei; quandoque autem, auxilium Dei moventis animam ad bonum.* Et qu. 110. art. 2. in c. *In eo*, inquit, *qui dicitur gratiam habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem ſupra, quòd dupliciter ex gratuitâ Dei voluntate homo adjuvetur. Uno modo, in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum : & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ. Actus enim moventis in moto eſt motus. Alio modo adjuvatur homo ex gratuitâ Dei voluntate ſecundùm quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur.* Multis aliis locis duplex illud auxilium gratiæ Dei diſtinguit S. Thomas, ut qu. 109. art. 2. 3. 4. 6. 9. 10.

ARTICULUS II.

Vox gratiæ apud S. Thomam pro habituali dono ſumi ſolita.

CUm abſolutè gratiam nominat S. Thomas, non illud prius Dei moventis auxilium, ſed hoc poſterius habituale donum ſolet intelligere. Unde nil mirum ſi quod Patres ſine gratia fieri poſſe negant, id ipſe ſine gratiâ fieri poſſe interdum aſſerat. Patres enim nomine gratiæ ſine qua nihil fieri poſſe docent, inſpirationem bonæ voluntatis, ſive auxilium Dei interiùs moventis intelligunt, ſine quo ipſe D. Thomas fatetur nihil boni ab homine fieri poſſe.

poſſe. Ipſe verò gratiam juſtificantem intelligit, ſine qua multa benè à peccatoribus fieri poſſunt, cum per auxilium Spiritus ſancti nondum inhabitantis ſed moventis adjuvantur. En locus egregius, quo hæc omnia explanantur & confirmantur, De Ver. qu. 24. art. 14. *Ad bonum quod eſt ſupra naturam humanam conſtat liberum arbitrium non poſſe ſine gratia: quia cum per ejuſmodi bonum homo vitam æternam mereatur, conſtat quod ſine gratia homo mereri non poteſt. Unde ſi gratiam velimus dicere, non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalutem; ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei, ſed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali juſtificante.* Quare de hac gratia quod eſt donum habituale, priùs videndum eſt quid doceat S. Thomas.

ARTICULUS III.

Quid ſit Gratia habitualis.

GRatia pro habituali dono accepta ex S. Thoma *eſt qualitas ſupernaturalis animæ juſtificatorum à Deo infuſa, ut ſuaviter & promptè ab ipſo ad æternum bonum conſequendum moveantur.* Ita D. Thomas 1. 2. qu. 110. art. 2. in c. Cujus rei hanc affert rationem. *Non eſt*, inquit, *conveniens, quòd Deus minùs provideat his quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit ad naturale bonum habendum. Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolùm moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas & virtutes quaſdam quæ ſunt principia actuum, ut ſecundùm ſe ipſas inclinentur ad hujuſmodi motus. Et ſic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles ſecundùm illud Sap.* 8. Et diſponit omnia ſuaviter. *Multò igitur magis illis quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale æternum, infundit aliquas formas ſeu qualitates ſupernaturales, ſecundùm quas ſuaviter & promptè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum. Et ſic donum gratiæ qualitas quædam eſt.*

Hoc loco obſerves & colligas, quod in rebus naturalibus formæ virtuteſque naturales efficiunt & præſtant, id in juſtificatis ad actus ſupernaturales gratiam habitualem præſtare. Ergo, ut illæ ſunt actuum naturalium principium, & quamdam afferunt ad ſuos quæque actus propenſionem, ſic gratia habitualis principium eſt actuum ſupernaturalium, & ad ejuſmodi actus propenſos efficit juſtificatos; nec tamen illi motus in iis ſunt, niſi quatenus à Deo moventur, cum ideò illa forma ſeu qualitas in iis ſit, non ut per ſe ipſi ſe moveant, *ſed ut promptè ac ſuaviter à Deo moveantur ad bonum æternum conſequendum.* Id ex ſequentibus magis etiam diluceſcet.

ARTICULUS IV.

Gratia habitualis naturam ſanat, elevat, dat poſſe mandata implere, & peccata vitare.

Auxilium illud gratiæ in dono habituali ſitum quatuor in juſtis efficit. Primò enim naturam hominis corruptam ſanat. Unde D. Thomæ *Gratia ſanans* ſæpe dicitur. In hoc enim præcipuè natura noſtra peccato corrupta eſt, *quod homo ſecundùm appetitum voluntatis rationalis propter corruptionem naturæ ſequitur bonum privatum*, hoc eſt, omnia ad ſeipſum refert, non ad Deum, *niſi ſanetur per gratiam Dei*, ut inquit idem qu. 109. art. 3. Per gratiam verò juſtificantem mens habitualiter *ſubditur Deo, & in eo conſtituit finem ſuæ voluntatis*, ut docet ead. qu. art. 8.

Secundò naturam elevat ad producenda opera vitam æternam promerentia. *Vita enim æterna*, inquit eadem qu. art. 5. *eſt finis excedens proportionem naturæ humanæ. Et ideò homo per ſua naturalia non poteſt producere opera meritoria, proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quæ eſt virtus gratiæ, hoc eſt, virtus ſuperaddita virtuti naturæ*, quâ voce juſtificantem gratiam ſemper intelligit.

Tertiò dat homini ut poſſit implere omnia legis præcepta. Primò enim docet S. Thomas ſine gratia juſtificante omnibus præceptis neminem ſatisfacere poſſe, non quòd is qui gratia juſtificante caret, nullo non in actu præcepta violet, ſed quòd fieri non poſſit, quin ſubinde in aliquas præcepti prævaricationes incidat, ut ampliùs explicabitur ubi de quarto effectu. Deinde qu. 106. art. 1. cum dixiſſet legem novam eſſe principaliter ipſam gratiam Spiritus ſancti in corde fidelium ſcriptam, quibus verbis gratiam habitualem apertè notat, mox addit in reſponſione ad ſecundum: *Aliquid eſt inditum homini quaſi ſuperadditum per gratiæ donum. Et hoc modo lex nova eſt indita homini non ſolùm indicans quid ſit faciendum, ſed etiam adjuvans ad implendum.* Ubi manifeſtè docet gratiam habitualem, ſive ſuperadditum illud gratiæ donum ad implenda legis mandata nos adjuvare, adeoque per illam nos ea ſervare poſſe.

Quartò dat omnibus juſtis ut poſſint ab omnibus mortalibus peccatis abſtinere. Id clarè docet in concluſione articuli 8. ejuſd. quæſt. 109. *Homo*, inquit, *in ſtatu naturæ corruptæ peccata mortalia & ſingula & omnia; venialia autem ſingula, ſed non omnia, vitare poteſt, ſi eſt natura per gratiam infuſam reparata; aliàs enim ne mortalia quidem omnia, præſertim longo tempore, vitare poteſt.* Id verò ſic explicat in corpore articuli.

Antequam hominis ratio, in qua

eſt

eſt peccatum mortale, reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt ſingula peccata mortalia vitare, & ſecundùm aliquod tempus; quia non eſt neceſſe quod continuò peccet in actu, ſed quòd diu maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt. Unde & Gregorius dicit ſuper Ezech. quòd peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit. Et hujus ratio eſt, quia ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus, etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis. Per finem autem oportet quod regulentur omnes actus humani.......Cum enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa, propter quæ conſequenda vel vitanda homo recedit à Deo, contemnendo præcepta ipſius, & ita peccat mortaliter, præcipue quia in repentinis homo operatur ſecundùm finem præconceptum, & ſecundùm habitum præexiſtentem, ut Philoſophus dicit in 3. Ethic. quamvis in præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere ut diu permaneat, quin operetur ſecundùm conſequentiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur. Hactenus S. Thomas. Ubi notandum de ſola habituali gratia illum loqui, & tamen diſertè docere hominem poſſe & ſingula & omnia peccata mortalia vitare cum natura eſt per gratiam infuſam, hoc eſt habitualem, reparata. Unde etiam qu. 106. art. 2. ad 2. *Gratiam novi Teſtamenti* (quam infuſam & naturæ inditam Spiritus Sancti Gratiam eſſe docet) *auxilium de ſe ſufficiens ad non peccandum* vocat. *Etſi*, inquit, *Gratia novi Teſtamenti hominem adjuvet ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit. Hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ. Et ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tamquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato*, hoc eſt gratiâ in juſtificatione acceptâ, *non utens; nec tamen propter hoc dicitur quòd lex nova iram operatur, quia quantum eſt de ſe ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Quibus in verbis qui gratiam actualem ſufficientem inveniſſe ſe jactant, ad ipſum potiùs S. Thomæ locum remittendi ſunt, quàm ſtudioſè in tam aperta fallacia refellendi: cùm ipſe titulus articuli: *Utrum lex nova juſtificet*, & ſæpiùs repetita vox *gratiæ Spiritus ſancti interiùs datæ*, & *legis in corde ſcriptæ*, quibus verbis *donum habituale juſtificans* ſemper deſignat S. Thomas, non aliam hoc loco gratiam intelligi ſatis oſtendant. Id etiam ex eo patet quòd pro eodem ſumit S. Thomas, auxilio ſibi dato non uti, & poſt acceptam gratiam peccare, quod poſterius ad gratiam juſtificantem haud dubiè pertinet. Deinde nuſquam ait S. Thomas de auxilio Dei moventis

tis nos eo uti vel non uti; cum illud auxilium nihil aliud ſit, ut infra oſtendemus, quàm miſericordia Dei quæ bonam ipſam voluntatem, per quam cæteris rebus, & potiſſimùm habitibus utimur, in nobis operatur. Habituum verò maximè proprium eſt ex S. Thomâ, ut qui eos habet, iis utatur, vel non utatur, prout voluerit. *Unde & habitus*, inquit 1. 2. q. 78. art. 2. *definitur, quo quis utitur cum voluerit*: quod & alibi ſæpiſſimè docet. Denique quod ait ibid. *Gratiam novi Teſtamenti, etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmare in bono, ut homo peccare non poſſit; hoc enim pertinet ad ſtatum gloriæ*, manifeſtò demonſtrat de gratia habituali id eſſe intelligendum. Loquitur enim de gratiâ, quæ hominem conſtituit in certo ſtatu, cujuſmodi eſt illa quâ homo in ſtatu gloriæ in bono confirmatur: at hæc habitualis eſt ex S. Thoma. Nec verò de auxilio Dei moventis rectè dici poteſt, illud in bono non confirmare. Nam ſi ita intelligas, auxilium illud non in perpetuum confirmare in bono, ridiculum eſt & ſuperfluum, quia auxilium iſtud non eſt aliquid permanens; ſi verò intelligas auxilium iſtud non ſummovere peccatum quatenus datur, contrarium eſſet S. Thomæ, qui diſertè alibi tradit, nimirum 2. 2. q. 24. art. 11. *Si conſideretur charitas ex parte Spiritus ſancti moventis animam ad diligendum Deum, ex hac parte charitatem impeccabilitatem habere ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit*: quorum verborum ſenſum infra explicabimus.

ARTICULUS V.

Cujuſmodi ſit ea poteſtas mandata implendi & peccata vitandi, quam dat gratia habitualis.

EX ſuperioribus patet, juſtis omnibus mandata divina poſſibilia eſſe longè potiori ratione quàm poſſibilia ſint peccatoribus. Ex ſanctorum enim Patrum doctrinâ, nulli prorſus homini quantumvis impio & ſcelerato mandata divina impoſſibilia ſunt, quia poſſunt omnes homines ea ſervare ſi velint, etiamſi ut velint præparanda ſit voluntas à Domino. Ex Sancto enim Auguſtino *in poteſtate noſtra id eſſe dicitur quod fit ſi volumus, & ſi nolumus non fit. Certum eſt verò*, ut idem inquit, *nos mandata ſervare ſi volumus*, modò plenè & integrè velimus. Verùm non eâ tantùm ratione præcepta omnia juſtis omnibus poſſibilia ſunt, ſed præterea, quia per virtutem gratuitam naturæ ſuperadditam, & in ipſa juſtificatione acceptam poſſunt ea ſervare, quatenus ea gratia in ſuo genere, hoc eſt in genere habitualis doni, ſufficienter adjuvat

adjuvat ad non peccandum, *quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis*, ut loquitur ſanctus Doctor de integræ naturæ poteſtate ad operandum bonum naturæ proportionatum 1. 2. qu. 109. art. 2. etſi illud operari non poſſit *ſine auxilio Dei moventis*, ut ibidem diſertè tradit. Eſt enim Gratia habitualis, ex S. Thoma, virtus ſuperaddita naturæ, cujus eadem eſt vis & efficientia in ſtatu naturæ corruptæ ad opera æternam vitam promerentia, quæ virtutis naturalis erat in ſtatu naturæ integræ ad opera naturæ ſuæ proportionata. Ut hæc *poſſe* largiebatur, ſic etiam illa. Ut hæc indigebat Dei moventis auxilio, ſic item illa. Non ergo alia ratione gratia habitualis dicitur auxilium de ſe ſufficiens ad non peccandum vel ad mandata ſervanda, quàm quia dat homini poſſe *quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis*; nec indiget homo, ut id re ipſa præſtet, alia ſibi indita operativa virtute, hoc eſt alio habituali dono, etſi ulteriùs indigeat auxilio Dei moventis, ut accuratiùs etiam ex S. Doctore demonſtrandum eſt.

ARTICULUS VI.

Non poteſt juſtus operari bonum & vitare peccatum ſine novo auxilio Dei moventis.

IDEM enim D. Thomas, qui docet gratiam habitualem eſſe auxilium de ſe ſufficiens ad non peccandum, & poſſe hominem cujus natura per gratiam infuſam reparata eſt, ab omnibus peccatis mortalibus abſtinere & à ſingulis venialibus, non minùs clarè docet hominem, quamvis juſtificatum, non poſſe operari bonum & vitare peccatum ſine novo auxilio gratiæ ipſum interiùs moventis, hoc eſt, ſine altero illo gratiæ genere quod ab habituali dono diſtinguit, cum ſæpe ait: *Gratiam dupliciter poſſe intelligi: uno modo, auxilium divinum quo nos movet ad volendum & agendum; alio modo, habituale donum nobis divinitus inditum.*

Quærit enim S. Thomas qu. 109. art. 9. *Utrum ille qui conſecutus eſt gratiam, per ſeipſum poſſit operari bonum & vitare peccatum abſque auxilio gratiæ.* Ita verò reſpondet: *Cum nullum agens ſecundum agat niſi in virtute primi, ſitque caro ſpiritui perpetuo rebellis, non poteſt homo, licèt jam gratiam conſecutus, per ſeipſum operari bonum & vitare peccatum abſque novo auxilio gratiæ Dei ipſum moventis, dirigentis, & protegentis, quamvis alia habitualis gratia ad hoc ei neceſſaria non ſit.* Quod magis explicans in corpore articuli:

Dicendum, inquit, *quòd, ſicut ſupra dictum eſt, homo ad rectè agendum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo, quantùm ad aliquod habituale donum per quod natura humana corrupta ſanetur, &*

etiam ſanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo, indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum.

Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo in gratia exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ quaſi aliquo alio habitu infuſo; indiget tamen auxilio gratiæ ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum: & hoc propter duo. Primò quidem ratione generali propter hoc quòd, ſicut ſupra dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ: ſecundò ratione ſpeciali propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantùm ad mentem; remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu, ſecundùm quam, ut dicitur etiam Rom. 8. Quid oremus ſicut oportet, neſcimus. *Propter varios enim rerum eventus, & quia nos ipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis expediat, ſecundùm illud Sap. 9.* Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. *Et ideò neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia novit & omnia poteſt. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere:* Et ne nos inducas in tentationem; *&,* Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, *& cætera quæ in Oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia.*

Cum verò ſibi objeciſſet: *Per gratiam Spiritus ſanctus in nobis habitat. Sed Spiritus ſanctus cum ſit omnipotens, ſufficiens eſt ut nos inducat ad benè operandum & nos à peccato cuſtodiat. Ergo homo gratiam conſecutus poteſt utrumque prædictorum abſque alio auxilio gratiæ:* ita reſpondet, ut apertè doceat non ſufficere juſto, ut bonum operetur & vitet peccatum, quòd Spiritus in eo habitet per gratiam juſtificantem; ſed prætereà requiri, ut novo & ſpeciali auxilio à Spiritu ſancto moveatur ad rectè agendum. *Ad ſecundum,* inquit, *dicendum, quòd operatio Spiritus ſancti, quæ nos movet & protegit, non circumſcribitur per effectum habitualis doni quod in nobis cauſat; ſed præter hunc effectum, nos movet & protegit ſimul cum Patre & Filio.*

ARTICULUS VII.

Indiget juſtus ad perſeverandum, ut perſeverantia ei à Deo detur.

EODEM nixus fundamento quærit iterum S. Thomas art. ſequenti: *Utrum homo in gratia conſtitutus indigeat auxilio gratiæ ad perſeverandum;* & concludit, hominem etiam in gratia conſtitutum *indigere ut ei perſeverantia à Deo detur.* Et rurſus: *Indiget,*

get, inquit, *homo in gratia conſtitutus ad hoc ut uſque ad finem vitæ ſuæ in gratiâ perſeveret, non quidem alia aliqua habituali gratia, ſed ſpeciali quodam divino auxilio contra tentationum impulſus illum protegente, ſicut ex præcedenti quæſtione apparet*, hoc eſt, articulo præcedenti, in quo docuerat *hominem juſtificatum non poſſe per ſeipſum operari bonum & vitare peccatum abſque novo auxilio Dei ipſum moventis, dirigentis, & protegentis. Et ideò poſtquam eſt aliquis juſtificatus per gratiam, neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeverantiæ donum, ut ſcilicet cuſtodiatur à malo uſque ad finem vitæ. Multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratia.* Quæſt. verò 114. art. 9. docet: *Perſeverantiam vitæ non cadere ſub merito, quia dependet ſolùm ex motione divina, quæ eſt principium omnis meriti. Sed Deus*, inquit, *gratis perſeverantiæ donum largitur cuicumque illud largitur.* Ubi quidem agnoſcit, perſeverantiam orando impetrari. Verum id non impedit quin gratis detur, quia non minùs pendet ex motione divina, ut quis perſeverantiam aſſiduis precibus à Deo poſtulet, adeoque, *ſic petat, quomodo & quantum res tanta petenda eſt.* Unde Auguſtinus lib. De dono perſeverantiæ c. 14. cum *propter perſeverandum* à Domino dictum fuiſſe commemoraſſet: *Oportet ſemper orare, & non deficere*; continuò ſubjunxit: *Audiunt hæc & faciunt quibus datum eſt; non autem faciunt, ſive audiant, ſive non audiant, quibus non eſt datum...... quorum alterum ad miſericordiam, alterum ad judicium pertinet.*

ARTICULUS VIII.

Poteſt ſemper juſtus, & aliquando non poteſt, diverſo ſenſu. Aptiſſima in eam rem Auguſtini comparatio.

CERTA ergo & fixa ſunt hæc duo S. Thomæ doctrinæ capita. Primò, juſtificatos omnes per gratiam in juſtificatione acceptam poſſe vitare omnia peccata mortalia, ac proinde in gratia perſeverare & tentationes vincere quibus à gratia exciderent, quantùm ſcilicet *ad ſufficientiam operativæ virtutis*, quia ſcilicet ad omnia illa præſtanda non indigent ulla alia virtute ſibi indita, quæ ſit actuum illorum principium.

Secundò, etſi rectè dicatur juſtus illa omnia per gratiam juſtificantem poſſe, ut ſupra vidimus, certum eſt tamen ipſum præter auxilium habituale, indigere inſuper novo & ſpeciali auxilio Dei ipſum moventis, *ſine quo non poteſt per ſeipſum operari bonum & vitare peccatum*; adeoque nec perſeverare in gratia, nec tentationum impulſus ſuperare; quemadmodum recentiores Thomiſtæ dicunt, per gratiam ſufficientem actualem hominem poſſe, & ta-

men indigere gratia efficaci.

Huic doctrinæ tum illuſtrandæ tum confirmandæ nullum aptius exemplum eſt, quàm quo utitur S. Auguſtinus in pſ. 34. ubi cum oſtendiſſet *animam juſti* à regio vate *frameam Dei* appellari, hac ipſa comparatione egregiè demonſtrat, animam juſti quantumvis gratiæ donis ornatam ad rectè agendum imbecillem prorsùs eſſe ac invalidam, niſi efficaciter à Deo moveatur. *Frameam Dei*, inquit, *dixit animam ſuam. Apprehendis enim animam meam & debellas inimicos meos. Et quid eſt anima noſtra, quamvis ſplendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce ſapientiæ & coruſcationis vibrata? Quid eſt ipſa anima noſtra, aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat & pugnet de illa? Nam qualibet optime facta framea, ſi non habeat bellatorem, jacet.* Animæ juſtæ ad bene agendum & mandata ſervanda eadem ratio eſt quæ ſplendidi, acuti, uncti enſis ad vulnerandum. Quamobrem ut ille enſis, ſi vulnerandi virtutem ſpectes, rectè dicitur poſſe vulnerare, ſimillimè animam juſti benè operari & mandata ſervare poſſe rectè dixeris, ſi virtutem ſupernaturalem ſpectes propriæ & nativæ virtuti ſuperadditam, quam in juſtificatione accepit, quæ ex ſe apta eſt ad illos effectus producendos. Sed quemadmodum ille enſis ad vulnerandum aptus, nec vulnerabit, nec etiam vulnerare poterit, niſi bellatoris manu ſtringatur; ita anima noſtra, quantumvis gratiæ donis inſtructa, *quid eſt, aut quid poteſt, niſi Deus illam teneat & pugnet de illa*, hoc eſt, niſi novo & ſpeciali auxilio ad rectè agendum à Deo moveatur?

Sed jam videndum eſt quodnam ſit auxilium illud Dei moventis, cujus efficaciæ, quos ad actus ſit neceſſarium, ſeu quænam ea ſint quæ ſine illo auxilio facere non poſſumus.

ARTICULUS IX.

Quid ſit auxilium Dei moventis. Numquam eſt ſine actu vel intellectus vel voluntatis.

Auxilium gratiæ, quod ab habituali dono diſtinguit S. Thomas, ab ipſo definitur, De verit. qu. 24. ar. 14. *Miſericordia Dei per quam interiùs motum mentis operatur.* Ubi duo deſignantur: alterum in Deo, nempè ejus miſericordia, ſeu dilectio & gratuita voluntas; alterum in homine, nempè motus ille mentis quem illa miſericordia interiùs operatur. Ut enim docet D. Thomas qu. 110. art. 1. in concl. *Cum diligere ſit velle alteri bonum, Deique voluntas rerum ſit cauſa, certum eſt gratiam ſeu dilectionem Dei ſemper aliquid (nempè id quod ei vult) in anima ejus quem diligit efficere.*

efficere. Quod repetens articulo ſequenti univerſim docet, ſicut jam vidimus, *Cum aliquis dicitur gratiam Dei habere, ſemper ſignificari eſſe in eo quemdam effectum gratuitæ Dei voluntatis.* Unde concludit, *Quantum ad illud gratiæ genus, ſecundùm quod anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum, gratuitum illum effectum in homine non eſſe qualitatem, ſed motum quemdam animæ. Actio enim moventis in moto eſt motus.*

Quibus verbis manifeſtè docet non aliter Deum per gratiam illam (quam actualem Theologi appellant) ad cognoſcendum vel volendum animam movere, quàm quia per gratuitam ſuam dilectionem & voluntatem, quæ eſt cauſa rerum, motus ipſos cognoſcendi & amandi, ſive, quod idem eſt, cognitionem & amorem interiùs in mente operatur. Unde ulteriùs ſequitur, neminem moveri à Deo per auxilium gratiæ ad cognoſcendum & amandum, niſi qui cognoſcit & amat: *Actio enim moventis in moto motus eſt.* Hæc duo igitur inter ſe pugnant; Deum movere ad amandum, & hominem non amare; ſive, Deum motum amoris in homine operari, & non eſſe in homine motum amoris.

ARTICULUS X.

In quo conſiſtat auxilium Dei moventis, ex diviſione gratiæ in operantem & cooperantem maximè illuſtratur.

EA verò S. Thomæ doctrina maximè illuſtratur ex diviſione gratiæ in operantem & cooperantem, quam 1.2. qu. 111. art. 2. ex Auguſtino affert de Grat. & lib. arb. cap. 17. *Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incæpit, quia ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*; & ab Apoſtolo ipſo traditam eſſe confirmat his verbis: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere.* Hanc verò gratiæ diviſionem, dum ad illud gratiæ auxilium quo nos movet Deus refertur, ita explicat S. Thomas: *Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu in quo mens noſtra mota eſt & non movens, ſolus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: & ſecundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu in quo mens noſtra & movet & movetur, operatio non ſolùm attribuitur Deo, ſed etiam animæ: & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans. Eſt autem in nobis duplex actus: primus quidem interior voluntatis; & quantùm ad iſtum actum voluntas ſe habet ut mota, Deus autem ut movens; & præſertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ priùs malum volebat. Et ideò ſecundùm quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus eſt exterior, qui cum à voluntate imperetur,*

conſequens eſt ut ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, & interiùs confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, & exteriùs facultatem operandi præbendo, reſpectu hujuſmodi actus dicitur Gratia cooperans. Unde poſt præmiſſa verba ſubdit Auguſtinus: Ut autem velimus, operatur: cum autem volumus, ut perficiamus nobis cooperatur. Quibus addi poteſt quod ibidem addit Auguſtinus: *Tamen ſine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ubi tria advertenda ſunt. Primum eſt, diviſionem illam ne vitioſa ſit, adæquatam eſſe oportere, hoc eſt nullum eſſe Dei moventis auxilium, quod non ſit vel operans vel cooperans. At ex D. Thoma, Gratia dicitur operans, cum Deus in voluntate actum interiorem bonæ voluntatis operatur, præſertim cum voluntas incipit bonum velle: cooperans verò, cum ad actum exteriorem, qui à voluntate imperatur, hominem adjuvat, tum interiùs confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, tum exteriùs facultatem operandi præbendo. Ergo nullum eſt Dei moventis auxilium, (ſive gratia actualis, ut alii vulgo Theologi appellant) ſine initio vel incremento bonæ voluntatis. Unde etiam D. Aug. de Grat. & lib. arb. c. 15. *Semper eſt in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona. Gratia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ* (quod ad gratiam operantem pertinet.) *Per hanc etiam fit ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfectèque voluerit.* Quod gratiæ cooperantis eſt.

Alterum eſt quod ex priori ſequitur, actum illum voluntatis quem gratia operans ſive cooperans in nobis operatur, eſſe actum verè liberum. Non enim niſi per actus verè liberos homo ſimpliciter & abſolutè dici poteſt *bonum velle, qui priùs malum volebat*; ſive, *eſſe bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ*; in quo ſita eſt, ex S. Thoma & S. Auguſtino, gratia operans: vel, *habere magnam & perfectam divina mandata implendi voluntatem, per quam ea poſſit implere*; in quo item ſita eſt gratia cooperans. Unde fit ut ii omnes de quibus dici nequit, *bonam voluntatem quæ in iis eſſe cœperat, ita auctam fuiſſe, ut valde perfecteque velint divina implere mandata*, per gratiam cooperantem adjuti fuiſſe dici non poſſint. De quibus verò dici nunquam potuit, *eos fuiſſe voluntatis bonæ, ſive habuiſſe ſaltem initium aliquod piæ voluntatis*, nunquam etiam dici poſſit eos per gratiam operantem à Deo fuiſſe adjutos. *Et tamen*, ut inquit Auguſtinus, *ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus*: reipſa ſcilicet & effectivè.

Tertium eſt, ita D. Thomam agnoſcere interiorem actum bonæ

næ voluntatis eſſe in nobis divinæ gratiæ effectum, ut dicere non vereatur, *operationem illam Deo attribui, quia quantùm ad iſtum actum quo voluntas bonum vult, præſertim cùm incipit illud velle, mens noſtra mota eſt & non movens; ſolus autem Deus movens:* non quod voluntas non agat (repugnant enim hæc inter ſe, voluntatem velle, & non agere) ſed quia non agit, niſi quantùm à Deo agitur, ex illo Apoſtoli: *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Quod expendens Aug. de Geſtis Pelagii cap. 3. *Proculdubio*, inquit, *plus eſt agi, quàm regi. Qui enim regitur aliquid agit, & ideò regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur. Et tamen tantum præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere:* Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei.

ARTICULUS XI.

Auxilium Dei moventis ſemper efficax illius effectus ad quem à Deo ordinatur.

Hinc verò manifeſtè patet auxilium illud Dei hominem moventis (præter quod nullam aliam S. Thomas gratiam agnoſcit niſi habitualem, & ſine quo docet juſtum non poſſe operari bonum & vitare peccatum) in ſententia Doctoris Angelici, ſemper eſſe efficax & infallibile, quantùm ad id ad quod ordinatur à Deo. Id enim evidenter ſequitur. Primum quidem ex illius auxilii definitione, quam tradit, De Verit. qu. 24. art. 14. *Miſericordia Dei per quam interiùs motum mentis operatur.* Ut enim jam diximus, fieri non poteſt ut Deus moveat hominem ad agnoſcendum & amandum, motum ipſum mentis, hoc eſt, cognitionem & amorem in ipſo operando, quin ſit in eo cognitio & amor. Ergo auxilium illud ſemper efficax eſt, ſive, numquam eo effectu caret ad quem à Deo ordinatur. *Nullius enim Deus fruſtra miſeretur*, ut inquit Auguſtinus lib. 2. ad Simpl. qu. 2. *neque dici poteſt, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus: ad eandem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus.* Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. *Ubi ſatis oſtendit Apoſtolus etiam ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.*

ARTICULUS XII.

Ex dilectione Dei, quæ ſemper in homine efficit id quod ei vult Deus, eadem divinæ motionis efficacia demonſtratur.

NEc minus apertè illud demonſtratur ex Theologico illo axiomate quod S. Thomas qu. 110. art. 1. ut certiſſimum ſtatuit, quodque in dubium revocari non poteſt, niſi ab eo qui de divina voluntate indigniſſimè ſentit: *Cum diligere*, inquit, *ſit velle alteri bonum, Deique voluntas rerum ſit cauſa, certum eſt gratiam ſeu dilectionem Dei ſemper aliquid (nempe id quod ei vult) in anima ejus quem diligit, efficere.* Primùm enim generatim explicat, quid ſit illud quod gratia in homine quem Deus diligit, ſemper efficit. Deinde pro duplici gratiæ genere, actuali & habituali, duplicem in homine gratuitæ Dei voluntatis effectum eſſe aſſerit. Ac generatim quidem docet, in quocumque gratiæ genere *quiddam eſſe ſupernaturale in homine a Deo proveniens, quo homo trahitur ad participationem divini boni. Patet enim*, inquit, *quod quamlibet Dei dilectionem ſequitur aliquod bonum in creatura cauſatum, & ſecundùm hujuſmodi boni differentiam, differens conſideratur dilectio Dei ad creaturam. Una quidem communis, ſecundùm quam diligit omnia quæ ſunt, ut dicitur Sap. 11. ſecundùm quam eſſe naturale rebus creatis largitur. Alia autem dilectio eſt ſpecialis, ſecundùm quam trahit creaturam rationalem ſupra conditionem naturæ, ad participationem divini boni; & ſecundùm hanc dilectionem dicitur aliquem diligere ſimpliciter, quia ſecundùm hanc dilectionem vult Deus ſimpliciter creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe. Sic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam habere, ſignificatur quiddam ſupernaturale in homine à Deo proveniens.* Hinc jam perſpicimus, ad veram Dei gratiam id ſolum eſſe referendum quod hominem trahit ad participationem divini boni, quod eſt ipſe Deus. Unde conſequens eſt, in iis qui penitus Deum ignorant, quamdiu in illa ignorantia verſantur, nullos eſſe veræ gratiæ motus, quia homo ad Deum non trahitur niſi per cognitionem & amorem, imò neque per cognitionem ſolam, ſi ſit omni amore deſtituta.

Eſt ergo ſemper in eo qui dicitur gratiam habere, quiddam ſupernaturale quo trahitur ad Deum, ſed diverſum pro duplici gratiæ genere, ut articulo ſequenti his verbis explicat: *In eo qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem, quòd dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur; uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum, Et hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed mo-*

tus quidam animæ. Actus enim moventis in moto eſt motus. Numquam igitur gratuita Dei voluntate homo adjuvatur cùm movetur ad aliquid cognoſcendum vel volendum vel agendum, quin ſit in homine, non qualitas aliqua, ut præter S. Thomæ mentem aliqui ſentiunt, ſed motus ipſe cognitionis, vel voluntatis, vel actionis, ad quem Deus movet; ac proinde quin homo cognoſcat, vel velit, vel agat.

Deinde non ſolùm dicit S. Thomas, *Gratiam ſeu dilectionem* (quæ ad quodcumque genus gratiæ pertinet) *ſemper aliquid in anima ejus quem diligit, efficere*; ſed diſertè docet quid ſit illud quod ſemper efficit, *nempe*, inquit, *quod ei vult*. Ergo non ſolùm qualiſcumque motus eſt in homine quem Deus per ſpiritum ſuum movet; ſed ille ipſe motus, ſive actus animi ad quem vult Deus illum movere, ſemper in ipſo efficitur. Quare ſi Deus velit aliquem movere ad actum charitatis, ſive ad amandum Deum, infallibiliter ille amat Deum: ſi quem velit movere ad orandum, infallibiliter ille orat: ſi quem velit movere ad divitiarum contemptum, infallibiliter ille divitias contemnit: ſi quem velit movere ad eleemoſynam largiendam, infallibiliter ille eleemoſynam largitur: *Gratia enim ſive miſericordia & dilectio Dei*, per quam homines movet ad rectè agendum, *ſemper aliquid, nempe* ID QUOD EI VULT, *in anima ejus quem diligit, efficit.*

ARTICULUS XIII.

Habet illud auxilium neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis.

VErùm non id ſolùm ſequitur ex principiis à S. Thoma poſitis; ſed illud ipſum diſertè docet 1. 2. qu. 112. art. 3. *Poteſt*, inquit, *præparatio ad gratiam* (habitualem) *dupliciter conſiderari. Uno quidem modo ſecundùm quod eſt à libero arbitrio, & ſecundùm hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem, quia donum gratiæ* (habitualis) *excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt à Deo movente; & tunc habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt: ſecundùm quod Auguſtinus dicit in libro de Prædeſtinatione Sanctorum, quòd per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundùm illud Joan. 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.* Si is cujus cor movet Deus, infallibiliter gratiam conſequitur, cum ex intentione

Dei

Dei eſt ut illam conſequatur; proculdubio etiam conſentit, nec abjicit divinam motionem: nam ſi non conſentiret, non utique gratiam conſequeretur. Itaque non de ſola conſecutione gratiæ, ſed de quocumque actu pietatis ſimiliter dicere poſſumus, Si ex intentione Dei moventis eſt, ut homo cujus cor movet, mandatum aliquod ſervet, ut ingruentem tentationem vineat, ut peccatum aliquod vitet, ut in juſtitia perſeveret, infallibiliter mandatum ſervabit, tentationem vincet, vitabit peccatum, in juſtitia perſeverabit; *quia intentio Dei deficere non poteſt.*

ARTICULUS XIV.

Infallibiliter Deum diligit, quem movet Spiritus ſanctus ad diligendum Deum.

ILluſtris etiam in eam rem locus eſt 2. 2. qu. 24. art. 11. ubi quærit: *Utrum charitas ſemel habita poſſit amitti.* Sic enim reſpondet, ut apertè doceat, ita efficax eſſe Dei moventis auxilium, vt licet charitas viæ, conſiderata ex parte ſubjecti quod eſt *vertibile ſecundùm arbitrii libertatem*, amitti poſſit, & reipſa interdum amittatur; quia non ita replet totam potentialitatem ſubjecti ſui, ut ſemper actu feratur in Deum (unde quando actu in Deum non fertur, poteſt aliquid occurrere per quod charitas amittatur) fieri tamen non poſſit ut amittatur, conſiderata ex parte Spiritus ſancti moventis animam ad diligendum Deum; hoc eſt, quando & quamdiu Spiritus ſanctus movet animam ad diligendum Deum: quia cum infallibiliter operetur quodcumque voluerit, impoſſibile eſt ut velit movere aliquem ad actum charitatis, & ut ipſe charitatem amittat peccando. Sed ſanctum ipſum egregiè prorsùs & divinè cà de re loquentem audiamus. *Reſpondeo dicendum, quòd per charitatem Spiritus ſanctus in nobis habitat. Tripliciter ergo poſſumus conſiderare charitatem. Uno modo ex parte Spiritus ſancti moventis animam ad diligendum Deum: & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera; quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, ut Auguſt. dicit in libro de Prædeſt. Sanct. Alio modo poteſt conſiderari charitas ſecundum propriam rationem. Et ſic charitas non poteſt aliquid, niſi id quod pertinet ad charitatis rationem. Unde charitas nullo modo poteſt peccare, ſicut nec calor poteſt infrigidare, ſicut etiam injuſtitia non poteſt bonum facere,*

ut

ut Auguſt. dicit De Serm. Dom. in monte.

Tertio modo poteſt conſiderari charitas ex parte ſubjecti quod eſt vertibile ſecundùm arbitrii libertatem......Sic ergo charitas patriæ, quia replet totam potentialitatem rationalis mentis, in quantum ſcilicet omnis actualis motus ejus fertur in Deum, inamiſſibiliter habetur. Charitas autem viæ non ſic replet potentialitatem ſui ſubjecti, quia non ſemper actu fertur in Deum. Unde quando actu in Deum non fertur, poteſt aliquid occurrere per quod charitas amittatur.

Cùm verò ſibi objeciſſet quod dicitur 1, Joan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare;* ita reſpondet. *Ad primum dicendum, quòd autoritas illa loquitur ſecundùm poteſtatem Spiritus ſancti, cujus conſervatione à peccato immunes redduntur quos ipſe movet quantùm ipſe voluerit.*

Atque hinc duo colligas. 1. Quò mens juſti urgente peccati occaſione actu feratur in Deum, ſatis non eſſe ut Spiritus ſanctus in ipſa per charitatem habitet, ſed neceſſarium eſſe ut Spiritus ſanctus actu moveat animam ad diligendum Deum, quod non ſemper facit, ſed tunc ſolùm cum ipſe voluerit, *cujus conſervatione à peccato immunes redduntur, quos ipſe movet quantù ipſe voluerit.*

Alterum eſt, beneficia Dei non ex ſcientia media habere quod efficacia ſint, ſive quod *iis certiſſimè liberentur quicumque liberantur*, ut Molina nuper commentus eſt, *ſed ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit*: ita ut charitas ex hac parte impeccabilitatem habeat; quia impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit movere aliquem ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando.

ARTICULUS XV.

Prima diverſitas, cur ampliorem alter altero gratiam conſequatur ex Deo variè movente.

Adeò verò auxilium illud Dei moventis ſemper efficax eſſe agnoſcit S. Thomas, ut non aliunde repetendum cenſeat, Tum quòd ex duobus qui gratiam juſtificantem conſequuntur, unus ampliorem gratiam quàm alter conſequatur, tum quòd ex duobus qui ad habitualem gratiam ſe præparant, alter ita perfectè ad eam ſe præparet, ut illam ſtatim conſequatur; alter verò imperfectiùs quàm ut ſtatim juſtificetur.

Quod ad primum enim ſpectat, id evidenter docet qu. 112. art. 4. ubi quærit: *Utrum gratia major ſit in uno quàm in alio. Ex parte*, inquit, *ſubjecti gratia poteſt ſuſcipere magis vel minus, prout*

ut ſcilicet unus perfectius illuſtratur à lumine gratiæ, quàm alius. Cujus diverſitatis ratio quidem eſt aliqua ex parte præparantis ſe ad gratiam. Qui enim magis ſe ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex hac parte non poteſt accipi prima ratio hujus diverſitatis, quia præparatio ad gratiam non eſt hominis, niſi in quantùm liberum arbitrium ejus præparatur à Deo. Unde prima cauſa hujus diverſitatis accipienda eſt ex parte ipſius Dei, qui diverſimode ſuæ gratiæ dona diſpenſat ad hoc quòd ex diverſis gradibus pulchritudo & perfectio Eccleſiæ conſurgat, ſicut etiam diverſos gradus rerum inſtituit, ut eſſet univerſum perfectum.

Fatetur ergo S. Thomas alterum altero pleniorem gratiam accipere, quia ſe magis ad gratiam præparat. Negat tamen ex hac parte primam hujus diverſitatis rationem eſſe repetendam. Unde ergo? Ex parte ipſius Dei, qui diverſimodè gratiæ ſuæ dona diſpenſat. Non quòd non det ampliorem gratiam magis ſe ad gratiam præparanti; ſed quia ipſa præparatio, tam ut ſit, quàm ut major vel minor ſit, à divina Spiritus ſancti cor noſtrum variè prout voluerit moventis operatione pendet. Unde fit ut cui vult Deus ampliorem gratiam dare, majorem in libero ejus arbitrio præparationem ipſe faciat, cui major illa gratia tribuatur.

Idem docet de charitate habituali, quæ vel ipſa eſt gratia ſanctificans, vel ſecundùm S. Thomam perpetua gratiæ ſanctificantis comes, 2. 2. qu. 24. art. 3. ubi quærit, *Utrum Charitas infundatur ſecundùm capacitatem naturalium. Quantitas*, inquit, *charitatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis; ſed ſolùm ex voluntate Spiritus Sancti diſtribuentis ſua dona prout vult.* Quo pacto verò? Nonne charitas habitualis eò major infunditur, quò quis magis ad eam ſe præparat? Ita eſt: ſed hæc ipſa major vel minor præparatio pendet à Spiritu Sancto movente humanam mentem vel plùs vel minùs, ut ipſi placuerit. Cùm enim ſibi objeciſſet illud Matth. 25. *Quod dedit unicuique ſecundùm propriam virtutem. Ad primum*, inquit, *dicendum, quòd illa virtus ſecundùm quam ſua dona Deus dat unicuique, eſt diſpoſitio, vel præparatio præcedens, ſive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam diſpoſitionem vel conatum prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis vel plùs vel minùs ſecundùm ſuam voluntatem.*

Quid contra hanc ſanctiſſimam, Auguſtinianam, Apoſtolicamque doctrinam afferre poſſunt ij, qui conatum liberi arbitrii ſe ad gratiam præparantis vel gemendo, vel orando, vel ſe ad Deum ſupplici pietate convertendo, non omnipotenti Spiritus illius virtuti, qui ubi vult, quando vult, & quantùm vult ſpirat, ſed ſufficienti ſuæ gratiæ adſcribunt, quæ nuſquam non præſto ſit, & cujus

jus effectus non modò major vel minor, ſed vel aliquis, vel nullus ſit pro nutu voluntatis humanæ?

ARTICULUS XVI.

Quod ad gratiam alter perfectè ſe præparet, alter minùs perfectè, ex vario Dei moventis auxilio repetendum.

NEque minùs divinæ operationis efficaciam probat, quod jam diximus à S. Thoma doceri, ab ejuſdem divini auxilii varietate eſſe repetendum; quòd alter ita perfectè ad gratiam habitualem ſe præparet, ut illam ſtatim conſequatur; alter verò imperfectiùs quàm ut ſtatim à peccato reſurgat. Eximia ſunt quæ in eam rem affert qu. 112. art. 2. ubi quærit: *Utrum requiratur aliqua præparatio & diſpoſitio ad gratiam ex parte hominis.* Primùm enim egregiè prorsùs oſtendit, *nullam in homine eſſe poſſe ad gratiam præparationem, quam Deus ipſe non faciat. Gratia*, inquit, *dicitur dupliciter, quandoque quidem ipſum habituale donum Dei; quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio, quia nulla forma poteſt eſſe niſi in materia diſpoſita. Sed ſi loquamur de gratia ſecundùm quod ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis quaſi præveniens auxilium divinum; ſed potiùs quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ſecundùm hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrii moti à Deo. Et quantùm ad hoc, dicitur homo ſe præparare; ſecundùm illud Prov. 16. Hominis eſt præparare animum. Et eſt principaliter à Deo movente liberum arbitrium. Et ſecundùm hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari, & à Domino greſſus hominis dirigi.* Quæ quidem Scripturæ loca apud S. Auguſtinum, cæteroſque Patres, ipſumque S. Thomam, efficax gratiæ auxilium ſemper ſignificant. Voluntatem enim præparari, idem illis eſt, ac *ipſum velle in nobis Deum operari*, ut ait Apoſtolus, ſeu *per Sancti Spiritus infuſionem & operationem in nobis fieri ut velimus*, uti loquitur altera Synodus Arauſicana can. 4. Si verò *à Domino greſſus hominis diriguntur*, profectò *viam ejus volet*, ut David ipſe teſtatur. *Sin*, ut inquit Auguſtinus lib. 2. op. ult. in Jul. cap. 234. *non ab illo diriguntur, homo viam Dei non volet, etſi jubeat lex ut velit.*

Itaque jam perſpicimus *quæcumque in homine eſſe poteſt præparatio ad gratiam, eſſe ex auxilio Dei moventis ad bonum:* ſive, ut in Concluſione loquitur S. Thomas, *ad illud moventis Dei auxilium*

xilium ſequi. Sed præterea docet in Reſponſione ad ſecundum, præparationem illam eſſe perfectam vel imperfectam, prout eſt à Deo, vel ſtatim movente ad perfectum bonum, vel movente tantùm ad aliquod bonum non tamen perfectum: quod divini auxilii efficacitatem maximè commendat, & vel cæcis perſpicuam facit.

Cum homo, inquit, *ad gratiam ſe præparare non poſſit, niſi Deo eum præveniente & movente ad bonum; non refert utrum ſubitò & paulatim aliquis ad perfectam præparationem perveniat. Dicitur enim Eccl.*11. Facilè eſt in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. *Cōtingit autem quandoque, quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque ſtatim perfectè movet ipſum ad bonum, & ſubitò gratiam homo accipit, ſecundùm illud Joan.*6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me: *& ita contigit Paulo; quia ſubitò cum eſſet in progreſſu peccati, perfectè motum eſt cor ejus à Deo, audiendo & addiſcendo, & veniendo. Et ideò ſubitò eſt gratiam conſecutus.*

ARTICULUS XVII.

Quanam ratione auxilio Dei aliquando reſiſtatur, etſi ſemper efficax ſit ex S. Thoma.

NUlli ergo dubium eſt, quin ex S. Thomæ doctrina auxilium Dei moventis, ſine quo juſtus bonum operari non poteſt & vitare peccatum, ita efficax ſit, ut non modò ſemper illum effectum habeat ad quem à Deo ordinatur, ſed & tantum habeat, hoc eſt magis vel minus perfectum, prout ille vult, de quo ait Auguſt. De pecc. meritis & rem. l. 2. cap. 5. *Cur illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantùm, illum iſto, iſtum illo modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio & excellentia poteſtatis.*

Atque hinc etiam patet, quo ſenſu omne auxilium Dei moventis (præter quod nullum aliud gratiæ donum agnoſcit S. Thomas, niſi habituale) ſemper efficax ſit: & tamen hâc doctrinâ illæsâ & minimè convulsâ, & verè & catholicè dici poſſit & debeat, in ſtatu naturæ lapſæ gratiæ interiori aliquando reſiſti. Dei enim moventis auxilium, quod unum naturâ eſt, duplex ratione ſtatui poteſt. Alterum, quo bona & perfecta voluntas à Deo inſpiratur, & quo homo bonum opus vult ac reipsâ implet, & Dei mandatum magna & plena voluntate obſervat. Tum verò, etſi diſſentire poteſt homo ſi velit, numquam tamen diſſentit: abſit enim ut aliud velit, quàm quod eum velle vult qui tantam tunc ei voluntatem miſericorditer donat, *quanta ſufficit ad implenda mandata*, ut ait Auguſtinus

guſtinus, De Gra. & lib. arb. cap. 15. Tale eſt perſeverantiæ donum, per quod omnes quibus datur, infallibiliter perſeverant: *tametſi diſſentire poſſint, ſi velint, quod Tridemina ſciſcit Synodus: quamvis ut non diſſentire velint, eodem illo perſeverantiæ dono perficitur*: ut ait Petavius Theol. Dogm. Tom. 1. lib. 9. p. 602.

Alterum Dei moventis auxilium eſt, quo bona, ſed nondum plena & perfecta voluntas à Deo datur, & quo homo certi boni operis faciendi, & certi peccati vitandi voluntatem habet, ſed imperfectiorem. Huic auxilio homo reſiſtit cùm bonum opus reipsà non implet, in quantum renitente concupiſcentiâ, quæ majori delectatione voluntatem à bono opere retrahit, & ad peccandum allicit, gratiæ motibus non conſentit. Tunc igitur auxilium illud & efficax eſt, quod ad illum effectum attinet ad quem ex Dei intentione ordinatur: quia tum, ut inquit S. Thomas, non aliud vult Deus, quàm *movere hominem illum ad aliquod bonum, non tamen perfectum.* Et nihilominus illi reſiſtitur quod ad illum effectum ſpectat, quem ſuâ vi & naturâ reſpicit, opus ſcilicet bonum reipsà implendum. Duplex enim in illo auxilio diſtinguendus effectus eſt. Alter, ad quem ex intentione Dei; alter, ad quem ex naturâ ſuâ refertur. Hoc effectu caret ſæpe gratia, illo non item. Rem totam exemplum illuſtrabit. Cùm peccatorem Deus ad pœnitentiam & converſionem excitat, numquam eſt illa excitatio, ſi ſit (ut ſupponimus) ex vera Dei gratia, ſine aliquo initio piæ voluntatis, quæ pia voluntas eò ex naturâ ſua tendit, ut eum à mortifera peccati delectatione retrahat. Neque tamen ſemper tanta eſt, ut effectum illum habeat, reſiſtente ſibi altera voluntate, quá peccator pravis ſuis cupiditatibus adſtrictus eſt. Hanc carnis & ſpiritus pugnam diu perpeſſus Auguſtinus divinè in Confeſſionibus expreſſit lib. 8. c. 5. *Suſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, ſola certa jocunditas, nondum erat idonea ſuperare priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova; illa carnalis, illa ſpiritualis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam.* Et paulò infra: *Ego autem adhuc terrâ, obligatus militare tibi recuſabam.* Efficax ergo tum erat Dei Auguſtinum moventis auxilium; & tamen illi Auguſtinus reſiſtebar. Efficax erat, quia omnem habebat effectum ad quem à Deo ordinabatur, inſpirationem nempè illius novæ & ſpiritualis voluntatis quæ in Auguſtino eſſe cœperat, ut Deum gratis coleret. Et tamen illi Auguſtinus reſiſtebat; quia nova illa voluntas nondum erat idonea ſuperare priorem vetuſtate roboratam. Adeóque non habebat effectum quem ex natura

ſua

ſua reſpiciebat, plenam ſcilicet converſionem, quam in ejus corde operari nondum ille propoſuerat, qui operatur omnia ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Ita omnes vulgò S. Thomæ diſcipuli divini auxilii efficaciam intelligunt. Fatentur enim, etiam illud *auxilium* quod *ſufficiens* appellant, *efficax eſſe ad id ad quod mittit illud Deus; non enim redit ad eum vacuum: ſed non ſemper eſſe efficax ad peccatoris converſionem.* Idque probant ex illo Iſaiæ 53. *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud. Quibus verbis,* inquiunt, *ſignificatur vocationem internam, quâ Deus alloquitur animam, vacuam non eſſe & ſine fructu, ſed ſemper in homine habere aliquem effectum, illum videlicet quem Deus efficaciter vult ut habeat.*

Neque verò illam gratiæ & concupiſcentiæ pugnam, & ejuſmodi pugnam in qua gratiæ ſuavitas noxiam peccati delectationem non ſuperet, ſed potiùs ſuperetur, in peccatoribus ſolùm, non etiam in juſtis reperiri crediderís. Quàm multi enim multos ſentiunt ejuſmodi motus & imperfectas voluntates ad certa bona opera facienda, & ad certa peccata fugienda, quibus ipſi non obſequuntur, reſiſtente concupiſcentiâ, quæ majori delectatione voluntatem ad peccatum & ſocordiam allicit.

Hoc & S. Thomas numquam diffitetur, & S. Auguſtinus apertè docet. Nonnullis enim locis juſtos aliquando nullam habere dicit delectationem, nullo Dei auxilio adjuvari. Sed aliis etiam locis oſtendit eſſe nonnumquam in juſtis aliquam delectationem, aliquod Dei auxilium, minus tamen & invalidius, quàm ut vitando peccato, vel bono operi peragendo ſufficiat. Aliis verò utrumque complectitur, & modò minorem, modò nullam juſtos habere delectationem aſſerit. *Ideò*, inquit lib. 2. de pec. mer. & rem. c. 17. *quiſque noſtrûm bonum opus ſuſcipere, agere, implere, nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur.* Et paulò ſuperiùs, cum generatim omnium peccatorum fontem aperiret: *Nolunt,* inquit, *homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet an bonum ſit, ſive quia non delectat.* Ecce quoſdam dicit non delectari. At idem quoſdam nonnumquam delectari quidem, ſed minùs delectari, minúſque adjuvari, quàm ad peccatum vitandum ſufficiat. *Scio*, inquit ibidem, *ad correptionem meam pertinere, quòd minus abs te adjuvor, ut perfectè dirigantur greſſus mei.* Et cap. 19. *Idcirco etiam Sanctos & fideles ſuos in aliquibus vitiis tardiùs ſanat, ut eos minùs quàm implendæ omni ex parte juſtitiæ ſufficit, delectet bonum.*

Sed numquam iſtud clariùs tradit, quàm cum utrumque complectitur, ut lib. 6. Op. ult. cont. Jul. c. 41. *Nec hujus*, inquit, *concupiſcentiæ reatus, niſi in renaſcentibus ſolvitur, ut eo poſt abſolutionem non inquinetur, niſi qui ei ad perpe-*

perpetrandum opus malum, ſpiritu adversùs eam vel non concupiſcente vel non fortiùs concupiſcente, conſentit.

Unus ille S. Auguſtini locus hæc duo planiſſimè demonſtrat. Primum, aliquando Spiritui ſancto interiùs moventi verè reſiſti, cum ſcilicet non fortiùs concupiſcit, cum validiorem concupiſcentiam offendit. *Quod enim*, ut ait Auguſtinus in Epiſt. ad Gal. *ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Alterum, non in omnibus peccatis venialibus & mortalibus adeſſe juſto gratiam actualem, id eſt, pium voluntatis motum quo retrahatur à peccato. Diſertè enim Auguſtinus affirmat non in omnibus peccatis ſpiritum concupiſcere, hoc eſt, pia deſideria, pios motus non excitare.

Verùm ſi nulla alia autoritas ſuppeteret, nullum tamen arbitror, dummodò ſe ipſe audiat & quid loquatur intelligat, affirmare poſſe, in omnibus peccatis gratiam actualem adeſſe. Quis enim huic propoſitioni velit ſubſcribere, Numquam ſe vel incogitantiâ, vel errore, vel ignorantiâ, vel ſubitis & occultis cupiditatis illecebris deliquiſſe, quin ſimul in animo adeſſet divinitùs immiſſa peccati cognitio, & illius vitandi deſiderium. Hoc ſi lingua proferat, reclamabit conſcientia; niſi fortè ad illam recurrendum erit ineptiam, quam nuper quidam excogitarunt, ut cogitationes quaſdam eſſe dicerent de quibus non cogitetur, & (quo nihil abſurdius fingi poteſt) quemque reum eſſe, quòd iſtis cogitationibus quas non advertit, non conſenſerit. Horum inſulſitatem meritò explodit Cardinalis Bellarminus, De Grat. & lib. arb. l. 2. cap. 6. ubi ait, fieri non poſſe ut bona cogitatio bonumque propoſitum divinitus nobis immiſſum non ſentiatur à nobis, cum non ſolùm ſit in nobis, ſed etiam à nobis.

ARTICULUS XVIII.

Auxilium Dei moventis ad omne prorſus bonum neceſſarium eſt; nullaque ſine illo ad gratiam quantumvis imperfecta præparatio.

PORro videndum eſt, quænam ſint ea quæ ſine auxilio illo facere non poſſumus. Verùm ex dictis patet ad omnia omnino verè bona opera, ſive peccatorum, ſive juſtificatorum, ſive vitam æternam mereantur, ſive ſecùs, auxilium illud neceſſarium eſſe. Jam enim vidimus S. Thomam apertè aſſerentem De Ver. qu. 24. art. 14. *Quod ſi gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei per quam interiùs motum mentis operatur & exteriora ordinat ad hominis ſalutem*, ſic non modò bonum vitæ æternæ meritorium, ſed *nec ullum* prorſus *bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei.*

Deinde nulla eſſe poteſt in

homine ad gratiam præparatio, etiam imperfecta, niſi per illud Dei moventis auxilium 1. 2. qu. 112. a. 2. Unde manifeſtum eſt cognitionem infirmitatis ſuæ, deſiderium ſanitatis, invocationem medici, & reliqua ſimilia quæ generali orationis nomine comprehenduntur, cum ad juſtificationem præparent, non poſſe in nobis eſſe, niſi per auxilium Dei moventis, & quidem efficax. *Ad hoc enim ut Deus gratiam infundat animæ*, inquit S. Doctor ibid. ad 3. *nulla præparatio exigitur quam ipſe non faciat.* Exigit verò Deus ab homine juſtificando, ut infirmitatem ſuam agnoſcat, & medicum invocet. Ergo hanc in eo præparationem ipſe facit.

ARTICULUS XIX.

Sine motione Dei non poteſt homo aliquid velle. Illa verò duplex. Altera univerſalis, altera ſpecialis per gratiam.

PRæterea, ut probet S. Thomas hominem indigere, tum ad verum cognoſcendum, tum ad faciendum bonum, auxilio Dei moventis, hac ratione utitur quæ quodcumque bonum & quemcumque actum comprehendat 1. 2. q. 109. a. 1. *Quantumcumque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo.* Et art. 9. *Indiget juſtus novo auxilio gratiæ, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum. Et hoc propter duo: primò quidem ratione generali propter hoc quòd, ſicut dictum eſt, nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ.*

Obiter tamen advertendum eſt diſcrimen quod S. Thomas ſtatuit inter modum, quo Deus movet homines cum malè agunt, & eum quo illos movet ad rectè agendum per auxilium gratiæ. Cum enim 1. 2. qu. 9. a. 6. ſibi objeciſſet: *Deus non eſt cauſa niſi bonorum; ſi ergo à ſolo Deo voluntas moveretur, numquam moveretur ad malum*; ita reſpondet: *Ad 3. dicendum, quòd Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum. Et ſine hac univerſali motione homo non poteſt aliquid velle; ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud quod eſt verè bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum movet Deus ſpecialiter aliquos ad aliquid determinatè volendum quod eſt bonum, ſicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur.*

Egregia prorſus diſtinctio, neque vulgò ſatis perpenſa, ex qua duo maximi momenti conſequuntur. Primum eſt, omnes quidem homines à Deo moveri tanquam ab univerſali motore ad univerſale objectum voluntatis quod eſt bonum, hoc eſt, ad bonum generatim ſumptum; ſed non omnes homines à Deo moveri per gra-

gratiam. Expreſsè enim affirmat, non omnes & ſemper, ſed *ſpecialiter*, & *interdum*, & *aliquos* tantùm à Deo moveri per gratiam: quod prorſus deſtruit novam & ſancto Thomæ inauditam de gratia ſufficienti omnibus communi ſententiam.

Alterum eſt, fieri quidem poſſe, ut peccent homines etiam cum à Deo moventur, ſed tùm ſolùm cum moventur motione tantùm univerſali ad univerſale objectum voluntatis, quod eſt bonum: non verò cum moventur per gratiam. Cum enim ſolvendum ſuſcepiſſet quod ſibi objecerat, *Si homo à Deo moveretur, numquam peccaturum, quia non eſt Deus cauſa niſi bonorum*, nihil cauſæ fuit cur diſtingueret duplicem motionem Dei, alteram univerſalem, alteram ſpecialem per gratiam, niſi ut indicaret, fieri quidem poſſe ut peccent homines qui à Deo moventur cum moventur univerſali tantùm motione, non peccare autem eos quatenus moventur per gratiam, quia *tum moventur à Deo ad aliquid determinatè volendum, quod eſt verè bonum Intentio verò Dei deficere non poteſt*, ut ſemper docet S. Thomas; neque aliter de Deo ſentire fas eſt, ſi modò meminerimus, *non ob aliud*, ut inquit Aug. in Ench. c. 96. *eum veraciter omnipotentem vocari, niſi quia quicquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Quamvis enim is qui infirmam tantùm à Deo voluntatem accepit, ob concupiſcentiæ validioris reniſum peccare poſſit, ut ſupra vidimus; tamen ſi peccet, alia voluntate peccabit, cui Deus non aliter cooperatur, niſi ut univerſalis motor, non eâ, licet imperfectâ, quam inſerit gratia, quæ ſemper id efficit ad quod Dei voluntate refertur.

ARTICULUS XX.

De auxilio Dei moventis intelligendum quod ait Chriſtus: Sine me nihil poteſtis facere.

Denique ſanctus Thomas expreſsè tradit dictum illud Chriſti: *Sine me nihil poteſtis facere*; de auxilio Dei moventis intelligi debere. Quæſtione enim 109. art. 6. ubi quærit: *Utrum homo poſſit ſe ipſum ad gratiam* habitualem *præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratiæ*, diſertè reſpondet: *Non poſſe hominem per ſeipſum præparari ad divinæ gratiæ lumen ſuſcipiendum, ſed gratuito Dei interius moventis bonumque propoſitum inſpirantis auxilio indigere.* Et in reſponſione ad primum non minùs apertè docet, *præcipi quidem homini ut ſe ad Deum convertat, quia converſio hominis ad Deum fit per liberum arbitrium; ſed liberum arbitrium ad Deum converti non poſſe, niſi Deo ipſum ad ſe convertente, ſe-*

cundùm illud Hierem. 31. Converte me, & convertar.

Cum verò ſibi objeciſſet: *Homo ſe ad gratiam præparat faciendo quod in ſe eſt, quia ſi homo facit quod in ſe eſt, Deus ei non denegat gratiam. Dicitur enim Matth. 7. quod Deus dat ſpiritum bonum petentibus ſe. Sed illud in nobis eſſe dicitur quod eſt in noſtra poteſtate. Ergo videtur quod in noſtra poteſtate ſit conſtitutum ut nos ad gratiam præparemus*: ad hoc ita reſpondet. *Ad 2. dicendum, quod nihil poteſt homo facere niſi à Deo moveatur ſecundùm illud Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et ideò cum dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quod eſt motus à Deo.* Ubi vides S. Thomam concedere quidem Deum dare Spiritum bonum petentibus ſe; negare tamen propterea in noſtra poteſtate conſtitutum eſſe, ut nos ad gratiam præparemus; quia illud ipſum, quod eſt *Spiritum bonum à Deo petere*, non eſt in poteſtate noſtra, niſi per gratuitum Dei moventis auxilium illa petendi voluntas nobis inſpiretur, eo quòd *nihil homo facere poſſit, niſi à Deo moveatur ſecundùm illud Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere.*

ARTICULUS XXI.

Sine auxilio Dei moventis non modò homo non agit, ſed nequidem agere poteſt.

Atque hinc evidenter liquet ex S. Thoma, uti etiam ex S. Auguſtino, efficax Dei moventis auxilium, ſive gratiam bonæ voluntatis effectricem, ita neceſſariam eſſe ad piè agendum, ut ſine illa non modò homo non agat, ſed nequidem agere poſſit. Sic enim illi poſt Chriſtum ubique loquuntur: neque ſolùm aiunt, animam gratiæ donis inſtructam piè numquam agere, ſed etiam *agere non poſſe*, niſi Deus illam teneat, moveat, & velut frameâ utatur ad debellandos ipſius animæ hoſtes, tentationes ſcilicet & concupiſcentias, quibus ad peccandum ſollicitatur: *Quid eſt*, inquit Auguſtinus in Pſalm. 34. *anima noſtra, aut* QUID POTEST, *niſi Deus eam teneat & pugnet de illâ?* NIHIL POTEST *homo facere*, inquit S. Th. *niſi à Deo moveatur, ſecundùm illud Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere.*

Neque aliter loqui potuerunt, niſi à communi omnium hominum loquendi more vellent diſcedere. Nemo enim negaverit qui communes & in omnium animis impreſſas rerum motiones conſulere velit, ſi aliquod auxilium ad quidpiam efficiendum h mini neceſſarium ſit, rectè dici; hominem qui eo auxilio careat, illud efficere non poſſe. Hæc eſt enim ipſa neceſſarii definitio, ſæpiùs à S. Thoma tradita: ut *id neceſſarium dicatur*, SINE QUO

ALIQUID

ALIQUID ESSE NON POTEST, *ſicut cibus eſt neceſſarius ad conſervationem humanæ vitæ: vel per quod meliùs pervenitur ad finem, ſicut equus eſt neceſſarius ad iter*, 3. p. qu. 1. art. 2.

Fatentur autem omnes auxilium Dei moventis, quod ſemper efficax eſſe oſtendimus, non eſſe tantùm neceſſarium ad omne opus pium, ſicut equus eſt neceſſarius ad iter, ut nempe faciliùs fiat (hoc enim *faciliùs* jampridem in Pelagianis damnavit Eccleſia) ſed ut ſimpliciter & abſolutè fiat. Si ergo loco nominis *neceſſarium*, ipſa rei per nomen ſignificatæ definitio adhibeatur, ut faciendum monet Ariſtoteles 6. Topic. & alibi ad cavillationes detegendas, manifeſtum erit idem prorſus eſſe; Auxilium Dei moventis, & quidem efficax, ad omnem actum pium etiam juſto neceſſarium eſſe, ut fatentur omnes S. Thomæ diſcipuli; Et, Nihil poſſe juſtum, quod ad piè agendum attinet, ſine efficaci Dei moventis auxilio: etſi per illud *non poſſe*, non excludatur vera & interior ad agendum potentia; ſed illud ſolùm *poſſe* Molinianum, quod complectitur omnia ad agendum neceſſaria.

ARTICULUS XXII.

Cur juſtis interdum gratia efficax non detur, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.

CUm ex S. Thoma liquidò demonſtraverimus, ad omnem pietatis actum, & ad quamcumque præparationem etiam imperfectam ad gratiam, neceſſarium eſſe auxilium illud, quo Deus ita cor movet, ut in eo infallibiliter operetur quodcumque voluerit; manifeſtum eſt, juſtum qui tentatione vincitur, non habuiſſe omnem gratiam ad ſuperandam tentationem neceſſariam, alioquin illâ non vinceretur. Quod etiam ex eo patet, quòd gratia ad tentationem ſuperandam neceſſaria ea ſit, quam juſti à Deo quotidie poſtulant cùm dicunt: *Et ne nos inducas in tentationem*, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 9. *Neceſſe eſt*, inquit, *nobis ut à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia novit & omnia poteſt. Et propter hoc & renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem. Qui autem*, inquit Auguſtinus lib. 1. Oper. Ult. in Jul. c. 93. *exauditus fuerit in eo quod dicere juſſi ſumus: Ne nos inferas in tentationem; proculdubiò nullâ decipietur inſcitiâ, nullâ cupiditate vincetur.* Verùm quia viros alioquin bonos, ſed divinæ gratiæ altitudinem religioſâ animi demiſſione venerari haud aſſuetos, multa hic movere ſolent; illorum ſcrupulis quomodo occurrendum ſit ex S. Auguſtini & S. Thomæ doctrina paucis aperiam.

QUÆSTIO I.

Si ergo quæras 1. Utrùm Deo imputari debeat, quòd juſtus gratia efficaci deſtitutus in tentatione cecidit;

Reſpondendum: Abſit. *Homines enim peccant* (ut inquit D. Thom. lib. 3. cont. Gent. c. 162.) *per hoc quòd deviant à Deo, qui eſt ultimus finis. Cùm autem omne agens agat ad proprium finem & ſibi convenientem, impoſſibile eſt quòd Deo agente aliqui avertantur ab ultimo fine qui Deus eſt. Impoſſibile igitur eſt quòd Deus aliquos peccare faciat.* Et 1.2.qu.79. art. 1. *Non poteſt Deus directè eſſe cauſa peccati, quia non poteſt ſibi vel aliis eſſe cauſa diſcedendi ab ordine qui eſt in ipſum: ſimiliter etiam neque indirectè. Contingit enim quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccatum: quòd ſi præberet, non peccarent. Sed hoc totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cum ipſe ſit ſapientia & juſtitia. Unde non imputatur ei quòd alius peccet, ſicut cauſa peccati: ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex hoc quod non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem* POTENS ET DEBENS *gubernare. Et ſic patet quòd Deus nullomodo eſt cauſa peccati.*

QUÆSTIO II.

Si quæras 2. cur aliquando juſto gratia efficax ad ſuperandam tentationem neceſſaria à Deo non datur;

Reſpondeo, hujuſce rei cauſam plerumque ex orandi negligentia repetendam. Victoria enim adversùs tentationes orantibus ſicut oportet à Deo promiſſa meritò illi non datur, qui eam precibus ſuis à Deo impetrare non curat, ſive ob ſocordiam, ſive ob inanem in ſeipſo confidentiam; uti contigit Beato Petro. *Per ſolum enim liberum arbitrium* (inquit Auguſtinus ſerm. 124. de temp) *non addito etiam Dei adjutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cùm negavit Chriſtum?* Omnino, fatentibus etiam adverſariis, culpa venialis, qualis fuit præſumptio S. Petri, ſufficit ut Deus gratiam ſuam efficacem etiam ad peccatum mortale vitandum neceſſariam juſto interdum, pro judiciorum ſuorum inſcrutabili profunditate, deneget; uti S. Petro denegavit. Quare cum nemo hîc abſque peccato, ut à Conciliis definitum eſt, neque tanta ulli Sanctorum, *niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia,* inquit Concilium Tridentinum, gratia conferatur, ut non quotidie neceſſe habeat peccatorum veniam à Deo poſtulare, manifeſtum eſt neminem eſſe qui non humiliter agnoſcere debeat pro merito peccatorum ſuorum ſe poſſe à Deo derelinqui, adeoque ne id fiat, cum regio vate identidem exclamare: *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me.* Omnibus enim veraciter humilibus habenda ſemper eſt præ oculis egregia Richardi Victorini hac de re ſententia; De ſtatu inter hom. p. 1. cap.

cap. 22. *Gratia quam homo ſemel accepit ante peccatum, juſtè ſubtrahi non potuit: quam etſi præter meritum acceperat, ſine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem* OMNI HORA POTEST JUSTE SUBTRAHI, QUIA NUMQUAM POTEST HOMO SINE CULPA INVENIRI.

QUÆSTIO III.

Quod ſi preſſiùs quæras 3. cur gratia efficax ad orandum neceſſaria juſto aliquando non detur. *Spiritus enim eſt* (ut inquit S. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 5.) *qui in hoc adjuvat infirmitatem noſtram, quòd inſpirando ſancta deſideria rectè poſtulare nos facit;*

Reſpondeo. Si de primâ orandi negligentiâ ſermo ſit, non poteſt dici gratiam efficacem ad orandum neceſſariam ideò juſto qui orare neglexit defuiſſe, quòd orare neglexerit. Plurimi certè ex D. Thomæ diſcipulis ut reprobationem, ita & permiſſionem primi peccati, ſive negationem gratiæ efficacis, neceſſariæ ad primum peccatum mortale vitandum, ex nulla hominis culpâ, ſed ex ſola Dei voluntate repetunt. Cui ſententiæ adhæret vir doctiſſimus ex Societate Jeſu Tiphanius in lib. De Ordine cap. 52. cui titulus eſt. *Reprobationem non omnino ex prævîſis demeritis eſſe, ſed ex Dei voluntate.* Primum enim, *ut Prædeſtinationem, ſic reprobationem duplicem eſſe* ait. *Unam internam & æternam, ex parte Dei reprobantis: Alteram externam, temporalem & ex parte effectuum, in ipſis reprobis. Hæc verò,* inquit, *eſt carentia gratiæ efficacis & neceſſariæ ad evitandum peccatum* mortale, *cum pœna æterna pro eo infligenda.* Deinde verò duplicem diſtingui ait, *Theologis reprobationem internam: Unam negativam: Alteram poſitivam. Illa eſt permiſſio peccati, ſeu negatio gratiæ efficacis (& neceſſariæ ad evitandum peccatum,* ut ante dixerat) *ſive ex antecedenti aliquo reprobi peccato,* SIVE EX NULLO. *Hæc verò eſt ipſa Dei ordinatio ac voluntas pœnæ infligendæ, ſive æternæ ſive temporalis, pro peccato ſive originali, ſive actuali reprobi. Prior* (quæ eſt negatio gratiæ efficacis) *negativa dicitur, non quòd ſit in Deo mera negatio actus: Eſt enim poſitiva permiſſio peccati, ſeu* VOLITIO NON DANDI PRÆDICTAM GRATIAM EFFICACEM: *ſed quòd ſit negatio objecti, id eſt, ipſius gratiæ efficacis.* Et in fine capitis. *Quum,* inquit, *reprobationem voluntati divinæ adſcribit S. Thomas, non propterea vult Deum ullum reprobare reprobatione poſitiva, ſine ſuo aliquo peccato vel originali vel actuali; ſed ſolùm vult reprobationem negativam* (quam ſupra dixit eſſe poſitivam ex parte actus divinæ voluntatis) *id eſt negationem gratiæ efficacis, quâ peccatum vitaret, eſſe ex ſimplici Dei voluntate.* Idem docet Eſtius in 1. ſent. Diſt. 41. §. 18. poſt Bartholomæum Medinam. *Quòd Deus,* inquit, *permittat hominem vel Angelum cadere in peccatum quo Deum deſerit, videlicet non præbendo auxilium efficax ne cadat, hoc non habet cauſam in ipſis.* Mirum profectò eſt hanc doctrinam, quæ

negationem gratiæ efficacis ex ſola Dei voluntate repetit, in Catholicorum ſcholis, & apud ipſos Jeſuitas innoxiè doceri; Auguſtinianam verò hac de re ſententiam, longè mitiorem, per ſummam calumniam impietatis & hæreſeos accuſari. Generatim enim docet S. Auguſtinus, quòd homines gratia non adjuventur, in ipſis cauſam eſſe, non in Deo. Sic enim ait lib. 2. de Pecc. mer. & rem. c. 17. *Ignorantia & infirmitas vitia ſunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt quæ hominum adjuvat voluntates: quâ ut non adjuventur, in ipſis cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.*

QUÆSTIO IV.

Si quæras 4. quidnam ſit illa ſuperbia, quæ in cauſa eſt cur homines à Deo non adjuventur;

Reſpondeo, non eſſe neceſſariò peccatum ſuperbiæ; quia de illo ipſo peccato ſuperbiæ quæri poſſet, cur Deus ad illud vitandum gratiam efficacem non dederit. Neque etiam dici poteſt, primam in juſto gratiæ efficacis denegationem inde oriri, quòd alicui gratiæ ſufficienti conſentire neglexerit. Conſentire enim gratiæ ſufficienti, quæcumque tandem illa ſit, actus eſt voluntatis bonus & pius. Ad illum igitur conſenſum neceſſaria eſt gratia efficax, cum in ſententia S. Thomæ & ejus ſcholæ ad omnem actum pium neceſſaria illa ſit. Quæro ergo de illâ gratiâ efficaci quæ neceſſaria eſt ad aſſentiendum gratiæ ſufficienti, cur Deus illam juſto non dederit. Ubi manifeſtum eſt, non minus ridiculum fore qui reſpondeat, ideò juſto gratiam illam efficacem ad aſſenſum illum neceſſariam, Deum non dediſſe, quia juſtus gratiæ ſufficienti non aſſenſit, quàm qui tempore eclypſis interrogatus, cur ſol terram non illuminet, hujuſce rei hanc eſſe cauſam dicat, quòd terra tenebris cooperta ſit.

Dicendum igitur ſuperbiæ vocem duobus modis ſumi ſolere. Primum quidem pro peccato, hoc eſt actu ſuperbiæ: deinde verò pro vitio, hoc eſt, prava & ex peccato ſaltem originali relictâ ad ſuperbiendum propenſione. Cùm ergo dicit Auguſtinus, ſuperbiam in cauſa eſſe cur homines Dei gratiâ non adjuventur, vel ad bonum opus faciendum, vel ab opere malo abſtinendum, non de actuali ſuperbiæ peccato id ſemper intelligi voluit, quia, ut jam diximus, de ipſo illo ſuperbiæ peccato quæri poſſet, cur ad illud vitandum gratiam efficacem Deus non dederit; ſed de ſuperbiæ vitio omnibus hominibus innato, & quod ſæpè teſtatur ne in ipſis quidem ſanctis quamdiu hic vivunt perfectè umquam aboleri. Sic ſe ipſe explicat in eodem lib. 2. de

Pecc.

Pecc. mer. & rem. c. 19. Cùm enim primi hominis inobedientiam ex ſuperbia & appetitu propriæ poteſtatis ortum duxiſſe oſtendiſſet; *Cùm hoc*, inquit, *voluit homo, ſine difficultate noluiſſet. Secutum eſt autem ex debita juſta pœna tale vitium, ut jam moleſtum eſſet obedire juſtitiæ. Quod vitium niſi adjuvante gratiâ ſuperetur, ad juſtitiam nemo convertitur*; quod ad peccatores ſpectat: *niſi operante gratiâ ſanetur, juſtitiæ pace nemo perfruitur:* quod ad juſtos pertinet.

Imò verò, ad illud ſuperbiæ vitium convincendum & ſanandum alia in ſanctis ipſis vitia à Deo relinqui, ibidem tradit. *Idcirco etiam ſanctos & fideles ſuos in aliquibus vitiis tardiùs ſanat.... Nec in eo ipſo vult nos damnabiles eſſe, ſed humiles, commendans nobis eamdem gratiam ſuam, ne facilitatem in omnibus aſſecuti, noſtrum putemus eſſe quod ejus eſt. Qui error multum eſt religioni pietatique contrarius. Nec ideò tamen in eiſdem vitiis nobis permanendum eſſe exiſtimemus, ſed adversùs ipſam maximè* SUPERBIAM, *propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipſum deprecemur ardenter, ſimul intelligentes & quod ſic conamur, & quod ſic deprecamur, dono illius nos habere.*

QUÆSTIO V.

Si quæras 5. cùm in omnibus juſtis ſit illud ſuperbiæ vitium magis vel minus, ſed tale tamen quod in causâ eſſe poſſit cur homines per gratiam efficacem ad quædam pietatis opera, vel quædam peccata vitanda non adjuventur, cur huic potiùs quam alteri gratiam ſuam Deus aliquando deneget;

Reſpondeo, quòd uni det, miſericordiæ eſſe; quòd alteri non det, juſtitiæ: cur verò uni potiùs quàm alteri, ad inſcrutabilia Dei judicia pertinere. Ita Auguſtinus eodem in loco. *Quod vitium niſi adjuvante gratiâ ſuperetur, ad juſtitiam nemo convertitur. Niſi operante gratiâ ſanetur, juſtitiæ pace nemo perfruitur. Cujus autem gratiâ vincitur & ſanatur, niſi illius cui dicitur: Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum. Quod & ſi facit, miſericordiâ facit. Quibus autem non facit, judicio non facit.*

Atque idipſum eſt quod docet S. Thomas in Comment. Epiſt. ad Hebr. in illa Pauli verba: *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. Gratia*, inquit, *nulli deeſt, ſed omnibus quantum in ſe eſt ſe communicat, ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis.* Quibus verbis nihil aliud ſignificat S. Thomas niſi Deum numquam *ſpontanea abdicatione* quæ nullam in homine cauſam habeat, gratiam ſubtrahere, ſed hominibus ſine peccato & vitio conſideratis & gratiam & gloriam velle voluntate antecedenti, ſeu *bonitate creatoris*, ut ait Eccleſia Lugdunenſis in libro de tribus Epiſtolis. Sed ne quis verba ſupradicta S. Thomæ in Pelagiano ſenſu acciperet, ut multi faciunt, atque hinc concluderet, quòd unus gratiæ quantum in ſe eſt ſe communicanti impedimentum præſtet, non autem alter, ex libe-

liberi arbitrii nutu pendere, hunc ſenſum, ut Pelagianam hæreſim, ſequentibus verbis ſummovet. *Sed contrà, quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc quòd aliquis non ponit obſtaculum: ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei: quod eſt error Pelagii. Reſpondeo: Dicendum eſt quòd hoc ipſum, quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit. Unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud,* (ſcilicet ut ponere deſinat) *hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam...... Quòd ergo à quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei: quòd autem non removetur, hoc eſt ex juſtitia ejus.*

Omnino verò præclara eſt vox S. Proſperi in Reſp. ad Object. 14. Vinc. quidquid hactenus diximus paucis complectens. *Cur illum*, inquit, (de juſtis loquitur) *Deus retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare: cùm ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quòd ſtatur, & non ab illo eſſe quòd ruitur.*

QUÆSTIO VI.

Si quæras 6. num ſemper juſtitiæ Dei adſcribi debeat, quòd gratiam efficacem alicui interdum juſto denegat, unde ſequatur juſti lapſus vel venialis vel mortalis;

Reſpondeo, idem prorſùs hîc dici debere ac de excæcatione, quæ cùm generaliùs ſumitur, omnem gratiæ efficacis ad vitandum mortale peccatum neceſſariæ negationem comprehendit. De eâ verò ſic ſumptâ ita S. Thomas 1. 2. quæſt 79. art. 4. *Excæcatio*, inquit, *eſt quoddam præambulum ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur. Ad unum quidem per ſe, ſcilicet ad damnationem: ad aliud autem ex divinâ miſericordia vel providentia, ſcilicet ad ſanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum ſuum agnoſcentes humilientur & convertantur; ſicut Auguſtinus dicit in lib. de nat. & grat. Unde & excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur (propter quod ponitur etiam reprebationis effectus) ſed ex divina miſericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum qui excæcantur. Sed hæc miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolùm, quibus omnia cooperantur in bonum, ſicut dicitur Rom. 8. Unde quantum ad quoſdam, excæcatio ordinatur ad ſanationem; quantum autem ad alios, ad damnationem: ut Aug. dicit in 3. De Quæſt. Evang.*

QUÆSTIO VII.

Si quæras denique, num aliquod præceptum alicui interdum juſto, vel etiam peccatori impoſſibile dici debeat;

Reſpondeo in ſententiâ Sancti Thomæ multùm differre, *juſtum aliquem interdum non poſſe præceptum aliquod implere, vel tentationem ſuperare.* &, *præceptum illud vel tentationis victoriam eſſe juſto impoſſibilia.* Agnoſcit enim ſanctus Doctor 1. 2. qu. 109. art. 9. *nem*

non poſſe hominem, licet jam gratiam conſecutus ſit, per ſeipſum operari bonum, & vitare peccatum, abſque novo auxilio Dei ipſum moventis, dirigentis, & protegentis contra tentationum impulſus. Quo auxilio cùm ſemper Deus efficiat in homine id quod ei vult, ut ſupra oſtendimus, hoc eſt, motum ipſum voluntatis quo tentatio repellitur, ſi ad vincendam tentationem à Deo datur, manifeſtum eſt illud auxilium ad tentationem ſuperandam neceſſarium juſtis illis non adfuiſſe qui à tentatione ſuperati ſunt.

Unde etiam fatetur S. Thomas homines *ad multa teneri* quæ præſtare non poſſunt ſine illo gratiæ auxilio, quod non omnibus datur. *Si*, inquit 1. 2, qu. 2. art. 5. *in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur homo ad quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, ut Aug. dicit in lib. de Corrept. & grat.*

Neque tamen inde concludas præceptum diligendi Deum eſſe umquam homini impoſſibile, vel tentationis victoriam juſto alicui, ut S. Petro, impoſſibilem fuiſſe: vox enim *impoſſibilis* abſolutè uſurpata durius ſonat, idque ſignificat, ex S. Thoma, quod nullomodo facere poſſumus, nequidem alterius auxilio adjuti: cùm difficile tantùm dicatur, quod cùm propriis viribus facere non poſſumus, poſſumus tamen cum alterius auxilio.

Egregius eſt in eam rem locus 1. p. qu. 62. art. 2. ad 2. *Difficile*, inquit, *eſt quod tranſcendit potentiam: ſed hoc contigit eſſe dupliciter. Uno modo, quia tranſcendit potentiam ſecundùm ſuum naturalem ordinem: & tunc ſi ad hoc poſſit pervenire aliquo auxilio, dicitur* DIFFICILE; *ſi autem nullo modo, dicitur* IMPOSSIBILE, *ſicut impoſſibile eſt hominem volare. Alio modo tranſcendit aliquid potentiam, non ſecundùm ordinem naturalem potentiæ, ſed propter aliquod impedimentum potentiæ adjunctum...... Converti autem ad beatitudinem ultimam, homini quidem eſt difficile, & quia eſt ſupra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis & infectione peccati. Sed Angelo eſt difficile propter hoc ſolùm quod eſt ſupernaturale.*

Non debet igitur abſolutè dici præceptum aliquod juſto vel peccatori impoſſibile eſſe, quia ex S. Thoma impoſſibile illud ſignificat *id ad quod nullo modo pervenire poſſumus, nequidem cum alterius auxilio, ſicut impoſſibile eſt homini volare.* Quo ſenſu Lutherani & Calviniſtæ præcepta Dei etiam juſtis impoſſibilia eſſe docent, quia ſcilicet nefariè ſentiunt, juſtos omnes, utcumque Spiritu Dei in hac vita adjuventur, nullum umquam Dei præceptum

ceptum ita ſervare, quin in eo ipſo opere peccatum admittant, quo rei eſſent æternæ damnationis, niſi hanc eis noxam miſericorditer Deus condonaret.

Quòd ſi ex S. Thoma ne peccatoribus quidem mandata Dei impoſſibilia dici debent, multò minùs juſtis, qui per ſpiritum gratiæ & charitatis ſibi in juſtificatione infuſum veram & interiorem habent ad ea ſervanda potentiam, adeóque ſemper poſſunt ea ſervare, *quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis*, ut ſuperiùs diximus.

ARTICULUS XXIII.

Univerſa S. Thomæ de gratiâ doctrina ad ſeptem capita revocatur.

UNiverſa igitur S. Thomæ de gratia doctrina ad hæc ſeptem capita revocari poteſt.

1. Non niſi duplex gratiæ ſive divini auxilii genus agnoſcit S. Thomas; alterum quod eſt habituale donum nobis divinitus inditum; alterum quod eſt auxilium Dei animam moventis ad bonum. Semper enim ait gratiam dupliciter intelligi, nunquam tripliciter. Et id novies repetit in illis quæſt. 1. 2. in quibus de gratia agit qu. 109. a. 2. 3. 4. 6. 9. 10. & qu. 110. a. 1. & qu. 111. a. 2. & qu. 112. a. 1.

2. Juſti omnes per prius auxilium gratiæ, quod eſt habituale donum nobis divinitùs inditum, mandata ſervare, & omnia peccata mortalia vitare, ac ſingula venialia, & proinde in juſtitia perſeverare poſſunt 1. 2. qu. 109. art. 8. quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis, quia ut hoc præſtent non indigent nova alia virtute ſibi à Deo indita. Ib a. 9.

3. Juſti nihilominus indigent ulteriùs poſterioris gratiæ genere, ſeu novo & ſpeciali Dei moventis, dirigentis & protegentis auxilio, ſine quo bonum operari & peccatum vitare non poſſunt. Ib. a. 9. neque contra tentationum impulſus firmiter ſtare & perſeverare. Ib. a. 10.

4. Auxilium illud Dei moventis ſemper eſt efficax & infallibile ſecundùm id ad quod à Deo ordinatur. Qu. 112. art. 3. quia auxilium illud nihil eſt aliud quàm *miſericordia Dei per quam interiùs motum mentis operatur*, De ver. qu. 24. art. 14. Miſericordia autem, *ſeu gratia & dilectio Dei, ſemper efficit aliquid in anima ejus quem diligit, nempè id quod ei vult*. qu. 110. art. 1. Et proindè quantùm ad illud auxilii genus ſemper efficit in eo quem movet, motum illum ipſum ad quem eum vult movere. Ib. art. 2. hoc eſt amorem, ſi vult movere ad amandum; orandi effectum, ſi vult movere ad orandum; infirmitatis cognitionem, ſi vult movere ad id cognoſcendum.

5. Etſi auxilium omne Dei moventis ſemper efficax ſit alicujus effectus, ejus nempè ad quem efficien-

efficiendum divina voluntate deſtinatur, ut fatentur omnes S. Thomæ diſcipuli; ei tamen interdum reſiſtitur, reſpectu alterius effectus ad quem ex natura ſua refertur. Ut cum peccatorem Deus ad piè vivendum excitat, efficit quidem ſemper illa gratia, ut ſecundùm menſuram donationis Chriſti aliquam habeat ille peccator piè vivendi voluntatem: qua ratione gratia illa efficax eſt. Sed non ſemper tanta eſt illa voluntas, etiam per gratiam inſpirata, ut reſiſtentem ſibi peccati delectationem ſuperet, & ad piam vitam peccatorem reipſa perducat: qua ratione illi reſiſtitur.

6. Tam neceſſarium eſt ad bene agendum efficax illud Dei moventis auxilium, ut *ſine illo homo non poſſit ullum facere bonum:* De verit. qu. 24. a. 14. Neque ullo modo quantumvis imperfectè ſe ad gratiam præparare: qu. 112. a. 2. Et de illo intelligendum quod dixit Chriſtus Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: qu. 109. art. 6. Unde rectè appellari poteſt, Gratia ſine qua nihil poſſumus.

7. Horum omnium conſectarium eſt, hæc duo quæ inter ſe pugnare videntur, neque tamen re vera pugnant, ſi probè intelligantur, verè & catholicè dici. Alterum eſt: Numquam deeſſe juſto ulli gratiam per quam mandata ſervare & tentationes ſuperare poſſit. Alterum eſt: Deeſſe interdum alicui juſto gratiam, ſine qua non poteſt reipsâ & *effectivè* mandata ſervare & tentationes ſuperare. Utrumque enim verum eſt: quia gratiæ vox, ut ſæpiſſimè ait S. Doctor, dupliciter uſurpatur, tum pro habituali dono naturæ ſuperaddito, tum pro auxilio Dei moventis.

Prius ergo verum eſt, quia numquam deeſt juſto quamdiu juſtus manet, gratuitum illud donum quo verè mandata ſervare & tentationes ſuperare poteſt.

Poſterius etiam non minùs verum, quia negari non poteſt quin aliquando deſit alicui juſto auxilium illud Dei moventis quod tale eſt, ut ſine illo juſtus bonum operari & tentationes ſuperare reipſa non poſſit, & ſemper effectum illum habeat ad quem à Deo ordinatur. Unde ſi juſtus aliquis vel non oravit, vel tentationem aliquam non ſuperavit, certum eſt non adfuiſſe ei auxilium Dei moventis quo indigebat vel ad orandum vel ad tentationem illam reipſa ſuperandam.

ARTICULUS XXIV.

Explicatur propoſitio ſecundùm doctrinam S. Thomæ.

Auguſtinus in Epiſtola laudatus. p. 220.

Quid eſt homo SINE GRATIA Dei, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum. Ideò Beatum Petrum Dominus paululum ſubdeſeruit, ut in illo totum humanum genus poſſet agnoſcere, NIHIL SE SINE DEI GRATIA PRÆVALERE. Idem de Symbol. ad Catech. l. 2. c. 6. IN PETRO DEMONSTRANS non in ſe quemquam JUSTUM debere præſumere.

Chryſoſtomus in Epiſtolâ laudatus p. 225.

Caſus Petri, non frigidirate, ſed SUPERNI AUXILII DERELICTU contigit. Non ram erat ſocordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quod Deus eum DESERUERAT, erudiens eum ut humanam ſciret menſuram, & non repugnaret iis quæ dicebantur à Magiſtro, neque ejus quàm aliorum eſſent elatiores ſpiritus, ſed ſciret quod ABSQUE DEO NIHIL POTEST FIERI.

Autor Epiſtolæ hæc eadem Patrum illorum verba repetens p. 226.

Patres nobis Juſtum in Petro demonſtrãt, cui gratia ſine qua nihil poſſumus in ea occaſione defuit, in qua eum non peccaſſe dici non poteſt.

Ex his, quæ apud S. Thomam luce clariora ſunt, nemo eſt qui non videat, hanc Epiſtolæ meæ propoſitionem ita illius doctrinæ conſentaneam eſſe, ut neutra damnari vel abſolvi poſſit, quia altera pariter vel damnetur vel abſolvatur.

Cum enim dixi poſt ſanctos Patres Auguſtinum & Chryſoſtomum, *Juſtum nobis in Petro demonſtrari cui gratia ſine qua nihil poſſumus, in tentatione defuit*, declaro me his verbis, *Gratia ſine qua nihil poſſumus*, LA GRACE SANS LAQUELLE ON NE PEUT RIEN, non comprehendiſſe gratiam omnem qua omnia præcepta Dei poſſibilia fiunt. Agnoſco enim iſtam gratiam eſſe in omnibus juſtis hominibus, & ſingulariter in S. Petro fuiſſe, id eſt, ei non defuiſſe cum in tentatione poſitus Chriſtum negavit. Eſt enim illa gratia quâ mandata Dei poſſibilia fiunt, donum illud gratuitum, ſive auxilium gratiæ per modum habitualis doni, quo juſti omnes, & ſingulariter S. Petrus, ad obſervanda omnia

nia mandata Dei, & vitanda quæcumque peccata mortalia, divinitùs adjuvantur; eſtque *auxilium de ſe ſufficiens ad non peccandum*, ut loquitur S. Thomas. Sic tamen ut homo juſtus, præter gratiam illam quâ omnia præcepta Dei ei poſſibilia fiunt, ulteriùs indigeat auxilio gratiæ Dei hominem interiùs moventis ad operandum, & ad mandata ſervanda.

De iſto igitur poſteriori auxilio gratiæ declaro propoſitionem meam, quæ ſanctorum Patrum eſt Auguſtini & Chryſoſtomi, intelligendam eſſe. Gratia enim quæ quibuſdam juſtis aliquando deeſt, & ſingulariter S. Petro defuit ſecundùm doctrinam ſanctorum Patrum, eſt omnino illud auxilium gratiæ Dei hominem ad rectè vivendum, ad vincendas tentationes, vitanda peccata mortalia, & obſervanda præcepta interiùs moventis.

Hujuſmodi auxilium appellavi, *Gratiam ſine qua nihil poſſumus*, poſt SS. Patres, qui ſemper ita loquuntur, non quidem eo animo ut excluderem à S. Petro gratiam illam quâ præcepta Dei juſtis poſſibilia fiunt, ſed quia præter illam gratiam quam in omnibus hominibus juſtis eſſe agnoſco, homo ſecundùm doctrinam SS. Patrum & S. Thomæ, ulteriùs indiget iſto auxilio gratiæ Dei animam interiùs moventis ad bene agendum. Unde S. Thomas de iſto ſpeciatim auxilio loquens docet, *quòd nihil homo poteſt facere, niſi moveatur à Deo ſecundùm illud Joan.* 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: qu. 109. art. 6. ad 2. Nihil ergo habet propoſitio ab Auguſtino & Chryſoſtomo ſcripta, à me tantum deſcripta, quod à S. Thomæ doctrina verbiſque diſcrepet. Imò nihil habet S. Thomas quod ab illorum Patrum mente diſſideat. Convenit planè Filio cum Patribus, Diſcipulo & Interpreti cum Magiſtris. Neceſſe eſt ergo, aut abſoluto eo ipſi abſolvantur, aut damnatis iis ipſe damnetur. Neque hoc neſciunt reprehenſores mei. Cùm enim antequam Cenſura concluderetur, nonnulli etiam ex iis quos in mei damnationem notæ omnibus cauſæ compulerunt, obnixè poſtulaſſent, ut diſertè perſcriberetur, nihil auctoritatis hâc Cenſurâ S. Thomæ doctrinæ detrahi, non neglecta ſolùm rogatio eſt, ſed etiam cum riſu repudiata. Nec immeritò. Probè enim intelligebant viri acuti & perſpicaces, ſi doctrinam quam è Patribus attuleram ſalvâ S. Thomæ doctrinâ damnarent, idem ſe acturos ac ſi eamdem doctrinam damnarent pariter & abſolverent. Interim tamen quoad poſſunt diſſimulant, nequedum audent palàm & apertè Doctorem Angelicum impietatis & hæreſæos accuſare. Sed fruſtra ejus nomini parcitur ab iis qui Sanctorum Patrum doctrinâ, à qua ſuam ſtudioſiſſimè hauſit, abjectâ atque proſcriptâ, fidem & placita ipſius verbo honorant, re pro-

proſcindunt ac dedecorant. Recuſat ipſe honorem hujuſmodi, contumelioſum ſibi, funeſtum Patribus, Eccleſiæ luctuoſum. Ac meritò adversùs ſimulatos illos nominis & exiſtimationis ipſius patronos & vindices, hanc in ſimili cauſa ſanctis Patribus ab Auguſtino tributam vocem uſurpet: *Tolerabilius dente maledico nomina concideretis noſtra, quàm fidem noſtram, cujus merito in cœlo nomina ſcripta ſunt noſtra.* Lib. 1. in Jul. c. 4.

IX.

INSTRUMENTUM

SEU

Libellus Conteſtatorius 27. Januarii anni 1656. denuntiatus Sapientiſſimis Viris Decano, Syndico & Scribæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, nomine

SAPIENTISSIMI

D. ANTONII ARNALDI

DOCTORIS SORBONICI.

Adversùs Cenſuram jam procuſam & mox publicandam.

HAc die coram ſubſignatis Regiis Notariis publicorum inſtrumentorum Cuſtodibus, in ædibus unius ex iſtis nomine Gallois, ſtitit ſe Magiſter ANTONIUS ARNALDUS Preſbyter, Doctor Theologus è Domo ac Societate Sorbonica, qui ſolitum quidem domicilium habet in Portus-Regii Monaſterio Campeſtri propè Caproſiam, in præſenti verò Pariſiis commoratur; qui dixit & denuntiavit: Licet hactenus plures habuerit cauſas conquerendi de modo quo adversùs ipſum actum eſt in Examine Alterius ſuæ Epiſtolæ 10. Julii 1655. ſcriptæ, quam publicam facere compulſus eſt ad refutandos complures Libellos in lucem emiſſos contra Primam ſuam Epiſtolam de rebus geſtis erga nonnullum è Primariis Aulæ Proceribus in quadam Pariſienſis Civitatis Parochia: in eo videlicet quod Magiſtri, illius Epiſtolæ examini præpoſiti, ſic inhumanè ac durè ſe habuerunt, ut perſtiterint in uſurpanda judicis perſona, poſt rejectionem rejectioniſque cauſas ipſis conquerentis nomine ritè ſignificatas: Quòd nonnulli Doctores, Sulpicianæ Societatis alumni, contra quos dicta Epiſtola ſcripta eſt, & alii plures qui agendi rationem ac diſciplinam in eadem Epiſtola notatam impetitamque approbarunt, & in ea ſunt indicati, Comitiis Sorbonicis interfuerunt, & adversùs ipſum tulerunt ſuffragia, ſeque in ſua ipſorum cauſa, contra naturalis etiam æquitatis leges, pro judicibus habuerunt: Quod nulla ratione ſatisfactum eſt poſtulationibus antiquiorum Doctorum, qui ad illuſtrandam Facti quæſtionem

ſtionem inſtanter flagitarunt, ut pro antiquo Facultatis uſu ac conſuetudine ipſis Epiſtolæ excerpta porrigerentur, neceſſaria ut ſuum de illa judicium ſubſtruere poſſent: Quod ex primariis Doctoribus nonnulli gravibus comminationibus uſi ſunt cum ut illarum poſtulationum ratio haberetur inſtantiùs requiſitum eſt: Quod cum ad ſacram Theologiæ Facultatem ipſe miſiſſet Declarationem ſeu ſatisfactionis Libellum propria manu ſignatum, quo deliberationum Comitialium ſtatus aliò transferebatur, nullatenus obtineri potuit, ut quid quiſque Doctorum de illa opinaretur in medium proferre poſſet cum eadem Facultati oblata eſt, quantumlibet inſtaret unus ex antiquioribus illis Doctoribus, ut ferendis ſuffragiis locus daretur; imò quod nec permiſſum eſt de illa diſceptationem inſtitui poſt emiſſa collectaque vota circa Facti quæſtionem, quemadmodum promiſſum priùs fuerat. Quod, ut Cenſura præcipitanter procuderetur, & Doctorum cuilibet poſt auditas aliorum rationes ac momenta auferretur Facultas à concepta ſententia reſiliendi & oblatam ſatisfactionem amplectendi, in quod propenſos ſe plurimi ſignificabãt; Magiſter Dionyſius Guyart Syndicus, cum ex officio debuiſſet coram toto conſeſſu, ut moris eſt, numerare ſuffragia ſuper Majoris Bedelli ac Scribæ Facultatis ſcrinio, ac eadem alta voce legere, uti poſt ſex hebdomadarum deliberationem neceſſarium prorſus erat, & revera poſtulatum fuerat à plurimis Doctoribus, quibus Syndici fides hac in occaſione ſuſpecta erat, idem Syndicus è ſua pera foliolum extulit in quo Doctorum ſuffragia numeravit, quos in tres ipſe claſſes diſtribuit, de quorum diſcrimine & numero ſolum ſe ipſe judicem & arbitrum conſtituit, & quidem fide tam parùm ſincera, ut Doctores non pauci palàm & aperta fronte adversùs ipſum contenderint plures quàm unum & ſeptuaginta Doctores propoſitionem ab omni cenſura abſolviſſe, Syndico è contrario affirmante non plures fuiſſe; quin & cum eidem objectum fuiſſet coram omnibus, plura ab ipſo numerata eſſe ſuffragia, quàm Doctores Comitiis ac deliberationibus interfuiſſent, hanc inſimulationem aliter diluere non potuit, quàm reponendo ſolos illos à ſe minùs accuratè numeratos eſſe, qui neutri parti adhæſerant: Quod cum nulla ferri potuerit cenſura in Quæſtionem facti, quia à tertia ſuffragiorum parte, ſecundùm antiquum Facultatis uſum, decreta non fuerat, etiam computatis iis Mendicantium Ordinum Religioſis qui ſtatum ac legitimum numerum excedebant, quorum omnium ſuffragia à Syndico numerata ſunt, contra obnitentibus & Facultatis ipſius ſtatutis & Decretis Pariſienſis Senatus, & interpoſita nuper interceſſione in geminis Facultatis Comitiis; cum revera nulla fuerit pronuntiata

nunciata Cenſura, his ſolummodò verbis à Sap Dom. Ludovico Meſſier Decano prolatis, *Ego concludo*, nulliſque aliis adjectis, quamvis a pluribus Doctoribus ut quid concluderet apertè diceret, ſæpiùs eſſet interpellatus, repetitis his vocibus: *Quid concludis?* nihilominus tamen deſcriptam ac confectam eſſe audiit neſcio quam Cenſuræ concluſionem in Magiſtri Alphonſi le Moine, adverſariorum ſuorum Primarii, cubiculo: Dixit igitur & denunciavit, licet habuerit hactenus plures conquerendi cauſas quarum non paucas ſilentio premit, velut denegationem teſtimoniorum à pluribus Doctoribus requiſitorum, impedimenta injecta interpellationeſque, quibus frequentiſſimè interciſi ſunt eorum ſermones ac ſuffragia qui quæſtionem facti ab omni cenſuræ nota immunem eſſe demonſtrabant: Colloquiorum pacificorum rejectam petitionem, tam erga ipſum, cui nimirum hæc impoſita conditio, ut ad Comitia nec collaturus nec ad objecta reſponſurus veniret, quàm erga plures alios Doctores qui amicam iſtiuſmodi diſceptationem inſtanter iniri poſtularunt ad plenam controverſarum quæſtionum elucidationem; nihilominus tam multiplices querelarum cauſas diſſimulare ſe hactenus maluiſſe pro ſua adversùs S. Facultatem reverentia ſuoque pacis ſtudio. Verùm audiit, cum ad examen quæſtionis de Jure, die 18. hujus menſis initum, procederetur, ſe per immanem calumniam accuſatum eſſe, tanquam in ſua illa Epiſtola defendiſſet hæreſim à Concilio Tridentino & Conſtitutione Innocentii PP. X. damnatam, nimirum Mandata Dei eſſe juſtis impoſſibilia, licet hanc hæreſim ſemper ipſe in omnibus ſuis ſcriptis damnaverit, ſincerèque adhuc damnet: cum autem Facultati offerri curaſſet, per unum ex antiquioribus Doctoribus, ſcriptum quoddam quo doctrinæ ſuæ ſinceritas circa quæſtionem examinandam faciliùs poterat innoteſcere, permiſſum non eſſe ut illud coram Facultate legeretur, nec ut ullus Doctor ad idem diſcutiendum, ac de eo ad Facultatem referendum deſignaretur, quantumvis inſtanter iſtud poſtularet is à quo ſcriptum illud Facultati oblatum fuerat Conquerentis nomine: Poſt quatuor conſeſſus, in quibus cuique ſententiam ſuam dicenti liberum fuit tamdiu diſſerere, quàm ipſe neceſſarium cenſuit ad illam optimè conſtituendam, accidiſſe, ut dum quidam Doctor plura exponenda haberet pro defenſione notatæ propoſitionis, prolixiúſque demonſtraret illam eſſe S. Thomæ doctrinæ omnino conformem, ſæpè ſæpiùs ejus orationem variis oblocutionibus interruptam fuiſſe, quamvis nihil non neceſſarium proferret: imò ipſi conſeſſui finem impoſitum integrâ horâ citiùs quàm fieri ſolitum erat, ne rationes ſenſuum ſuorum depromere ille fineretur: quin & die lunæ ultima plures Doctores,

cum vix mediam à ſe dicendorum partem attigiſſent, jubente Viro præpotente, coactos cætera ſilentio premere, ac dicendi finem facere; quod quidem ita factum obtentu prætenſæ cujuſdam Concluſionis decima ſeptima hujus menſis die conditæ, quâ vetitum ne cui ultra dimidiam horam loqui fas eſſet, quamvis ejuſmodi Concluſioni multi Doctores interceſſiſſent, ut hactenus inauditæ, omnium Societatum bene ordinatarum moribus nominatimque S. Facultatis ſtatutis contrariæ & ſuffragiorum libertati inimicæ, ac revera in nullo è quatuor prioribus conſeſſibus obſervatæ, uti nec obſervari debet, cum in hoc tanti momenti negotio, in quo de fidei capite agitur, non ritè ac ſufficienter iſtud poſſit diſcuti, niſi cuilibet Doctorum qui ſuam de illo ſententiam dicturi ſunt plena relinquatur libertas omnia ex Scriptura, Patribus, aliiſque locis Theologicis congerendi argumenta, quibus ſenſa ſua comprobare voluerint, quod non modicum temporis ſpatium requirit. Cum autem Doctores plurimi hanc ſuffragiorum ſuorum rationes latè exponendi libertatem ereptam ſibi intuentes, ab his Facultatis conſeſſibus frequentandis abſtinuerint, & ad illos convenire ab heſterna die ceſſaverint, idem M. Antonius Arnaldus, teſtatus priùs palàm, ut hac publica declaratione teſtatur, ſibi ratum fixumque eſſe nunquam à fide Catholica, Apoſtolica & Romana diſcedere, in qua videlicet ſemper vixit, ſemperque quoad vixerit Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi per omnia obtemperare, ut ſemper hactenus obtemperavit, Declaravit Declaratque ſe pro legitimo Facultatis Conventu non poſſe illum agnoſcere in quo nulla Theologis relinquitur libertas ſuorum ſenſuum ſententiarumque rationes exponendi; in quo inſuper tot alia occurrunt capitalia contra juris ordinem moreſque Facultatis vitia. His igitur rationibus aliiſque ſuo tempore & loco declarandis nixus, conteſtando Denuntiat ſe pro nullo habiturum quidquid illic actum eſt vel deinceps agetur, & contra id omne ſe ſibi proviſurum eo modò & tempore quæ rebus ſuis accommoda judicaverit: quorum omnium teſtimonium ut ſibi ab iiſdem Notariis ſubminiſtretur requiſivit, qui & iſtud ipſum inſtrumentum eidem hunc in finem ultro conceſſerunt, eidem olim profuturum prout temporis & loci ratio tulerit: utque idem quibus oportuerit ſignificari poſſit, hujus latorem Procuratorem ſuum conſtituit, & ad id facultatem neceſſariam indulſit. Id omne ita declaratum, requiſitum, conteſtatumque fuit in ædibus ejuſdem *Gallois* qui è dictis Notariis unus eſt, anno 1656. die 26. Januarii poſt meridiem, hujuſque inſtrumenti autographum, apud eumdem Notarium *Gallois* relictum, idem M. Antonius Arnaldus ſubſignavit. *Subſcriptum erat* LE CARON & GALLOIS.

Anno

Anno 1656. *die* 27. *Januarii horâ circiter octavâ matutinâ, requirente* M. Antonio Arnaldo *Presbytero Doctore Theologo & Socio Sorbonico ſupra nominato, ſupraſcriptum Declarationis & Conteſtationis inſtrumentum per me ſubſignatum Apparitorem Accenſum virgatum in Caſtellana Pariſiorum Curia fuit exhibitum, ac ritè ſignificatum venerandis Decano & Doctoribus S. Facultatis Theologiæ Pariſienſis, pro iiſdem alloquendo Mag. Ludovicum Meſſier ejuſdem Facultatis Decanum, inventum in Sorbona ad januam Aulæ in qua ejuſdem Facultatis Comitia celebrari ſolent, & Magiſtrum Philippum Bouvot ejuſdem Facultatis Magnum Bedellum & Scribam, apud Sorbonam pariter inventum: item & in domo Magiſtri Dionyſii Guyart ejuſdem Facultatis Syndicum in Collegio Becodiano, alloquendo illius vice ejuſdem Collegii Janitorem, ut iidem DD. Decanus, Syndicus & Scriba ignorantiam non poſſint obtendere, & illa omnia ad ejuſdem Facultatis Doctores referant: quorum ſuprà nominatorum unicuique exemplar tam ſupra ſcripti inſtrumenti, Declarationis & Conteſtationis, quàm hujuſce denuntiationis, traditum à me fuit, Teſtibus Joanne Petit, Jacobo l'Abbé aliiſque.* Signatum

Bierman.

X.

CENSURA
SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ PARISIENSIS,

Lata in Libellum, cui titulus eſt: *Seconde Lettre de Monſieur Arnauld Docteur de Sorbonne, à un Duc & Pair de France, pour ſervir de réponſe à pluſieurs écrits qui ont été publiez contre ſa premiere Lettre, ſur ce qui eſt arrivé à un Seigneur de la Cour dans une Paroiſſe de Paris. A Paris* 1655.

CUm ante menſes aliquot Magiſter Antonius Arnauld Doctor Sorbonicus Gallicè ſcripſiſſet, atque in vulgus edidiſſet Epiſtolam quamdam, hoc titulo: *Seconde Lettre de Monſieur Arnauld Docteur de Sorbonne, à un Duc & Pair de France, pour ſervir de réponſe à pluſieurs écrits, qui ont été publiez contre ſa premiere Lettre, ſur ce qui eſt arrivé à un Seigneur de la Cour dans une Paroiſſe de Paris. A Paris* 1655. Magiſter Dionyſius Guyart Syndicus quartâ menſis Novembris ejuſdem anni 1655. in Comitiis Generalibus Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis apud Sorbonam poſt Miſſam, ut moris eſt, de Spiritu Sancto celebratam, dixit iſtâ in Epiſtolâ à viris doctis & piis quædam notari, quæ tum Summi Pontificis & Epiſcoporum auctoritati adverſarentur, tum etiam cum fide Catholica & decretis Facultatis pugnarent. Cui rei ut maturè ac ſeriò provideret Facultas, Epiſtolæ illius legendæ & examinandæ curam commiſit ſexè ſapientiſſimis Magiſtris Noſtris, unà cum Dominis Decano & Syndico. Qui quidem, cùm per menſem Novembrem eam in rem ſedulò & diligenter incubuiſſent, atque inter ſe diu ac multùm contuliſſent, primâ die menſis Decembris ejuſdem anni 1655. in Generalibus Comitiis ut ſuprà, Facultati retulerunt illâ in Epiſtolâ, inter alia reprehenſione digniſſima, ea ſe præſertim obſervaſſe, quæ perſpicuitatis & compendii causâ reduci poſſe viderentur ad duo capita, ſive ad duas quæſtiones vel propoſitiones; quarum altera diceretur facti, altera juris: priorémque illam his contineri verbis,

Pagina 49. *Ce Seigneur a fort bien jugé, que cette épreuve de l'humilité & de la moderation de ſes amis*

amis juſtifioit, que n'aiant défendu que la pure doctrine de S. Auguſtin, & non des Propoſitions condamnées, qu'ils ont toujours regardées comme forgées par les partiſans des ſentimens contraires à ceux de ce grand Docteur.

Pagina 130. *Mais pourquoi donc, diſent-ils, a-t-on fait deux Apologies pour Janſenius? Parce qu'on a crû qu'il y alloit de l'interêt de Dieu, & de l'honneur de l'Egliſe, de ne pas ſouffrir que ſous le nom de Janſenius on fit paſſer en pleine chaire les plus conſtantes maximes de la doctrine celeſte de S. Auguſtin, pour des impietez & des hereſies: qu'on les combatît par des anathemes de faux Conciles, par des ignorances groſſieres dans l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, par des paſſages de l'Ecriture, ou falſifiez dans les paroles, ou corrompus dans le ſens: & qu'on impoſât en pluſieurs points des hereſies & des erreurs à un Evêque qui a été très-éloigné de les enſeigner.*

Pagina 149. *Après tous ces exemples de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, ſe pourra-t-il trouver,* MONSEIGNEUR, *quelqu'un aſſez déraiſonnable & aſſez injuſte pour s'imaginer, que parce que des perſonnes aiant lû un livre avec ſoin, & n'y aiant point trouvé des propoſitions qui ſont attribuées à un Auteur Catholique après ſa mort dans l'expoſé de la Conſtitution d'un Pape, ne peuvent declarer contre leur conſcience qu'elles s'y trouvent, quoi qu'en même tems ils les condamnent en quelque livre qu'elles ſe trouvent, ce ſoit un prétexte ſuffiſant de les traiter d'heretiques, d'excommuniez, & de retranchez de l'unité de l'Egliſe: comme ſi un point de fait dont les yeux ſont juges, pouvoit être un point de Foy, qui ne peut être établi que ſur une revelation divine; & une cauſe legitime d'accuſer d'hereſie des Theologiens Catholiques, qui embraſſent tout ce qui concerne la Foy dans cette Conſtitution, & qui dans ce point de fait même ne ſont point opiniâtres, étant prêts de ſe rendre auſſi-tôt qu'on leur aura fait lire ces Propoſitions dans le livre, d'où l'on dit qu'elles ont été tirées: ce qui doit être la choſe du monde la plus facile, ſi elles en ont été veritablement tirées: comme au contraire, la plus difficile, & même impoſſible, ſi elles n'y furent jamais. Et cependant quand on ſuppoſeroit même qu'ils ſe trompent dans ce point de fait, n'eſt-il pas viſible,* MONSEIGNEUR, *qu'on ne leur pourroit reprocher en aucune ſorte d'être heretiques, ou de bleſſer la Foy de l'Egliſe: mais ſeulement de n'avoir pas de ſi bons yeux, ou de n'entendre pas ſi bien le Latin, que ceux qui ſoutiendroient le contraire?*

Pagina 152. *Avec qu'elle juſtice pourroit-on prétendre, que le doute, ou l'humble ſilence & la retenuë d'un Catholique, à declarer que des propoſitions qui ſont attribuées dans la Conſtitution d'un Pape, à un Prelat de l'Egliſe après ſa mort, ſoient veritablement de lui, n'aiant pû les y trouver, ſoit un legitime prétexte de le traiter d'heretique, lors même que ſe contentant de ne pas agir contre ſa conſcience, & contre le témoignage de ſes yeux en*

un point de fait, il eſt reſolu de s'abſtenir de toute conteſtation ſur ce fait même, & d'y garder un ſilence reſpectueux, qui eſt la plus grande ſoumiſſion qu'on doive aux Conciles même Oecumeniques, dans ces faits particuliers.

Hanc autem poſteriorem hâc potiſſimùm periodo comprehendi.

Pagina 226. *Cependant*, MONSEIGNEUR, *cette grande verité établie par l'Evangile, & atteſtée par les Peres, qui nous montre un juſte en la perſonne de S. Pierre, à qui la grace, ſans laquelle on ne peut rien, a manqué dans une occaſion, où l'on ne peut pas dire qu'il n'ait point peché, eſt devenuë tout d'un coup l'hereſie de Calvin, ſi nous en croions les diſciples de Molina.*

Quibus auditis, Sacra Facultas de re totâ per duos menſes integros, habitis ferè quotidie apud eandem Sorbonam ſolemnibus Comitiis, deliberavit; & poſt accuratam diſquiſitionem, tandem decrevit priorem illam quæſtionem ſive propoſitionem, quæ eſt facti, eſſe TEMERARIAM, SCANDALOSAM, INJURIOSAM SUMMO PONTIFICI ET EPISCOPIS GALLIÆ, ATQUE ETIAM PRÆBERE OCCASIONEM RENOVANDÆ EX INTEGRO POST DAMNATIONEM JANSENII DOCTRINÆ.

Hanc autem poſteriorem, quæ juris dicitur, eſſe TEMERARIAM, IMPIAM, BLASPHEMAM, ANATHEMATE DAMNATAM, ET HÆRETICAM.

Optaret ſanè, & ex animo optaret Sacra Facultas, prædicti Magiſtri Antonii Arnauld damnatâ doctrinâ, perſonam ſervari, quippe ſibi cariſſimam, tanquam Filium Matri: & eam in rem ſæpè ipſum per amicos hortata eſt, ut veniret ad Comitia, Matri ſe ſubjiceret, ejuraretque falſam & peſtilentem doctrinam, idem cum eâ ſentiret, & *unanimis atque uno cum eâ* corde & *ore honorificaret Deum & Patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti.* Verùm non modò amantiſſimæ Parentis ſuæ conſilia & hortamenta contempſit, ſed etiam die vigeſimâ ſeptimâ præſentis menſis per Apparitorem Regium eidem Facultati ſignificavit, ſe pro irrito ac nullo habere quicquid Ipſa in re præſenti egiſſet, acturáque eſſet.

Quare eadem Facultas ipſum à ſinu ſuo repellendum expungendúmque ex albo Doctorum ſuorum, atque à corpore ſuo planè reſecandum cenſuit, & ipſo facto repulſum, expunctum, reſectúmque declarat, niſi intra diem decimum quintum menſis Februarii proximè ſequentis mentem ſuam mutaverit, & huic præſenti Cenſuræ ſubſcripſerit coram Domino Decano, Illuſtriſſimis Epiſcopis Doctoribus, & prædictis Deputatis. Ac ne longiùs ſerpat ſuperior illa Arnaldi doctrina, & quaſi lues, quæ jam multorum animos occupavit; eadem Sacra Facultas decrevit neminem poſt hac aut è Doctoribus ad Comitia & alia quælibet jura ad ipſam pertinentia;

tia; aut è Baccalaureis ad ullos Actus Theologicos, ſive ad diſputandum, ſive ad reſpondendum; aut è Theologiæ Candidatis ad ſupplicandum, ut vocant, pro primo curſu, vel de Tentativâ reſpondendum, admiſſum iri, niſi antè huic quoque Cenſuræ ſubſcripſerit. Atque etiam ſi quis Arnaldi ſuperiora illa probare, aſſerere, docere, prædicare, ſcriberéve ſit auſus, eum ab eâdem Facultate prorſus repellendum eſſe.

Decrevit inſuper hanc Cenſuram ſuam prælo mandandam, & publicandam eſſe; ut omnes intelligant, quantùm eadem Facultas peſtilentem & exitialem illam doctrinam execretur ac deteſtetur. ACTUM Pariſiis in Facultatis Theologicæ Comitiis generalibus apud Sorbonam die ultimâ Januarii anno Domini 1656. & confirmatum die primâ Februarii ejuſdem anni.

De Mandato DD. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis ſacræ Theologiæ Univerſitatis Pariſienſis.
PHILIPPUS BOUVOT *Major Apparitor.*

JOAN-

XI.

JOANNIS LAUNOII CONSTANTIENSIS PARISIENSIS THEOLOGI NOTATIONES.

In CENSURAM *duarum* ANTONII ARNALDI *Propoſitionum, quarum una Facti, altera Juris, appellatur.*

TErtullianus, Facultas Theologiæ Pariſienſis, & in eadem Magiſter celeberrimus Joannes Major docent tria, quæ Præfationis locum implebunt. Tertullianus igitur ita ſcribit initio libri De Velandis Virginibus: *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum.*

Facultas Theologiæ in Tractatu, quem adversùs Joannem Montefonum, Anno Domini 1387. confecit, de ſuis in doctrinæ materia determinationibus ita cenſet: *Ad Doctores Facultatis Theologiæ, imò ad unum Doctorem ſolum poteſt pertinere, errores in fide doctrinaliter determinare: quæ doctrinalis determinatio prædicta, per totam Facultatem concorditer facta, debet multùm reputari.* Quibus verbis non obſcurè ſignificat, determinationem quæ non eſt per totam Facultatem concorditer facta, non debere multùm reputari: id eſt, apud cordatos & peritos nihil aut parum habere ponderis & auctoritatis.

Joannes Major in tert. ſent. diſt. 37. quæſt. 26. *Non eſt* (inquit) *minùs hæreſis aſſerere, aliquid eſſe de fide, quod nullatenus de fide eſt, quàm negare aliquid de fide, quod eſt de fide.*

Primum autem ex his tribus, quàm firma & invicta ſit Veritas, oſtendit.

Secundum indicat Cenſuram, quæ à Doctoribus Facultatis non fit concorditer, Cenſuræ nomine indignam eſſe. Quocirca Facultas olim in ſuis determinationibus conſuevit hæc verba ſolemnia adhibere, *Concorditer, ſummo animorum conſenſu, unanimiter, repugnante nemine*; ut novit Magiſter quicumque non eſt in rebus Facultatis hoſpes ac peregrinus.

Tertium percellit certos quoſdam Doctores minimè eruditos, & malevolos, quorum animi contra doctrinam aliorum excandeſcunt, & ſibi à notis gravioribus inurendis non temperant. Id hominum genus lege Talionis plectendum Major arbitratur. His præmonitis, noſtras in Cenſuram duarum Arnaldi propoſitionum Notationes ſubjectum imus.

Notatio

Notatio Prima.

Cenſores dum in Arnaldi librum inquirunt è pag. 49. 130. 149. 152. decerpunt multa, ex quibus una facti propoſitio comparatur. Sed inter decerpendum nonnihil è pag. 140. prætereunt, quod ſi quid in aliis videbitur offendere, in hoc uno multò magis offendere videbitur. Verba ſunt: *N'eſt-ce pas rendre un auſſi grand reſpect à la Conſtitution du Pape, qu'à un decret d'un Concile general, que de reconnoître abſolument ce qu'il a décidé touchant la doctrine, & de laiſſer ſeulement en quelque doute un point de fait, ſçavoir ſi ces propoſitions ſont ou ne ſont pas de Janſenius, qui a été ſuppoſé pour veritable, parce qu'on l'avoit ainſi expoſé au Pape, ſans que le Pape ait declaré dans ſa Conſtitution, qu'il l'ait fait examiner, & de proteſter en même-tems, &c.* Si quis fragmentum hoc breve cum illis quatuor, quæ Cenſores deſcribunt, ſtudioſè contendat, inveniet duo: alterum, in hoc fragmento brevi contineri quicquid in illis quatuor ſat prolixis reprehenditur: alterum, in hoc quædam adjici, quæ ſi falſa ſint, & vera credantur, Innocentio X. inſanabile vulnus infligunt, atque illius Conſtitutionem funditùs evertunt.

Neque verò afferri poteſt Cenſores, vel fragmentum hoc prætermiſiſſe, quod alia quatuor ſufficerent, cùm hoc unum ſufficiat, & præterea atrocitatis mirum quantum adjiciat, vel oſcitanter legiſſe Arnaldi Epiſtolam, cùm oſcitans & dormitans ſapientia inter pag. 130. & pag. 140. intercipi nequeat, vel fragmenti hujus offenſionem Arnaldo condonâſſe, cùm Arnaldus pleroſque eorum excipere voluerit, & ii ut non exciperentur in ſenatu litigaverint, & omni prenſationis genere gratiam judicum captârint. Ergo Cenſores fragmentum noſtrum deditâ operâ prætermiſerunt. Sed cùm ita prætermiſerint, rei veritate convictos fuiſſe maximè oportuit. Hoc autem cùm ita ſit, ſi quod videtur cenſurâ majori dignius in iis quæ ad propoſitionem facti pertinent, Cenſores intactum reliquerunt; alia quæ minori cenſurâ ſunt digna, intacta neceſſariò relinquere debuerunt. Si quod eſt magis vituperabile non vituperatur, quod erit minùs vituperabile minùs vituperabitur. Hoc telum, ut quis declinet, ſurſum deorſum vertat omnia, & cornicum oculos configat neceſſe eſt. Cæterùm in hac Notatione, ut apparet, duo perficiuntur: cenſura propoſitionis facti tanquam neceſſariò labefactata moles concidit, & Conſtitutioni Papæ fides & auctoritas detrahitur.

Notatio Secunda.

In Cenſuræ contextu receditur ab illo celebri Facultatis Theologicæ ritu & more, quo ſcribitur, Concorditer, Summo animorum

rum conſenſu, Repugnante nemine, pronunciatum eſſe de ſcriptis cujuſpiam judicium. Sic autem ſe habet Cenſuræ contextus: *Quibus auditis Sacra Facultas de re tota per duos menſes integros habitis ferè quotidie apud eandem Sorbonam ſolemnibus Comitiis deliberavit, & poſt accuratam diſquiſitionem, tandem decrevit priorem illam quæſtionem ſive propoſitionem*, &c. Hoc loco celebris ille Facultatis Theologicæ ritus ac mos deſideratur. Ritum porrò ac morem fuiſſe celebrem docent Cenſuræ, quæ diverſis temporibus editæ lucem aſpexerunt. Sic edita Anno Domini 1631. Cenſura, quâ libri Anglici duo percelluntur. Sic edita Anno 1611. Cenſura, quâ *Philippi Mornæi Myſterium iniquitatis* damnatur. Sic edita Anno 1610. Cenſura, quæ lata eſt contra impios & execrabiles Regum ac Principum parricidas. Sic edita Anno 1554. Cenſura, quâ inſtitutio Societatis Jeſu reprobatur. Sic edita Anno 1552. Cenſura, quâ certæ quædam Caroli Molinæi propoſitiones notantur. Sic edita Anno 1526. Cenſura, quâ Colloquiorum Eraſmi lectio prohibetur. Sic edita Anno 1521. Cenſura, quâ Lutheri dogmata profligantur. Sic edita eodem anno Cenſura, quâ certæ quædam Hieronymi Clitovæi theſes configuntur. Sic edita Anno 1512. Cenſura, quâ propoſitæ ab Eccleſia Pariſienſi quæſtiones nonnullæ afficiuntur. Sic edita Anno 1497. Cenſura, quâ propoſitæ à Carolo Rege quæſtiones afficiuntur. Sic edita circa illud tempus de maculata Virginis Conceptione Cenſura. Sic edita Anno 1429. Cenſura, quâ Joannis Sarraceni propoſitiones condemnantur. Sic edita Anno 1414. Cenſura in Joannis Parvi doctrinam de tyrannis occidendis. Hæc pauca de multis, quibus ritus ille ac mos celebris confirmatur. Et ſi quæ ſit Cenſura, Decretum, vel Deliberatio, in qua memoratæ non habeantur formulæ ex adjunctis facilè colliguntur.

Notatio Tertia.

In Cenſuræ contextu receditur ab illa conſuetudine laudabili, quâ Facultas Magiſtri unius vel alterius, vel certè paucorum diſſenſionem exprimit: ut fallatur nemo, atque ut quàm certa ſit illius determinatio cognoſcatur. Sic imprimis docet Facultatis determinatio, quæ Anno Chriſti 1250. facta eſt, & de qua Cardinalis Annibaldus apud Joannem Bediallum, in libro, De libera auctoritate audiendi Confeſſiones, ſic loquitur: *Semel requiſiti Magiſtri Pariſienſes, tam in Theologia quàm in Decretis, in hoc conſenſerunt, & ſcripto editum fuit, cui omnes prædicti Magiſtri appoſuerunt ſigilla ſua, uno excepto, qui tamen tenori literæ non contradixit, ſed ſigillum ſuum apponere noluit.* Deinde idem docet Facultatis Determinatio, quæ Anno 1490. circa oblatum ei contractum facta eſt: *Poſt gravem* (inquit)

quit) *& maturam deliberationem ſingulorum prædictorum in Theologia Magiſtrorum, viſus eſt omnibus, uno excepto, quod prædictus contractus non eſt juſtus.* Tum demum quando non omnes Magiſtri in eandem abeunt ſententiam, id curioſè notatur, ut ſua rei ad deliberandum propoſitæ veritas conſtet. Anno 1386. Lutetiæ diſputatur de loco ubi cor Regis Philippi III. humaretur: hinc Prædicatores apud ſe, inde Sandionyſiani Monachi apud ſe quoque humandum cor Regis contendunt. Quæſtio hæc à conſultis Doctoribus Theologiæ concorditer deciſa non fuit. Philippus Rex quartus pauciorum, non plurium, ſententiam eſt ſecutus. Rem accuratè tradunt Guillielmus Nangius & Joannes Victorinus. Ille in vita Philippi tertii: *De quo poſtea* (inquit) *fuit determinatum Pariſiis per plures Magiſtros Theologiæ.* Hic eadem penè verba repetit in Memoriali hiſtoriarum ad Annum 1386. *De hac diſſenſione determinatum fuit poſtea Pariſiis in ſcholis, à plurimis Magiſtris in Theologia, quod ipſum cor neque Rex, neque ipſi Monachi darent, nec prædicti Fratres ſine diſpenſatione Papæ poſſent aliquatenus retinere; regiâ tamen auctoritate prævalente, dictum cor ſepultum eſt apud Fratres Prædicatores, corpus apud Sanctum Dionyſium humatum.*

Notatio Quarta.

In negotio hujus Cenſuræ id factum eſt, quod exemplo apud Facultatem omni caret. Nuſquam enim eſt auditum, nuſquam viſum, editam fuiſſe Cenſuram, dum Magiſtrorum pars tertia repugnaret. In hac edenda Cenſura Magiſtri non erant ducenti, & ex iis ſeptuaginta duo reſtiterunt & contradixerunt, hoc eſt, adhuc pars pluſquam tertia Magiſtrorum. Hanc cenſendi novitatem expoſuiſſe, Cenſuram profligaſſe eſt. Antiquitùs in Facultate non aderant ſeptuaginta duo, cùm illa Cenſuras edidit, quæ apud omnes magno in honore ac pretio fuerunt. Una omnium inſtar erit, ea ſcilicet quæ Joannis XXII. placitum de viſione Dei notavit. Hac in re Facultas ipſa ſibi teſtis eſt in Tractatu, quem adverſùs Joannem Monteſonum compoſuit: *Item prædicta Facultas hoc licitè potuit contra Joannem ſummum Pontificem. Igitur à fortiori contra ſuum ſubditum & inferiorem. Aſſumtum patuit Joannis XXII. tempore, quia, ſicut refert Nicolaus de Lyra, in Tractatu ſuo De viſione beatifica, ferè quadraginta dictæ Facultatis concorditer determinarunt contrarium illius, quod Papa publicè aſſerebat.* Hæc ergo Cenſura, quæ tot Magiſtris repugnantibus confecta eſt, nihil unquam fidei ac virium accipiet, uſque dum illuſtri quodam Facultatis exemplo, aut certâ ratione confirmetur.

Notatio Quinta.

Hìc conficiendæ Cenſuræ modus non ſolùm in Facultate novus & inuſitatus eſt, ſed etiam

in

in Conciliis generalibus, quæ ab Eccleſia in auctoritatem admittuntur. Cùm enim de fide tractarunt Concilia, nihil unquam definierunt cui Antiſtitum pars non dicam tertia vel quarta, ſed quinta repugnavit.

Apud Socratem, fidei quæ à Nicæna Synodo conſtituta eſt, quinque tantùm Epiſcopi reſtiterunt: quapropter hic auctor Nicænæ Synodi fidem cùm à multitudine conſentientium Epiſcoporum, tum à paucitate diſſentientium commendat, l. 2. c. 5. *Hanc* (inquit) *fidem approbarunt trecenti decem & octo Epiſcopi, eique omnes aſſenſi ſunt; & uti ſcriptum eſt apud Euſebium, conſentientibus animis opinionibúſque ſubſcripſerunt, quinque ſolùm exceptis, qui hanc vocem ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantiale repudiarunt, Euſebio videlicet Nicomediæ Epiſcopo, Theognide Nicææ, Mari Chalcedonii, Theonâ Marmaricæ, Secundo Ptolemaïdis.*

Socratem Theodoretus imitatur, l. 2. hiſt. c. 5. *In numero eorum quos iſte recenſuit, & qui Ario favebant, erat Euſebius Epiſcopus Cæſareæ, Laodiceæ Theodotus, Paulinus Tyri, Anazarbi Athanaſius, Gregorius Beryti, & Ætius Lyddæ Epiſcopus.*

Deinde c. 7. *Trecenti decem & octo Epiſcopi ibi in unum convenerunt:* & poſt alia, *At quanquam maxima pars Concilii verbis ejus obtemperavit, & mutuam concordiam doctrinámque ſanam amplexata eſt; tamen pauci quidam, quorum ſuprà feci mentionem, & præter eos Menophantus Epheſius, Patrophilus Scythopolitanus, Theognius ipſius Nicææ Epiſcopus, Narciſſus Epiſcopus Neroniadis, & cum his unà Theonas Marmaritanus, & Ptolemaidis Ægyptiorum Secundus, Arii patrocinio ſuſcepto doctrinæ Apoſtolicæ contradixerunt. Quinetiam fidei formulam, quam compoſuerant, Concilio propoſuerunt, quæ ut primùm perlecta fuit, quoniam eam omnes adulterinam & commentitiam eſſe vociferabantur, illicò diſcerpta eſt: ac cùm ingens tumultus eſſet contra eos concitatus, & omnes eos ut pietatis proditores inſimularent, metu perculſi exſurrexere, atque ipſi primi omnes unà, ſolis Secundo ac Theona exceptis, Sententiam excommunicationis contra Arium pronuntiaverunt; quocirca impio illo Eccleſiâ exturbato, fidei formulâ, quæ adhuc in Eccleſiis ſervatur, communi conſenſu compoſitâ, & ſubſcriptionibus omnium confirmatâ, Concilium dimiſſum eſt.* Socrates & Theodoretus primò non diſſimulant nomina Epiſcoporum, qui à Nicæna fide diſcreparunt; deinde eos in parvo numero fuiſſe tradunt: tum in eo maximè laborant ut appareat, fidei formulam communi omnium aſſenſu conditam eſſe. Res contrario modo ſe habet in Cenſura quæ in propoſitiones duas Antonii Arnaldi lata eſt. Diſſimulantur nomina Magiſtrorum ſeptuaginta duo, qui Cenſuræ oblocuti ſunt; non dicitur Cenſura paucis Doctoribus exceptis condita fuiſſe; contemnitur communis Magiſtrorum aſſenſus. Cùm igitur Cenſura hæc con-

contrario modo ſe habeat, ac Nicænæ fidei formula, quâ ratione quis impediet, quominus contrario modo accipiatur?

Nunc expendenda eſt controverſia illa, quæ in Chalcedonenſi Concilio fuit inter Ægypti Epiſcopos decem, & reliquos Concilii Patres ſexcentos & viginti. Ex Actione quarta, *Hieracius, reverendiſſimus Epiſcopus Ægypti, & cæteri reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptii, per eundem Hieracum dixerunt: Si quis præter iſta quæ à nobis in petitionibus porrecta ſunt, ſapit, ſive Eutiches, ſive alter aliquis, anathema ſit. De epiſtola autem ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Archiepiſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in omnibus expectamus ſententiam ſanctiſſimi Archiepiſcopi, & petimus Veſtram Clementiam expectare Præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur. Nam & ſanctiſſimi Patres, qui in Nicæa congregati ſunt* 318. *hanc regulam dederunt, & ut ſequatur omnis Ægyptiaca regio Archiepiſcopum magni nominis civitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubjacente Epiſcopo. Euſebius reverendiſſimus Epiſcopus Dorylæi dixit: Mentiuntur.*

Et poſt alia, cùm urgerentur Epiſtolæ Leonis ſubſcribere, *Reverendiſſimi Epiſcopi Ægypti clamaverunt: Extra voluntatem Archiepiſcopi noſtri non poſſumus ſubſcribere. Acacius reverendiſſimus Epiſcopus Ariarathiæ dixit: Inongruum eſt univerſalem Synodum prætermittere, & in unam perſonam attendere, quæ ſuſceptura eſt Epiſcopatum Alexandriæ magnæ civitatis.* Et poſt pauca: *Petimus ut non eis concedatur, ſed aut conſentiant epiſtolæ, aut regularem damnationem ſuſcipiant, & cognoſcant quia excommunicati ſunt.* Et poſt alia: *Quia verò Epiſcopi noſtræ regionis nimis multi ſunt, non poſſumus pauci numero illorum perſonas ſuſcipere. Petimus autem veſtram ſublimitatem, & hanc ſanctam & magnam Synodum, ut miſereamini nobis, & expectetis noſtrum Archiepiſcopum, ut ſecundùm antiquam conſuetudinem illius ſequamur ſententiam. Quòd ſi extra voluntatem Præſidis noſtri aliquid faciemus, ſicut præſumptores, & non ſervantes, ſecundùm canones antiquam conſuetudinem, omnes Ægyptiacæ Regiones inſurgent in nos.* Et poſt alia: *Cecropius reverendiſſimus Epiſcopus Sebaſtropolis dixit: Univerſalis hæc Synodus Ægyptiacâ (regione) major eſt, ac fide dignior, & non eſt juſtum decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos Epiſcopos.* Et poſt alia, *Euſebius reverendiſſimus Epiſcopus Dorylæi dixit: Procuratores ſunt iſti omnium Ægyptiorum, & debent univerſalem Synodum ſequi. Lucentius reverendiſſimus Epiſcopus Vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Si errant doceantur per veſtram magnificentiam, quia non poſſunt decem homines præjudicium facere Synodi ſexcentorum Epiſcoporum, nec Catholicæ fidei. Reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptii clamaverunt occidimur, miſeremini noſtri.* Et poſt alia: *Fiat hîc Archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſen-*

conſentimus. Miſeremini canonum noſtrorum. Detur hic Archiepiſcopus Anatolius, quia talis conſuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit, ut omnes Epiſcopi obediant Archiepiſcopo, non quia non obtemperamus Synodo, ſed quia occidemur in patria. Miſeremini noſtri. Et poſt alia: *Novit conſuetudinem Archiepiſcopus Anatolius. Hic ſumus uſque dum fiat Archiepiſcopus.* Et poſt alia: *Date Archiepiſcopum, & ſi contradixerimus, punite nos. Conſentimus his quæ decreverit poteſtas veſtra, non contradicimus. Sed eligite Epiſcopum: hic expectamus uſque dum ordinetur. Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Subſcribant damnationi Dioſcori. Judices & Senatus dixerunt: Quoniam reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum, non ut repugnantes Catholicæ fidei ſubſcribere in præſenti diſtulerunt epiſtolæ ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis, ſed dicentes conſuetudinem eſſe in Ægyptiaca regione, extra ſententiam & juſſionem Archiepiſcopi nihil tale ſe poſſe; poſcunt autem ſuſtineri ſe, donec conſecretur Epiſcopus, qui ordinandus eſt magnæ civitati Alexandriæ, rationabile nobis ac clemens apparuit eſſe, ut in eodem habitu expectent in regia civitate, & dilationem habeant uſque ad Ordinationem Archiepiſcopi magnæ civitatis Alexandriæ. Paſchaſinus reverendiſſimus Epiſcopus, Vicarius Apoſtolicæ Sedis, dixit: Si præceperit gloria veſtra, & jubetis illis aliquid præſtari humanitatis, fidejuſſoribus datis, non exeant de iſta civitate quamdiu Alexandriæ Epiſcopum accipiat. Judices & Senatus dixerunt: Sanctiſſimi Paſchaſini ſit firmum judicium: unde permanentes in proprio habitu reverendiſſimi Epiſcopi Ægyptiorum; aut dent fidejuſſores, ſi hoc eſt illis poſſibile, aut per Sacramentum eis credatur, quia expectant Ordinationem futuri Epiſcopi magnæ civitatis Alexandriæ.*

Ex his quæ paulò longiora deſcripſi, perſpicuè conſtat, ſynodi partem majorem minori, id eſt, ſexcentos viginti Epiſcopos ceſſiſſe decem Epiſcopis, qui non ante voluerunt Epiſtolæ Leonis & damnationi Dioſcori ſubſcribere, quàm Epiſcopus Alexandriæ conſtitueretur. Ægypti duntaxat veterem afferebant conſuetudinem; quæ quamvis initio penè rejiceretur ab omnibus, ea nihilominus tandem effecit, ut quod enixè poſtulabant, obtinuerint. Sic Concilii pars minor majori cum ratione obſtitit, & major minori cum eadem ratione conſenſit. Hæc eſt igitur Concilii perſuaſio, ut in iis potiſſimùm quæ ad fidem pertinent, communis omnium aſſenſus requiratur.

Huc accedit Vigilius Papa in Epiſtola, quam Italiæ Clerici Legatis Francorum Conſtantinopolim euntibus dederunt: *Et quamvis nec hoc quod Papa fecerat acquieverunt Afri & Illyriciani, atque Dalmatæ Sacerdotes recipere; tamen cœpit iterum ſæpè dictus Beatiſſimus Papa Vigilius ad hoc compelli, ut abſolute ipſa capitula ſine Synodi Chalcedonenſis mentione damnaret: Sed Papa non acquieſcent*

tens hoc facere, & videns ſe nimiùm ingravari, dixit tunc ſereniſſimo Principi: Veniant huc Fratres noſtri ex omnibus Provinciis, quini aut ſeni Epiſcopi, & quicquid ſub tranquillitate, tractatu habito, omnibus viſum fuerit, cum pace diſponemus. Quia ſine conſenſu omnium iſta, quæ & Synodum Chalcedonenſem in dubium venire faciunt, & ſcandalum Fratribus meis generant, ſolus facere nullatenus acquieſcam. Notentur hæc duo quæ Vigilius inculcat, *Quod omnibus viſum fuerit cum pace diſponemus: Sine conſenſu omnium ſolus facere*, quæ volebat Juſtinianus, *nullatenus acquieſcam.* Sed perſuaſio ejuſmodi, & Papæ Vigilii commonitorium defuit iis, qui Magiſtri cùm adhuc non eſſent numero ducenti, Cenſuram Magiſtris ſeptuaginta duobus invitis & repugnantibus condiderunt; qui autem in condendis ejuſmodi cenſuris ad Synodorum & Patrum regulam non ſapiunt, eos admodum ſapere, & quæ determinant cordatis atque eruditis hominibus arridere, atque ætatem ferre poſſe, quis probaret? Quicquid id eſt Cenſura lucenti in duabus Synodis univerſalibus Soli non priùs opponetur, quàm ad exitium uſque lædatur.

Notatio Sexta.

Qui Magiſtrorum numerus in Cenſuram ruit, id obſervare neglexit, quod non ſolùm Facultas Theologiæ, ſed & conſeſſus omnis, ſive ſacer ſive profanus, ſemper obſervavit. Qui Magiſtri vel Judices pronunciant, comitiis quæ ſuper uno & eodem negotio celebrantur, univerſis interſunt, nec pronunciarent niſi priùs ab initio ad finem uſque interfuiſſent. Debet alter alterius audire ſententiam, & collatis inter ſe conſiliis & rationibus, tum demùm perſpicere quid bene atque è republica ſtabiliendum ſit. Hunc tractandi modum aſſerit communis naturæ ſenſus, quotidianus confirmat uſus, & docet inſita & quaſi conſignata notio in animis hominum, etiam gẽtium immanitate barbararum. In hunc tractandi modum egregius eſt Vigilius Pontifex, in ſuo de tribus Capitulis Conſtituto, cujus fragmentum aliquod huic Notationi ſubjiciam. At verò è Magiſtris uni non comitiis cunctis, ſed aliquibus duntaxat interfuerunt: alii tardiùs ad ea venerunt: quidam ſat citò, ſed dictâ ſtatim ſententiâ foràs exiverunt, atque unde profecti erant, reverterunt. Non admodum multi ab initio uſque ad finem Comitiis omnibus adfuerunt. Quomodo perfectum eſt, ut numerarentur, non ponderarentur voces, contrà quàm in omni doctrinæ judicio fieri oportet. Nam diligenter videndum eſt, utrùm voces Scripturâ & Traditione, duobus Theologiæ veræ principiis, nitantur. Quod niſi perfectè nitantur, incertæ ſunt & caducæ, nec ad aſſerendam in religione veritatem conducunt. Nam, ut ait Joannes Roffenſis in Anglia

 martyr;

martyr: *Qui rationes invalidas & ineſſicaces affert, perinde eſt ac ſi nullas attuliſſet: imò longè fuiſſet ei ſatius nullas adduxiſſe. Qui ſuam opinionem rationibus munit, quæ palàm ſunt invalidæ, nulliúſque extant roboris, profectò ſeipſum prodit hallucinatum fuiſſe, atque fallacibus inductum rationibus, ut ita opinaretur. Suumque ita errorem ipſe manifeſtum facit, quando cunctis apertiſſimè liquet, eam omni ſolidâ carere baſi.* Quæ ſpectant ad fidem noſtram, ea nequaquam ex humana voluntate pendent. Quis enim ex aſſertione quæ falſa ſit vel hæretica, veram vel catholicam; quis ex aſſertione quæ vera ſit aut catholica, falſam aut hæreticam efficiet? Ne mundus quidem totus id efficiet unquam. Memini cùm à Pariſienſi Epiſcopo & Inquiſitore fidei damnatum eſt Joannis Parvi dogma, Magiſtros ſigillatim conveniſſe apud Officialem, & quid de eo ſentirent depoſuiſſe. Sed imprimis jurati ſua ſcripto ſuffragia reliquerunt, quæ ita inter ſe conferri, & aurificis ſtaterâ, non populari trutinâ examinari poterant. Deinde ad conſultationem tantùm vocabantur ab iis, qui poſtea ut judices pronunciarunt. Sed in Cenſura propoſitionum Arnaldi res aliter ſe habuit. Doctores qui velut deſultorii incurrerunt in Comitia, nec pro more antiquo jurati erant, nec ſuas ſcripto ſententias reliquerunt, nec ad conſulendum tantùm, ſed etiam ad judicandum venerunt. Quod diſcriminis genus impedit, quominus ex facto tali delatrix Cenſuræ notatio hæc noſtra repellatur. Quærendum eſt aliud præſidium, quo Cenſura ab iſta pernicie ſe defendat. Expecto uſque dum inventum fuerit, atque id perfecerit, quod perfici ſummopere optarem. Reliquum eſt ut Vigilii locum deſcribam: *His igitur diſpoſitis, optavimus quidem, venerabilis Imperator, ſicut frequentiſſimè ſupplici prece popoſcimus, eundem ad quemlibet Italiæ locum, aut certè ad Siciliam, & convocatis ad nos Africanæ, & aliarum Provinciarum Latinæ linguæ Sacerdotibus, vel Eccleſiæ noſtræ ſacratis ordinibus, ſecundùm conſuetudinem tractaremus, & de quæſtionibus trium Capitulorum pietati veſtræ redderemus plenâ deliberatione reſponſum: quod quia fieri Serenitas Veſtra non annuit, hoc iterum noſcitur conſtitutum, ut oblatis à nobis Manſuetudini Veſtræ nominibus de ſupradictis Provinciis, qui nobiſcum ad tractandum adhiberentur, Antiſtites Clementia Veſtra faciat advenire: cui diſpoſitioni item præbuimus Eccleſiaſticæ pacis amore conſenſum. Poſtea verò hoc magis cum conſenſu Fratrum noſtrorum, noſtrarum partium Epiſcoporum, nuper ante ſanctum Paſchæ diem Pietas Veſtra conſtituit, ut exæquato numero his Pontificibus, qui in Conſtantinopolitana urbe præſentes ſunt, de tribus Capitulis ex quibus quæſtio vertitur, ſecundùm ſuperiùs deſignatam Fratrum noſtrorum Epiſcoporum profeſſionem deberemus inire tractatum. Sed quia, dum ea quæ pro conſervanda Eccleſiarum pace cum Fratribus noſtris*

noſtris fieri, veſtrâ diſpoſitione convenerant, feſtinaremus implere, ut adhibitâ ſalubri deliberatione communiter, & propter informandam univerſalem Eccleſiam, cunctis quæ inter nos geruntur in ſcriptis deductis atque jacentibus, noſtrum ex his collectum de tribus Capitulis in quæſtionem deductis judicium proveniret: continuò Pietas Veſtra poſt illud volumen, quod nobis antè multos Paſchæ dies, per virum magnificum Theodorum Decurionem palatii deſtinavit, in quo vos interim quid de tribus Capitulis ſentiretis exponentes, noſtrum poſcitis dari ex eadem cauſa reſponſum. Ideòque, cùm Fratres noſtri neque exæquato nobiſcum numero reſidere, neque in ſcriptum quæ ageremus vel tractaremus redigi paterentur, tamquam, quod abſit, non convenientia rectitudini loqueremur, quæ ſcribere timeremus. Et poſt alia: *Propoſitis itaque nobis & diligenter inſpectis, in quantum uniuſcujuſque Capituli in quæſtionem deducti ratio poſtulabat, Synodalibus codicibus atque geſtis prolatis, quæ aliis eorundem Patrum, vel in ſanctis quatuor Synodis, aut in una earum reſediſſe monſtrantur, ſynodalibus epiſtolis inſpectis, nihilominùs Prædeceſſorum noſtrorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum Conſtitutis, aliiſque probatorum Patrum neceſſariis inſtructionibus pertractatis, ſi qua de his, quæ in quæſtionem deducta ſunt, apud Patres noſtros examinata fuerint, finita atque diſpoſita, memores ſuperiùs deſignatarum profeſſionum inveſtigare curavimus.*

Notatio Septima.

Cenſura propoſitionis alicujus, à Facultate celebri legitimè facta, locus eſt Theologicus, unde recta quædam comparatur ratio, quâ ſi non omnes, certè Facultatis illius alumni tenentur. At locus talis non eſt cenſura quælibet, ſed ea tantùm quæ communi Magiſtrorum omnium conſenſu decernitur. Hanc quæſtionem ita definiunt, qui de argumentorum in Theologia ſedibus tractarunt. Melchior Canus, qui Concilio Tridentino interfuit, l. 8. de locis c. 4. concluſione 6. *Theologorum Scholaſticorum etiam multorum teſtimonium, ſi alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipſorum, vel gravior etiam auctoritas comprobavit: videlicet in ſcholaſtica diſputatione plurium auctoritas obruere Theologum non debet; ſed ſi paucos viros modò graves ſecum habet, poterit ſanè adversùs ſtare. Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere. Hanc concluſionem probare argumentis non debeo. Nam ſi quid eſt accidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari non ſoleo. Perſpicuitas enim (ut ait Cicero) argumentatione elevatur. Certè ubi variæ ſunt doctiſſimorum hominum, diſcrepanteſque ſententiæ, Academicorum temperamentum imitari, & à rebus incertis certam aſſenſionem cohibere debemus. Quid enim eſt tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantiâ, ut idem*

Cicero elegantiſſimè tradit, quàm quod non ſatis exploratè perſpectum ſit & cognitum, id ſine ulla dubitatione defendere? Quo loco ſanè arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum quas in ſchola acceperunt prajudiciis, viros aliàs catholicos, notis gravioribus inurunt; idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur. Nobis autem ſchola noſtra magnam quidem licentiam dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere; ſed non licet tamen eos, qui nobis ſunt adverſi, temerè ac leviter condemnare.

Quod auctor de auctoritate Scholaſticorum hìc concludit, Id. l. 7. c. 3. de ſanctorum Patrum auctoritate concluſerat: *Plurium* (inquit) *Sanctorum auctoritas, reliquis licèt paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo ſufficere & præſtare non valet.*

Dominicus Bannez in ſecundam partem qu. 1. art. 8. dub. 3. concl. 1. *Auctoritas Theologorum Scholaſticorum, etiam multorum, quando in contrarium ſunt viri docti, non plus valet quàm vel ratio ipſorum, vel aliquod teſtimonium Scripturæ comprobavit. Hæc concluſio manifeſta eſt, quoniam quando duæ ſunt opiniones inter ſe pugnantes, quarum qualibet rationibus nititur probabilibus, & argumenta adverſariorum ſolvit, habetque defenſores viros doctos, non eſt cur huic aut illi parti pertinaciter quis adhæreat, propter aliquorum auctoritatem; ſed ponderandæ ſunt rationes, & ſecundùm vires earum huic aut illi parti fides adhibenda eſt. Nec intereſt quod plures in unam partem inclinent, ſi pauci graves & docti oppoſitum ſentiant. Non enim numero hæc judicanda ſunt, ſed ponderе. Undè meritò reprehendendi ſunt aliqui Theologi, qui opinionibus propriis, vel etiam aliorum, nimis adhærentes, ſtatim contraria dogmata præcipiti quâdam ſententiâ, abſque ſufficientibus rationibus damnant, atque omnia quæ eorum judicio non conſonant, gravioribus cenſuris inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò irrideantur.*

Chriſtophorus Gillius l. 1. t. 7. de locis c. 13. n. 2. *Dico primò, quando inter ipſos Doctores, ſive ſacros, ſive Scholaſticos, ſive Juriſperitos, eſt controverſia; ita ut ex utraque parte ſint auctores probabiles, non ſumitur certum argumentum Theologicum, ſed tantùm probabile: & conveniunt communiter Doctores. Fundamentum eſt, quoniam ubi ejuſdem Facultatis periti diſſident, ſignum eſt non eſſe evidentem conſequentiam ex principiis illius: ideóque quando Doctores catholici diſſident circa materiam Theologicam, non ſunt evidentia ac certa teſtimonia, ſeu principia fidei, quibus alterutra opinio nitatur, atque adeò tota res eſt reducenda ad rationem & auctoritatem humanam. Quæ ſola non eſt certum argumentum Theologicum, ſed ſola vis probabilitatis erit in ea ſententia ex auctoritate humana fallibili, quæ eo major aut minor erit, quo doctores qui alteram ſequuntur partem, plures ac graviores fuerint. Non enim ſolo numero res expendenda eſt: fieri enim poterit ut pauciores, ſi ſinguli*

ſinguli magnæ auctoritatis ſint, reddant ſententiam probabiliorem oppoſitâ, quam plures ſequuntur.

Imprimis igitur omnes è ſchola Theologi in eo concordant, ut velint argumentum inde non ſumi Theologicum, quando illi ipſimet in una & eadem tractanda materia diſſident, & ſecum diſcordant. Deinde in eo quoque conveniunt, quòd in definienda Theologiæ materia non tam ſpectandus ſit Doctorum numerus, quàm pondus rationum quibus Doctores utuntur. Undè accidit, ut cum Theologorum cœtus ad determinandum aliquid aggreditur, expoſitus non ſit iis incommodis, quibus ſecularium judicum conſeſſus exponitur, quod Plinius Junior conqueritur l. 2. ep. 12. *Præterea, quid publicè minùs aut congruens aut decorum, notatum à Senatu in Senatu ſedere, ipſiſque illis à quibus ſit notatus æquari? Summotum à Proconſulatu, quia ſe in Legatione turpiter geſſerat, de Proconſulibus judicare, damnatumque ſordium, vel damnare alios vel abſolvere? Sed hoc pluribus viſum eſt. Numerantur enim ſententiæ, non ponderantur, nec aliud in publico Concilio poteſt fieri, in quo nihil eſt tam inæquale, quàm æqualitas ipſa. Nam cùm ſit impar prudentia, par omnium jus eſt.*

Hoc profanum cacoethes non agnoſcit Theologorum ordo, apud quem tum demùm ratum habetur, quod rationum pondus habet, non quod pluribus placet. Sic enim Canus l. 8. c. 4. concl. 2. pronuntiat: *Ex auctorum omnium Scholaſticorum communi ſententiâ, in re quidem gravi, uſque adeò probabilia ſumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium ſit.*

Deinde concl. 3. *Concordem omnium Theologorum ſcholæ de fide aut moribus ſententiam contradicere, ſi hæreſis non eſt, at hæreſi proximum eſt.*

Dominicus Bannez loco citato concl. 2. *Quando in aliqua ſententia circa rem gravem communiter Scholaſtici conveniunt, argumentum faciunt adeò probabile, ut illis contradicere temerarium valde ſit.* Et quibuſdam interpoſitis: *Circa hanc concluſionem & ſequentem animadvertendum eſt, quòd quando omnes ferè Theologi conveniunt, licèt unus aut alter ab aliorum ſententia diſcrepet, nihilominus communis illa opinio in ſuo manet robore, niſi fortè ille unus tantæ eſſet auctoritatis, vel probationes adeò validas induceret, ut ejus judicium pluribus aliis æquivaleret.* Deinde concl. 3. *Concors omnium Theologorum ſententia de doctrina fidei aut morum, adeò firmum facit argumentum, ut contrarium ſentire ſit error in fide, aut errori proximum.*

Chriſtophorus Gillius loco jam laudato n. 7. *Dixerim itaque imprimis, Theologos de communi conſenſu aſſerentes aliquid, tanquam ad fidem pertinens, non reddere ex ſe propoſitionem infallibiliter veram, quaſi ipſi ſint menſura infallibilis veritatis. Dixerim ſecundò, moraliter loquendo, ex vi teſtificationis ſuæ prælere graviſſimum argumentum fidei, non tamen omnino infallibile, aut logicè loquendo certum; ſenſus*

eſt, cùm Theologi omnes ſententiam aliquam tanquam fidei dogma proponunt, ex vi hujus teſtificationis ſumi argumentum non logicè ſed moraliter certum. Hic auctor mente quidem & reipſa cum Banne & Cano conſentit, licèt videatur ab iis voce atque explicandi modo diſſentire.

His porrò Doctoribus præluxit Facultas Theologiæ Pariſienſis, cùm anno Chriſti 1387. ſcripſit, *Doctrinalem determinationem per totam Facultatem concorditer factam debere multùm reputari.* Id eſt, argumentum efficere, cui ſine temeritatis vel erroris nota contradici nequeat. Interea tamen indicat, doctrinalem determinationem quæ non eſt facta concorditer, non debere multùm reputari, id eſt, argumentum non efficere niſi probabile, cui ſine temeritatis vel erroris nota contradici poteſt.

His autem ita conſtitutis, dubium nullum eſt, quin ea cenſura quæ invitis & renitentibus Magiſtris ſeptuaginta duobus edita eſt, ſcholam Theologorum oppugnet univerſam, à doctrina locorum Theologicorum enormiter deficiat, libertatémque ſcholæ publicam offendat tantum & labefactet, quantum offendere & labefactare poſſit. Quare non ſatis perſpicio, & devinctum me tenebit, qui efficiet ut perſpiciam, quomodo auctores Cenſuræ propoſitionum duarum Arnaldi non incurrant in reprehenſionem, quam apud Canum & Bannem incurrunt, qui audent concordi Doctorum è ſchola omnium ſententiæ repugnare.

Notatio Octava.

Inter Magiſtros Cenſuræ prædictæ conditores fuerunt, qui vel ab Arnaldo ſcriptis priùs laceſſiti ſunt, vel cum Arnaldo inimicitias exercuerunt: quod certum atque exploratum habetur. Utrùm verò hi poſſint eſſe idonei de adverſario judices, conſulendus eſt beatus Auguſtinus, qui quos Juliano Patres opponit, eos excipi non poſſe, ſic contendit l. 2. contra eundem c. 10. *Verùm etſi tales non fuerunt in his cauſis, quas ad ſe delatas, & inter partes cognitas cùm hic viverent, ſuo judicio finierunt, ad hanc tamen cauſam tales erant, quando de illa ſententias tulerunt. Nullas nobiſcum vel vobiſcum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, neque nobis neque vobis irati ſunt, neque nos neque vos miſerati ſunt.*

Et quibuſdam interpoſitis, docet quâ ratione audienda & retinenda ſit adverſariorum de adverſariis ſententia: *Si veſtra conſideretur paucitas, multi ſunt: ſi multitudo catholicorum Epiſcoporum, perpauci ſunt; ex quibus Papam Innocentium & Presbyterum Hieronymum retrahere fortaſſe tentabis: iſtum, inquam, quia Pelagium Cœleſtiúmque damnavit; illum, quia in Oriente contra Pelagium catholicam fidem piâ intentione defendit. Sed lege quæ dicat in laudem beatiſſimi Papæ Innocentii Pelagius, & vide utrum facilè poſſis judices invenire. De illo autem ſancto Presbytero, qui ſecundum gratiam quæ data eſt*

ei, ſic in Eccleſia laboravit, ut eruditionem catholicam multùm in Latina lingua, multis & neceſſariis literis adjuvaret, non ſolet Pelagius jactitare, niſi quòd ei tanquam æmulo inviderit. Sed nolo ex hoc tibi videatur de iſtorum judicum numero retrahendus. Non enim ejus ſententiam poſui, quam tempore inimicitiarum contra veſtrum tenuit & defendit errorem, ſed quam poſuit in ſcriptis ſuis, liber ab omni ſtudio partium, antequam veſtra damnabilia dogmata pullularent.

Auditur ergò & retinetur Innocentii de Juliano ſectatore Pelagii ſententia, quia Pelagius Juliani magiſter Innocentium laudaverat; & niſi laudaſſet, Auguſtinus ſatis innuit, à ſe neç auditum iri nec retentum Innocentii de Juliani doctrina ſententiam. Quod confirmatur ex modo quem Pater æquiſſimus inſumit, ut Hieronymi de Juliano ſententiam retineat: *Ego* (inquit) *ſententiam poſui, quam liber ab omni ſtudio partium tenuit; non poſui ſententiam quam tempore inimicitiarum contra veſtrum defendit errorem.*

Inimicitiarum tempus appellat illud, quo adversùs Pelagium & Celeſtium ſcripſerat. Non ignoro diei à quibuſdam, exceptioni locum eſſe cùm de perſonis agitur, ſed non eſſe quando de perſonarum doctrina tractatur. Hanc diſtinctionem Auguſtinus proximè confixit, eáque ſponte ſua diſſilit. Quæ enim ratio facit ut inimicus de inimici perſona non judicet, ea quoque facit ut inimicus de inimici doctrina judicare non poſſit: quaſi verò ulciſcendi cupiditas, quæ in inimico præſumitur, & partium ſtudia tantùm arderent, cùm inimici perſona judicanda eſt, ſed ſtatim extinguerentur, cum inimici doctrina judicanda foret. Bardos ac ſtipites habent homines, quibus hanc inſulſitatem perſuaderi poſſe velint. Præterea, diſtinctio hæc ſicubi valet & admittitur, in judicio quod de rebus fidei ac morum pronunciatur non valet, nec admitti debet. Nam ſtatim atque perſonæ doctrina catholicæ fidei & bonis moribus contraria judicatur, perſona in mortis vel exilii diſcrimen adducitur. Faceſſat igitur hæc diſtinctio, quam in Theologorum conſeſſum intulit, non quærendæ vel aſſerendæ veritatis amor, ſed ulciſcendæ injuriæ libido. Et certè neſcio, an homo verè pius fugientem diſtinctionem retinere vellet.

Notatio Nona.

Fingamus ea quæ Petrus Alliacus ex Seneca retulit in Oratione, quam Avenione contra Joannem Monteſonum, Pariſienſis Academiæ nomine, coram Clemente ſeptimo inſtituit, in determinatione Theologica locum habere: *In hac* (inquit) *cauſa, juxta Senecæ ſententiam, non quis dicit, ſed quid dicit; nec quis proſequitur aut petit, ſed quàm juſtum ſit id quod proſequitur aut petit, inſpiciendum eſt*: non vide-

mus quid ii dixerint, quos tanquam ſibi inimicos Arnaldus recuſare tentavit. Curandum iis fuit magnopere, ut ulciſcendi adverſarii ſuſpicionem à ſe removerent, nec ut removerent aliter fieri potuit, quàm ſi rationes ſuas, ſed efficaciſſimas, ſed ad proſcribendam Arnaldi doctrinam idoneas, literis mandarent. Tunc, non qui dicerent, ſed quæ dicerent, ab omnibus inſpiceretur. Conſilio Senecæ non paruerunt. Videmus quidem qui dixerint, ſed quæ dixerint, non videmus. In his circumſtantiis neceſſariò videnda fuerunt rationum momenta quibus, quæ Arnaldi propoſitionibus notæ inuruntur, meritò inuri probarentur. Præter generalem probationis iſtiuſmodi neceſſitatem, quam Cenſoribus ineſſe, & quam per beatum Petrum iis fuiſſe impoſitam Facultas non ſemel agnoſcit, ſpecialis quædam Arnaldi adverſariis incumbit. Huic autem rei qui reſiſtunt, patrono ſuo Senecæ reſiſtunt. Quin etiam odii, invidiæ, ultionis ſuſpicionem in ſe graviſſimam reſidere patiuntur. Hanc neceſſitatem impoſitam ſibi ſenſit unus ex iis Magiſtris, quos Arnaldus recuſare voluit. Is eſt Joannes Nicolai, Dominicani Ordinis Profeſſor, qui ſuum de Propoſitione Juris judicium ſeu Cenſorium ſuffragium publicavit. Involutus eſt ac ſalebroſus commentarius, in quo probra & contumeliæ paſſim occupant ſedem Theologicarum rationum. Pretioſi nihil è Scripturis & Traditione, accerſiti nihil habet, quo cenſorium ſuffragium confirmetur. Aliud eſt, judicare propoſitionem hæreticam eſſe; aliud, afferre momenta quibus hæretica probetur. Quare ſi quis commentarium hunc legat & intelligat, non eſt enim intellectu facilis, nunquam perſuadebitur aſſertionem, quæ ab illo hæretica cenſetur, hæreticam jure cenſendam eſſe. Ad me quod attinet, ſi quem ad Cenſuræ odium & contemtum excitare vellem, ei duntaxat conſulerem, ut horas aliquot in perlegendo tali commentario collocaret. Propoſitionem facti intactam reliquit, ratus fortaſſe eam non eſſe dignam, quæ inuſtas ab aliis notas ſuſciperet.

Notatio Decima.

Notatione octava viſum eſt doctores illos, quorum judicium detractare voluit Arnaldus, diſtinctionem oppoſuiſſe, quâ contendebant inimicos de inimicorum doctrina judicare poſſe, quamvis de perſona judicare non poſſent; ſed ii, poſtquam de adverſarii doctrina pronunciarunt, ſpretâ conſcientiæ religione de perſona pronuntiare ſunt auſi. Tam immanis & cæca fuit ulciſcendæ injuriæ cupiditas, ut ſibi à tali facinore temperare non valuerint, nec Dei nec hominum de ſe judicium reformidarint: & tamen certiſſimum eſt, in eo jura omnia divina & humana ſubverti. Sed cùm ita ſubvertuntur,

Cenſu-

Cenſuram quoque ſubverti neceſſe eſt.

Notatio Undecima.

Antonius Arnaldus, ut Cenſuræ verba ipſa declarant, abſens damnatur & à gradu Magiſterii dejicitur, ante quàm ſemel, iterum, & tertiò, per Facultatis Actuarium monitus & advocatus fuerit. Quo in loco ubi humanitas viget, quo in foro, quo in Senatu, damnatus fuit unquam, etiam Majeſtatis reus, quin priùs voce præconis ter accerſitus comparere noluerit? Nonne capitalium judiciorum forma hæc præſcribitur? Nonne ſacri Canones eum qui damnandus eſt, ter quoque advocandum eſſe præcipiunt? Nonne Pariſienſis Academia, dum alumnos ſuos corrigit, ſancitas jure civili & eccleſiaſtico monitiones obſervat? Obſervat enimverò, & præſtat audire quid Petrus Alliacus Academiæ orator, ea ſuper re Avenione, in Conſiſtorio Cardinalium dixerit adversùs Monteſonum: *Septimum eſt* (inquit) *quòd poſtquàm Univerſitas & Facultas antedictæ, quod potuerant & debuerant, quantum in ipſis erat, perfecerant, poſtea nunciaverunt hæc reverendo in Chriſto Dom. Epiſc. Pariſienſi, Judici ordinario in hac parte, & præſentatâ eidem ſchedulâ Facultatis prædictæ ſibi, prout in ſimilibus caſibus fieri ſolitum eſt, requirendo ſupplicaverunt, quatenus ſuper his vellet judicialiter procedere. Octavum eſt, quòd ad hanc inſtantiam & Requeſtam dictus Pariſienſis Epiſcopus præcepit, & præcipiendo mandavit, nè prædictus Frater, qui adhuc Pariſiis præſens erat, ab inde recederet, ſed ad certam diem tunc aſſignatam perſonaliter compareret, reſponſurus in aula Epiſcopali, & coram dicto Epiſcopo, ſuper his quæ objicerentur eidem. Qui ſic judicialiter evocatus, per ſe aut per alium nullatenus ſufficienter comparuit: ideóque pro prima vice contumaciæ pœnam incurrit. Nonum eſt, quòd iterum bina vice, interpoſito debito temporis ſpatio, dictus Frater citatus fuit, nec comparuit: & ſic tertiò contumax reputatus eſt, & excommunicatus. Decimum eſt, quòd licèt his attentis idem Epiſcopus potuiſſet contra eum proferre ſententiam, tamen adhuc quarta vice de ſuperabundanti præfato reo aliam diætam aſſignavit.* Cenſura ergò illa ſtare non poteſt, in qua politicæ leges & & eccleſiaſtici Canones violantur.

Notatio Duodecima.

Cenſura ſic exarata eſt, ut ab universa Facultate Theologiæ proceſſiſſe videatur: *Quibus auditis Sacra Facultas, de re tota per duos menſes integros habitis fere quotidie apud eandem Sorbonam ſolennibus comitiis, deliberavit, & poſt accuratam diſquiſitionem eandem decrevit.* Hæc indefinita propoſitio, *Sacra Facultas deliberavit, decrevit*, æquipollet univerſali. Hoc autem à rei veritate mirum quantum abhorret. Nam inter Magiſtros qui Cenſuræ interfuerunt, ſeptua-

ſeptuaginta duo contra dixere. Verùm ut id quod res eſt memoriæ proderetur, ſcribendum fuit: Quibus auditis, Facultatis pars major deliberavit, decrevit. Non eſt autem ſcriptum quod verè ſcribendum fuit, nè cognoſceretur quod neceſſariò cognoſci oportuit, Cenſuram nempe factam non eſſe concorditer. Hoc enim ſi ſemel cognoſcitur, auctoritas Cenſuræ in auras evaneſcit. Quod cùm perſpicerent qui Cenſuram digeſſerunt, indefinitâ oratione ſunt uſi, ut lectores piâ & religioſâ calliditate circumvenirent. Sed cùm ab aliis, tum maximè à Theologis dicenda ſunt cum veritate, quæ veritas ipſa geſſit, nec Chriſtiana pietas eſt, quæ veritate careat. Cùm igitur certo certius eſt in Cenſura ſimplicitatem illam eminentiſſimam, quæ Chriſtianos decet homines, deſiderari, rei quoque benè geſtæ auctoritas deſideratur.

Notatio Decima-tertia.

Qui Cenſuram affectarunt, cùm viderent eam non eſſe decretam concorditer, occupatâ Facultatis dominatione ſtatuerunt, ut qui vel Cenſuræ reſtiterant, vel à cœtu Magiſtrorum aberant, ii conſentirent ac ſubſcriberent; alioquin malè cum ipſis ageretur. Adſcribo verba: *Sacra Facultas decrevit neminem poſt hac, aut è Doctoribus ad comitia, & alia qualibet jura ad ipſam pertinentia, aut e Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, ſive ad Diſputandum, ſive adReſpondendum, aut è Theologiæ Candidatis ad Supplicandum, ut vocant, pro primo curſu, vel de Tentativa reſpondendum admiſſum iri, niſi antè huic quoque Cenſuræ ſubſcripſerit.*

At in Facultate Cenſura nulla unquam uſque adeò proviſa & præcauta fuit, etiamſi ſummo omnium conſenſu ederetur. Lata adversùs Lutheri aſſertiones Cenſura ſic præcavetur: *Facultas omnibus tam Magiſtris quàm Baccalaureis, & in Theologia ſtudentibus, & futuris inhibet, nè contrarium præfatæ determinationi docere aut prædicare præſumant, ſub pœna privationis & rejectionis ab eadem Facultate.*

Hic Facultas non præcipit, ut Magiſtri & Baccalaurei Cenſuræ ſeu determinationi ſubſcribant, ſed tantùm ut contrarium minimè doceant aut prædicent; alioquin à Facultate reſecabuntur. Articuli quos Facultas Anno 1542. condidit adversùs hæreſes illius temporis, ſic præcaventur: *Inhibet Theologorum Facultas iis, qui de gremio ſuo ſunt, Magiſtris, Baccalaureis, ac cæteris gradum Theologicum nunc & impoſterum profiteri volentibus, nè quocunque pacto ſupradictis propoſitionibus contraria aut in concionibus prædicent, aut in lectionibus vel alii doceant: quin potiùs ubi ſe materia & occaſio offeret, eas populo ſincerè annuntient, & apertè declarent. Porrò etiam decrevit, ut propoſitiones præfatas ſinguli Magiſtri & Baccalaurei chirographi ſui appoſitione confirment: & cùm in grege ſuo lupos & im-* morti-

morigeros, contentioſóſque alere tutum non ſit, qui huic Decreto parere noluerint, & contrarias præfatis propoſitiones docuerint, aut impoſterum prædicaverint, è ſuo conſortio ejiciendos in perpetuum decrevit.

Lata contra impios Regum & Principum parricidas Cenſura ſic præcavetur, jubente cum primis Senatu, cujus verba ſunt: *Deinde ut Decretum, quod in ejuſdem Facultatis comitiis ſtatuetur, omnium Doctorum qui comitiis & deliberationi interfuerint, necnon etiam omnium Baccalaureorum, qui Curſum Theologicum decurrunt, ſyngraphis muniatur. Quo tum demùm audito ſuper ea re Cognitore Generali Regio decernat quod juſtum & rationi conforme erit.*

Et poſt alia in Decreto Facultatis: *Tertiò ſtatuit, ut omnes Doctores & Baccalaurei Theologiæ, quo die in Statuta & Articulos Facultatis jurare conſueverunt, in hoc ſimiliter Decretum jurent, & ſyngraphis ſuæ appoſitione obteſtentur, ſe illius veritatem docendo & concionando diligenter explicaturos.*

Hæ ſunt cautiones maximæ omnium, quas ad confirmationem decretorum ſuorum Facultas adhibuit: ſed illæ, ut apparet, multò ſunt minores eâ, quæ ad confirmationem Cenſuræ qua de agimus, adjungitur. Quapropter aſſequi me non poſſe fateor, cur duarum propoſitionum Cenſura, quæ Conciliorum univerſalium definitionibus non innititur, præcaveatur magis quàm relatæ Cenſuræ, quæ generalibus Conciliis innituntur: in quibus de vita Regum agitur, & in quibus docetur, quid de rebus hoc tempore circa fidem & religionem Chriſtianam controverſis, credi & teneri oporteat. Eſtne duarum propoſitionum Cenſura religioſior Pariſienſibus Articulis omnibus, qui per diverſas ætates de fidei dogmatibus conditi fuere? Eſtne pretioſior & ſanctior decreto, quod Regum & Principum interfectiones percellit? Et certè, ſi quis contentionem hanc mutuam vel leviter inſpiciat, exhorreſcet, fulguritum ſe ſentiet, & talibus attonitus viſis hærebit. Nec poterit ei, velit nolit, dolus malus in nimia cautione non occurrere. Certa quædam eſt veritas, tam illuſtris & perſpicua, ut eam nullæ verborum rerumve præſtigiæ inobſcurent vel obruant. Cautionis tantæ novitas, in re momenti minoris, ſuſpicionem fraudis injicit, nec ea machinis ullis aut artibus repelli poteſt.

Notatio Decima-quarta.

Qui à Magiſtris & Baccalaureis ſubſcriptionem exigunt, in hoc opere uſque adeò ſunt toti, ut eis curæ ſuperſit nihil, quod rebus cæteris adhibeatur. Ego ſingulas non recenſeo. De duabus tantùm mihi ſermo eſt. Et primò quidem non curant ut Magiſtri & Baccalaurei ſubſcribant decreto quo Regum & Principum interfectores damnantur, & tranquillitas publica procura-

curatur. Eoque pacto neque Senatui neque Facultati mos geritur. Deinde facere negligunt quod Statuta ultimæ reformationis Academiæ faciendum præſcribunt. Verba ſunt: *Omnes exteri, qui in hac alma civitate Theologiæ cæteriſque diſciplinis operam dabunt, antequam ad Gradum aliquem in Academia admittantur, jurent ſe Galliæ legibus victuros, Regi Chriſtianiſſimo & Magiſtratibus morem geſturos, nihilque contra Rempublicam aut Magiſtratum molituros.* Hæc autem omnia iis qui in Facultate Theologiæ dominantur, ſunt omnino nihil præ cenſurâ propoſitionum duarum Arnaldi. Hic conjiciant & ſentiant alii quod voluerint duriſſimum; conjiciendi ac ſentiendi cauſam fortaſſis habent æquiſſimam: ſic ego duntaxat ſentio. Probanda non eſt cenſura, quæ diſciplinæ tam ſanctæ, tamque neceſſariæ, oblivionem, imò & ruinam ſecum trahit.

Notatio Decima-quinta.

Propoſitio prior, quæ facti eſt, & in facto conſiſtit, damnari neutiquam poteſt, quod duplici modo probatur. Imprimis, Theologorum nullus unquam negavit Romanum Pontificem in quæſtione facti errare poſſe, & ſæpiùs erraſſe. Et ſi quis modo negaret, novam in Eccleſiam opinionem gratis & ſine ratione induceret. Eccleſia ipſa, cui præeſt Pontifex, nonnunquam fallitur in tali quæſtione: Igitur & Pontifex. Idipſum Alexander tertius aſſerit De ſententia excommunicationis, c. 28. *A nobis* (inquit) *eſt ſæpè quæſitum, utrùm ſi aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifeſta, nec per eum ſteterit quominus reconciliaretur Eccleſiaſticæ Unitati, non ſuſcepto beneficio abſolutionis deceſſerit, pro abſoluto ab Eccleſia ſit habendus, & utrùm pro tali recipienda ſit eleemoſyna, & à fidelibus ſit orandum.*

Et infrà: *Nos igitur conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quòd judicium Dei veritati quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur; judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpè contingit & falli: propter hoc contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiæ ſit ſententiâ innodatus.*

Alexandrum ſequitur Melchior Canus, qui Tridentino Concilio interfuit, l. 5. de locis c. 5. concl. 4. *In moribus non toti Eccleſiæ communibus, ſed qui ad privatos homines vel Eccleſias referuntur, errare per ignorantiam Eccleſia poteſt: non in judicio ſolùm rerum geſtarum dico, ſed in ipſis etiam privatis præceptis & legibus. Cùm quis enim occultè, unâ uxore habitâ, alteram ducit publicè; jubet illi Eccleſia, ut priore relictâ poſteriorem accipiat: qua in re ſine dubio fallitur, & id præcipit homini, quod rationi Evangelióque adverſum eſt.*

Dominicus Bannez Canum excipit in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6. conc. 4. *In moribus non toti Eccleſiæ communibus, ſed qui ſpectant ad perſo-*

perſonas privatas, poſſibile eſt Summum Pontificem ex ignorantia errare, aut etiam ex malitia.

Robertus Cardinalis Bellarminus, l. 4. de Rom. Pont. c. 11. Joannem Turrecrematam ſecutus ait, *Generale Concilium, cui Romanus Pontifex per ſe vel per ſuos Legatos præſidet, in quæſtionibus facti errare poſſe.*

Et ſic Concilium univerſale ſextum erraſſe; verba ejus ſunt: *Quòd ſi aliquis adhuc non poteſt adduci, ut credat corruptam eſſe ſextam Synodum, accipiat alteram ſolutionem, quæ eſt Joannis à Turrecremata, l. 2. de Eccleſ. c. 93. qui docet Patres ſextæ Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſa informatione, ac proinde in eo judicio erraſſe. Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto. Itaque tutò dicere poſſumus, hos Patres deceptos ex falſis rumoribus, & non intellectis Honorii epiſtolis, immeritò cum hæreticis commemoraſſe Honorium.*

Andreas Duvallius part. 2. de infallibilitate Romani Pontificis quæſt. 1. *Imprimis, certum eſſe apud omnes, tam hæreticos quàm catholicos, pontificem ut pontificem, necnon cum Concilio generali agentem, in quæſtionibus facti particularibus, quæ ex hominum teſtimoniis & relatione pendent, errare poſſe. Sapè excommunicantur à Pontifice, qui ſunt prorſus innocentes. Contrà vero, ab eodem abſolvuntur, qui non merentur abſolvi.*

Unde Magiſter 4. ſent. diſt. 18. *Interdum qui foràs mittitur, intùs eſt; & qui foràs eſt, intùs videtur retineri.*

Can. Nos. Si incompetenter, 2. quæſt. 7. *Si incompetenter aliquid egimus, & in abditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro ac veſtrorum Miſſorum cuncta volumus emendari judicio: quoniam ſi nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus, certè non veritatis diſcipuli, ſed, quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magiſtri.*

Hæc apud Gratianum Leo quartus: probationem rei hujus ſuggerit Alexander, cùm dicit judicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequi. Nam cùm opinio ex incertis hominum teſtimoniis pendeat, judicii certi, & quod fallatur nunquam, fundamentum eſſe non poteſt.

(*Reliquas tredecim hujus Notationis Decimæquintæ paginas, clariſſimi Arnaldi Cauſæ non neceſſarias, brevitatis cauſâ prætermiſimus.*)

Hactenus pauca de multis, quæ in eam rem referri & congeri potuerunt. Sed iſta dum magis magiſque conſidero, mihi, velim nolim, occurrunt duo quæ pronuntiem. Imprimis Arnaldi Propoſitio, quæ ad facti conditionem attinet, difficultatis nihil habet; receptæ auctoritatis eſt, veriſſima ac certiſſima, ac proinde notam ſcholæ nullam meretur. Deinde cenſura propoſitionis hujus planè digna eſt, quæ lege talionis puniatur. Et certè

certè nemo ea ſuper re mecum contendet, dum noverit quo modo apud Theologos propoſitio temeraria, ſcandaloſa, & injurioſa deformetur.

Notatio Decima ſexta.

Propoſitionis temerariæ nota in aſſertionem quæ facti eſt, & in facto verſatur, nec quadrat, nec quadrare poteſt. Sic autem Theologi propoſitionem temerariam definiunt. Joannes Turrecremata, qui ex Sacri Palatii Magiſtro Cardinalis factus eſt, in libro de Pontificis & Generalis Concilii poteſtate: *Temeraria* (inquit) *definitio ſeu propoſitio eſt, quæ nec auctoritate nec ratione rectâ probari poteſt.*

Petrus Garſias ex Pariſienſi Theologo Uſſellenſis Epiſcopus, in Magiſtralibus ſuis determinationibus, quas edidit Romæ & Innocentio VIII. dicavit: *Temeraria propoſitio eſt propoſitio aſſerens aliquid tanquam certum, quod non poteſt efficaci ratione probari, vel auctoritate: ſicut propoſitio aſſerens quod mundus finietur intra centum annos. Hæc autem propoſitio licèt poſſet eſſe vera, hoc tamen aſſerens tanquam certum dicitur temerarius, & propoſitio temeraria, quia ad hoc nec auctoritas nec ratio efficax habetur.*

Melchior Canus l. 12 de locis c. 11. *Propoſitio temeraria duobus itidem modis uſurpari ſolet, & communiter & propriè. Communiter, ut omnis propoſitio à fide averſa temeraria quoque appelletur, etiamſi hæreſis manifeſta ſit. Et quid enim inconſideratiſſimâ ac dementiſſimâ temeritate plenius, quàm Chriſti Eccleſiam contradicere? Propriè autem ea vox uſurpatur, cùm aſſeveratio ut temeraria notari poteſt, ut hæretica, vel erronea, vel ſapiens hæreſim, non poteſt. In quem ſenſum poſt iſtos propoſitionum gradus poſtremum locum propoſitio temeraria tenet. Temeritas porrò non uno & ſimplici modo intelligitur. Temerè enim ea quandoque fieri dicimus, quæ non conſilio, ſed fortuitò geruntur: quomodo ea temeraria ſunt, quæ turbulenter & inconſideratè effutita ſunt. In hoc verò ſignificatu temeritas, quâ nullo delectu aut diſcrimine ducitur ad judicandum, ſapientiæ contraria eſt, in qua non caſus & fortuna, ſed ratio & conſilium valet. Qui ergo nullâ aut ratione aut auctoritate impulſus res ipſas affirmat, ſed temerè ſcribit & dictitat, vel quod in buccam venit, jure is tanquam ſtultus & temerarius reprehenditur. Nam quamvis vera aliquando dicat, ſed ut vera dicat, tamen non id conſilium & ratio, ſed ſors & caſus efficit: qualia ſunt nonnulla, quæ viri quidam pii in vita reluſque geſtis Chriſti Domini magis comminiſcuntur, quàm contemplantur; quæ etiam ſcribunt, non tam verè & prudenter, quàm devotè & ferventer: quorum eſt interdum cæca, & temeraria quidem, & in aſſentiendo credulitas, & in aſſerendo facilitas. Sed temeritas hæc tamen non eſt ejuſmodi, ut à fidei judicibus coerceri debeat, qui graviorem errorum cenſuram aſſumere ſuo jure poſſunt,*

poſſunt, levioris hujus vel imprudentiæ vel ſtultitiæ non poſſunt. Fidei quippe cognitio illis mandata eſt, non prudentiæ, ejus præcipuè qua viros pios ſæpè deſtituit. Videmus autem illiuſmodi ſeu meditationes ſeu contemplationes, licèt inconſideratè atque imprudenter, ſine ratione & gravi teſtimonio editas, cum pietate ferè, atque adeò cum ſanctitate eſſe conjunctas. Non decet igitur ut ſimplicitas columbina ſeveriſſimi tribunalis judicio vexetur, quantumvis illa ſit inconſulta & imprudens. Dicitur rurſum & id temerè aſſeri, quod inſolenter nimiùm & audacter aſſeritur: quemodo omnibus in rebus aſſeverandi temeritas pronuntiandique audacia turpis eſt quidem, ſed in his quæ ad Eccleſiæ doctrinam attinent, eſt periculoſa vel maximè. Habet enim contemtionem ſuperbam Eccleſiaſticæ regulæ; quam contemtionem, niſi fidei judices coerceant & comprimant, dici non poteſt quantum diſcriminis omnis Eccleſiæ doctrina ſit habitura. Quæ igitur non inconſulta oratione modò, ſed, ut verbis utar gravioribus, confidenti audaciâ, inſolentiâ protervâ, exultatione impudenti, jactatione ſuperbâ, non contra fidem dico, ſed contra Eccleſiaſticæ modeſtiæ regulam aſſeruntur, ea Theologi in præſenti temeraria cenſent, atque inter errorum gradus conſtituunt & locant. Quæ quoniam hæreſum appendices ſunt, à fidei judicibus ſunt animadvertendi. Ut, Beatam Virginem non eſſe in cælos cum corpore aſſumptam: quod licèt fidei minimè adverſum ſit, ſed quia communi Eccleſiæ conſenſione repugnat, petulanti temeritate diceretur. Ita, in Baptiſmo non infundi parvulis informantem gratiam & virtutes; cùm Concilium Viennenſe univerſale contrariam opinionem duxerit eligendam.

Dominicus Bannes in 2. 2. q. 11. art. 2. *Et rursùs alius gradus propoſitionis temerariæ eſt quidem. Si ſignificationem nominis temerarii conſideremus, omnis propoſitio hæretica & erronea eſt ſatis temeraria; ſed tamen accipitur ſpecialiter propoſitio temeraria, quando aliquis aſſerit quidpiam contra communem opinionem Eccleſiæ, aut Theologorum, ſine magna auctoritate in materia gravi. Ita ſi quis aſſerat Beatam Virginem non eſſe aſſumptam cum corpore in cælum: item quòd in Baptiſmo parvulis non infunditur gratia habitualis, & virtutes Theologicæ. Nam oppoſita ſententia approbatur in Concilio Viennenſi tanquam probabilior, & dictis Sanctorum magis conſentanea.*

Joannes Bagotius Inſtitutionum Theologic. de vera religione l. 4. diſp. 5. c. 4. *Temeraria in fide eſt, quæ nullo auctore fide digno, nullâ ratione probabili nititur, & aliquatenus ſpectat ad fidem, aut Eccleſiæ doctrinam. Ita temeraria videri poteſt ea, quæ Sanctos pleroſque ſine peccato originali conceptos ait: nam licèt non videatur eſſe de fide, omnes qui naſcuntur in peccato conceptos eſſe, etiamſi Beatam Virginem exceperis, multis tamen hoc privilegium velle concedere, videtur temerarium. Ita videntur eſſe temerariæ, quæ pleroſ-*

que

que ſanctos Apoſtolis in gratia pares faciunt.

Hæc eſt propoſitionis temerariæ definitio, in qua Theologi omnes conſentiunt. Sed cùm illa non reſpiciat rem quæ facti, ſed quæ juris eſt, in Arnaldi propoſitionem convenire nequit. Qui propoſitionis temerariæ notam ad contrarium prudentiæ vitium detorqueret, tergiverſaretur, philoſophum ageret, non theologũ, qui theologicè non philoſophicè loqui debet. Appoſitè omnino & ſapienter Auguſtinus l. 10. de Civitate Dei, cap. 23. *Liberis verbis loquuntur philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia, etiam de rebus quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem.*

Malum iſtud Canus cùm perſpiceret, ei vir ſagaciſſimus occurrit, & perverſis tergiverſantium hominum moribus aditum omnem interclufit. Quocirca notæ hujus ad propoſitionem applicatio inſolens & inepta eſt; nec defendi poteſt, niſi ab iis qui facerent quod certi quidam mercatores facere ſolent: hi enim violatâ fide publicâ privatas menſuras & pondera ſibi comparant, quibus merces ſuas examinent & divendant. Nos verò, quibus non licet eſſe tam vafris & ſubtilibus, menſuras alias non habemus, aut pondera, niſi quæ communis uſus & ſcholæ auctoritas certiſſima comprobarunt.

Notatio Decima ſeptima.

De propoſitione injurioſa ſunt duo, quæ obſervanda eſſe cenſemus: Et primò quidem Conſtantienſe Concilium in damnandis hæreticorum aſſertionibus notam illam non adhibuit, etiamſi adhibere potuerit. Sunt enim recentiores, qui in injurioſæ propoſitionis exemplum adſumunt unam vel alteram è Wiclefi aſſertionibus, quas memoratum Concilium proſcripſit. Canus, Bannes, & quidam alii univerſalem Synodum imitati, propoſitionem injurioſam inter configendarum propoſitionum gradus minimè collocarunt. Neque verò id à Concilii Patribus & aliis Theologis temerè & ſine conſilio factum eſt. Hæc enim nota, fori potiùs nota eſt quàm ſcholæ, cujus partes non ſunt ut illatam per famoſos libellos injuriam reſarciat, aut reſarciri decernat: in doctrinæ, non criminum, judicio ſitam eſſe poteſtatem ſuam crediderunt. Quare tam potuit nota hæc injurioſæ propoſitionis in Cenſura non legi, quàm in Conſtantienſi Concilio non legitur. Deinde in auditorio Magiſtrorum, qui forum & juriſdictionem ſibi quærunt, injurioſa propoſitio ſic definitur: *Ea eſt quæ alicui aut ſtatui aut perſonæ injuriam facit, & alteram lædit, qualis eſt illa Wiclefi: Conferens eleemoſynam fratribus eſt excommunicatus ex facto: Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de reli-*

religione Chriſtiana. Auguſtinus, Benedictus & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc ipſo, quod habuerint poſſeſſiones.

Hæc apud Bagotium loco jam citato, cui ex antiquis Garſias unus præluxerat: *Injurioſa* (inquit) *propoſitio eſt, quæ detrahit ſtatui alicui fidelium, aut alicui notabili perſonæ, ut ſi quis aſſereret, quòd ſtatus Mendicantium, vel Dominorum Cardinalium eſt damnabilis & ſcandaloſus.*

Sic autem definita injurioſa propoſitio non pertinet ad Arnaldi propoſitionem, quippe quæ debitum Innocentio X. & nonnullis Galliæ Epiſcopis honorem nullum auferat. Cur verò nullus auferatur, decima quinta docet Notatio. Conſentiunt omnes, ſtatum & dignitatem eorum non exigere, ut in facti quæſtionibus non fallantur. Nam ſi nulla ſextæ Synodo fieri credatur injuria, cùm Cardinales duo, Turrecremata & Bellarminus, dicunt ab ea Honorium Papam ex falſis rumoribus, & non intellectis illius Epiſtolis, damnatum fuiſſe, cur non ſalvo & incolumi ſtatu Innocentii X, & nonnullorum Galliæ Antiſtitum diceretur, id quod de iis Arnaldus modeſtiſſimè dicit? Quid, quæſo te, in pari cauſa fieret iis injuriæ, qui univerſalem non repræſentant Eccleſiam, ſed non fieret iis, qui univerſalem repræſentant Eccleſiam? Ad me quod attinet, ego ſpondeo & in me recipio, nullam ulli propoſitioni notam inuri poſſe quæ ſit injuſtior.

Notatio Decima octava.

Nunc veniendum eſt ad ſcandaloſam propoſitionem, quam Theologi hoc modo deſcribunt. Garſias in magiſtralibus ſuis determinationibus: *Propoſitio ſcandaloſa eſt, quæ cum modificatione adjunctâ eſt vera, per ſe tamen & abſolutè prolata, videtur favere propoſitionibus hæreticalibus hæreticorum, ut ſunt propoſitiones: Crux Chriſti non eſt adoranda adoratione latriæ: Chriſtus eſt creatura.*

Canus l. 12. de locis c. 10. *Propoſitio ſcandaloſa duobus ſimiliter modis appellari ſolet. Priùs uſurpatione communi quâ omnis oratio, quæ occaſionem ruinæ præſtet, quamvis hæretica apertè ſit, ſcandaloſa dicitur. Quo ſenſu Concilium Conſtantienſe Seſſ. 15. illam propoſitionem: Quilibet tyrannus poteſt licitè à quocunque ſubdito occidi; tanquam hæreticam & ſcandaloſam condemnavit. At verò poſteriùs ſcandaloſa illa propriè vocatur oratio, in qua ſcandalum notari poteſt, hæreſis non poteſt. Non enim hìc ſcandalum more vulgi uſurpamus, pro eo quod aures offendit, quódve populus fidelis horret, ſed pro eo quod infirmis cauſam ruinæ præſtat, & quod ante fidelium pedes poſitum, eos facit in illud incurrere, irruere, offendere; ut ſunt iſtæ propoſitiones: Dantes eleemoſynam Fratribus Mendicantibus ſunt excommunicati: Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris*

Bannes loco jam citato, *Dicitur ſpeciali modo ſcandaloſa propoſitio illa, quæ affert cauſam ſcandali circa aliquam doctrinam, & veritatem fidei. Ut ſi quis in publica concione enumeraret aliqua incommoda quæ ſequuntur ex Confeſſione propter malitiam hominum, ex quibus verbis neceſſe eſt ut multi ex vulgo ſcandalizentur, & refugiant à Sacramento Confeſſionis, atque nolint filias ſuas & uxores frequenter confiteri; & tandem hac viâ pervenietur, ut negetur & irrideatur Sacramentum Confeſſionis.*

Bagotius ibidem: *Scandaloſa propoſitio eſt, quæ doctos fideles poteſt in errorem fidei inducere. Ejuſmodi, ni fallor, eſt illa Wiclefi: Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum. Si quis enim per eam non intelligeret negare Papæ poteſtatem concedendi indulgentias, ſed tantùm vellet ſignificare, fortè eas quæ conceduntur in circumſtantiis non eſſe validas; is tamen ut minimùm ſcandalizaret fideles, & eſſet eis occaſio ut crederent indulgentias nihili faciendas eſſe.*

Hìc oratione longâ non eſt opus, ut demonſtretur propoſitionem ſcandaloſam quæ definita eſt, cum Arnaldi verbis non congruere; alioqui ſcandaloſæ propoſitionis arguerentur quicunque ſcribunt, nedum Pontifices, ſed Concilia ipſa Generalia in facti quæſtionibus errare poſſe, & nonnunquam erraſſe. Præterea, ſignificandum eſſet quænam tum demum veritas & doctrina fidei, ex occaſione propoſitionis quam Arnaldus protulit, læderetur. Sed continuò præcavendum quoque eſſet, nè talis veritatis & doctrinæ ſignificatio in auctores ſuos, & in alia non diſſimilia ſcholæ placita transferretur. Quæſo te, num Romana quondam Eccleſia cauſam offenſionis alicui verè dederit, cùm in Profeſſione fidei ſuæ Honorium Papam Monothelitis aggregavit, eíque anathema dixit? Quæſo te, num Clemens V, revocatâ Bonifacii VIII. Conſtitutione, cauſam offenſionis alicui verè dederit, ſcribens velle ſe evacuare opinionem eorum qui tradunt, Romanum Pontificem dum ſententialiter, id eſt, ex cathedra pronuntiat, errare non poſſe? Quæſo te, num Pariſienſis Academia cauſam offenſionis alicui verè dederit, cùm in tractatu adversùs Monteſonum edito, præ ſe fert in rebus fidei à Pontifice Romano ad Generale Concilium provocari poſſe? Quæſo te, num Doctor ille Chriſtianiſſimus cauſam offenſionis alicui verè dederit, cùm opuſculum quoddam ſuum inſcripſit: Utrum in cauſis fidei liceat à Pontifice ad Concilium appellare? Quæſo te, num Doctor ille Chriſtianiſſimus cauſam offenſionis alicui verè dederit, cùm appellare licitum eſſe confirmat? Quæſo te, num apud Celaiam Galli & Germani Doctores cauſam offenſionis alicui verè dederint, cùm edere Symbolum Papæ non eſſe, ſed Univerſalis Concilii pugnaciſſimè contendunt? Quæſo te, num celeberrimum illud Senonenſe Conci-

Concilium cauſam offenſionis alicui verè dederit, cùm non errandi privilegium non Romano Pontifici, ſed ſolis Univerſalibus Conciliis tranſcribit? Quæſo te, num Joannes Bagotius cauſam offenſionis alicui verè dederit, cùm Romano Pontifici ſeorſum à Conciliis infallibilitatem denegat? Quæſo te; num Joannes Fillæus Provincialis; cæteríque Doctores Jeſuitæ, cauſam offenſionis alicui verè dederint, cùm librum Joannis Bagotii ſuis calculis approbarunt? Aliud eſt igitur ſcandalum fingere, cùm ſcandali ſolidam atque expreſſam effigiem nullam inſpicimus; aliud datum verè ſcandalum rationibus optimis comprobare.

Notatio Decima nona.

Cenſores dicunt Arnaldum *præbere occaſionem renovandæ ex integro, poſt damnationem, Janſenii doctrinæ.* At ego præ me fero, id egregiè feciſſe Cenſores, & cum primis eos propoſitiones Arnaldi duas, & propoſitiones Janſenii quinque, quantâ licèr fide excerpſerunt. Hîc non retexo quid in exhibenda propoſitione, quam facti nominant, prætermiſerint. quicquid id eſt, Notationis primæ argumentum fuit, ubi meridianâ luce clariùs oſtendi nihil omnino perfici poſſe ad renovandam Janſenii doctrinam utilius, quàm quod illi perfecerunt. Intactos reliquerunt verſus è pag. 140. quatuor aut quinque; quibus Pontifex ſummæ in examinanda configendarum propoſitionum veritate negligentiæ * accuſatur, & ſilentio Cenſorum reus peragitur. An autem liber & immunis ſit ab errore Pontifex, qui ad inquiſitionem rei quam Arnaldus indicat, curam & ſtudium non adhibuit, Joannes Bagotius apertè demonſtrat. Qui verò Janſenii propoſitiones excerpſit, vel ſuo adornavit modo, renovandi, poſt damnationem, Janſenii doctrinæ occaſionem præbuit ampliſſimam. Is eſt Magiſter Nicolaus Cornetus. Res igitur ſic ſe habet. Anno Chriſti 1654. in Gallia, & cum primis Lutetiæ; à quibuſdam diſputatum eſt, quo ſenſu propoſitiones Janſenii damnatæ fuerant. Ab aliis negatum eſt, has propoſitiones ut jacent, vel ut excerptæ ſunt, in Janſenii libris extare, legíque poſſe. Hæc poſterior contentio, quæ prioris fundamentum erat, facilè dirimi potuit, ſi Cornetus acceptis Janſenii libris paginas oſtendiſſet ſingulas; in quibus propoſitiones excerptæ legerentur, vel quod propriâ manu confecerat exemplar, liberaliter communicaſſet. Sed quæ fuit illius humanitas, & conciliandæ pacis amor; neutrum eſt executus. Antiſtites; qui in Comitatu Principis erant, ſuper utroque negotio congregantur. Selectis quibuſdam inquiſitio propoſitionum committitur. Hi unum in locum ferè quotidie conveniunt; & demandatæ provinciæ incumbunt; Janſenii libros ſat grandes replicant; paginas evolvunt ſingulas, ut invenire

* *Fallitur Launoius; nihil tale apud Arnaldum.*

venire poſſent, quod ab aliis inveniri non poſſe dictum fuerat. In hunc laborem inſumunt menſem Martium. Nec interea dum ſelectis Epiſcopis obtulit ſeſe Cornetus, ut eos onere tanto levaret, vel indicatis paginis in quibus propoſitiones haberentur, vel porrecto excerptarum propoſitionum exemplari, quod ipſe deſcripſerat. Sic menſem unum miſiſſet in unius horæ compendium, adeóque miſertus eſſet Antiſtitum, qui in perlegendo tam ingenti volumine deſudabant. Cornetus Lutetiæ continebat ſe domi, publico carebat, cauſæ indormiebat Eccleſiaſticæ, & decuſſatis brachiis ſinebat mundum vadere quomodo vadere poterat. Ponè ſiparium latebat, donec Epiſcopi tragœdiæ quam fecerat, extremum actum obirent. Satis opinor illi fuerat ignem accendiſſe, quem non extingueret, & in damnandis Janſenii propoſitionibus Romani Pontificis fidem oppigneraſſe, quam non liberaret. In Urbe jacta erat alea, quam qui poſſet utique retineret. Sed miſſa vafritie, quæ Chriſtianum dedecet virum, candorem animi & ſimplicitatem colamus. In hac igitur rerum, perſonarum, & temporum conditione, qui ſe ita gerit, nonne præbet occaſionem ſuſpicandi propoſitiones quinque, ut jacent, quemadmodum ſchola loquitur, apud Janſenium nec extare, nec legi? Nonne deinceps præbet occaſionem renovandæ ex integro, poſt damnationem, Janſenii doctrinæ? Omnino; quia qui cæteris in rebus cùm maximè actuoſus fuerit, in hac maximè remiſſus fuit, in qua tamen vel una fortiter agere atque eminere debuit. Quod cùm omnibus notum ſit, nihil neceſſe eſt pluribus verbis exponere. Fixum ergò ratúmque maneat, appoſitam ad Arnaldum cenſuræ notam in adverſarios illius legitimè traduci ac retorqueri.

Notatio Viceſima.

Quod ſuperiori Notatione animadvertimus, nunc aliâ viâ inculcamus & defigimus. Quam propoſitionem dixerunt temerariam, ſcandaloſam, & injurioſam, non dixerunt falſam. Et dicere fortaſſis in religionem illis venit. Et tamen in hujuſmodi quæſtionibus facti, nota falſitatis, nota ſola eſt quæ apponi poſſit, dum aliquid enuntiatur factum, quod eſt minimè factum. Arnaldus ſcribit, neque legere, neque invenire ſe apud Janſenium poſſe illas propoſitiones quinque, quæ ex Janſenii libris excerptæ vocantur ab Innocentio X. & in Conſtitutione illius damnantur. Itaque ſi propoſitiones in Janſenii commentariis inveniuntur & leguntur, falſum eſt dicere eas nec inveniri nec legi. Pari modo ſi propoſitiones in Janſenii commentariis nec inveniuntur nec leguntur, verum eſt dicere eas nec inveniri nec legi. Rem iſtam docet axioma hoc philoſophiæ: Ab eo quod res eſt vel

vel non eſt, propoſitio eſt vera vel falſa. Quæſtionem hanc de propoſitionibus Janſenii dijudicare poteſt, quicumque novit legere, & Latinè intelligit. Neque Pontifex, neque Rex, neque homo auctoritatis tantæ ullus eſt, qui efficiat ut quod non eſt in aliquo libro exaratum, perinde legatur ac ſi exaratum eſſet. Hoc igitur Cenſores cùm proſpicerent, ne Arnaldi propoſitionem dicerent falſam, ſummopere caverunt. Scio quidem neque à Conſtantienſi Concilio, neque à Theologis, falſitatem inter cenſurarum notas accenſeri: quod enim dumtaxat falſum eſt, notam in Theologia nullam meretur. Aliàs proſcriberetur quævis opinio, cùm ea ut falſa confutari poſſit. Quod verò ita falſum eſt, ut in detrimentum fidei & Chriſtianarum inſtitutionum redundet, pro modo rei notis compungitur. Quicquid id eſt, neque univerſale Concilium, neque Theologi perfecerunt, ut Cenſores à nomine falſitatis abſtinerent. Non enim abſtinuerunt à nota propoſitionis injurioſæ, quâ Concilii Patres, & plerique Doctores non utuntur. Cur ergò à nota falſæ propoſitionis abſtinuerint, cauſa hæc unica fuit, quòd propoſitiones quinque ut exhibentur, apud Janſenium nec reperiantur, nec oculis uſurpentur. Quod cùm ita ſit, Cenſura non poteſt non interire.

Notatio Viceſima prima.

Cùm Cenſores viderent ſe non poſſe propoſitionem Arnaldi vocare falſam, quæ reipsa falſa non eſt, illam temerariam, ſcandaloſam, & injurioſam vocaverunt. Sed quæſitus eſt color, inventa ſpecies, excogitatum artificium, quo adverſarii ſui commentarius dehoneſtaretur. Miſerrima eſſet Eccleſiæ & Romani Epiſcopi dignitas, quæ ut retineretur, officiis ejuſmodi & machinis indigeret. Veritas non indiget mendacio hominum; & ſi indigeret, Veritas non eſſet, quæ ſibi ſola ſufficit, & ſe per ſeipſam defendit. Hoc autem Cenſorum artificium obſervaſſe, hujus ædificium deſtruxiſſe eſt.

Notatio Viceſima ſecunda.

In altera propoſitione damnanda, quam juris appellant, reſpectus nullus habetur ad ſanctum Joannem Chryſoſtomum, qui etiam aliquando explicatiùs quàm Arnaldus loquitur. Id mutua utriuſque contentio declarabit: *Cependant, Monſeigneur, cette grande verité établie par l'Evangile, & atteſtée par les Peres, qui nous montre un juſte en la perſonne de ſaint Pierre, à qui la grace ſans laquelle on ne peut rien, a manqué dans une occaſion, où l'on ne peut pas dire, qu'il n'ait point peché, eſt devenuë tout d'un coup l'hereſie de Calvin, ſi nous en croyons les diſciples de Molina.*

Quod Latinè dicitur: *Interea, Vir illuſtriſſime, veritas magna hæc per Evangelium conſtituta, & Patrum teſtimonio confirmata, quæ*

nobis exhibet hominem juſtum in Beato Petro, cui gratia ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione, ubi eum non peccaſſe dici nequit, ſtatim evaſit in Calvinianam hæreſim, ſi Molinæ ſectatoribus fides habeatur.

Chryſoſtomi propoſitio ad c. 26. Matth. Καὶ γὰρ δύο τὰ ἐγκλήματα ἦν, καὶ ὅτι ἀντεῖπε, καὶ ὅτι τῶν ἄλλων ἑαυτὸν προέθηκε· μᾶλλον δὲ καὶ τρίτον, ὅτι πᾶν ἑαυτῷ ἀνέθηκεν· ἀλλ' εἰ ἐδεήθη ὁ Χριστὸς ἵνα ἡ πίστις τοῦ Πέτρου μὴ ἐκλίπῃ, πῶς ἐκεῖνος ἠρνήσατο· οὐκ εἶπεν, ἵνα μὴ ἀρνήσῃ ἀλλ' ὥστε μὴ ἐκλείπειν τὴν πίστιν, ὥστε μὴ τέλεον ἀπολέσθαι. Τῆς γὰρ αὐτοῦ κηδεμονίας τοῦτο γέγονε. Καὶ γὰρ ὁ φόβος πάντα ἐξέκλεισεν, ἄμετρος γὰρ ἦν. Ἄμετρος δὲ ἐγένετο ἐπειδὴ σφόδρα αὐτὸν ἐγύμνωσεν ὁ Θεὸς τῆς ἑαυτοῦ ῥοπῆς. Ἐγύμνωσε δὲ σφόδρα ἐπειδή, καὶ σφοδρὸν ἐν αὐτῷ τὸ πάθος τῆς αὐθαδείας, καὶ τῆς ἀντιῤῥήσεως. Ἵνα οὖν πρόῤῥιζον αὐτὸ ἀνέλῃ, διὰ τοῦτο εἴασε καταχθῆναι οὕτως αὐτὸν τὴν ἀγωνίαν. Ἐντεῦθεν μανθάνομεν δόγμα μέγα, ὡς οὐκ ἀρκεῖ προθυμία ἀνθρώπου, ἐὰν μὴ τῆς ἄνωθέν τις ἀπολαύσῃ ῥοπῆς, καὶ ὅτι πάλιν οὐδὲν κερδανοῦμεν ἀπὸ τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς, προθυμίας οὐκ οὔσης. Καὶ τοῦτον ἀμφότερον δεικνύουσιν Ἰούδας καὶ Πέτρος. Ὁ μὲν γὰρ πολλῆς ἀπολαύσας βοηθείας οὐδὲν ὠφελήθη, ἐπειδὴ μὴ ἠθέλησε, μηδὲ παρ' ἑαυτοῦ συνεισήνεγκεν. Οὗτος δὲ καὶ προθυμηθεὶς ἐπειδὴ μηδεμιᾶς ἀπήλαυσε βοηθείας κατέπεσε. Καὶ γὰρ ἀπὸ δύο τούτων ἡ ἀρετὴ ὑφίσταται, τῆς τε ἄνωθεν ῥοπῆς, καὶ τῆς ἡμετέρας προθυμίας.

Sic vertit Baltazar Corderius è Societate Jeſu Theologus, in Catena Nicetæ ſuper Matthæum: *Duo enim erant crimina, & quod contradixiſſet, & quod aliis ſeſe præpoſuiſſet; adeóque & tertium, eo quod totum ſibi attribuiſſet. At ſi rogavit Chriſtus ne fides Petri deficeret, quomodo ille negavit? Non dixit ne neget, ſed ne deficiat fides, ut non omnino pereat. Hoc enim ex illius ſollicitudine factum eſt: etenim timor omnia diſjicit, immodicus enim erat. Immodicus autem factus eſt, eo quod eum nudum admodum à ſuo favore Deus reddidiſſet. Nudum verò admodum eum reddidit, ob vehementem illius temeritatis ac contradictionis paſſionem. Ut igitur à radice hanc tollat, ideò ad haſce anguſtias eum ita redigi paſſus eſt. Unde magnum nobis documentum eſt, neutiquam ſufficere humanam animi promtitudinem, niſi ſuperno potiatur favore. Rurſuſque nihil omnino nos conſequi ſuperno favore, niſi adſit animi promtitudo. Ambo enim hæc Judas & Petrus declarant. Ille ſiquidem cùm magno frueretur auxilio, nullum fructum tulit, quia noluit, nec quidquam de ſe contulit. Hic autem cum promto eſſet animo, quia nullo fruitus auxilio eſt, lapſus eſt: ex duobus enim hiſce virtus conſtat, ſuperno favore, noſtrâque animi promtitudine.*

Arnaldus igitur cùm dicit: Petro gratia dēfuit in occaſione, ubi peccavit; id minùs explicatè dicit, quàm Chryſoſtomus cùm dicit: Petrus quia nullo fruitus auxilio eſt, lapſus eſt. Nam Chryſoſtomus inficiali nomine utitur, quo non utitur Arnaldus. Unde accidit, ut ſi emollienda foret

foret Arnaldi oratio, hæc longè faciliùs quàm Chryſoſtomi emolliretur. Sed uterque pari formâ ſermonis loquatur. Profectò quamdiu ſtabit Chryſoſtomi ſermo, Arnaldi ſermo nunquam corruet. Hoc præſtat ejuſdem ſermonis natura, & naturæ connexio & ſimilitudo. Porrò, cùm agitur de fide, quantum auctoritatis obtineat Chryſoſtomus, his verbis Auguſtinus exponit, l. 1. contra Jul. c. 6. *Itane iſta verba ſancti Joannis Epiſcopi audes, tanquam è contrario tot taliumque ſententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordiſſima ſocietate ſejungere, & eis adverſarium conſtituere. Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Abſit, inquam, ut Conſtantinopolitanus Joannes de Baptiſmate parvulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per Chriſtum, tot ac tantis coepiſcopis ſuis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio NaZianZeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Alia ſunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi, atque optimi catholicæ regulæ defenſores, ſalvâ fidei compage, non conſonant. Alius alio de una re melius aliquid dicit, & verius: hoc autem unde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta.* Hîc Auguſtinus non patitur, ut in rebus quæ ad fidem pertinent, Chryſoſtomus ab aliis Patribus ſejungatur. Sed in Cenſura Chryſoſtomus non modò ab aliis Patribus ſejungitur, ſed etiam cum Arnaldo, temeritatis, impietatis, blaſphemiæ, & hæreſeos accuſatur. Sed res eſt cui nunquam adſcribetur bonum factum.

Sanctus Auguſtinus Chryſoſtomo concordat Sermone 124. De Tempore; ſic enim loquitur: *In lectione Evangelica, quæ nobis heſterno die recitata eſt, fratres chariſſimi, audivimus Dominum dixiſſe Diſcipulis ſuis: Omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte propter me: cui Beatus Petrus ait: Etiamſi omnes ſcandaliZati fuerint, ego nunquam ſcandaliZabor. Sed Dominus, inſpector cordis, reſpondit & dixit: Amen, dico tibi, antequam gallus cantet ter me negabis. Ille autem dixit: Etiamſi me mori oportuerit pro te, non te negabo. Videte, fratres chariſſimi: verus & cæleſtis medicus venam cordis inſpexerat, & quâ horâ tentationis pondus, vel infidelitatis frigus, venturum eſſet prædixerat. Medicus prædicabat, & ægrotus negabat. Sed ubi ad horam ventum eſt, falſum fuit quod promiſerat homo, & verum apparuit quod prædixerat Deus. Quid enim homo ſine gratia Dei poſſit, timor Beati Petri Apoſtoli evidenter oſtendit, per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum. Sed quid eſt homo ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cùm negaret Chriſtum, & niſi quod ait Propheta: Omnis caro fœnum eſt. Et ideò Beatum Petrum paululùm Dominus ſubdeſeruit, ut in illo totum humanum genus poſſit agnoſcere, nihil ſe ſine Dei gratia prævalere, & ut Eccleſiæ Rectori futuro*

turo ignoſcendi peccantibus quædam regula poneretur.

Idem in Tractatu 92. ſuper Joannem: *Ille ergo* (inquit) *teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Dabit enim vobis fiduciam teſtimonium perhibendi, charitas Dei diffuſa in cordibus veſtris, per Spiritum Sanctum qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere, ſed contra pollicitationem ſuam timore magno compulſus eſt ter negare.* Quæ verba reperiuntur in tertio nocturno, quod habet Romanum Breviarium in feria ſexta poſt octavam Aſcenſionis.

Hæc ſi quis attentè, & citra partium ſtudia conſideret, Arnaldi propoſitionem ex Auguſtini verbis comparatam eſſe judicabit. Quare Arnaldi propoſitio non antè condemnabitur, quàm Auguſtini Sermo condemnetur. Sunt quæ, ut hæc Chryſoſtomi & Auguſtini teſtimonia eludant, humanis rationibus ſubjiciunt; ſed eos Chryſoſtomus homil. 24. in Joannem ita coarguit: *Nihil pejus eſt, quàm humanis rationibus ſpiritualia ſubjicere. Hoc illum (Nicodemum) impedit, ne quid magnum, ne quid profundum contemplaretur. Ideò nos fideles appellamur, ut humanarum cogitationum vanitate contemptâ, ad fidei altitudinem evadamus.*

Deinde non faciunt quod faciendum eſſe monet Facundus Hermianenſis Epiſcopus, l. 9. c. 5. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt, malè interpretari; ita ſolitum eſt prudentiæ & pietatis catholicæ ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare.*

His quæ ex Chryſoſtomo & Auguſtino diſſeruimus accedunt tria: Primum eſt Collatio Epiſcoporum, præſertim Aviti Viennenſis, coram rege Gundebado adversùs Arianos, ſub finem: *Rex qui jam ſurrexerat, accipiens per manus Dominum Stephanum & Dominum Avitum, duxit eos uſque ad cubiculum ſuum, & cùm intraret, amplexus eſt eos dicens, ut orarent pro eo. Cognoverunt quidem illi perplexitatem & anguſtias cordis ejus; ſed quia Pater eum non traxerat, non potuit venire ad Filium, ut veritas impleretur: Non eſt volentis, neque feſtinantis, ſed miſerentis Dei.* Quid quæſo clarius?

Alterum Gregorii Papæ teſtimonium ex illius expoſitione morali in l. 2. c. 26. in cap. 1. *Sed nonnunquam, dum mens noſtra tanti muneris plenitudine atque ubertate fulcitur, ſi continuâ in his ſecuritate perfruitur, à quo ſibi hæc ſunt obliviſcitur, ſéque à ſe habere putat, quod nunquam ſibi abeſſe deſiderat. Unde fit, ut aliquando ſe hæc eadem gratia utiliter ſubtrahat; & præſumenti menti quantum in ſe infirmetur, oſtendat. Tunc enim verò cognoſcimus bona noſtra unde ſint, quando hæc amittenda ſentimus, quia à nobis ſervari non poſſunt. Ad hoc itaque intimandæ*

humili-

humilitatis magiſterium ſit plerumque, ut irruente tentationis articulo tanta ſtultitia ſapientiam noſtram feriat, ut turbata mens qualiter malis imminentibus obviet, vel contra tentationem quomodo ſe præparet, ignoret. Auguſtinum, in cujus lectione verſatus erat, ſequitur.

Tertium eſt in libri tertii de Imit. Chriſti, c. 55. *Domine Deus meus, qui me creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, concede mihi hanc gratiam, quam oſtendiſti tam magnam & neceſſariam ad ſalutem, ut vincam peſſimam naturam trahentem in peccata, & in perditionem. Sentio enim in carne mea legem peccati contradicentem legi mentis meæ, & captivum me ducentem ad obediendum ſenſualitati in multis: nec poſſum reſiſtere paſſionibus ejus, niſi aſſiſtat ſanctiſſima gratia tua cordi meo ardenter infuſa. Opus eſt gratiâ, & magnâ gratiâ, ut vincatur natura ad malum ſemper prona ab adoleſcentia ſua. Nam per primum hominem Adam lapſa & vitiata per peccatum, in omnes homines pœna hujus maculæ deſcendit, ut ipſa natura, quæ bene & rectè à te condita fuit, pro vitio jam & infirmitate corruptæ naturæ ponatur, eo quod motus ejus ſibi relictus ad malum & inferiora trahit; nam modica vis quæ remanſit, eſt tanquam ſcintilla quadam latens in cinere. Hæc eſt ipſa ratio naturalis circumfuſa magnâ caligine, adhuc judicium habens boni & mali, veri falſique diſtantiam; licèt impotens ſit adimplere omne quod approbat, nec pleno jam lumine veritatis, nec ſanitate affectionum ſuarum potiatur. Hinc eſt, Deus meus, quod delector legi tuæ ſecundùm interiorem hominem, ſciens mandatum tuum fore bonum, juſtum, & ſanctum; arguens etiam omne malum & peccatum fugiendum. Carne autem ſervio legi peccati, dum magis ſenſualitati obedio, quàm rationi. Hinc eſt quod velle bonum mihi adjacet, perficere autem non invenio. Hinc ſæpè multa bona propono, ſed quia gratia deeſt ad adjuvandum infirmitatem meam, ex levi reſiſtentia reſilio & deficio. Hinc accedit quod viam perfectionis agnoſco, & qualiter agere debeam clarè ſatis video, ſed propriæ corruptionis pondere preſſus ad perfectionem non aſſurgo.*

Ex Paulo & Auguſtino comparata ſunt hæc omnia, quæ Auctor affectu tanto & ſtudio exponit. Cæterùm ille ſolus, cùm manibus teratur omnium qui pietatem veram ſincerè colunt, ad amoliendam cenſuram quamcumque ſufficeret apud æquos rerum æſtimatores.

Notatio Viceſima tertia.

Hæc de qua nunc agimus propoſitio juris temeraria dici non poteſt, niſi tradita à Theologis notio propoſitionis temerariæ innotetur. Quæ verò ſit propoſitio temeraria declarat Notatio decima ſexta. Huic notæ locus nullus eſt, cùm dictum aliquod vel ratione bonâ, vel auctoritate firmâ munitur. At propoſitio Arnaldi defenſores habet duos excellen-

cellentiſſimos Eccleſiarum Magiſtros, quorum teſtimonia Notatione ſuperiori deſcripſimus. Quapropter aſſertio Doctoris Arnaldi tuta eſt, ſi non ab inſidiis adverſariorum, certè à temeritate propoſitionis.

Notatio Viceſima quarta.

Circa notam propoſitionis impiæ & blaſphemæ unum ſcio, alterum neſcio, tertium requiro. Scio quidem & certò, neque à Conſtantienſi Concilio, quod ni fallor Scholaſticis legem imponit, neque à Petro Garſia, neque à Melchiore Cano, neque à Dominico Banne, neque à Joanne Bagotio, neque ab aliis quos vidi Theologis, inter Cenſurarum notas propoſitionem blaſphemam & impiam reponi. Neſcio verò quem falſitatis gradum Cenſores propoſitioni impiæ & propoſitioni blaſphemæ tribuant; ita ut propoſitio utraque, blaſphema & impia, ab erronea & hæretica diſtinguatur. Hoc autem cùm penitùs ignorem, nec ſupra ſobrietatem univerſalis Concilii, Garſiæ, Cani, Bannis, Bagotii, & aliorum Theologorum ſapere poſſim, accidit ut à Cenſoribus certa & legitima mihi requirenda ſit propoſitionis impiæ & propoſitionis blaſphemæ definitio. Et ſanè, cùm ad novam loquantur regulam, tenentur nobis mentem ſuam explicare, & docere quid mali & falſi utraque propoſitio ſupra vel infra propoſitionem erroneam & hæreticam importent. Blaſphemia, cùm nihil aliud ſit, quàm execratio, maledictio, convitium, & quaſi nocens dictum, ſacrilega infamatio, vel obtrectatio nefaria; Impietas quoque cùm aliud nihil ſit quàm ſcelus & injuſtitia adversùs Deum, Patriam, Parentes, & Amicos, non ſunt cenſurarum notæ, ſed ſunt ea quæ cenſurarum notis afficiuntur. Hìc neque præjudicium neque judicium facio, ſed opperior uſque dum Cenſores myſterium rei hujus nos doceant.

Notatio Viceſima quinta.

Propoſitio dicitur anathemate damnata; ſed quo in Concilio, quo in Symbolo, qua in fidei profeſſione, non dicitur, nec dici poteſt. Propoſitio quæ damnatur, indefinita damnatur, ac proinde tota, ut jacet damnatur. Hac ratione quærenda non eſt, ante ſæculum quo Calvinus & Molina vixerûnt; cùm auctores hi duo in partem veniant propoſitionis quæ anathemate damnata cenſetur.

Tridentinum quidem Concilium decernit anathema in eum, *qui dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia.* Sed iſtud non dicit Arnaldus in propoſitione ſua: & cùm dicit: *Veritas per Evangelium conſtituta, & Patrum teſtimonia confirmata, nobis exhibet hominem juſtum in Beato Petro, cui gratia, ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione, ubi eum non peccaſſe dici nequit*; hoc in ſen-

ſu

ſu Patrum, & cum primis Auguſtini & Chryſoſtomi dicit; quo ſenſu non loquuntur qui à Concilio damnantur. Et certè Concilio injuriam graviſſimam faciunt, qui definitionem illius detorquent in propoſitionem, quæ tota auctoritati Patrum innititur. Quod ſi non poſſint Concilii definitionem ſic interpretari, ut cum ea conſiſtat Arnaldi propoſitio, hoc agendum melioribus interpretibus relinquam. Sed hanc æquitatem impediunt partium ſtudia, quæ prætextu religionis exercentur. Præterea, ſi Arnaldi propoſitio damnata eſt à Patribus Concilii, Arnaldus damnatam ab iis propoſitionem repetiit ac reſumſit. At verò quis vel ex Concilio, vel ex hiſtoria Concilii probaret, ventilatam eſſe à Patribus Arnaldi propoſitionem, in qua de Evangelio, de Petri lapſu cùm ei gratia defuit, de Calvino, de Molina, & Molinæ diſcipulis tractetur?

Bellarminus l. 4. de juſtificatione c. 10. ſtatum controverſiæ quæ hac in materia catholicos inter & hæreticos intercedit, his verbis proponit: *Utrùm homines juſtificati, & gratiâ Domini adjuvante, poſſint ita legem divinam implere, ut ipſorum opera non modò non ſint appellanda peccata, ſed etiam verè & propriè juſta dici mereantur. Et quidem hæretici hujus temporis partem negantem defendunt: docent enim legem divinam eſſe planè impoſſibilem homini etiam juſto; & inde colligunt, nullam eſſe in nobis veram actualem juſtitiam, ſed omnia opera juſtorum eſſe peccata mortalia ex natura ſua. Ita Lutherus docet in libro de libertate Chriſtiana: Æquè (inquit) nobis impoſſibilia ſunt omnia præcepta, atque illud unum non concupiſces. Idem habet Joannes Calvinus, l. 3. Inſt. c. 14. ſect. 9. Nullum (inquit) à ſanctis exire poteſt opus, quod non mereatur juſtam opprobrii mercedem. Idem etiam in Antidoto Concilii, ſeſſ. 6. c. 10. ſic ait: Non ſunt tantopere exagitandi, qui dixerunt quamlibet bona opera, ſi exacto rigore cenſeantur, æternâ potiùs damnatione, quàm vitæ præmio digna eſſe. Ibidem diſputat contra id quod habet Concilium, Legem Dei non eſſe impoſſibilem, & in l. 2. Inſt. c. 1. ſect. 5. ex inſtituto probat, ne Sanctis quidem poſſibilem eſſe legis impletionem, præſertim quod attinet ad illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & illud: Non concupiſces.*

Hæc eſt doctrina quam Concilium anathemate percutit; ſed quid habet commercii cum Arnaldi propoſitione, quæ anathemate damnata cenſetur? Omnino nihil. Lutherus, Calvinus, & Concilium non tractant eam quæſtionem quam Arnaldus tractat, ex modo quo Beatus Petrus in ſenſu Patrum Chriſoſtomi & Auguſtini peccavit. Quod ſi Concilium de hac ſpeciali quæſtione non agat, uti revera non agit, gratis & ſine ratione aſſeritur, Propoſitionem Arnaldi fuiſſe à Concilio anathemate damnatam. Nemo unquam, opinor,

nor, in ſe recipiet Concilium damnaſſe propoſitionem, de qua diſputationem nullam inſtituiſſet, & in qua Chryſoſtomi & Auguſtini doctrina labefactaretur. Præterea, neque Lutherus & Calvinus Chryſoſtomi & Auguſtini teſtimonia in medium adducunt, ut ſuam de præceptis impoſſibilibus aſſertionem confirment; neque Bellarminus ea ſibi objicit, ut diluat, diluendùmque nihil relinquat. Hic auctor nonnunquam ſibi objicit, quæ illi prætermiſerunt. Hoc autem indicium eſt admodum probabile, aliò Lutherum & Calvinum, alio Doctorem Arnaldum ſpectare. Hæc quæſtio cogenda eſt in numerum & ordinem illarum profundiorum & difficiliorum, quæ propter altitudinem ſui nec contemnendæ ſunt, nec adſtruendæ; & quæ ſi quando tractentur inter Theologos, ſine pompa, ſine partium ſtudio & invidia, ſed Chriſtianâ ſimplicitate ac modeſtiâ tractandæ ſunt. Cæterum quicquid id eſt, conſiſtit in inventione & explicatione modi, quo homo juſtus in peccatum labitur, cùm ut labatur Deus permittit. Nam certum eſt permittente Deo hominem ex juſto nonnunquam injuſtum fieri: qua in re Thomiſtæ & Jeſuitæ concordant, ſed in explicatione modi, quo talis fit tranſitus, diſcordant. Thomiſtæ dicunt hominem ex juſto injuſtum fieri, gratiæ efficacis ſeu determinantis defectu; Jeſuitæ hoc negant. Sed cùm uni negant quod alii dicunt, intervenit quæſtio de auxiliis, quæ Clemente Pontifice VIII. agitata Romæ, & deciſa non fuit, & quæ quamdiu deciſa non fuerit, unicuique liberum erit impunè ſentire quod voluerit, etiamſi Thomiſtæ & Jeſuitæ putent, abſurdis ſe mutuò complexionibus fatigare.

Notatio Viceſima ſexta.

Nunc examinanda eſt nota cenſurarum omnium graviſſima, quæ hæretica vocatur, & ſic à Theologis definitur. Et primò quidem à nonnullis quos Guillelmus Ocamus tacito nomine laudat, l. 20. dialogorum c. 6. *Quidam* (inquit) *definiunt ſeu deſcribunt hæreſim, dicentes: Quod hæreſis eſt dogma falſum, fidei orthodoxæ contrarium. Hæc definitio conſtat genere & differentiâ.*

Deinde à Melchiore Cano l. 12. de locis c. 7. *Hæreſis eſt ejus qui fidem profeſſus fuerit, pertinax error illi veritati manifeſtè contrarius, quæ catholica certò ſit.*

Tum à Dominico Banne, in 2. 2. q. 10. art. 20. *Hæreſis eſt propoſitio directè contraria veritati fidei.*

Denique à Joanne Bagotio Inſtitutionum theologicarum de vera religione, l. 4. diſp. 5. c. 1. *Propoſitio hæretica à Patribus intelligitur ea, quæ contradictoria eſt alicui propoſitioni fidei per ſe & directè: ita ut hæretica neget, quod propoſitio revelata & ab Eccleſia definita ut talis affirmat, aut illa affirmet id quod iſta negat.*

Hic

Hic operæ pretium eſt afferre quæ Ocamus l. 2. dial. tradit. c. 13. *Licèt ad ſummum Pontificem non ſolum per modum doctrinæ, ſed etiam autenticè pertineat definire, quæ aſſertio Catholica, quæ hæretica eſt cenſenda; non tamen poteſt facere de veritate non Catholica veritatem Catholicam, nec de aſſertione non hæretica hæreticam valet efficere. Quo tamen non obſtante definitio ſua plus operatur, quàm determinatio Doctoris, quia poſt determinationem Doctoris licet cuilibet ſicut priùs contrarium opinari, & publicè opinando tenere. Hoc autem non licet poſt definitionem certam ſummi Pontificis; & licet cuilibet Epiſcopo & Inquiſitori pravitatis hæreticæ, contra tenentes contrarium illius quod ritè per ſummum Pontificem definitum extitit, procedere juxta canonicas ſanctiones, niſi tales offerrent ſe ratione ad probandum ſummum Pontificem errorem definiviſſe, in quo caſu eſſet ad Concilium Generale recurrendum.*

Nunc autem videndum eſt, utrum propoſitionis hæreticæ definitio conveniat in hanc Arnaldi propoſitionem: *Interea veritas magna hæc per Evangelium conſtituta, & Patrum teſtimonio confirmata, quæ nobis exhibet hominem juſtum in Beato Petro, cui gratia, ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione, ubi eum non peccaſſe dici nequit, ſtatim evaſit in Calvinianam hæreſim, ſi Molinæ ſectatoribus fides habeatur.*

Propoſitio hæc, quæ tota ut jacet hæreſeos damnatur, orthodoxæ fidei ſeu catholicæ veritati directè ac manifeſtè contraria non eſt; quemadmodum per ſe ſatis apparet. Quis enim Theologus affirmaret hanc propoſitionem eſſe orthodoxæ fidei, ſeu catholicæ veritatis articulum: *Interea veritas magna hæc per Evangelium conſtituta, & Patrum teſtimonio confirmata, quæ nobis exhibet hominem juſtum in Beato Petro, cui gratia, ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione, ubi eum non peccaſſe dici nequit, non ſtatim evaſit in Calvinianam hæreſim, ſi Molinæ ſectatoribus fides non habeatur.*

Hæc propoſitio, tota quanta eſt, orthodoxæ fidei ſeu catholicæ veritatis articulus eſſe debet, ſi contraria propoſitio ſit hæretica. Quibus autem in Conciliis, quibus in Pontificum Decretis, quibus in Patrum Commentariis, reperitur aut legitur talis articulus orthodoxæ fidei, ſeu catholicæ veritatis? Hîc non quærantur diverticula, tergiverſationes vitentur; candor animi, & ſimplicitas Chriſtiana locum habeat. Aperiendi ſunt Conciliorum codices, replicandæ Conſtitutiones Pontificum, evolvendi Patrum Commentarii, in quibus perſpicuè poſſimus legere, vel damnatam hæreſeos propoſitionem, vel damnatæ propoſitioni contrariam, quæ per modum orthodoxæ fidei & catholicæ veritatis credenda proponatur. Agimus de propoſitione quæ non diminutè & reſtrictè, ſed indiſtinctè & promiſcuè damnatur. Unde contingit ut hæreſeos nota

propo-

propoſitionem ut jacet totam, non aliquam tantùm illius partem afficiat. Hic Rhodus, hic ſaltus. In hac arena pugnamus, nec pes extra ſcamna movendus eſt. Currentem ſola veritas ſiſtat. Id autem ſpondeo, atque in me recipio, quòd vel ipſa oculorum acies ſpondere atque in ſe recipere poteſt, Concilium eſſe nullum, Conſtitutionem Pontificiam eſſe nullam, ſanctorum Patrum codicem eſſe nullum, in quo damnata propoſitio, vel ei contraria, quod ſufficeret, legatur. Quamobrem nota hæreſeos, quâ propoſitio inuritur, defendetur nunquam; niſi probetur, de non hæretica aſſertione hæreticam affectionem; aut de non catholica veritate catholicam veritatem effici poſſe. Scholæ verba ſunt quæ ex Ocamo retulimus. Quis autem probet aſſertionem, quæ ex ſe hæretica non eſt, hæreticam; & veritatem quæ ex ſe catholica non eſt, catholicam fieri poſſe? Nondum inventæ ſunt machinæ, quibus opus tam grande, támque mirificum abſolvatur. Unde Ocamus acutè obſervat c. 12. l. 2. dialog. *Quòd ſicut non poteſt ſummus Pontifex, nec etiam tota Eccleſia Dei, de aſſertione non vera facere veram; nec de aſſertione non falſa facere falſam; ita non poteſt de aſſertione non catholica facere catholicam, nec de aſſertione non hæretica facere hæreticam.*

Hactenus ad propoſitionis hæreticæ definitionem, quam Doctores quidam apud Ocamum, Canus & Bannes tradiderunt: nunc ad ejuſdem propoſitionis definitionem, quam confecit Bagotius, veniendum eſt. Non quòd Bagotius in ſua definitione à Doctoribus aliis multùm differat, ſed quòd explicatiùs loquatur. Hæreſeos igitur labes, quæ propoſitioni aſpergitur, Bagotianæ definitionis lucem ferre non poterit. Si ad eam apponatur incaleſcet, & tota colliquefacta extra propoſitionem diffluet ac diſſipabitur. Ubinam quæſo in Scripturis objicit ſeſe propoſitio revelata, & ab Eccleſia poſtmodum definita, quam Doctoris Arnaldi propoſitio neget; cui ex adverſo contradicat? Ubinam Scripturæ id per ſe & directè affirmant, quod Arnaldus negat, vel negant id quod Arnaldus affirmat? In ſumma, fidei propoſitio; cujus contradictoria ſit Arnaldi propoſitio, tam non offenditur apud Scripturam, quàm non offenditur apud Homerum vel Heſiodum. Scripturas urgeo, quia Bagotius ad conficiendum dogma requirit duo; imprimis ut revelatum ſit; deinde ut tale definiatur ab Eccleſia. Sed Eccleſia, cùm ſit nomen multitudinis, definitionem hanc uni Romano Pontifici non tribuit, idque convenienter principiis ſuis; quippe qui mortalium cuivis extra Concilium abjudicet infallibilitatem. Porrò, in his duobus quæ ad conſtituendum dogma catholicæ fidei neceſſaria eſſe docet, diſſidentes apud Ocamum & Garſiam Theologorum quorumdam ſententias prudenter conciliat. Quoniam verò planè

conſtat;

conſtat, Propoſitionis Arnaldi Cenſuram hoc modo afflictam & proſtratam eſſe, nunc juris fictione quadam tentandum eſt, num aliter efferri erigique poſſit. (*a*) Recerentur ergò Calvinus, Molina, Molinæ diſcipuli, & propoſitionis totius connexio, quæ omnia nec in Scripturis inveniuntur, nec inveniri poſſunt; & quæ nec in Synodis ullis aut Pontificum Decretis leguntur: tum formetur hæc propoſitio, *Veritas per Evangelium conſtituta, & Patrum teſtimonio confirmata, nobis exhibet hominem juſtum in Beato Petro, cui gratia, ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione, ubi eum non peccaſſe dici nequit.* Vel breviùs: *Beato Petro, qui juſtus erat, gratia, ſine qua fieri nihil poteſt, in ea defuit occaſione in qua peccavit.*

Tunc hæc propoſitio per ſe & directè non contradicet propoſitioni ulli quæ revelata ſit, atque ut talis ab Eccleſia definita. Lectione ſolâ & Latinitatis intelligentiâ opus eſt, ut ea ſuper re judicium pronuntietur.

Poſtremò, demus propoſitionem quæ Arnaldinæ propoſitioni oppoſita eſt, in Scripturis diſertè reperiri, ſupereſt adhuc ut in ea per Eccleſiam definienda pareatur Tridentinæ profeſſioni fidei, quæ modum interpretandarum Scripturarum ita præſcribit: *Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam & interpretabor.*

Huic autem Sacramento tum demum ſatisfacit, qui Evangelii locum, in quo de lapſu Petri ſermo inſtituitur, deſcribet; & poſtea non diſcrepantes, ſed unanimes Patrum ſententias in eum adducet. Quinam verò ex Patribus Evangelii locum aliter, quàm celeberrimi Eccleſiarum Magiſtri duo Chryſoſtomus & Auguſtinus, interpretentur, ſcire cupio. Sed interim præ me fero in ordine Patrum, qui Cenſuræ cauſam adjuvabunt, inter cæteros Auguſtinum & Chryſoſtomum ſtare non poſſe. Hoc ita conſtituto, expectandus non eſt unanimis Patrum conſenſus, quem ad veram Scripturarum interpretationem neceſſarium Tridentina Synodus decrevit. Ubi verò deeſt Patrum conſenſus unanimis, ibi catholica veritas & fides ſtatui non poterit, cui Arnaldi propoſitio repugnet: quo modo hæretica nuſquam meritò cenſebitur.

Notatio Viceſima ſeptima.

Reſtat modò ut attingamus Decretum, quo unicuique Magiſtrorum ad deliberationem & conſultationem de propoſitione juris dimidium horæ præſcriptum eſt. Et primò quidem Facultatis Theologicæ Decretum id vocari non debet, quod ex tempore conſtitutum eſt. Antiqui extemporalem dixere garrulitatem, extemporalem dixere temeritatem; ſed

(a) Forte *Reſecentur.*

ſed extemporalem nuſquam dixere ſapientiam, extemporalem nuſquam dixere prudentiam: quod deinde conſtitutum eſt multis tumultuantibus, qui ſtudiis partium tranſverſi agebantur: quod etiam conſtitutum eſt multis contradicentibus, quorum rationes hoc ipſo quòd legitimæ forent, in contemtum abierunt. Præterea, quî fieri poteſt ut in temporis ſpatio tam brevi Scripturæ, Patres, Concilia, primæ, mediæ, poſtremæ ætatis auctores & Theologi legantur, expendantur, inter ſe conferantur in momento rei quæ tractatur, vel ſecum ipſi diſcordes vel concordes judicentur. Hoc accuratè & diligenter faciendum eſt ab iis, qui doctrinam novã configunt, eíque dogma catholicum opponunt. Nam, ut ait Vincentius Lirinenſis: *In ipſa catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, ut id teneamus quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim verè propriéque catholicum, quod ipſa vis nominis ratiéque declarat, quæ omnia verè univerſaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, ſi ſequamur Univerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem. Sequemur autem Univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos Sanctos majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium, Sacerdotum pariter ac Magiſtrorum, definitiones ſententiaſque ſectemur.*

Hîc ſomnium mihi ſomniare videor, dum audio fuiſſe numerum aliquem Magiſtrorum, qui propoſitionis diſquiſitionem certam per annos mille ſexcentos in ſemihoram contulerint. Cùm Romanus orator pro Caio Rabirio diceret, de ſimili brevitate temporis, quod ei Titus Labienus definierat, ſic graviter conqueſtus eſt: *Nunc quoniam, Tite Labiene, diligentiæ meæ temporis anguſtiis obſtitiſti, méque ex comparato & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihoræ circulum coegiſti, parebitur: &, quod iniquiſſimum eſt, accuſatoris conditioni; &, quod miſerrimum, inimici poteſtati.*

Agebatur de Majeſtatis crimine, quod multò faciliùs diſſlari ac dilui poterat, quàm in jure pronuntiare ac definire, utrùm Arnaldi propoſitio, quæ juris dicitur, ſit digna quæ hæreſeos notam ſuſcipiat: cùm hæretica intelligatur propoſitio, cui catholicum dogma per ſe ac directè opponitur; catholici verò dogmatis determinatio ſemihoræ ſtudium & opus non eſt, ſi catholicum dogma ſit id quod Vincentius deſcribit. Verùm quid ego de Cicerone loquor, qui Caii Rabirii patronus erat, non judex, cui liberum pronuntiandi tempus ſemper relictum eſt. Ediſſerant ſi poſſint in ulla umquam Provincia fuiſſe forum, in quo deliberandi conſultandique ſpatium judicibus præſcriberetur. Tam ſancta ac tam religioſa eſt

hæc

hæc judiciorum libertas, ut eam nullus unquam imminuere aut violare tentaverit. Quàm lentè & quàm liberè procedendum ſit in doctrinæ determinationibus, Facultas Theologiæ, tum aliàs ſemper docuit, tum maximè quando Joannis Parvi aſſertiones damnavit. Sic enim Magiſtri pronuntiant: *Joannes Breviſcoxa dicit, quòd in iſta materia cum ſumma gravitate eſt procedendum propter arduitatem materiæ, & de præſenti in ſpeciali neſciret quid ultra deliberare, niſi quòd mittantur ſchedulæ, & diſcutiatur pleniùs materia. Miniſter ſancti Maturini Magiſter in Theologia, conſiderat hanc materiam bene arduam, & apparet ſibi quòd Facultas Theologiæ aliàs fecerat congregata in ſancto Maturino ſuper iſta materia, & ponderabat arduitatem materiæ, & ſtat concluſivè quòd examinetur adhuc pleniùs materia.*

Sic & plures alii Doctores prònuntiant: ſed inſtar omnium eſt quod Pariſienſis Cancellarius tradit in nota quadam epiſtola; quæ extat parte quartâ Operum, & ubi ſic habetur: *Res debet ſummâ maturitate & diuturnâ deliberatione ventilari, magis quàm approbatio vel reprobatio unius dicti ſcholaſtici; pro cujus tamen diſcuſſione apponitur quandoque tractus anni vel biennii, quandoque totum dimittitur indiſcuſſum.*

Hæc eſt Facultatis conſuetudo, hic uſus, hæc diſciplina. In Facultate igitur res eſt extra difficultatem poſita, deliberantibus Magiſtris tempus nullum definiri, ſed liberum relinqui. Quod ſi Magiſter aliquis tempore abutatur, res abſurda non debet abſurdiori corrigi vel emendari. Neque enim correctio eſſet vel emendatio, ſi propter unius vel alterius culpam cæteri Doctores indignè tractarentur, & libertas publica minueretur. Hoc demum ita fiet, ſi, ut Magiſtro uni vel duobus per aſſignationem brevioris temporis malè & ineptè deliberandi tollatur occaſio, Doctoribus reliquis bene ac prudenter deliberandi libertas adimatur: quo nihil eſt injuſtius, vel ab ſocietatis cujuſlibet inſtitutis alienius. Si quis Judex in publico Concilio moleſtus eſt, & inter deliberandum tempore abutitur, tolerandus & à Præſide monendus eſt ut corrigatur; &, ſi corrigi non vult; expellendus. Sed propterea ferri minimè debet lex, quâ recepti inter deliberandum mores ſanctiſſimi mutentur, & brevius quàm antea deliberandi tempus aſſignetur. Non, quàm diu; ſed quam bene, ſpectandum eſt: ſemper ſat citò, ſi ſat rectè. Tarditas conſilio adjuta celeritatem vincit: unde Theognis,

Callidus & tardus celerem inſectando prehendit.

Plinius Junior l. 6, ep. 2. rem iſtam ita decidit: *Soleo* (inquit) *nonnunquam in judiciis quærere Marcum Regulum, nolo enim dicere, deſiderare.* Et quibuſdam interpoſitis: *Nam poſtquam obiit ille, increbuit paſſim & invaluit conſuetudo binas vel ſingulas clepſydras, interdum & dimidias, & dandi*

& petendi. Nam & qui dicunt, egiſſe malunt quàm agere, & qui audiunt, finire quàm judicare. Tanta negligentia, tanta deſidia, tanta denique irreverentia ſtudiorum periculorúmque eſt. An nos ſapientiores majoribus noſtris? Nos legibus iſtis juſtiores, quæ tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? Nos apertiùs dicimus, celeriùs intelligimus, religioſiùs judicamus, qui paucioribus clepſydris præcipitamus cauſas, quàm diebus explicari ſolebant? O Regule, qui ambitione ab omnibus obtinebas, quod fidei pauciſſimi præſtant. Equidem quoties judico, quod vel ſæpiùs facio, quàm dico, quantum quis plurimum poſtulat aquæ, do. Etenim temerarium exiſtimo divinare, quàm ſpatioſa ſit cauſa inaudita tempúſque negotio finire, cujus modum ignores, præſertim cùm primùm religioni ſuæ Judex patientiam debeat, quæ pars magna juſtitiæ eſt. At quædam ſupervacanea dicuntur: etiam; ſed ſatius eſt & hæc dici, quàm non dici neceſſaria. Præterea, an ſint ſupervacua, niſi cùm audieris ſcire non poſſis.

Hæc ſi dicantur de patronis & cauſidicis, quæ, amabo vos, non dicerentur de arbitris & judicibus? Memoriæ proditum eſt, in Concilio Tridentino impoſitum eſſe ſilentium nonnullis Doctoribus, qui in nugis & diſputationibus vanis tempus terebant; ſed illi Judices non erant ſimiles iis, de quibus nunc ſermo inſtituitur. Nec propterea conditus eſt Canon ullus, quo certum diſputandi ſpatium Theologis circumſcriberetur. Hac de re quæſtio eſt, in qua ne ſophiſticam quidem timeo fuliginem, quâ quicquid volunt dealbare ſolent. Hanc Notationem urgeo, in ea verſor & habito, quæ ad cætera, quæ ſuprà deduximus, flagitia, ut iniquitatis ſummæ cumulus accedere mihi videtur.

CONCLUSIO
Notationum.

Atque hæc ſunt quæ me à ſubſcriptione Cenſuræ hujus vehementer deterrent; quæ tamen non deterrebunt, ſi ab aliquibus Magiſtris aptè & idoneè diluantur. Uſu venire ſolet, ut quæ res uni negotium facit, alteri non faciat. Quo fit, ut quæ omnia notavi, cuicunque viro pio atque erudito diluenda corrigendáque ſubmittam, pollicéarque me in ejus qui rectè correxerit diluerítque, animo æquo diſceſſurum. Veritatem quæro, & eam fortaſſis fugio; ſed eam mihi oblatam ambabus, ut aiunt, ulnis ampleƈtar. Cenſuram Facultatis Theologiæ non appello, quia Cenſura talis appellari non debet, quæ per Facultatem totam facta non eſt concorditer. At verò qui Cenſuræ reſiſtit, quæ neque concorditer, neque convocatis Magiſtris omnibus, confecta eſt, Facultati reſiſtere non judicatur. Imò qui contra faceret, reſiſteret. Unde accidit, ut quidam olim Pariſienſes Magiſtri doctrinâ & pietate præditi, articulos

culos ſeu cenſuras majorum graviter accuſarint. Id Joannes Picus Mirandula teſtatur in Apol. Concluſ. 1. *Dicit Solennis Doctor Gotfredus de fontibus, Quòd iſti Articuli magnâ indigent correctione, quia nonnulli ſunt falſi, nonnulli ad invicem ſibi contradicunt. Iterum, Ægidius & alii multi dicunt, Quòd de illis Articulis nihil eſt curandum, quia fuerunt facti non convocatis omnibus Doctoribus Pariſienſibus; ſed ad requiſitionem quorundam capitoſorum.* Iterum adhuc: *Ipſi Pariſienſes fatentur, quòd illi Articuli non obligant omnes fideles, nec tenentur illis credere; niſi inquantum Scripturæ ſacræ innituntur; aut determinationibus univerſalis Eccleſiæ.*

Quod igitur Gotfredo, Ægidio, & aliis impunè licuit, cur mihi non liceat? Nam etiamſi non ſimus pares merito, gradu tamen & conditione Theologorum pares ſumus. Huc accedit quod in Notationibus meis deprehendatur facilè, quantum ego fidei & auctoritatis Facultati concorditer agenti, & communibus ſcholæ noſtræ placitis tribuam. Ea de re cum adverſariis, ſi qui futuri ſint, pugnaciter certabo. Quinetiam vel ex hoc uno capite adversùs imperitos rerum Facultatis & malevolos præſcribo; & amuletum adjicio etiam contra Satanam potentiſſimum, quo nefarias illorum obtrectationes amoliar & averruncem.

XII.

ANTONII ARNALDI

DOCTORIS ET SOCII SORBONICI

EPISTOLA APOLOGETICA

AD QUEMDAM EPISCOPUM

PRIMA

Quâ omnium à ſe Actorum ab ipſo Comitiorum Sacræ Facultatis Theologicæ exordio uſque poſt diſcuſſam Facti quæſtionem, rationem reddit.

QUAM mihi legem impoſuiſti, Præſul Illuſtriſſime, hanc quâ par erat veneratione excepi; ipſi tamen non niſi invitus obtempero: quippè qui ſciam oppreſſis hominibus convenire lacrymas & ſilentium, debereque ſapientem tacere in diebus malis, ſicuti jubet ipſa Sapientia. Statueram itaque uni Deo in ſecretiori meæ ſolitudinis receſſu exponere datas mihi cauſas meritò conquerendi, & in ſinu tantùm Patris miſericordiarum & Dei totius conſolationis gemitus meos doloremque profundere.

Tu verò, ratus privato conſcientiæ teſtimonio contentum eſſe non oportere eum, cujus cauſa ſic fuerat publica, nec relinquendum à me quidquam quod ſimplicibus hominibus poſſet eſſe offendiculo, exiſtimaſti palàm exhibendos oculis fidelium intimos animi mei ſenſus, eóſque publico velut teſtimonio conſignandos, renovando juratam fidem unicæ omnium Dei filiorum Matri Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ, cui velle me perpetuò adhærere ſæpiùs antehac, adhibito etiam Sacramento, teſtatus ſum.

Tibi, Præſul Illuſtriſſime, & monenti & imperanti morem gero. Quæ à me geſta ſunt, quando ita jubes, narrare aggredior. Poterunt alii, ſi libeat, pluribus diſſerere quidquid in celeberrimis iſtis Comitiis actum eſt; depingere eorum pompam & apparatum: qui eo major viſus eſt, quòd novus fuit minimèque expectandus; deſcribere eorumdem circumſtantias quas & urbs tota maximè ſtupuit, nec minori cum ſtupore forſitan audiet poſteritas: quæ quidem ſicuti nullum ante noſtram ætatem exemplum habuerunt, ita nullum futuris ſæculis

* Pſal. 38. 3. Eccli. 13. 4.

culis habebunt, adeò offenderunt quidquid æquorum virorum eſt.

Poterunt hinc exhibere quò prorumpat acerbum & atrox odium, cùm vel inani æquitatis ſpecie tegitur; quantam caliginem offundat præcepta dudum opinio, cum mentes ita obſidet, nullus ut veritati relinquatur aditus; quid denique aut timidum aut ambitioſum poſſit obſequium, quod pertinaciæ nomen facilè tribuit conſtantiæ, & doctrinam illam putat fidei adverſari, quæ commodis adverſatur ſuis.

Illinc poterunt iidem depingere, quid ſincerus gratuitúſque Dei ac juſtitiæ amor Chriſti miniſtris ſuadere valeat; quid præſtet in pectoribus verè Chriſtianis firmitudo animi modeſta ſimul & generoſa; quem ardorem, quas vires ad tuendam veritatem & innocentiam habeant ii quos & incendit charitas & regit ſcientia.

Ego verò ea tantùm dicam quæ me privatim ſpectant. Nuda & ſimplex rerum à me geſtarum narratio inſtituetur, ad defendendum me eò efficacior, quòd ſic facilè patebit, quàm toto hoc in negotio moderatè me geſſerim. Quod natura & Religio probo cuique viro & Chriſti Sacerdoti imperant, id præſtabo ut famam integram fidemque illibatam conſervem. Efficiam ut vel ſolæ inimicorum meorum iniquæ artes me inſontem probent, ipſoſque reos arguant. Denique conabor oſtendere, facile quidem eſſe quempiam condemnari tum cum iidem judices ſunt qui accuſatores; cùm privatorum odium ſubſidiis aliunde accerſitis ſubnixum, potens factum eſt & formidandum; cùm præcluditur vox iis qui, à turpi coitione alieni, volunt totis viribus ſuccurrere oppreſſæ veritati; at non ita facile adduci homines poſſe, ut Theologum quempiam credant ideò injurioſum & temerarium, quòd in quæſtione facti ſuum aliquod dubium modeſtè & timidè propoſuerit, præſertim cùm illi incubuerit neceſſitas defendendi ſe adversùs eos quibus ſilentium ipſius dicebatur ſchiſma & hæreſis.

Hoc erit primæ hujus Epiſtolæ argumentum. In aliis, Deo dante, oſtendemus longè adhuc difficilius eſſe perſuaderi Viris ſapientibus & doctis, maximè piam & catholicam SS. Patrum ſententiam, germano eorum ſenſu ipſiſſimiſque verbis expoſitam, derepente factam eſſe *impietatem*, *blaſphemiam*, *hæreſim*: Doctorem Sorbonicum non amplius inter orthodoxos eſſe numerandum, quòd SS. Patrum Auguſtini & Chryſoſtomi tantùm verba mutuatus ſit, non autem Molinæ, Moynii, Annati: neque jam Catholicos cenſendos eos qui antiquam veterum Eccleſiæ Doctorum fidem teneant, ſed qui novis adhæreant recentium illorum ſcholæ Doctorum opinionibus.

Cognitum tibi eſt, Præſul Illuſtriſſime, quid primùm moliti ſint inimici poſt initam conjurationem ad me opprimendum. Delecti ab ipſis in Examinatores

meos ac judices ii, quos ſciebant acerrimos mihi adverſarios, ſatis indicarunt, quàm inani ſpe, & quàm acerbo in me odio eorum conſilia niterentur. Noverat tota urbs eos, quos iſti examini præfecerant, mihi infenſiſſimos eſſe, ob refutatos, ut ipſi putabant, ſcriptis à me libris errores ſuos. Non ignorabant viris omnibus moderatis viſum iri odioſum talem delectum. At timuerunt ne conſilii ſui ſpem incertam aut irritam facerent, ſi ejus iniquitatem ac violentiam voluiſſent ſtudioſiùs regere. Quilibet alii Doctores minùs odio aſperati operam ad id ſuam non præſtitiſſent. Maluerunt minùs æquos videri ſe, quo certiùs meditatam in me injuriam perficerent.

Legibus divinis pariter & humanis, Eccleſiaſticis & civilibus prohibitum eſt, ne qui adverſarii ſunt, ii teſtes ſint, nedum judices. Itaque qui contenderunt licere civilibus tantùm in negotiis, minimè verò in Eccleſiaſticis ſuſpectos judices rejicere, ii declararunt quantâ ejuſmodi rerum ignorantiâ laborarent, & quanto arderent odio. Etenim nonne in negotio ad Eccleſiam doctrinamque pertinente pronunciat generatim magnus Athanaſius (*in Apologia 2.*) *Lege divinâ non licere inimico eſſe unquam teſtem vel judicem?*

Nonne in negotio Eccleſiaſtico S. Chryſoſtomus damnatus & ſua Sede ejectus ab Epiſcopis Catholicis, idemque ab Imperatore pulſus in exilium, Innocentio I. Summo Pontifici probare volens vim eſſe nullam judicii adverſùm ſe lati, oſtendit ſe recuſaſſe huic adeſſe Concilio, eo quòd & Præſidem & tres alios Epiſcopos ſibi infenſos non potuerit habere judicum loco? (*Chryſoſt. Epiſt. ad Innoc. PP.*)

Nonne in negotio Eccleſiaſtico S. Pontifex Nicolaus I. abſolutè declarat, *Non eſſe accipiendos pro judicibus eos qui ſint ſuſpecti & infenſi?*

Denique nonne perverſæ Theologorum illorum opinioni adverſatur hoc Doctiſſimi Gelaſii S. Pontificis Decretum; *Si judicio ubi iidem ſunt inimici qui judices, nec humana debent communii negotia; quantò minùs divina, id eſt, Eccleſiaſtica?* (Gelaſ. in Commonitorio ad Fauſtum.)

Vides igitur, Illuſtriſſime Præſul, inductum me exemplo Sanctiſſimorum Patrum, quos mihi ſemper in exemplar vitæ, doctrinæque regulam propoſui, ferre tacitum non debuiſſe, ſic apertè violari æquitatem naturalem. Itaque Examinatoribus illis Inſtrumento publico denunciandum curavi ipſos à me repudiari. Quo facto, ſi quis illis ineſſet pudor, ſi qua cura æquitatis, non ita pertinaciter retinuiſſent acceptam excutiendæ meæ Epiſtolæ provinciam, quâ inter judices meos primi ac præcipui conſtituebantur.

Sexaginta & amplius Sorbonici Doctores ſcientiâ, pietate, & ſuis in Eccleſia muneribus conſpicui, hâc mihi factâ injuriâ æquè com-

commoti ſunt ac ipſe fueram, moxque indignum illis viſum nec ferendum, opprimi me numeroſo grege Mendicantium Regularium, qui præter binos ex ſingulis Ordinibus nullum in Comitiis jus habent, juxta Statuta Facultatis & Decreta Curiæ.

Mecum ergo detulerunt querelas ſuas ad Supremam Curiam. Talonius, qui pro ſuo Patroni Regii munere, quod ſumma cum laude doctrinæ & probitatis exercet, uni rationi & juſtitiæ vocem ſuam commodat, poteſtque appellari, Viva vox æquitatis, expoſuit, mirâ ſanè vi ac ſcientiâ non vulgari, quantùm intereſſet privatorum omnium reique publicæ obſervari ea Decreta, quibus arceantur Mendicantes à Comitiis, ſi definitum numerum excedant; idemque oſtendit juſtitiam apertè violari, delectis ad Epiſtolam meam excutiendam iis hominibus quos quiſque noverat mihi adverſarios & infenſos.

Docuit, ſi qui fortè Epiſcopi in Conciliis ſediſſent judices hæreſeon illarum quas refellerant, id tunc tantùm contigiſſe cùm non fuiſſent repudiati. Probavit hoc magnâ exemplorum copiâ & deſumptis ab Eccleſiaſticâ hiſtoriâ teſtimoniis. Denique ſubjunxit his omnibus motam in Facultate Pariſienſi ante annos pluſquam 120 controverſiam omninò ſimilem noſtræ. Etenim cum Mag. Natalis Beda Syndicus voluiſſet Cenſuræ ſubjici editum à Mag. Jacobo Merlin Doctore ejuſdem Facultatis librum pro aſſerendis Operibus Origenis, & hic ad Supremam Curiam confugiſſet, conqueſtus Syndicum ſibi eſſe infenſum; tum Patronus Regius D. Liſet, qui poſtea fuit totius Senatus Princeps, poſtulavit, quemadmodum habent ipſiſſima Decreti verba, *ut collecta ex illo libro concluſiones ipſi Merlino exhiberentur, quo ad illas reſponderet; ideòque intra ſextum & vigeſimum quartum Junii diem tempus interjectum* (qui decem & octo dies ſunt) *concederetur, & deinde Facultas deliberaret, rejectis ſuſpectis.* Quod quidem Decreto ſuo ſancivit Suprema Curia die ſexta Junii an. 1522. ſimulque declaravit rejiciendos Doctores ſex, quos Merlinus ſibi ſuſpectos nominaverat, nempè Natalem Bedam Syndicum, & quinque alios.

Secutus eſt Talonius exemplum tam celebre tamque ſimile omni ex parte præſenti negotio; & compertum habens quot & quantæ mihi cauſæ eſſent, cur datos Examinatores haberem pro ſuſpectis & infenſis, expoſtulationis meæ æquitatem eloquentiæ ſuæ vi ac concluſionum pondere firmavit.

Quæ poſtea conſecuta ſunt, ſilentio prætermittam. Occultas artes & machinas, quibus id negotii promotum eſt, novit ſcrutator cordium Deus. Nemo certè non obſtupuit, illi generoſæ libertati, quâ dignus ſucceſſor Patrum ac Deceſſorum ſuorum Talonius æquitatis defenſionem ſuſceperat, parem non reſpondiſſe exitum.

S. Chryſoſtomus ſcribens olim ad Innocentium I. ſummum Pontificem, dicebat *datos ſibi pro judicibus inimicos ſuos, ſicut priora poſterioraque teſtabantur.* (apud Pallad. in vita Chryſoſt. & ipſe Ep. ad Inn. PP.) Idem mihi hodie conqueri licet. Priuſquam Epiſtola mea ſubjiceretur examini, plurimæ ſanè erant cauſæ, cur haberem pro inimicis eos quibus id examen commiſſum fuerat. At poſtea ita duri in me inhumanique fuerunt, ut graviores mihi cauſæ acceſſerint ipſos repudiandi.

Poteram profectò, exempla SS. Patrum ſecutus, non admittere judicium Societatis illius, in qua dominabantur hoſtes mei, qui ſuæ illius in me machinationis initium ab tam aperta injuſtitia duxerant. Volui tamen tentare quaſcumque vias patientia Chriſtiana ſuadere poterat. Id à Facultate per Epiſtolam petii, quod vel nocentiſſimis hominibus nunquam denegatum eſt, nempe ne indictâ cauſâ damnarer. Oſtendi nefas fuiſſe apud Ethnicos ipſos judicia aliâ ratione exerceri, ſicuti declarant notiſſima hæc & à ſummis Pontificibus laudata verba Præfecti provinciæ, apud quem fuerat accuſatus D. Paulus: *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam.... locum defendendi accipiat ad abluenda crimina.* (Act. 25. 16)

Poſtulabam tantummodò, priuſquàm de Epiſtola mea ſtatueretur quicquam, mihi deſcripta dari quæcumque in ea offenderent, ut poſſem culpam agnoſcere meam, ſi in aliquo lapſus eſſem; mentem aperire dilucidiùs, ſi quid occurreret obſcuri; probare me à SS. Patrum doctrina nullatenus deflexiſſe, ſi tanquam mei unius propria arguerentur ea quæ è puriſſimis illis Chriſtianæ Theologiæ fontibus hauſta facilè oſtenſurus eſſem.

Tam æquæ poſtulationi reſtiterunt Examinatores; & ut omnium animos ſuis inſectationibus ac contumeliis in Epiſtolam meam exacerbarent, voluerunt ante omnia ſuam de illa ſententiam exponere.

Seniores æquioréſque ſexaginta Doctores palàm & acriter teſtati ſunt poſtulare juſtitiam, ut, ante illam Examinatorum expoſitionem, mihi oſtenderentur loca in Epiſtola reprehenſa, meæque audirentur reſponſiones. At vicit adverſariorum factio rationem & juſtitiam. Cùm in Comitiis dominarentur numero ſuffragiorum, quæ dudum antea ambierant & emendicaverant, pervicerunt ut concluderetur, Examinatores facturos ſui examinis expoſitionem, non modò priuſquàm audirer, ſed etiam priuſquam deliberaretur num expediret audiri me, & communicari mecum quæ in Epiſtola mea arguerentur. Atque cùm plurimi Doctores poſtulaſſent, ut totum iſtud negotium ad decimum-quintum menſis diem rejiceretur more ſolito, annitentibus adverſariis tumultuosè, neque collectis omnium ſuffragiis,

ſtatu-

ſtatutum eſt, rem die proximè ſequente & aliis deinceps uno tenore eſſe agitandam.

Itaque die poſterâ, quæ fuit ſecunda Decembris, ſuam fecerunt expoſitionem Examinatores. Deſignaverunt tantùm ſuo in libello binas Quæſtiones, unam Facti, & Juris alteram. De prima attulerunt quatuor propoſitiones, unicam verò de altera quæ Fidem ſpectabat. Mox libellus ille typis eſt mandatus ut in manus Doctorum omnium veniret.

Unus ex iis qui primi ſententiam tulerunt, auditâ expoſitione ſenioris Examinatorum, oſtendit oportere ut non reliqui modò Examinatores, ſed Doctores quoque omnes declararent, an aliud quid in Epiſtola mea reprehendendum animadvertiſſent. Tum ſinguli Examinatores palàm declararunt habere ſe nihil quod à ſeniore dictis poſſent addere, & unus inter ipſos expreſsè dixit, *Se nulla alia notaſſe, ſed tantùm iſta proponere.*

Deinde deliberatum eſt ſuper poſtulatione à me factâ, ut præſens purgarem me de objectis mihi criminationibus. Id ut omnino mihi denegaretur non pervicerunt quidem adverſarii, ſed iis legibus concedi curaverunt quibus patebat obſtinata eorum voluntas condemnandi me, & timor maximus ne defenſio mea audiretur. Concluſum ergo eſt, *Ut accepto Indice propoſitionum quæ in Epiſtola mea reprehendebantur, ad Comitia accederem, ſi liberet; at mentem meam aperturus tantùm, non diſputaturus.*

Majus-ne dari potuit argumentum concepti in me odii, & initi conſilii me quoquomodo condemnandi? Quod Facultas ne alienis quidem denegavit, id mihi & Doctori, & eorum quorum judiciis permittebar ſocio fuit denegatum. Nonne illos, qui me ita durè inhumaniterque perſequebantur, debebat pudore perfundere recens Patris Cellotii exemplum? Ediderat iſte Jeſuita Librum, in quo errores pernicioſaque dogmata diſſeminaverat, & renovabat invectas à ſuis Angliæ Sodalibus hæreſes illas circa hierarchiam Eccleſiaſticam, Sacramentum Confirmationis, & auctoritatem Epiſcopatûs, quas meritò damnaverunt Galliæ Epiſcopi & Sorbona tota concordi ſententiâ. Propoſitum fuerat ut liber ille Cenſuræ ſubjiceretur; conceſſum tamen Autori, ut tribus Societatis ſuæ Patribus adjutus in congreſſum colloquiumque veniret cum aliquot Doctoribus Facultatis, coram quibuſdam Epiſcopis, & poſt factas hinc & inde diſputationes, ſufficere viſæ ſunt interpretationes illæ quas dedit pravis ſuis opinionibus, nec poſtulatum quidem ut Retractationis vocem uſurparet; etſi quædam ipſius dogmata tam apertè erant erronea, ut cùm ea tueri non poſſet, alia ſubſtituerit eis omnino contraria.

Factâ Jeſuitæ copiâ colloquendi ac diſputandi, potuitne jure aliquo idem denegari Doctori Sorbonico? An debent Doctores

eſſe

eſſe æquiores ac benigniores in Jeſuitam, quàm in Doctorem? Numquid debet Facultas eſſe materno animo in alienos, novercali in filios? Ergo-ne, quia me ſemper Sorbona in ſinu ſuo fovit & aluit, merui in ipſa Sorbona amittere conceſſam à natura libertatem omnibus hominibus qui accuſantur, maximè verò in rebus quæ fidem doctrinamve ſpectant, proponendi ſuas rationes, & reſpondendi adverſariis?

Cùm Julius I. ſummus Pontifex vellet componere exortas contentiones inter S. Athanaſium & Euſebianos, juſſit, ſicut ipſe refert Athanaſius, convocari Concilium, in quo audirentur illi, & objectarent huic Epiſcopo quæ viderentur, ſimulque reſponderent iis quæ in illos dicenda habebat. (*S. Athanaſ. Ep. ad Solitarios.*)

Cùm S. Bernardus Abaëlardum accuſaſſet errorum variorum, non modò non poſtulavit ut ei omnis præriperetur libertas accuſationibus reſpondendi, tuendíque opiniones ſuas in congreſſu legitimo; ſed etiam hortatus illum eſt, ut ſecum in congreſſum & diſputationem veniret, librumque ſuum liberrimè defenderet; licet tamen tunc ageretur res in Concilio. (*Vita S. Bern. l. 3. c. 5. n. 14.*)

Ìdem S. Bernardus diſputavit poſtea biduò adverſùs Gilbertum Porretanum Epiſcopum Pictavienſem, accuſatum erroris ac hæreſis in Concilio. (*Ibidem*)

Præterquàm quòd in hiſtoria Eccleſiaſtica paſſim legitur conceſſos hæreticis etiam & ſchiſmaticis tales congreſſus & colloquia, ſola S. Auguſtini Opera nobis ſuppeditant quatuor aut quinque celeberrima ejuſmodi exempla: & qui ea de re pertinaciùs contendere voluerunt in comitiis, (*a*) potuerunt revinci copiâ magnâ illuſtrium teſtimoniorum antiquitatis Eccleſiaſticæ.

Cùm Doctor unus (*b*) ad probandum quanta mihi injuria fieret, retulit, longè diverſum Concilii Tridentini inſtitutum erga Proteſtantes Germaniæ, plerique illi Doctores, qui ſibi ipſis ſuccenſere debuiſſent, in eum irâ exarſerunt, pudore perfuſi quòd ita apertè declaratum eſſet ab eo, quantum ab Eccleſiæ Catholicæ mente receſſiſſent. Perpeti non potuere ut eorum ille condemnationem legeret in ipſis Concilii verbis, oſtenderétque confectò, ut vocant, ſalvo-conductu in gratiam Germanorum Lutheri hæreſim propugnantium, conceſſum ipſis fuiſſe omni libertate conferre & diſputare, proponere & reſpondere, non ſolùm cum Doctoribus & Theologis, ſed etiam cum Epiſcopis & Patribus Concilii. Inſurrexêre in eum magnis clamoribus, nec ante obſtrepere deſierunt, quàm librum ei è manibus excuſſerunt, & vocem compreſſerunt, quæ ipſa Spiritus Sancti vox erat in celeberrima illa & Sacra Synodo.

Reve-

(a) *die* 23. *Decemb. a.* 1655. (b) *die* 13. *Januar.* 1656.

Reverâ, Præſul Illuſtriſſime, quò ſpectabat inaudita illa propoſita conditio, ſeu potiùs ſervilis impoſita lex, niſi ut omnino non poſſem falſas adverſariorum accuſationes repellere? Volebant quidem illi in ſpeciem audire me, ut prædicare poſſent me non fuiſſe condemnatum indictâ causâ, quod ſummæ injuſtitiæ eſt; at ita me audituri erant, ut reverâ minimè fuiſſem auditus. Concedebant certè ut mentem meam aperirem, ſed iidem prohibebant ne tueri eam mihi fas eſſet adversùs falſas eorum objectiones & vanas criminationes. Quantumvis per me infirmus ipſe ſim, formidabant invictam vim veritatis quam habebam defendendam. Verebantur ne infelici diſputationis eventu id amitterent, quod ope factionis ſuæ ſe conſecuturos ſperabant. Famam ſuam pariter & conſilii exitum dare in diſcrimen refugiebant. Voluerunt ergo ſic mecum agere, ut olim inimici S. Baſilii (Epiſt. 63.) qui ipſum criminationibus impunè inceſſere cupiebant, at in congreſſum & colloquium cum eo venire declinabant, ne ipſorum errores ille faceret manifeſtos. Idem profectò metus habuit adverſarios meos, maximè verò Magiſtrum le Moyne inter illos odio mei ardentiſſimum, cui ſæpiùs per publica inſtrumenta denunciavi, paratum eſſe me probare in congreſſu legitimo, violatam in ipſius ſcriptis fidem Catholicam profanis novitatibus, blaſphemiis non ferendis, & manifeſtis hæreſibus.

Hanc mihi factam injuriam excepit altera. Deliberatum eſt (*a*) quem in diem nova indicerentur comitia. Seniores & moderati quique cenſebant, ut juxta Facultatis conſuetudinem ea non haberentur ante dies quindecim. At alii, qui incredibili cupiditate flagrabant damnandi me, perpeti non potuêre aliquot dierum moram ſuis conſiliis objici. Niſi fortè quædam in Sorbonæ Eccleſia celebritas & duo deinceps feſti dies occurriſſent (*b*), mihi licet ab Urbe abſenti unus tantummodò fuiſſet conceſſus dies, quo poſſem accingere me ad reſpondendum graviſſimis accuſationibus, quas ſuo in libello protulerant examinatores. Non potuerunt ergo non concedere dies quatuor; ex quibus duos tantùm habere liberos poſſem, ſiquidem altero opus eſſet quo monerer, altero quo ipſe in urbem venirem, aut defenſionem à me ſcriptam mitterem.

Notandum quoque eſt adverſarios meos, ut omnem mihi locum, quantùm in ipſis erat, præriperent defendendi me, acriter obſtitiſſe, quominùs uni ex amicis meis poſtulanti daretur deſcriptum concluſionis exemplar, adeò ut quid illa complecteretur non potuerim aliunde cognoſcere, quàm ab amico qui ejus tenorem

(a) *die 2. Decembris.* (b) *4. Decemb. Anniverſarium Sacrum pro Cardinale Richelio. 5. Decemb. dies Dominica. 6. Die Feſtum S. Nicolai.*

norem ac ſenſum utcumque retinuerat.

Singulas ejuſmodi circumſtantias ideò tibi, Illuſtriſſime Præſul, expono, quia apertè declarant me in omnibus expertum eſſe acerbos Cenſores, potiùs quàm Judices æquos. Simili in controverſia edixit olim Suprema Curia, concedi Merlino Doctori octodecim dies integros, per quos reſponderet ad ea quæ reprehenderentur in ipſius Apologia pro Origene. Ipſa etiam Facultas ab annis circitèr triginta largita eſt P. Garaſſo Jeſuitæ ſpatium duorum menſium, intra quos faceret ſatis ſingulis capitibus, quæ in illius Summâ Theologicâ damnaverant delecti ad eam expendendam Doctores. At verò mihi conceduntur tantummodò dies quatuor, quos invitis & reluctantibus adverſariis meis extorquent incurrentes aliquot feſti dies, ne ſcilicet mihi integrum ſit, ad omnia ſigillatim quæ mihi objecta ſunt, reſpondere.

Ex magna illa & inuſitatâ feſtinatione, quâ tam parum temporis mihi relinquebatur ad probandam innocentiam meam & excutiendum quâ par erat diligentiâ, quidquid fuerat in Epiſtola mea reprehenſum, Judicabis, Præſul Illuſtriſſime, an illi videri poſſint ſincero quærendæ veritatis ſtudio tantùm fuiſſe impulſi: an cupierint, quemadmodum jubent humana juſtitia & & Chriſtiana pietas, ut objecta mihi crimina diluerem: an doctrinæ catholicæ lucem aliquam afferre tentaverint potiùs, quàm opprimere virum Sacerdotem & Doctorem Catholicum: num denique tanta fuerit eorum caritas in fratrem, quanta olim fuerat æquitas in alienum.

Verumtamen Deus, qui eos gratiâ ſuâ fovet ac roborat qui pro illa decertant, tam præſenti auxilio mihi adfuit, ut intra breviſſimum illud bidui tempus ſatisfecerim ſaltem Quæſtioni de Jure, quæ erat majoris momenti; alteram enim, de Facto, attingere omnino non potui propter temporis anguſtias. Miſi ad Facultatem primum hunc Apologeticum, & ei ſubjunxi epiſtolam, in qua mollioribus verbis compellans atrox eorum in me odium, quod ſatis prodiderat ardens ipſorum feſtinatio, & dura in me ratio agendi, declarabam, "Etſi „vitæ meæ ratio, quam à decem „ampliùs annis ad eorum, qui „exilium & cædem meam ſæpiùs „libellis popoſcerunt, odia quo„dammodo lenienda, ab omni „hominum frequentia ſemotam „duxi, ut publicam etiam in hoc „negotio lucem declinarem, me „ſatis admonere videbatur; me „tamen libenter in ampliſſimo „eorum conſeſſu coram adfuru„rum fuiſſe, ſi doctrinam meam „in legitima diſputatione, ratio„nibus ultrò citróque, tum voce, „tum ſcripto collatis, expendere „atque illuſtrare licuiſſet. Ve„rùm cùm poſtremis Comitiis ſta„tutum accepiſſem, ut venirem „in conventum Facultatis, *tantùm* „*mentem meam ſincerè ac ſimplici-*

ter,

„*ter aperturus, non diſputaturus*, „me non putaviſſe commodiùs „huic Decreto parere poſſe,quàm „ſi ſenſa mea ipſis ſcripto perſpicuè repræſentata exhiberem: „facile enim eſſe cartham mortuam & elinguem nonniſi præfinitò loqui, & redarguenti non „obſiſtere; Doctorem autem Catholicum hæreſis accuſatum, „cui in hac causâ ex mente SS. „Patrum non ſolùm defenſio licita, ſed etiam ſilentium vetitum; ac patientia interdicta eſt, „coram reprehenſoribus ſuis ab „omni diſputatione, atque ab „objectis ſibi criminibus propulſandis ſe abſtinere, non ita facile eſſe: Non videri ſatis audiri reum, hoc eſt, ut in Actis „Apoſtolorum legitur, locum „defendendi accipere ad abluenda crimina, cùm ei nec diſputare, nec crimina objecta diluere licet: ſicque violari perſpicuam illam Juris Civilis & „Canonici ſententiam, quæ *judicantem cuncta rimari decernit*; „*& interrogandi, reſpondendi, objiciendi prel.eri ab eo patientiam* „*jubet*. Præterea anguſtum certè, „præſertim in re tanta, mihi ad „reſpondendum tempus præfinitum videri. Nihilominùs tamen „quæ pro tam exiguo tempore „ad illius præſertim Epiſtolæ „meæ loci, qui quæſtionem Juris complectitur, explanationem adnotare potuiſſem, ea ad „ipſos miſſa me precari ut beniginè exciperent: quæ cuncta licet perſtricta potiùs, quàm accuratiùs pertractata, exiſtimarem tamen clariſſimis teſtimoniis confirmata viſum iri.

Cùm libellus ille, quem Latinè ſcripſeram, fuiſſet perlectus in Comitiis Facultatis, ſcrupulum injecit plurimis eorum etiam Doctorum, quibus aliunde S. Auguſtini doctrina parum arridebat: non potuerunt non commoveri, cum viderunt eam propoſitionem, quæ dicebatur hæretica, meam non eſſe, ſed SS. Patrum: me ſimpliciter referre duo loca SS. Auguſtini & Chryſoſtomi,quæ antea protuleram & confirmaveram plurimis aliis locis eorumdem Patrum: Præterea, cum illa propoſitio tres tantùm partes habeat, quarum prima ſit, gratiam defuiſſe S. Petro; altera, deficiente gratiâ non potuiſſe eum vincere tantam tentationem quanta vincenda eſt, ut quis ſubeundæ pro Chriſto morti ſe offerat; tertia, S. Petrum juſtum fuiſſe, nec amiſiſſe gratiam antequam Chriſtum negaret: ſingulas illas partes certiſſimè confirmari Traditione Eccleſiæ in omnibus ſæculis, ſicuti probabam clariſſimis teſtimoniis quæ in illo libello referebam.

Verùm hæc omnia quaſi levia & vana parùm curaverunt Examinatores, patuitque nihil valere apud exulceratas odio mentes momenta rationum. Quidquid contrà afferre poſſem, rata conſtitutáque in eorum animis erat Cenſura meæ Epiſtolæ, illudque tunc de me dici jure potuit, quod olim de innocente accuſato dixit ſapienter vetus

Scriptor:

Scriptor : *Nihil intererat occidere volentium, quid diceret.*

Aliquot poſt dies iterùm verba fecerunt Examinatores, ut cauſas Cenſuræ ſuæ ſigillatim exponerent: Expectabatur ut reſponderent argumentis ac teſtimoniis quibus confirmaveram ea quæ volebant damnare; ſed fruſtra: vix aliqua, quæ Scholaſticam Theologiam ſpectabant, perſtrinxerunt, idque tam infirmis rationum momentis, ut eorum puderet omnes qui aderant. At ſanctiſſimos Patres à me laudatos excepere quo ſolent contemtu: nec dignati ſunt dare aliquid reſponſi omnibus eorum teſtimoniis; aut accuſare me quaſi malâ fide retuliſſem SS. Auguſtini & Chryſoſtomi verba, quibus tota Epiſtolæ meæ Propoſitio conſtabat, ſicuti oſtenderam.

Cæterùm cùm nullatenus poſſent, ſicut hodie quoque nequeunt, meam diſtinguere Propoſitionem à duabus propoſitionibus celeberrimorum Doctorum Græcæ & Latinæ Eccleſiæ; nihilominùs tamen audaciâ inauditâ impulſi eam percutiebant anathemate: imò unus ex illis eò prorupit, ut dixerit, *perniciosam magis ac nefariam hæreſim nullam unquam aut fuiſſe aut futuram*, *quoniam*; ut ipſe aiebat, *poterat quidem Deus neque carnem aſſumere, neque Euchariſtiam inſtituere; at non poterat ſine injuſtitia ac crudelitate non dare gratiam ſuam juſto.* Itaque hæc à SS. Patribus communi conſenſu tradita doctrina, *gratiam defuiſſe S. Petro*, eſt omnium hæreſeon, ut cenſet Moynius, maximè deteſtanda: & horrenda illa blaſphemia hujus Examinatoris adverſùs Gratiam Chriſti, quæ jam gratia non eſſet, juxta S. Paulum & Patres omnes, niſi eſſet purè gratuita, haberi deberet inter doctrinæ orthodoxæ capita, ſi ad componendos novos fidei articulos ſufficeret cæcus propriarum opinionum amor audaci temeritate ſubnixus.

Unus inter mihi infenſiſſimos, veritus ne libellus à me miſſus ad Facultatem, & typis excuſus, afficeret ac moveret animos multorum, propoſuit ut typis quoque mandaretur ultima ab Examinatoribus facta expoſitio. Sed citò agnovit ſe per imprudentiam longiùs fuiſſe progreſſum; ſuæque factioni detrimenti pluſquàm utilitatis allaturum, ſi talia vulgarentur. Itaque licet exinde etiam atque etiam efflagitaverint ſeniores quique Doctores, ut rationes ſuas vulgarent Examinatores, ſicuti quidam ex eorum amicis & affeclis propoſuerat, pervincere tamen non potuerunt, ut ita fieri vellent. Scilicet lucem publicam reformidant: verentur ne, ſi pateat quàm inanes ſint eorum rationes, quamque levibus fundamentis nitatur Cenſura, informe illud Judicium penitùs ruat, tanquam vanum & fragile ædificium fundatum; ut ita dicam, in arena mobili humanarum opinionum, non in Eccleſiaſticæ Traditionis firmo & inconcuſſo lapide.

Verùm permiſit Deus ſatis mihi com-

comperta fieri quæ dixerant, ut potuerim deinde ad ea plenè reſpondere in ſecundo Apologetico.

Eodem quoque die, ut Doctorum mentes prima libelli mei parte commotas aliò traducerent, propoſuerunt duas Quæſtiones ſeorſim diſceptandas, initiumque fieri voluerunt ab ea quæ ſpectabat Factum, & de qua certè ad purgandum me pauca dixeram, quoniam & tẽpus mihi defuerat, & eam exiſtimaveram lõgè minoris eſſe momenti, quàm alteram.

Cùm mihi ſtatutum ſit, Præſul Illuſtriſſime, ea ſolùm tibi exponere diligenter, quæ me unum ſpectant, in referendis ſigilatim Doctorum ſententiis non immorabor. Totam Urbem pervaſit rumor eorum quæ in his Comitiis geſta ſunt: atque in ipſa etiam Aula pauci ſunt qui ſine admiratione viderint, cùm is eſſet Comitiorum apparatus, ea rerum ſpecies quæ novitate poſſet terrere confidentiſſimos, & conſtantiſſimos frangere, extitiſſe tamen talem numerum Theologorum, quorum mentem nullatenus perſtrinxerit inuſitatus ille ſplendor, nec firmitatem concuſſerint quicumque oſtentabantur terrores; quibus potior cauſa fuerit Veritatis & Juſtitiæ, quàm privata utilitas; quos denique ab ſui religione officii nec ſpes nec metus potuerit avertere.

Itaque dicam tantùm, fuiſſe tunc in controverſo, num in SummumPontificem & Præſules Illuſtriſſimos ideò injurioſus habendus eſſem, quòd ſignificaviſſem, *me verſari aliquo in dubio, utrùm propoſitiones damnatæ ab Innocentio X. S. Pontifice, excerptæ fuiſſent è Janſenii libro, quoniam eo ſatis diligenter perlecto, nequaquam eas in hoc libro reperiſſem.*

In altera Libelli Latinè ſcripti parte, quam ad Facultatem miſeram tertio poſt primam die, jam probaveram quàm pura eſſet mens mea in iis verbis quæ mihi fuerant objecta, utque invitus ac reluctans ad ejuſmodi diſceptationem deſcenderam, ſcilicet eo tantùm conſilio, ut defenderem ipſe me adversùs ſcriptores quoſdam parùm peritos, qui iniquè contendebant propter controverſiam aliquam, quæ tota inſtituitur de Facto, & cujus vel oculi judices ſunt, Theologos, reverâ Catholicos, nominari poſſe hæreticos, excommunicatos, & ab Eccleſiæ unitate ſeparatos.

Poſtulaverunt ſeniores Doctores ut, priuſquàm ſuam quiſque ſententiam promeret, ſibi darentur deſignata & deſcripta Janſenii loca, è quibus quinque iſtæ propoſitiones excerptæ dicebantur; ſignificaveruntque, niſi res ita in ipſo fonte ac capite noſceretur, ſe non poſſe ſtatuere, an temerarius habendus eſſem, necne, qui dubitaviſſem in eo libro reperiri tales propoſitiones. Æquiſſima ſanè fuit iſta poſtulatio; ab adverſariis tamen meis penitùs repudiata. Cùm ipſi debuiſſent ultrò proferre Iprenſis Epiſcopi librum, quo me temeritatis reum convincerent, ſimúlque tollerent omnem dubitandi ac diſputandi locum,

locum, illis multoties oblatus eſt is, ac efflagitatum ut loca indicarent ubi propoſitiones illas reperiri contendebant. Verùm ab illis non potuit id precibus extorqueri, quod ipſos ultrò offerre oportuerat. Propoſitas à Senioribus conditiones omnes eluſerunt, dixeruntque *non eſſe controverſiam de veritate aut falſitate meæ propoſitionis*, ſeu non quæſtionem inſtitui, utrùm meritò an perperam dubitaſſem quinque iſtas propoſitiones in Janſenii libro inveniri; ſed tantùm an non fuiſſem temerarius qui dubium illud meum propoſuiſſem.

Doctores aliquot progreſſi ulteriùs in promenda ſententia ſuſceperunt probandum, iſtas propoſitiones nullatenus in Janſenii libro reperiri, imò legi omninò contrarias. Verùm hoc quoque penitus rejectum eſt. Illis Doctoribus præcluſa in ore vox & imperatum ſilentium, adeò ut coacti ſint petere inſtrumentum, quo pateret ſibi non fuiſſe permiſſum probare Factum hoc, quod præſenti controverſiæ lucem plenam attuliſſet.

Hæc omnia ſatis declarabant nihil minùs ab adverſariis meis quæri quàm veritatem, pacem Eccleſiæ, aut quietem conſcientiarum. Neque enim dicere auſi ſunt falſam eſſe Propoſitionem meam, aut eam iſto nomine damnare in Cenſura ſua: refugerunt expendere veritatem ejus aut falſitatem; quamvis ipſos nonnulli è Senioribus admonuiſſent, congregatos in Comitiis Doctores, qui nullam in Eccleſia juriſdictionem habent, ſed de doctrina tantùm ſuam ſententiam promunt, non poſſe quidquam ſtatuere in Quæſtione Juris aut Facti, niſi ipſi per ſe penitùs perſpexerint quid veri ſit aut falſi in iis rebus de quibus ferunt judicium.

Quænam igitur fuit eorum mens? Quod conſilium? Certè longè alia, quàm ipſum Doctorum nomen & Sacerdotum modeſtia patiebantur. Poſtulabat ab ipſis Religio, ut Veritatem inquirerent; poſtulabat charitas, ut famæ fratris parcerent: at & Facti veritatem neglexerunt expendere, & id unum ſpectarunt ut Fratris nomini labem & infamiæ notam aſpergerent.

Verùm ex iis quæ deinde conſecuta ſunt innotuit longè clariùs quàm efferatum eſſet eorum in me odium. Septuaginta quatuor Doctores Sorbonici; quorum plusquàm triginta mihi erant omninò ignoti, & alii totidem ab annis decem non viſi, me extra omnem Cenſuram poſitum declararunt, & eorum nonnulli certiſſimis argumentis demonſtraverunt, me nullius eſſe temeritatis reum in Summum Pontificem aut Illuſtriſſimos Antiſtites. Attamen hanc mihi mentem dedit Deus, ut minùs tuendæ innocentiæ exiſtimationique meæ conſulerem, quàm Eccleſiæ paci, & ſedandis ejuſmodi contentionibus.

Docuerant me verba & exempla celeberrimorum Eccleſiæ Patrum, quemadmodum non ii graviſſimam

viſſimam agunt Pœnitentiam qui graviſſimè peccaverunt, ſed qui ſunt ſanctiſſimi; ita non ſemper eos qui nocentiſſimi ſunt, ſed plerumque qui innocentiſſimi, ſuppliciter deprecando veniam ultrò deprimere ſe atque abjicere.

Legeram apud S. Auguſtinum, Epiſcopo quodam graviter ferente quòd ille paulò aſperiùs refutaſſet eorum opinionem qui cum ipſo, ut videtur, putabant videri Deum poſſe oculis corporeis, ſanctum hunc exiſtimaſſe teneri ſe veniam ab eo deprecari, licet eodem in loco ſignificet nihil à ſe dictum niſi verum. *Dum eſſem in admonendo ſollicitus*, inquit, *in corripiendo nimium atque improvidus fui, nec fraternam & Epiſcopalem perſonam, ſicut frater & Epiſcopus, quemadmodum fuerat dignum, cogitavi: hoc non defendo, ſed reprehendo: hoc non excuſo, ſed accuſo.* IGNOSCATUR *peto, recordetur noſtram dilectionem priſtinam, & obliviſcatur offenſionem novam. Faciat certè quod me non feciſſe ſuccenſuit: habeat lenitatem* IN DANDA VENIA, *quam ego non habui in illa Epiſtola conſcribenda.* Quibus egregia iſta verba ſubjicit: *Ego certè in hac cauſa quid melius facerem non inveni, quàm ut* VENIAM PETEREM *à Fratre, qui læſum ſe litterarum mearum aſperitate conqueſtus eſt. Faciet & ipſe, ut ſpero, quod ſibi imperari novit ab eo qui per Apoſtolum loquens ait:* Donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſùs aliquem habet querelam. (*Aug. Ep. 111. nunc* 148. *n.* 4. *&* 5.)

Legeram quoque apud eundem Auguſtinum, cum S. Hieronymus ſe læſum queſtus eſſet Epiſtolâ Auguſtini, quâ ille, licet abſque ullo lædendi conſilio, improbaverat ejus interpretationem ſuper quemdam S. Pauli locum; maximum hunc Doctorem, cujus humilitatem nemo imitari valeat, ſicut nec doctrinam æmulari, petere ab eo veniam geminâ Epiſtolâ. Deprimit ipſe ſe & ſubmittit propter culpam cujus ſibi non erat conſcius, ſed quam agnoſcere malebat, quàm credere S. Hieronymum ſibi ſine ullâ cauſâ iratum: *Quia non credo, quod injuſtè me lædendum putares, ſupereſt ut agnoſcam peccatum meum, quod prior te illis litteris læſerim..... Cur itaque conor contra fluminis tractum, ac non potiùs* VENIAM PETO? (Aug. Ep. 15. nunc 73. ad Hieron. n. 3. Vide & 82. n. 1. & 31. 32.)

Legeram præterea apud S. Bernardum, cùm Galliæ Epiſcopus conqueſtus eſſet factam Epiſcopali dignitati injuriam, quibuſdam verbis epiſtolæ ſibi ab eo ſcriptæ, teſtari S. Bernardum, ſibi nullum fuiſſe conſilium quidquam proferendi quod Principem populi offendere poſſet; & deinde hæc ſubjicere: *Cæterum quidquid illud ſit quo ſe læſam veſtra dignitas judicat,* PETO VENIAM. (Bernard. Ep. 223.)

Exiſtimavi me tutò ſequi poſſe veſtigia ſanctiſſimorum Patrum, ad quorum exemplar facta noſtra, non minùs quàm doctrinam, oportet conformari. Cùm eſſem, mu-

mihique viderer multo minùs innocens quàm ipſi, putavi non eſſe erubeſcendum, ſi me quoque magis quàm ipſi deprimerem. Atque huic officio factum à me ſatis arbitror, etiam ultra quàm poterat expectari. Mihi ipſe conſcius eram, fuiſſe nunquam mihi mentem detrahendi vel tantillum ex eo honore quem ſacræ veſtræ dignitati ſemper habuiſſe me noſti, Præſul Illuſtriſſime, & exiſtimabam vitæ anteactæ ratione & ſcriptis in lucem emiſſis ſatis apertè ſummam meam erga ſanctam Sedem & Hierarchiæ Principes reverentiam patuiſſe toti Galliæ, ut accuſari non poſſem defuiſſe alterutri. Verumtamen cùm infelici caſu factum eſſe agnovi, ut in alterâ Epiſtolâ verbis ſatis ad animi mei ſenſum accommodatis declarare non potuiſſem infixam pectore ſinceram piamque venerationem in Supremum Chriſti Vicarium & Apoſtolorum Succeſſores; atque etiam verba quædam mea, ſecus ac ſenſeram, viſa lædere debitum eis honorem à quolibet Chriſtiano Catholico; libentiſſimo animo ſtatui ſignificare quantum me hujus rei pigeret, & veniam petere.

Miſi ad Facultatem ſcriptum illud manu mea ſubſignatum, & ei ſubjunxi Epiſtolam. Unus ex antiquiſſimis celeberrimiſque Doctoribus hæc in Comitiis proponere ultrò in ſe recepit, propoſuitque die undecimâ Januarii: ſimulque declaravit incredibili quodam animi robore, eos profectò exuiſſe ſenſum omnem humanitatis & charitatis, qui de me conqueri, nomenque meum Cenſurâ notare deinceps vellent, viſo libello meo ſuppliciter & modeſtè ad veniam poſtulandam compoſito, quem ille à me acceptum recitavit in Comitiis.

Poſtulavit deinde, ut, quemadmodum in legitimis omnibus judiciis obſervari ſolet, deliberaretur de libello iſto, qui præſentem controverſiam omninò immutaverat. Verùm poſtulationem hanc pro more ſuo eluſerunt adverſarii, cauſati non eſſe abrumpendum ſuffragiorum ordinem; pollicitique ſunt futurum ut, poſtquam Doctores omnes verba feciſſent, ſingulorum ſententiæ palàm recitarentur, tuncque licitum fore unicuique ſuam de ſcripto illo opinionem promere, imò de prima ſententia decedere, ſi fortè allata deinde ab aliis Doctoribus rationum momenta eum moviſſent.

Ejuſmodi promiſſum, accedente Poteſtate, cui etiam in poſtulatione tam æquâ non licebat refragari, impediit ne eâ de re plura dicerentur.

At tertio poſt die, qui erat decimus quartus ejuſdem menſis, cognitum eſt fidem palàm datam, merum fuiſſe obtentum, quo Facultati eriperetur libertas opinandi, & judicium ferendi de accepto à me libello, qui ſanè æquos quoſcumque viros abduxiſſet ab omni cogitatione & conſilio conficiendæ in eam rem Cenſuræ.

Vix

Vix ultimus Doctor protulerat ſententiam, cùm ſtatim Syndicus, infenſiſſimus mihi hoſtis, depromſit volantem cartham, in qua numerata à ſe ſuffragia contendebat, nullis licet ſigillatim deſignatis. Sic conſtituit ipſe ſe ſolum Arbitrum & Dominum ſuffragiorum. Numeravit illa prout libuit; & compertum poſtea eſt ex Actorum Codice ſeptuaginta quatuor Doctores pro me ſtetiſſe adversùs Cenſuram, cùm tamen illæ ſeptuaginta & unum numeraverit tantùm, & quindecim dubios; aucto horum numero, ut minueret illorum qui me ſententiis ſuis dimiſerant abſolutum.

Poſtulaverunt Seniores & inſtiterunt vehementer, ut dictæ à ſingulis ſententiæ recitarentur, ſicuti promiſſum fuerat, nec eriperetur Doctoribus libertas judicium ferendi de oblata à me ſatisfactione. At fruſtra poſtulatum, & omnis eorum conqueſtio repudiata. Compulſo Decano ut hanc ſolam voculam pronunciaret, *Ego concludo*, ſtatim, nullo alio habito ſermone, dimiſſa ſunt Comitia. Mox tres quatuorve Doctores, majore Poteſtate ſubnixi, properarunt in cubiculum Moynii, ardentiſſimi adverſariorum meorum, ibique Cenſuram ad arbitrium fabricaverunt. Quo ſanè apertè patebat, aliquot iſtos viros, utpotè factionis duces, & quorum acerbius erat in me odium, ac major potentia, omninò dominari in Facultate, & cuncta pro libidine vertere, quò conflatum me condemnandi conſilium perficerent.

Sic egregia iſta de Facto Cenſura confecta eſt, (Præſul Illuſtriſſime. Sic obligatam publicè fidem violare non puduit, ut Sorbonæ libertas opprimeretur, ereptâ illi poteſtate ferendi judicium de miſſo ad eam Libello ab uno Doctore, qui impoſita ſibi crimina diluebat. Sic data opera eſt, ut tota illa Societas celeberrima Theologorum & Sacerdotum rea fieret inhumanitatis alieniſſimæ ab Evangelii præceptis & benignitate Chriſtianâ, rejecto ejuſmodi libello, quo nullum magis demiſſum poſtulare poſſent infenſiſſimi inimici ab iis qui graviſſimè ipſos offendiſſent.

Cùm ab unò è Præſulibus Illuſtriſſimis oblatus eſt Libellus ſatisfactorius, quem ille probatum iri à me promittebat, eum repudiarunt, cauſati non eſſe manu mea ſubſignatum. Iidem, cùm alium ad eos miſi meo chirographo munitum, & verbis ſcriptum demiſſioribus, iſtum quoque, nullo prætextu, ſed unà impotentis odii libidine ducti rejecerunt.

Iniquis ſanè & invidioſis artibus graſſabantur inimici mei, verùm aliâ viâ pervenire non poterant ad conſilii ſui exitum. Timebant, nec immeritò, ne etiam inter eos quos quomodocumque traxerant in partes ſuas, plurimi eſſent, qui pudore & conſcientiâ deterrerentur, quominùs violatâ, quam fratri debebant, charitate,

ritate, inhumaniter illum condemnarent propter offenſam, cujus eum eſſe innocentem tot alii ſenſerant ac declaraverant, & de qua tamen ipſe ſatisfecerat ſic modeſtâ & ſupplici oratione, ut ea nemo Chriſtianus non deberet ad miſerationem commoveri.

Fecit hic juſtus timor ut ſic injuſtè agerent. Cenſuram aliquam nomine tenus & in ſpeciem habere maluerunt, quam omninò nullam. Talem confecerunt qualem potuêre, non qualem voluiſſent. Exiſtimaverunt perfringendas eſſe potiùs leges omnes ac ordinem judiciorum, quàm committendum ut majore etiam ſuffragiorum parte dimitterer abſolutus, ſicque irritæ ipſis caderent infinitæ ſuæ artes & machinationes, caterentque deinceps quæſito dudum prætextu ad infamandum me apud vulgus.

Verùm aperta iſta injuſtitia maculam aſperſit quàm fœdiſſimam eorum Cenſuræ, licet aliunde irritæ omninò pro uſu Facultatis, ſicut Doctores plurimi declararunt in Comitiis habitis die 15 ejuſdem menſis Januarii, cùm contenderet Decanus factam à ſe in prioribus Comitiis concluſionem unius Cenſuræ. Tunc enim illi oſtenderunt, in ejuſmodi controverſiis non cenſendos eſſe ſuperiores ſuffragiis eos, qui aliquot tantùm tuliſſent ultra mediam partem: ex ipſa computatione à Syndico facta, præter Doctores ſeptuaginta & unum, à quibus me extra omnem Cenſuram poſitum confeſſus erat, quindecim alios inſuper extitiſſe, qui ab illo appellati Dubii, deberent meritò ceteri adverſarii fuiſſe Cenſuræ, cùm eam non probaſſent: quoniam ergo plurimùm abfuiſſet ut è tribus ſuffragiorum partibus duas haberent iſti Cenſores, (licet ne id quidem ſatis eſſet futurum in ejuſmodi re) certò conſtare, non poſſe accipi pro totius Facultatis judicio, latum ab una Doctorum parte judicium, adverſatibus aliis octoginta ſex: cenſuras Facultatis hactenus fuiſſe confectas unanimi aut ferè unanimi omnium conſenſu, ſicut probari poteſt exemplis bene multis: denique contigiſſe nunquam, ut ea Cenſura haberetur legitima cui obſtitiſſent, etiam non habitâ ratione quindecim Dubiorum, ſeptuaginta & amplius Doctores; qui certè numerus, atque etiam multo minor, ſæpè ſufficiens viſus eſt ad conficienda Decreta & Cenſuras de rebus graviſſimis.

Sed jam nimis multa apud te diſſerui de tam triſti diſſidio celeberrimæ in hoc regno Societatis, & nobiliſſimæ toto orbe Facultatis. Altera in Epiſtola dicam de Quæſtione Juris, quod eſt alterum Cenſuræ caput. Huic finem jam impono, teque rogo & obteſtor, Præſul Illuſtriſſime, ut conſideres ullane unquam fuerit ad opprimendum privatum hominem apertior conſpiratio, minùs diſſimulata libido, odium obſtinatius, audacior iniquitas, magis conjurata factio, duriórve inhumanitas. Violata prorſus

om-

omnis æquitas, datis mihi in judices iis quos apertos habebam inimicos; ſubverſa Eccleſiæ diſciplina, negatâ mihi poteſtate eos repudiandi, ſicut jure ac merito poſtulaveram; conculcatum commune gentium & naturæ jus, ereptis, quantum fieri potuit, ratione & tempore defendendi me; perturbatus omnis ordo judiciorum, non conceſſo aditu ad Comitia, niſi dura illâ & novâ conditione, ut mentem quidem aperirem meam, at adverſariis non reſponderem, hoc eſt, ut præcluſa voce & linguâ præſens videnſque intereſſem damnationi meæ, quam illi jam antea inter ſe decreverant; leni moderatoque Facultatis ingenio facta vis, denegato mihi aliquo temporis ſpatio, & congreſſu, quæ tamen utraque conceſſit alienis; oppreſſa Comitiorum libertas, dum ad incutiendum terrorem iis qui innocentiæ meæ patrocinium auderent ſuſcipere, multa contra leges & conſuetudinem inducta ſunt; læſa prorſus Civilis juſtitia & Evangelica charitas, dum permiſſum non eſt, ut qui hominum offenſionem verbis liberioribus incurriſſe arguebatur, is placaret eoſdem molliſſimis & modeſtiſſimis; ereptum jus & auctoritas judicum Doctoribus, vetitis deliberare de ſatisfactorio libello quem ad ipſos cum epiſtola miſeram, eratque tanti ponderis in præſenti negotio, ut nullum conficiendæ Cenſuræ locum relinqueret; irriſa moderatio, & decepta credulitas ſeniorum Doctorum, eluſis poſtulationibus eorum æquiſſimis per promiſſa aperta & ſolennia, quæ deinde palàm & publicè violare non puduit; permiſſum, neglectis omnibus legum jurisque inſtitutis, uni homini eique inimico ſuffragia numerare ad arbitrium, eidemque relicta Facultas fallendi Sorbonam, ſicuti reipſa fefellit, ac decurrandi numerum eorum à quibus fueram abſolutus; Decepta denique univerſa Gallia & Eccleſia, cùm id pro communi totius Sorbonæ judicio venditatum eſt, (quoniam quæ Cenſuræ præ ſe ferunt Facultatis nomen, eæ tales eſſe vulgò exiſtimantur) quod ſtatuit una tantùm pars illius Theologicæ Societatis, eáque pravis inimicorum meorum artibus allecta & corrupta; quod quidem judicium vim obtinere nullam debet, cum propter neglectas quas ſervari oportuit leges, tum ob ſententiam omninò adverſam, latúmque abſolutionis judicium à ſeptuaginta quatuor Doctoribus, quos ſolus Dei timor & amor Veritatis favere innocentiæ meæ juſſit, poſtpoſitâ omni curâ privati commodi & quietis.

Cùm in te præſertim eluceant ſingularis amor juſtitiæ, ſumma animi moderatio, & verè chriſtiana charitas; non dubito, Præſul Illuſtriſſime, quin hæc tam injuſta, tam impotens, tam inhumana mecum agendi ratio animum tuum vehementer offendat. Equidem, quod ad me pertinet, ea omnia præſtitiſſe mihi videor

videor quæ & divina lex & propria conſcientia poſtulabant. Cogebar non perpeti, niſi in proximum ac me ipſum crudelis eſſe vellem, famæ nominíque meo maculam aſpergi; meque ipſum tueri debebam omnibus modis quibus id legitimè fieri ſolet: at omnem mihi defenſionis viam, quæ aliis aperta eſt, præcluſit adverſariorum potentia. Appellavi ergo ad vivas leges. Id unum poſtulavi, ut ſtaretur Curiæ Decretis, ac ſervarentur jus naturæ & Canones Eccleſiæ. Æqua poſtulare viſus ſum ei Viro, qui uni Juſtitiæ favet, mecumque ſtetit publica vox: atque is fuit unicus defenſionis meæ fructus.

Diſſimulavi quaſcumque habebam cauſas repudiandi è numèro judicum illam Facultatis partem, quæ cæco impetu ferebatur quocumque inimici mei rapiebant. At illos mea iſta benignitas ac patientia adeò non mitigavit, ut audaces magis & efferatos reddiderit. Miſi ad eos epiſtolam quàm potui obſequentiſſimam; at quo magis ſubmiſi me, eò magis opprimere ſunt conniſi. Quo majus fuit obſequium in illos meum, eò durior in me fuit illorum inhumanitas. Scripſi defenſionem meam; verùm nec eam expendere, nec allatis à me rationibus reſpondere ſunt dignati. Penè me ad eorum pedes proſtravi ſupplex; at ipſi omnem erga me ſenſum humanæ ſimul & Chriſtianæ pietatis exuerunt. Maluerunt incurrere terribilem vindictam & atroces Omnipotentis Dei minas in eos qui cum fratribus recuſant reconciliari, quàm non explere ſuam in me odii & vindictæ libidinem.

Quid aliud jam mihi reſtat, niſi ut infirmorum & oppreſſorum Protectori Deo relinquam defenſionem cauſæ meæ; effundam coram illo meos gemitus in ſecretiori ſolitudinis receſſu; tacitus & ſine querela feram triumphum ac ludibria adverſariorum; condonem iis libentiſſimo animo injurias quaſcumque mihi famæque meæ intulerunt, doleam verò tantum de iis quas patitur Eccleſia ob violatas diſciplinæ ſuæ leges, & oppreſſam nobiliſſimæ toto orbe Facultatis libertatem.

Adjuva me, obteſtor, precibus tuis, Præſul Illuſtriſſime, ad impetrandam à Deo gratiam, quæ neceſſaria mihi eſt ut hos humilitatis & pacis affectus conſervem. Hoc ego à te ſperare audeo, cujus mihi & in ſponſam Chriſti acre ſtudium, & amor juſtitiæ ſingularis, & charitatis ac miſericordiæ viſcera erga homines afflictos dudum perſpecta ſunt. Jam audivi inflicta mihi vulnera dolorem tibi non mediocrem attuliſſe, meaſque in te ipſum quodammodo redundaſſe calamitates. Corrobora, quæſo, infirmitatem meam Epiſcopali tua virtute; conſolare dolorem meum conſolatione quâ conſolatur te Deus, ut, juxta verba Apoſtoli, poſſis & ipſe conſolari eos qui in omni preſſura ſunt; efficaci

ſer-

ſermone & exemplo mentem afflictam excita, ſpémque meam erige fidei tuæ robore, ac generoſâ fiducia in eum, qui æquus Judex, imò ipſa Æquitas, judicat iniqua hominum judicia. Omni quâ poſſum ac debeo reverentiâ

Illuſtriſſime Domine,

Obſequentiſſimus Famulus tuus
ANTONIUS ARNALDUS
Doctor Sorbonicus.

Menſis Martii
die 10. 1656.

XIII.

ANTONII ARNALDI
DOCTORIS ET SOCII SORBONICI
EPISTOLA SECUNDA
APOLOGETICA
AD QUEMDAM EPISCOPUM

Quâ ſuam agendi rationem, circa Quæſtionem Juris, ab omni probro vindicat, & iniquas Adverſariorum molitiones arguit.

QUantumvis in Quæſtione Facti cuncta iniquè & durè adversùm me geſta ſint, Præſul Illuſtriſſime; ea tamen mihi ſolatio potiùs quàm dolori eſſe debuiſſent, ſi hic ſtetiſſet inimicorum meorum furor. Scilicet habuiſſem unde præpotenti Deo gratias agerem, quòd omnes eorum conatus me unum petiiſſent, illæsâ ſanctiſſimorum Patrum doctrinâ & intactâ Fide Catholicâ: quòd ſatis habuiſſent me apud vulgus infamare, quaſi temerarium & injurioſum, propter propoſitum à me aliquod dubium in ejuſmodi Facto, cujus veritatem in Comitiis probandam ſuſcipere ipſi non auſi ſunt: ac denique quòd nihil aliud mihi, quàm privatam & peculiarem culpam exprobraſſent, à cujus labe aut potiùs ſuſpicione purgarunt me tot Doctores doctrinâ, pietate, ac mente incorruptâ conſpicui; & cujus aliundè reus eſſe potuiſſem, ita tamen ut catholica veritas, quod unicum ſtudium eſſe debet hominum verè Theologorum, nullatenus læderetur.

At fateor, P.I., doluiſſe me vehementer, quòd innocentia mea ſub graviſſimâ celeberrimorum Eccleſiæ Doctorum auctoritate, & quaſi tutelâ, non potuerit ſecura conſiſtere. Non potui non commoveri quòd in ſanctiſſimos Patres redundaverit ea injuria quæ mihi conflabatur: nec ſine maximo doloris ſenſu agnovi factum eſſe, ut in me quidam homines arriperent quæſitam dudum occaſionem obruendæ in Eccleſia doctrinæ D. Auguſtini.

Verumtamen illud mihi non mediocri ſolatio eſt, quòd verè conſcius ipſe mihi ſim, unius Dei causâ editam à me Epiſtolam illam, quæ tantos tumultus excitavit: & quòd nihil à me tam

in hac Quæſtione Juris, quàm in altera Facti omiſſum putem, quo Cenſuræ autores deterrerem, ne peſſimo exemplo & cum bonorum omnium offenſione damnarent ipſa SS. Patrum verba & dogmata.

Primis ſtatim Comitiis, quæ ea de re habita ſunt ſextodecimo die Januarii, miſi ad Facultatem Alterum Apologeticum, in quo apertè demonſtrabam nullam omninò vocem in mea Propoſitione legi, quæ non eſſet ſyllabatim deſcripta è SS. Patribus; & ad ea, quæ Examinatores in promenda adversùm me ſententiâ objecerant, ita reſpondebam, ut quæcumque damnare decreverant, ea ego aſtruerem ac ſtabilirem ipſis etiam principiis quæ non potuerant non admittere.

Apologeticum illum, cui Epiſtolam addideram, obtulit in Comitiis Doctor magnæ ætatis & famæ, idemque gravi & vividâ oratione admonuit, diligenter eſſe perlegendum illud ſcriptum Latinum, quo mea contineretur defenſio; ſingula ejus capita priùs ponderanda, quàm Epiſtolæ meæ articulus ſubjiceretur examini; & ejus exemplar omnibus Doctoribus tradendum, ut eorum ſinguli planè perſpicere poſſent quid complecteretur. Fuitne unquam æquior ulla poſtulatio? *Judices*, inquit S. Auguſtinus, *non ſint pigri ad legendum, ut veraces ſint ad judicandum.* Tract. 41. in Joannem. *Etiamſi apud ſcythas cauſam dixiſſem*, ut Scripturæ Sacræ verbis utar, (2. *Machab.* 4. 47.) & ii me tantummodò quaſi accuſatum hominem aſpexiſſent, expertes odii pariter & benevolentiæ, nonne ultrò voluiſſent cauſam meam cognoſcere, & expendere accuratiſſimè quæcumque ad Examinatorum accuſationes repellendas afferebam?

Verùm tunc clariſſimè patuit quàm ſapienter egerit Eccleſia, cùm Decretis ſuis vetuit, ne homines, quorum animos odii libido poſſideret, Judices aut teſtes darentur unquam iis quos oderant, rata nihil non iniquum & inhumanum ab ejuſmodi viris pertimeſcendum.

Qui hoc maximè formidabant, ne inſontem eſſe me palàm cerneretur, inter ſe uno animo ſunt conniſi, ut tam æqua poſtulatio repudiaretur. Non poterant omninò opprimere ac tollere Alterum hunc Apologeticum, ſicuti nec Primum, quoniam uterque typis mandatus venerat in manus omnium: verùm pervicerunt, ne in ipſis Comitiis expenderentur, ut par erat. De me quaſi homine accuſato volebant ferre judicium; at iidem nolebant, ut ipſe me quaſi accuſatus defenderem, aut mea excuteretur defenſio eo modo quo ſolet accuſati hominis.

Quæ res me inſontem probavit plurimis Doctoribus, eadem me adverſariis invi um magis reddidit: quoniam, cùm ratum ipſis ſtatutumque eſſet condemnare me, tale conſilium videbar diſtur-

diſturbare, & exaſperabam eorum mentes, dum me extra omnem Cenſuram poſitum demonſtrabam. Similes erant iis de quibus Auguſtinus in Pſalm. 57. n. 20. *Supercecidit ignis, qui eos non permittit videre ſolem..... Ignis concupiſcentiarum malarum..... & quidquid eos premit, ne cognoſcant veritatem, ne victi videantur, ne ſubjiciat illos vel ipſa veritas.* Et quos his ejuſdem Sancti verbis interpellare poteram: *Quid aures clauditis? Exſpectate, audite, & ſi potueritis ſævite. Quia nolebant viſi ſatire, noluerunt audire.* Ibid. n. 8.

Tantum abfuit ut vellent concedere ſpatium temporis neceſſarium ad excutiendam diligenter & maturè tam gravem Quæſtionem, in qua agerentur fides Patrum & fama Sacerdotis Doctoriſque ejuſdem cum ipſis Societatis, ut potiùs ad nova quædam & ante illum diem Facultati inuſitata confugerint, quibus & ſolitum Comitiorum tempus contraherent, & urgerent meam condemnationem, quæ pro eorum odio lentè procedere videbatur.

Cùm agitaretur Quæſtio Facti, mentem moræ impatientem texerant paululùm, & quamvis ægrè, toleraverant tamen Doctores quam plurimos in promendis ſententiis defenſionem meam ſuſcipere ac innocentiam tutari, non minùs pondere rationum, quàm verborum libertate.

Sed cum intelligerent ad Quæſtionem Juris requiri temporis multo plus, ut ſingula accuratiùs expenderentur, talem moram, æquam licet & legitimam, objici mediatæ Cenſuræ ſuæ, non potuerunt perpeti. Itaque eò prorupit eorum injuſtitia, ut liberum ad ferendam ſententiam temporis ſpatium Doctoribus eripere non puduerit; quod jus à natura ipſa conceſſum & Facultas hactenus integrum, nemine invidente, retinuit, & Societates omnes Eccleſiaſticæ, regulares ac civiles, plenè & liberrimè ſemper uſurparunt.

Docet Tertullianus, quòd *procedere diſputationem de neceſſariis fidei non eſt otioſum, quia nec infructuoſum.* (De Pœnit. c. 5.) Nonne hoc in præſenti negotio debuit diligenter obſervari, cùm Chriſti gratia, quo argumento nullum ſanè magis ſublime ac ſanctum, expendenda proponeretur, idquè in Theologorum Societate toto orbe nobiliſſimâ?

Nonne aliunde Facultati perhonorificùm futurum erat, ſi Doctores quamplurimi exiſterent, qui poſſent multa graviter & doctè dicere, veram doctrinam ſtabilire ſimul & falſam repellere; cognitâ cauſâ, tueri eos qui jure pugnarent, iis reſiſtere qui ſtarent ſolo ſubnixi numero; & abundè præſtare quæcumque expectari debent ab eruditis Theologis, quos in ejuſmodi Comitiis celeberrimis veritatem totis viribus propugnare oportet, & famam Sorbonæ defendere?

Nonne præterea intererat eorum, qui in Cenſuram iſtam conſenſerant, oſtendere orationis & argumentorum gravitate, ſi tamen

men potuiſſent, ſe non inſervire quorumdam aliorum ſententiæ metu neſcioquo inductos, aut quaſi conſcios factionis; ſed ſe poſſe ſententiæ ſuæ momenta exponere, eamque ſuſtinere adverſus ſentientes contraria?

Denique nonne naturæ lex & Chriſtiana charitas poſtulabant, ne fratri tam apertè oppreſſo hoc, quod unum ſupererat, eriperent ſolatium, ut in hac quæſtione quæ pertinebat ad Fidem, ab iis Judicum ſuorum, quibus Orthodoxus videbatur, eadem imò & majore libertate ac gravitate defenderetur, quàm in altera, ubi iiſdem viſus fuerat modeſtus & obſequens. Verùm nihil illos à conſilio ſuo revocare potuit: non fama Sorbonicæ domus, quam charam habere debuerant; non libertas Doctorum, quam tueri; non fraterna charitas, quâ decuerat eos inflammari; non denique ſanctiſſima Judicum ac ſacerdotum dignitas ac perſona, quæ ſummam ab ipſis & æquitatem & moderationem poſtulabat. Vicit ac proſtravit hæc omnia apertum in me odium & tacita ira in eos omnes qui dum meam innocentiam palàm facerent, ſæpiùs retegebant in Comitiis pravas ipſorum adversùm me molitiones.

Nulla tutior ad novum hoc conſilium perficiendum viſa eſt via, quàm ut Syndicus, quem mihi eſſe infenſiſſimum ſemper patuit, poſtularet (die 16 Januarii) contrahi ſententias ad quartam aut dimidiam horæ partem.

Intelligebant ſcilicet vim & gravitatem argumentorum quibus utebantur ii, qui SS. Patrum doctrinam in mea propoſitione adversùs ipſos tuebantur, compreſſum iri, ut ita dicam, talibus temporis anguſtiis, nec viris Doctis futurum integrum repellere, quemadmodum in altera quæſtione, falſas quorumdam in me criminationes, ſubvertere armis Eccleſiaſticæ Traditionis vanos humanæ mentis fœtus, & demonſtrare (quod illi inprimis formidabant) quæcumque ea de re poſſunt objici, jam fuiſſe olim propoſita ab infenſis gratiæ hoſtibus.

Sapienti Ethnico indignum videtur & iniquiſſimum, ſe à ſeditioſo Tribuno plebis coactum concludere intra ſemihoræ breve ſpatium defenſionem hominis ab ipſo accuſati. *Nunc quoniam, Tite Labiene, diligentiæ meæ temporis anguſtiis obſtitiſti, méque ex comparato & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihoræ circulum coëgiſti, parebitur, &, quod iniquiſſimum eſt, accuſatoris conditioni, &, quod miſerrimum, inimici poteſtati.*

Quis ergo non mirabitur, P. I. adverſarios meos ita parùm conſuluiſſe famæ ſuæ, ut & ſacerdotibus & Doctoribus voluerint id probari, quod Ethnicis ipſis viſum eſt efferati odii, & ſummæ iniquitatis cumulus?

An ii dici poſſunt gerere ſe, non dico miniſtros Chriſti & imitatores ejus charitatis, ſed judices tantùm civiles & æquitatis paulùm ſtudioſos, qui hominis

nis & accuſati & inimicorum potentiâ oppreſſi defenſionem infirmant quantum in ſe eſt, ac circumcidunt; & propterea pravis machinationibus ejus judices ac patronos frangunt, cogendo illos in anguſtum ſemihoræ circulum, obſtrependo, & imperando ſilentium, ſi fortè conſtitutum tam breve ſpatium excedant? Quid autem aliud eſt hoc, niſi durâ lege frænare ingenium, deprimere animos turpi ſervitute, orationiſque vim & ſeriem obruere & abrumpere violentis interpellationibus?

Si in cauſa capitali major judicum pars conjurata in exitium judicis ſibi ſocij, at odioſi, & accuſati ab uno ex ipſis, duram hanc circumſcripti temporis legem toti Curiæ imponerent, poſtquàm de Rei lite fuiſſet relatum, quia nonnihil metuerent ab iis quos præviderent argumentorum pondere & numero liberè defenſuros innocentiam accuſati, & forſitan commoturos quorumdam aliorum mentes, vel ſaltem moram pravo conſilio ſuo aliquam facturos; nonne in ejuſmodi judices quiſque inſurgeret, & veros ſocii ſui parricidas clamitaret? Nova autem illa lex, quid aliud eſſe videretur, quàm aperta ad opprimendum fratrem conjuratio? Præſertim, ſi conceſsâ ſingulis judicibus integrâ libertate loquendi de primo accuſationis capite, in quo de mulctâ tantum aliquâ agebatur, & in eo ſæpiùs appellati ac apertè convicti falſitatis, (ſicuti nuper contigit in quæſtione Facti) confugerent ad hanc artem in altero capite, quo ipſa Rei mors peteretur, ut quantum fieri poſſet amputarent & circumciderent odioſos formidatoſque eorum ſermones, qui nullo factionis vinculo colligati ipſos obruerent multitudine rationum, & crebris exprobrationibus dejicerent?

Quis tales judices non deteſtaretur, & in Reum non commoveretur miſericordia? An illi habendi eſſent veri judices, aut hic, majore licet ſuffragiorum parte condemnatus, putaretur nocens? Nonne talidamnationi, non publicos juris diſpenſatores, ſed privatos Rei inimicos præfuiſſe vulgò jactaretur, cumque ab iiſdem adverſariis ſuis accuſatum, condemnatum, oppreſſum? Nova autem illa lex contrahendi ſententiam in ſemihoræ circulum ab ipſis uno animo inſtituta, quaſi facilior breviorque ad hujus damnationem via, numquid non videretur certiſſimum eſſe argumentum conjurationis factæ contra innocentis vitam, & opus peſſimæ illius prudentiæ, quæ cum arte & prudentia operatur malum *Sapienter opprimamus eum*, ut dicit Scriptura. (Exodi. 1. 10.) Nonne quiſque merito diceret, quando una in reddendo jure æquitas quæritur, non inſtitui novas leges, ſed diligenter obſervari jam conſtitutas; ſtare antiquis juſtitiæ regulis; frui judices ſingulos integrâ libertate quâ ſolent; nihil immutari ex ordine judiciorum; audiri omnia cum patientia,

patientia, & expendi cum æquitate ac diligentia: quoniam notum eſt hanc patientiam, quâ audiuntur quæcumque ad purgandum reum afferuntur, magnam eſſe juſtitiæ partem, ſicut dixit olim Senator Romanus: *Primùm Religioni ſuæ judex patientiam debet, quæ pars magna juſtitiæ eſt*: præproperam verò feſtinationem, eſſe magnam partem injuſtitiæ, quæ Reo facultatem omnem purgandi ſe conatur eripere, ſignum non obſcurum implacati odii, nihilque aliud ſpirantis, quàm damnationem Rei, & inſigne indicium potentiſſimæ Factionis conjuratæ in ejuſdem exitium?

Habes, I. P. adumbratam imaginem eorum quæ in præſenti controverſia geſta ſunt. Non potuerant non tolerare infenſi mihi hoſtes Doctorem quemque liberè eloqui in quæſtione Facti, quia pulchrè intellexerant ſe nimiùm læſuros omnium mentes, & vocaturos Comitia in invidiam, ſi ſtatim tolleretur ex iis omnis libertas. Ipſe etiam Galliæ Cancellarius ſignificaverat jam ab initio Comitiorum „Etſi Rex „Chriſtianiſſimus cuperet ſen„tentias intra quartam aut di„midiam partem horæ concludi, „ſe tamen non poſtulare ita fieri, „ne legitima cauſa eſſet conque„rendi violatam ſuffragiorum li„bertatem. Verum quos pudor aliquis à violandâ illa libertate ſuffragiorum cohibuit, cum temeritatis tantum accuſatio expenderetur, iidem non dubitant eam apertè violare, cum agitur de crimine hæreſis, quo certè gravius nullum imputari poteſt Sacerdoti & Doctori.

Itaque mirum non eſt quòd, cum id poſtulavit Syndicus, bonorum omnium mentes tacita ſubierit indignatio, eorumque aperta facta ſit interceſſio.

Seniores quique Doctores & alii bene multi, numero circiter ſexaginta, planè obſtiterunt Legi iſti novæ & nondum uſurpatæ in Facultate à quingentis annis. Denunciaverunt non poſſe ſibi tale jugum imponi, aut eripi libertatem afferendi quidquid ſententiæ ſuæ confirmandæ neceſſarium judicarent in re tam gravi & ad Fidem ipſam pertinente. Cedere tamen eos oportuit numero ſuffragiorum: ſed rati tam iniquam ſervilemque conditionem minimè obſervatum iri, poſtridiè ad Comitia pro more redierunt.

Et verò qui duo primi adverſùm me ſententiam tulêre, ipſi non paruerunt Legi iſti illegitimæ, ſed eorum uterque eſt elocutus per horam integram & amplius. Qui deinde æquas aut adverſas mihi ſententias propoſuerunt, perorarunt quandiu ipſis viſum eſt, nec cohiberi potuerunt crebro fremitu eorum qui novam illam in Sorbona ſervitutem accipi voluerant.

Verùm in ſextis Comitiis cùm Doctor unus ſuſcepiſſet oſtendere, meam Propoſitionem omnino conſentaneam eſſe doctrinæ D. Thomæ, neceſſe habuit plurima ex ejus Operibus teſtimonia affer-

re

re, quibus ſtabiliret veritatem hanc, quæ unâ hac viâ poterat probari, omni alio ſermone futuro ad id aſſequendum irrito. Eò etiam deductus eſt ut purgarer me adversùs Magiſtrum Nicolaum Cornet, qui me aliquod Cardinalis Cajetani teſtimonium corrupiſſe criminabatur, quia ſcilicet parentheſim ſuſtuleram, quæ reverâ omnino eſſet inutilis. Voluit M. Cornet accuſationem ſuam tueri: Liber in medium fuit proferendus: & perlecto illo teſtimonio patuit, tum me injuriâ inſimulatum malæ fidei, tum doctrinam Cardinalis Cajetani, inter D. Thomæ diſcipulos celeberrimi, eandem prorſus eſſe atque Propoſitionis quam damnare meditabantur quaſi hæreticam & impiam.

Altercatio illa cum M. Cornet, & multiplex loquenti Doctori facta interpellatio, quibus ferè tres horæ partes abumptæ ſunt, fecêre ut hic à nonâ ad undecimam uſque ſit locutus, nec tamen ſententiam ſuam confecerit. Graviter admodùm ferebant adverſarii, præter voluntatem ſuam dilucidiùs explicari doctrinam D. Thomæ, & certiſſimis argumentis demonſtrari, quàm perfectè congrueret cum ea quam damnare decreverant: quod poſtea denuò demonſtravi in Libello Latino qui Romam miſſus eſt.

Exulceraverat præterea eorum mentes offuſus pudor Magiſtro Cornet. Facti ergo Comitiorum Arbitri & Domini, ſexta hæc Comitia diſſolvi hora undecima curaverunt, etſi priſtina omnia ad duodecimam ipſi protraxiſſent; ut ſcilicet Doctor ille non poſſet abſolvere tam neceſſariam & gravem in præſenti controverſia expoſitionem eorum quæ verè ſentit ſcholæ Angelus.

Ex hujus contentionis exitu, qui & adverſariis meis tam parùm ſecundus fuit, & meam Sorbonæ univerſæ fidem palàm comprobavit, facilè intelligis, P. I., ſi apud judices Eccleſiaſticos & æqui ſtudioſos fuiſſem accuſatus, mihique contra adverſariorum criminationes fuiſſet tantummodò pugnandum, majorem ipſis locum futurum fuiſſe timendi ne calumniatores viderentur, quàm mihi ne hæreticus declararer. Ideò ergo nomen meum detulerunt Facultati, quia ipſi ſe accuſatores judiceſque meos conſtituebant, & perſpiciebant nullam mihi quantumlibet innocenti futuram facultatem evadendi ex ſuis manibus, cùm pro certo haberent me magna multitudine Doctorum, præcipuè Regularium, quos undecumque coegerant, oppreſſum iri.

Volebant præterea licitum ſibi fieri me palàm inſimulare, teſtimonia Scriptorum mala fide fuiſſe à me exſcripta & adulteratam Sanctorum doctrinam. Verum cùm ille Doctor calumniam hanc graviter retudiſſet, ac demonſtraſſet eandem eſſe doctrinam D. Thomæ ac SS. Patrum Auguſtini & Chryſoſtomi quos defendebam, ſtatuerunt poſita ſemel lege huic incommodo in poſterum

rum ire obviam, & recidere omninò ejuſmodi ſententias tam graves & firmis nixas rationibus, quibus obturbarentur conſilia ſua, ipſi pudore perfunderentur, & omnibus palàm innoteſceret quàm infirmos haberet defenſores injuſta eorum cauſa.

Eccleſiaſticæ veritatis viribus afflicti, erigere ſe voluerunt ſumptis armis civilis autoritatis, quaſi civilis aliqua lis ageretur. Appellarunt civiles Magiſtratus, ut Doctoribus non ampliùs relinqueretur facultas pertractandi diligentiùs Theologiæ dogmata, aut purgandi me à falſis inimicorum accuſationibus. Atque ita oſtenderunt ſe profectò non eſſe eodem animo quo antiquos Fidei defenſores, & maximos Doctores duos Hilarium & Chryſoſtomum, qui ſatis firmas ſibi vires eſſe exiſtimabant ſi è ſua parte ſtaret Veritas, quæ ipſius Dei virtus eſt, ut ait eorum alter; *& præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcebant, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur*, ut ſcribit S. Hilarius contra Auxentium. n. 3. *At nunc, proh dolor!* inquit iterum n. 4. *divinam fidem ſuffragia terrena commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Eccleſia: credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita. Pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore. Fugat Sacerdotes, quæ fugatis eſt Sacerdotibus propagata. Diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet.*

Voluerunt omnino tollere quidquid in Comitiis reliquum erat libertatis. Et quoniam periculo ſuo jam cognoverant, quàm infirma ſint Error & Mendacium adverſùs Innocentiam & Veritatem, majorem ſuffragiorum partem habere ad manum ſatis non eſſe viſum eſt (quod tamen hominibus vel paululùm moderatis maximum fuiſſet) ſed percuſſi exacerbatique doctis ac gravibus ſententiis nonnullorum ex meis judicibus, qui cauſam meam tuebantur, fecerunt ut iterum in Comitiis audiretur imperioſa & formidoloſa vox, quæ ſummâ autoritate ſubnixa ſtatim, poſt confectum ſemihoræ ſpatium imperaret ſilentium omnibus Doctoribus, quorum argumenta vivida & firma, ipſis erant moleſta & odioſa.

Falſa quædam & invidioſa in me jactantes faventem aulam habuere, dederuntque operam ut ſummus Galliæ Cancellarius, qui poſt compoſitam Quæſtionem de Facto Comitiis Sorbonicis non præfuerat, die Lunæ proximè ſubſequente ad ea rurſus veniret: & quoniam ejus adventus expectatus fuerat & optatus iis qui vocem ſociis ſuis præcludere omni ope tentabant; „illorum voto obſecutus dixit, „quandoquidem accepta lex erat „loquendi per ſemihoram ad „ſummum, eam eſſe obſervan-

„dam,

„dam, & ſe impediturum ne quis „tale temporis ſpatium excederet.

Fruſtra nonnulli repoſuerunt, reclamatum fuiſſe huic novæ legi; adverſari eam Facultatis inſtitutis; non poſſe obſervari in re tam gravi & pertinente ad Fidem; ſicque judicatum ab iis ipſis, qui ejuſmodi jugum voluerant aliis imponi, quippe qui ultra horæ ſpatium dixerant adverſùs Propoſitionem quam Cenſurâ notari cupiebant. Iis qui talia expoſtulabant demiſsâ modeſtâque oratione clemens ullum reſponſum adeò non datum eſt, ut contrà imperatum ſit ſilentium, licet, quemadmodum dixi ſuperiùs, in Quæſtione Facti confeſſio facta erat, novam hane Legem invehi in Sorbonam non poſſe; " quin „daretur locus conquerendi vio„latam fuiſſe ſuffragiorum liber„tatem.

QuiDoctor die Sabbati in dicenda ſententia fuerat prohibitus, exponere fuſiùs rationes omnes ſuas, quæ ex ipſis D. Thomæ verbis deſumtæ me damnari non poſſe demonſtrabant, niſi pariter damnaretur ille Sanctus, voluit idem ſermonem inſtitutum reſumere; verùm juſſus tacere omninò ac ſtatim concludere, ſermoni nondum abſoluto finem imponere coactus eſt.

Mox duo alii Doctores, qui Propoſitionis meæ defenſionem ſuſceperant, cùm urgente clepſydrâ leviter perſtrinxiſſent momenta ac rationes ſententiarum ſuarum, quas definiebat fluentis arenulæ menſura perbrevis, non autem neceſſitas teſtimoniorum & probationum, quibus niti debent omnia hominis verè Theologi verba; ii pariter tacere juſſi ac concludere.

Cùm cernerent Doctores omnia ſic perversè & contra uſum geri, nihil potius eſſe duxerunt, quàm tacere, experti jam aliunde irritas eſſe querelas omnes ſuas. Extitere tamen plurimi, qui è Comitiis exeuntes ſignificarunt, "non eam ſibi mentem „eſſe ut novo huic jugo colla „vellent ſubdere; intra ſpatium „temporis tam breve proponi à „ſe ea non poſſe quæ dicere im„peraret Religio, ad defenden„dam Fidem & refutandas falſas „rationes quibus illa impugnata „fuerat, inuſtâ hæreſeos labe & „notâ ei Propoſitioni quam ipſi „cenſebant ſanctiſſimam eſſe & „omnino Catholicam; minimè „eâ viâ veritatem expendi aut „illuſtrari; ſe in poſterum non „adfuturos Comitiis, ſi ita ex iis „tolleretur libertas; nec com„miſſuros ut novam hanc Facul„tati impoſitam legem compro„baſſe præſentiâ ſuâ viderentur.

Revera illud præſtitere ipſâ poſterâ die Martis Januarii 25; & eorum qui non venere ad Comitia numerus tantus fuit, ut altera aulæ Sorbonicæ ala omninò vacua relicta ſit. Expectabatur Galliæ Cancellarius, parata ei Cathedra, & jam venerant Catenati, ut vocant, Apparitores: ſed præmonitus nihil opus eſſe ampliùs ſuâ præſentiâ, Comitiis non adfuit.

Tum

Tùm verò quicumque remanſerant, ad conficiendam damnationem meam cœco impetu properantes, parumque ſolliciti, in ferenda ſententia, expendere Cenſuræ ſuæ æquitatem, in id unum incubuerunt, ut quam celerrimè meditatum conſilium perficerent; adeò ut ipſo manè hujus diei, viginti & ampliùs ſententiam dixerint intra duas horas cum dimidiâ.

Quis igitur hæc Comitia, P. J., legitima dixerit, à quibus pluſquàm ſexaginta Doctores, iique doctrinæ famâ & dictis graviter ſententiis celeberrimi ſeceſſerint, ideò quòd non jam liceret omni contentione animi, omni ſtudio, & quâ decebat doctos homines fandi copiâ defendere Fidem Eccleſiæ & Patrum doctrinam, nec poſſent perpeti, ſalvâ ſuæ Facultatis famâ & libertate, nova & inuſitata quædam inuehi, quibus totus ordo, non minùs quàm frater ſuus opprimeretur?

1. Et ſanè primùm omnium, ſingulis Doctoribus longo uſu comparatum eſt jus, tantùm in dicendo temporis inſumere, quantùm ad ſtabiliendam ſententiam ſuam ſibi opus eſſe exiſtimant; nec alteri Doctorum parti, quantuſcumque ſit eorum numerus, licitum eſſe poteſt eripere ſociis proprium ratumque jus.

Quòd ſi jus illud ne uni quidem Doctori tolli fas erat, quanto minùs ſeptuaginta & ampliùs Doctoribus, inani eâ de cauſa, quòd major ex alia parte eſſet numerus, conflatus ſcilicet ex multitudine monachorum mendicantium, qui præter binos ex ſingulis Ordinibus legitimum in Comitiis jus non habent ſecundùm ſtatuta Facultatis, & Curiæ Decreta?

2. Doctoribus iis qui nihil in Epiſtola mea reperiebant quod non eſſet Catholicæ veritati conſonum, neceſſe erat non ſolùm tueri me ac propoſitionem meam, ſed etiam ſeipſos ac fidem ſuam. Etenim ſingulare hoc diſcrimen intercedit inter cauſas hæreſis, & cauſas aliorum criminum, quòd ubi judex ſontem abſolvit ac pronunciat innocentem, non indè tamen in ſuſpicionem venit ejuſdem criminis. At verò cùm Doctor contendit Catholicam eſſe propoſitionem quam alii damnant quaſi hæreticam, periclitatur ipſe ne fautor & patronus hæreſeos habeatur, niſi ea ſuppetant quibus valeat ſententiam ſuam confirmare ac tueri. Nonne ergo violatur naturæ lex, cùm Doctoribus non relinquitur integra libertas ſeipſos fidemque ſuam defendendi adverſùs eos à quibus ob propugnatam hæreticam doctrinam ipſi poſſent hæreſeos accuſari?

3. Non mea tantùm fides agebatur ſingulorumve Doctorum qui cauſam meam defendebant, imò totius Eccleſiæ Fides agebatur, ſiquidem novos & Patribus noſtris incognitos Catholicæ Fidei articulos placebat introduci. Quis autem non videt legem hanc temporis ad dicendum cir-

cumſcripti obſtitiſſe omninò Examini quod fieri par eſt in Quæſtione Fidei? Teſtatur Concilium Tridentinum pluribus in locis, præſertim verò in ſalvo-conductu conceſſo Germanis Proteſtantibus,qui adConcilium venirevellent, *Quod cauſæ controverſæ ſecundùm Sacram Scripturam, & Apoſtolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & ſanctorum Patrum auctoritates tractari debeant.* Numquid autem poſſunt hæc omnia etiam leviter tractari intra ſemihoræ ſpatium?

4. Denique quàm iniqua fuerit illa lex, inde etiam patet, quòd ii à quibus expetita, maturata, conſtitutáque eſt, fateri coacti ſint iſtud ſemihoræ ſpatium ſibi minimè ſufficere ad proponendam ſententiam & probanda ea quæ in me effundebant. Nuper typis mandatum eſt P. Nicolai Dominicani ſcriptum, in quo fatetur ipſe mediam tantùm ſententiæ ſuæ partem à ſe proponi potuiſſe, propter breve illud tempus definitum, omiſſamque alteram graviorem, in qua D. Thomæ doctrina explanaretur; licet ibidem ille fateatur ſe à S. Auguſtini diſcipulis rogatum, ut ad finem perduceret ſuam illam explanationem.

Quæ igitur res movere potuit Dominicanum hunc, ut cum Syndico cæteriſque adverſariis meis incumberet ad eripiendam omnibus libertatem loquendi ultrà horam dimidiam? Expertus ipſe cognoſcebat intra tam breve tempus non poſſe commodè ſententiam ferri ea de re, in qua vana eſt omnis oratio quæ non validis probationibus & argumentis innitatur. Declaravit idem ſcripto publico ſe mediam tantùm ſententiæ ſuæ partem exponere potuiſſe, nec fuiſſe ſibi integrum præſtare ea quæ potiſſimùm à Profeſſore Scholæ D. Thomæ expectabantur. Niſi ineptè vanus ſit, putare non debet aliis Doctoribus minimè adfuiſſe id ingenii ac doctrinæ, ut tam diu & tam aptè eloqui potuiſſent, quàm ipſe. Verumtamen communi cum aliis cupiditate ardens maturandi Cenſuram, & ſaltem plus mediâ parte amputandi è ſermonibus eorum qui illam impugnabant, contra rationis & propriæ conſcientiæ teſtimonium non dubitavit dare operam, ut viris Theologis definеretur illud ſententiæ dicendæ tempus, quod ipſe noverat non eſſe ſufficiens ritè expendendæ Quæſtioni de qua erat inſtituta controverſia. Jure ſingulis Doctoribus à natura conceſſo ſponte decedens, famam Theologicæ Societatis, famam Dominicanæ Domûs, imò famam ipſe ſuam prodidit, ut citiùs faciliùſque poſſet Fratri afferre infamiam, & iis qui doctrinam D. Thomæ averſantur, locum dare eam reverâ configendi Cenſurâ, quæ ſtare non poteſt, quin ſimul damnetur hujus Sancti doctrina, & Divi etiam Auguſtini Magiſtri ipſius.

Quâ ratione unicâ niti voluerunt iniquam hanc legem, eâ ipsâ evertitur, ne dum comprobetur

betur. Scilicet attulerunt fuiſſe ſtatutum in Concilio Tridentino, ne quis ultra dimidiam horam loqueretur. At tria ſubjungere debuerunt quæ declarant exemplum hoc omnino ipſis adverſari.

1. Priuſquàm haberentur Seſſiones Concilii, fieri ſolitos generales Conventus, in quibus Epiſcopi & Theologi differebant de iis capitibus quæ deberent definiri in Seſſionibus; atque etiam ante generales illos Conventus, privatos quoſdam congreſſus habitos, ubi celeberrimi quique Theologi aut opinione aut gente inter ſe diverſi, res controverſas tractabant coram iis Epiſcoporum qui doctrinâ præcipui habebantur, qui rationes hinc & inde allatas expendebant. An ergò præſenti in Quæſtione ea inita via eſt? Nonne contrà denegatus fuit ſemper ejuſmodi congreſſus.

2. Huic Legi obnoxios non fuiſſe Epiſcopos, qui in Conciliis Judices ſedent eorum quæ Fidem ſpectant; ſed Theologos modò, qui ibidem Advocatorum, ut vocamus, locum tantùm obtinent: quod quidem expreſſis verbis declarat Concilii Hiſtoria, ex qua iſtud ſemihoræ exemplum deſumpſerunt. Imò nos edocet hunc fuiſſe illius Statuti titulum: *Ratio ſervanda deinceps in iis quæ expendentur à Theologis minoribus*: quâ poſtremâ voce voluit eos diſtingui ab Epiſcopis qui erant Theologi majores, & ſoli pro ſua auctoritate poterant de doctrinâ ferre judicium.

At verò in Comitiis Sorbonicis Doctor quilibet ſedet Judex, & ità fruitur ibi jure eodem quo Epiſcopi in Conciliis, ut in ipſis etiam Epiſcopis, ſi adſint, ſolum Doctoris nomen conſideretur. Ideóque Facultas nullum jus habet, præſertim quando inter ſe diſſidet, eripiendi unicuique eorum libertatem ferendi ſuffragii, quemadmodum nullo in Concilio unquam erepta eſt ulli Præſuli.

3. Patuiſſe ipſo eventu nequidem inter privatos Theologos obſervari talem legem poſſe. Etenim in primo poſt ejuſmodi confectum Statutum Conventu, Salmero Jeſuita abſumſit ſolus dicendo totum illud tempus quod fuerat plurimorum diſputationibus conſtitutum, & idipſum die poſterâ alius Jeſuita nomine Torrez * in altero Conventu pariter fecit.

Itaque hoc exemplo probatur omninò aliud, quàm quod intenditur; ſiquidem planum fit, nunquam ad temporis anguſtias coactos eos qui ſunt Judices in Comitiis, quo nomine Doctores gaudent in ſuis: &, ſi quando fuit illa impoſita lex iis qui Judices non ſunt, nullatenus potuiſſe eam obſervari.

Supereſt igitur hoc unum quod tam iniquæ conditioni prætexere poſſent, ſcilicet quòd in abſolvenda ea controverſia longius temporis ſpatium fuiſſet collocandum. Verùm, P. I. audeantne

 ſacer-

* *Franciſcus Turrianus, ut puto, qui nonniſi poſt Concilii exitum Societati Jeſuiticæ ſe mancipavit.*

Sacerdotes & Doctores cauſari tale quid, cùm agitur de re tam gravi & ad Fidem ipſam pertinente? Si fortunæ noſtræ vel paululùm periclitari videantur, facit terrenarum divitiarum cupiditas ut annus integer ultrò impendatur inſtruendæ liti, proferendis variis ſcriptionibus, prehenſandis judicibus, & procurando cauſæ judicio. At verò viros Theologos ita parùm tanget Juſtitiæ ſtudium, ut unius duorumve menſium moram perferre non poſſint, cùm id agitur ut è ſuis ſociis unum condemnent, inferant labem famæ ſacerdotis, judicent de Fidei dogmate, excitent turbas in fidelium mentibus, moveant ſcandala & perſecutiones in Eccleſia? Itanè propter inanem hunc & ſimulatum faciendæ temporis jacturæ metum dicere audebunt licitum ſibi eſſe, violare id quo nihil carius habere debent quævis Societates, ſcilicet libertatem dicendi, ut ſaltem libidini & violentiæ, rationis auctoritas poſſit objici? *Si non delectat veritas*, inquit Auguſtinus, *delectet ſaltem libertas.* Tract. 48. c. 2. in Joannem.

Conſtat igitur, P. J. Doctores eos quibus cordi erat veritas, fama ſocietatis ſuæ, & Fratris innocentia, meritò ſanè receſſiſſe à Comitiis, cùm & illum tam iniquis modis impugnari, & ſuam libertatem tam manifeſtè opprimi cognoverunt. Secuti ſunt veſtigia ſanctiſſimorum Præſulum, quorum ſimilis fuit in pari occaſione ratio.

Imitati ſunt D. Paphnucium in ſuperiori Thebaïde Epiſcopum, S. Maximum Jeroſolymitanum Epiſcopum, & plures alios, qui, ut refert Baronius, cognitâ Euſebianorum Præſulum conjuratione adverſus D. Athanaſium multis accuſatum criminibus in Concilio Tyrienſi anno 335. cùm Præſules omnes declararent ſe Nicænam Synodum admittere, & in Catholica communione permanerent, è Concilio ſeceſſerunt. Ideóque dixit S. Pontifex Julius I. in Epiſtola, quæ apud S. Athanaſium, in Apologia 2. legitur, non fuiſſe condemnatum Tyri Sanctiſſimum hunc Præſulem, quia, ut ſcribit Emin. Baronius, non fuerat à ſaniore Concilii parte condemnatus.

Imitati ſunt plurimos Epiſcopos, & illum ipſum Maximum Jeroſolymitanum Epiſcopum, qui vocati ad Concilium Antiochiæ habendum adverſùs eundem Athanaſium, noluerunt intereſſe, compertum habentes quo odio eum proſequerentur ii qui Euſebio Nicomedienſi faverent. Cùm autem ſederint in eo Concilio Epiſcopi nonaginta, & ſignificet S. Pontifex Julius I. fuiſſe eum condemnatum à triginta ſex tantùm, notat Baronius aut alios omnes ſeceſſiſſe è Concilio, aut ſaltem non comprobatam ab iis iniquam illam damnationem.

Imitati denique ſunt Sanctiſſimum Præſulem Theodorum Metropolitanum Tyanæum,. qui fortè Conſtantinopoli agens tunc cùm

cùm Theophilus Patriarcha Alexandrinus dabat operam ut D. Chryſoſtomus damnaretur in Concilio cui ipſe præerat, noluit ſedere inter alios,ſed,ubi omnia per factionem geri cognovit, ad Eccleſiam ſuam reverſus eſt.

Graviſſima hæc exempla ſequi potuerunt Doctores qui receſſerunt è Comitiis. Et quoniam veritatis vindices eſſe omninò non potuerant, cùm omnis eam propugnandi facultas eriperetur, uni adverſariorum libidini permiſſus & obnoxius factus ſum, qui tam iniquâ & ante illum diem inauditâ ratione removerant eos à quibus poſſet obſiſti conſilio ſuo. Quæ cùm ita eſſent, quidnam potuit à me fieri æquum magis & conſentaneum legibus, quàm ut exponerem quàm graves mihi cauſæ ſuppeterent, cur pro irrito haberem quidquid adversùm me ſtatueretur in Comitiis unde jam omnis libertas exulabat; ubi ereptum Doctoribus jus, quod etiam recentiſſimè uſurparant in Quæſtione Facti, quæ longè minoris fuerat momenti; ubi apertè & abſque ulla diſſimulatione ſeſe exerebat ardens accelerandæ damnationis meæ libido, quæ ſe priùs paululum texerat; ubi denique præpropera adverſariorum feſtinatio ſatis declarabat quàm vera ſint hæc antiqui Scriptoris verba: *Prope eſt ut libenter damnet, qui citò.* Seneca, de Clementia l. 1. cap. 4.

Itaque per Inſtrumentum publicum datum die 26. Januarii, & poſtridie denunciatum Facultati, declaravi: " Etſi multæ „ ſuppeterent cauſæ propter quas „ de ſervata in Epiſtolæ meæ „ examine ratione conqueri po- „ tuiſſem (quarum præcipuas „ referebam, tibi antea, P. J. à „ me expoſitas,& hìc non iterum „ retractandas) me tamên pro „ mea inFacultatem reverentiâ & „ ſtudio pacis ſemper fuiſſe diſſi- „ mulaturum acceptas in ea re „ injurias; verùm me comperiſ- „ ſe, in examine Quæſtionis de „ jure, cœpto fieri die decimâ „ octavâ ejuſdem menſis, per „ ſummam calumniam mihi cri- „ men objectum fuiſſe, quaſi „ propugnaſſem in Epiſtola hære- „ ſim damnatam à Concilio Tri- „ dentino, & Conſtitutione In- „ nocentii X. S. Pontificis, nem- „ pe Mandata Dei eſſe impoſſi- „ bilia juſtis; licèt revera eam „ ego in omnibus ſcriptis meis „ ſemper damnaverim, damném- „ que ex animo: cùm ſenior „ unus è Doctoribus meo nomi- „ ne obtuliſſet Scriptum, quo „ poterat faciliùs intelligi, quàm „ ſana eſſet doctrina mea circa „ quæſtionem quæ erat expen- „ denda, illud palàm in Faculta- „ te recitandi denegatam copiam, „ nullúmque delectum Docto- „ rem, qui ſcriptum hoc exami- „ naret, ſuúmque de eo judi- „ cium referret in Comitiis; „ quamvis, utrumque enixè po- „ ſtulaſſet qui libellum meo no- „ mine obtulerat. Cùm in qua- „ tuor primis Comitiis tantùm „ temporis ſinguli Doctores di-

 „ cendo

„ cendo conſumſiſſent quantum „ ſententiæ ſuæ confirmandæ „ neceſſarium eſſe duxerant, tamen quia Doctor unus pluribus „ verbis voluiſſet defendere Epiſtolæ meæ Propoſitionem, & „ oſtendere omninò eam congruere cum D. Thomæ doctrina, multoties illum fuiſſe interpellatum, etſi nihil niſi valdè „ neceſſarium diceret, atque etiam „ Comitia diſſoluta horâ integrâ „ maturiùs quàm pro more ſolito, ut ſuas ille probationes „ afferre non poſſet: deindè die „ Lunæ proximè ſubſequente, „ qui fuit 24. ejuſdem menſis, „ Doctores alios vix mediâ ſententiæ ſuæ parte abſolutâ, juſſos ſilere ac ſtatim finem dicendi facere: id autem ita factum diei, ut obtemperaretur „ cuidam Concluſioni diei decimi-ſeptimi menſis ejuſdem, „ quâ placuerat ſententiæ proponendæ tempus contrahi ad horam dimidiam; quamvis reverà plurimi Doctores adverſati „ eſſent iſti Concluſioni, ut potè „ inauditæ hactenus, alienæ ab „ uſu recepto tum in qualibet Societate benè conſtituta, tum „ præcipuè in ipſa Facultate, & „ contrariæ ſuffragiorum libertati: quæ ideò non fuiſſet obſervata in primis quatuor Comitiis, nec omnino poſſet, quoniam ejuſmodi res tam graves „ & ad Fidem pertinentes non „ poſſunt quâ par eſt diligentiâ „ expendi, niſi ſingulis Doctoribus, qui debent ferre ſententiam, relinquatur integra libertas aſſerendi omnes è S. Scriptura, SS. Patribus, & aliis „ Theologiæ fontibus deſumtas „ probationes quibus eam cupiunt ſtabilire; quod ſanè non „ parvum temporis ſpatium poſtulat. Et quoniam magna „ Doctorum pars propter ereptam libertatem exponendi ſententiæ ſuæ rationes, receſſerant è Comitiis, iiſque adeſſe „ deſierant pridie ejus diei, Declarabam non poſſe ea Comitia „ à me accipi quaſi legitima, in „ quibus viris Theologis non licebat ſtabilire ſententiam ſuam „ quantum opus eſſe videretur, „ & quæ aliunde tam multiplici „ ex capite peccarent. Itaque „ me, poſt juratum, in reliquum „ vitæ tempus, Sacramentum „ Fidei Catholicæ Apoſtolicæ & „ Romanæ, in qua ſemper vixi, „ & ſummum erga Eccleſiam ac „ ſanctam ſedem obſequium, „ quod nunquam violavi, adduci „ eò, ut pro irritis haberem quæcumque geſta fuiſſent gererenturque in iſtis Comitiis, & declararem me, quâ ratione & „ quo tempore viſum fuiſſet, „ contra acturum.

Non opus eſt, credo, P. I., ut hujus Inſtrumenti per Notarios, ut vocamus, confecti auctoritatem afferam, quam leges omnes admittunt; æquitatem extollam, quæ nititur factis publicis, & univerſæ Urbi cognitis; neceſſitatem exponam, quæ ſatis patet diſceſſu tot Doctorum, qui & libertatem ſuam captivam teneri & fratrem opprimi non po-

tuerunt

tuerunt perpeti.

Non ignoras, P. I. teneri nos obedientes eſſe autoritati judicum legitimorum & æqui ſtudioſorum, non autem ultrò objicere nos injuriæ & odio eorum qui inimicos accuſatoréſque noſtros ſeſe declarant. Vult Evangelica lex ut caveamus ab iis qui perſequuntur nos: & ipſa Sanctorum exempla nos admonent, ne famam innocentiamque noſtram permittamus adverſariis quorum mentem patet eſſe odii libidine corruptam.

Itaque cùm ea ratione ſexaginta & ampliùs Doctores Comitia deſeruiſſent, præter Seniores octo qui pro me ſententiam tulerant, adverſarii ſoli jam relicti & in Comitiis dominantes, intra tertium quartumve diem Cenſuram confecerunt nemine contradicente, adeò omnes inter ſe colligaverat Factio! atque ita ſine ullo labore & negotio in lucem ediderunt monſtroſum illud judicium, quod jam pridem illorum in me odium & livor parturiebat; quo quidem Judicio Propoſitio ſyllabatim & cum fide deſcripta ex duobus Eccleſiæ Patribus, Auguſtino & Chryſoſtomo, declaratur *temeraria*, *impia*, *blaſphema*, *anathemate damnata*, *heretica*.

Verùm tamen exiſtimo, P. I. mirum tibi non accidiſſe, quòd res ita acta eſſet. Intelligis ſcilicet, ubi ſemel conſtitutum deliberatumque eſt opprimere quempiam, quantumvis juſtus & innocens ille ſit, nihil tam ſanctum & ſacrum eſſe, quod non violet illius quàm celerrimè opprimendi cupiditas. Si viſum eſt ejus doctrinam damnare, fruſtrà ipſa SS. Patrum verba ille uſurpat; illorum dogmata, impia & hæretica in ejus ore ſunt. Si novarum opinionum artificem haberi cupiunt, *novitatem quærunt in viſceribus vetuſtatis.* (Optatus) Si anathemate volunt percutere, ipſi ſibi fingunt neſcio quæ commentitia anathematum fulmina, quibus falsò contendunt celeberrimorum etiam Eccleſiæ Doctorum fidem fuiſſe olim percuſſam.

Exponam tibi, P. I. in tertia Epiſtola quàm graviter in eo peccatum ſit, & oſtendam non me iſtâ Cenſurâ peti, ſed ſanctiſſimos Doctores quorum verba tantùm exſcripſi, Patres omnes qui deinde ſecuti ſunt, & totam D. Thomæ Scholam.

Huic verò ſecundæ Epiſtolæ finem faciam, ubi attulero quæ olim ſapienter vidit & dixit D. Hilarius, cùm properaretur S. Athanaſii damnatio & Cenſura Fidei Patrum. *Hoc* (opus) inquit, *quo etiam in Romani Imperii negotiis quies carpitur, Rex angitur, Palatium fervet, Epiſcopi circumcurſant, Officiales magiſtri volitant adverſus Apoſtolicos viros Officiorum omnium feſtinatione turbatur. Ita ubique agitur, trepidatur, inſtatur; ut planè iniquitatem hujus adſertionis obtinendi labor & cura prodiderit.*

Nonnè idem dicere jure poſſum præſenti in controverſiâ? Si hæreſim aliquam Epiſtola mea reverà continebat, ſatis erat ut

Facultas ſola per ſe totum illud negotium expenderet, ſicuti hactenus fuit obſervatum in omnibus Cenſuris, quibus illa non niſi veras hæreſes erroreſque damnavit. Quid ergo tot machinationes, tot artes, tot concurſationes? cur Eccleſiæ leges, & naturæ jura violantur? cur ſubvertitur ordo Eccleſiaſticorum judiciorum? cur perfringuntur conſuetudo & inſtitutum Facultatis, ut dominentur in ea Factio, vis, inhumanitas?

An eorum qui hactenus Cenſurâ notati ſunt quiſquam ſic durè tractatus eſt, ut ego? an delecti in Examinatores infenſiſſimi inimici? an Facultati fuit impoſita veluti quædam lex, ut ſine ullâ intermiſſione libros expenderet, & iis diebus Comitia haberet, quibus nunquam habuit? Præpropera & omnis moræ impatiens illa feſtinatio, tam aliena ab uſu & inſtituto Sorbonæ, quæ ſemper moderationis laude floruerat, nonne apertè declarat vim & factionem impotenter dominatam eſſe in hoc negotio? An undecumque arcerſiti Doctores tantâ curâ tantóque ſtudio, maximè verò Mendicantes, ut creſceret ſuffragiorum numerus, & ponderi rationum opponeretur? An uſurpatum nomen eſt ſummæ Poteſtatis, & adhibita Regia diplomata? An Facultati unquam miſſa ſunt ejuſmodi regia diplomata, ſicut inimicorum meorum operâ factum eſt uno Comitiorum die, ut nempe ii Doctores qui in dicendâ ſententiâ me cuperent abſolvere, intelligerent, plurimùm in Aula poſſe eos qui urgebant Cenſuram Epiſtolæ meæ, & ita cuncta tractari quaſi Regia publicáque cauſa ageretur; adeóque multus eos haberet timor, ne omnis ſibi ademta ſpes eſſet provehendi ſeſe altiùs, ſi me orthodoxum judicarent: contrà verò facturi ſibi aditum ad majora, ſi damnarent? An vincula & carcerem Doctoribus Doctores potentes & gratioſi minati ſunt? An unquam is ſummo Galliæ Cancellario impoſitus labor ut Comitiis præeſſet Sorbonicis, & tam excelſæ Dignitatis ſplendor objectus oculis hominum vel infirmorum vel proprii commodi ſtudioſorum, ad opprimendum Reum? Denique an novum Facultati jugum impoſitum, ereptâ Doctoribus libertate dicendi de Fide & Traditione Eccleſiaſtica quantùm rei gravitas & ſui officii religio poſtularet?

Cur igitur in omnibus aliis Cenſuris cuncta ex uſu & conſuetudine geſta ſunt? Quia nempè tunc Sorbona ſuo obſequens ingenio, experſque odii, factionis, & malarum artium, ejuſmodi tantùm res Cenſurâ notandas ſumebat, quæ revera Cenſurâ dignæ eſſent, quæ adverſarentur doctrinæ Sanctorum Pontificum, Patrum & Conciliorum, quæ erroneæ & hæreticæ ſecundùm communem Doctorum ſententiam viderentur.

At verò præſenti in negotio, quia adverſariorum meorum

mens

mens erat ipſam SS. Patrum doctrinam Cenſuræ ſubjicere, blaſphemiæ, & impietatis nomine damnare dogma verè Catholicum totius Traditionis fundamentis nixum, & à D. Thoma confirmatum; quia ſtatutum deliberatumque erat, & quocumque tandem modo Cenſuræ notam inurere Doctori, qui antiquam veritatem defenderat adversùs novum errorem cujuſdam Theologi in aula gratioſi, & ejus doctrinam proſcribere, ut poſtea ipſius perſona peteretur; tam indignum conſilium indignis artibus oportebat promoveri ad exitum. Quærendæ erant viæ inuſitatæ, obliquæ, illegitimæ, quibus confici poſſet ejuſmodi res, quæ Eccleſiæ leges & Facultatis ſtatuta violabat. Accelerandum erat Epiſtolæ meæ examen, & feſtinandum judicium. Eludendæ admonitiones meæ, rejiciendi Apologetici, & expoſtulationes repellendæ. Oportebat eos autoritate publicá armare, qui me contumeliis & crebro anathemate cooperiebant, animos autem frangere ac tempus me defendendi eripere iis, qui me & innocentem & verè Catholicum judicarent. Hoc eſt, tollenda fuit ſua Sorbonæ libertas, ut Doctor unus opprimeretur; & toti Corpori facienda contumelia, ut membrum unum triſti notá inureretur.

Si tam apertam injuriam cogar perpeti P. I. nec impedire poſſum quominùs Inimicorum meorum potentia cauſæ meæ æquitatem ſuperet, ea ſaltem ſpes me habet, poſteris ignarum non fore, quod in Comitiis palàm prædicatum eſt à quibuſdam Doctoribus: "Apertè patere quæri „perniciem meam; me quaſi vi„ctimam tradi odio & ultioni „autorum ac fautorum Moliniſ„mi, qui duodecim abhinc an„nos, poſt editum *De frequenti* „*Eucharistiæ uſu* librum, cædem „meam popoſcerunt; quæſitam „mihi invidiam apud Eccleſiæ ac „Regni Principes; ratum con„ſtitutumque eſſe me infamiâ af„ficere, me perſequi, me op„primere: hoc unum ſibi eſſe in„tegrum, ut manus ſuas ſerva„rent puras ab hoc ſcelere, nul„lâ cum aliis factâ coitione ad „Fratris exitium: verùm defleri „à ſe vim mihi factam, & illa„tum toti Eccleſiæ ſcandalum, „quæ non poterant cohibere; „& quoniam innocentiam meam „ſuâ ſententiâ rationibuſque de„fenderant, & miſericordiâ & „lacrymis caſum meum, qua„liſcumque futurus eſſet, pro„ſecuturos.

Non ignorabit Poſteritas, omnia præclaræ iſtius Cenſuræ vitia, omnes Cenſorum fraudes, malas artes, dura & violenta Conſilia, (quorum partem aliquam in duabus Epiſtolis attuli) ipſis fuiſſe coram exprobrata in Comitiis: tales exprobrationes irato ac percito animo impatientiùs tuliſſe eos; audiviſſe tamen, & invitos licèt agnoviſſe, eos qui ex Veritate & Charitate agerent, tam eſſe in me defendendo impavidos,

pavidos, quàm ii eſſent audaces in laceſſendo, qui præceptâ contra me opinione & odii libidine raperentur.

Judicabit, ut ſpero, eadem Poſteritas, ſimile miraculo videri poſſe, ſeptuaginta quatuor Doctores auſos fuiſſe me ab omni Cenſurâ vacuum declarare, eorumque plurimos debitis ſibi emolumentis carere maluiſſe, quàm ei ſubſcribere, eâ præſertim temporum conditione, ubi quàm pervulgatum eſt Veritatis & Juſtitiæ partes deſerere, cùm affulget ſpes aliqua opes dignitateſque comparandi, aut declinandi malum aliquod imminens; tàm rarum eſt propria commoda privataſque utilitates forti & conſtanti animo negligere.

Denique judicabit, ni fallor, futurum fuiſſe ut, ſi tantùm apud Aulam potuiſſem quantùm Cenſuræ autores, Propoſitio mea Cenſorum plurimis Catholica videretur, ſicuti eſt. Verùm callidas artes, ſubnixas licèt potentiâ, non eâ eſſe vi, ut vera SS. Patrum dogmata vertant in blaſphemias & hæreſes: eos qui gratioſi ſunt, poſſe quidem periculum creare innocentibus, opprimere infirmos, & mortales homines perdere; at non poſſe eoſdem Eccleſiæ Traditionem quæ inviolabilis, Doctrinam D. Auguſtini quæ Sacra, Veritatem Dei quæ immortalis eſt, violentis factionibus abolere.

Præſul Illuſtriſſime,

Obſequentiſſimus famulus ANTONIUS ARNALDUS *Doctor Sorbonicus.*

Die 24. Martii a. D. 1656.

ANTO-

XIV.

ANTONII ARNALDI
DOCTORIS SORBONICI AD QUEMDAM EPISCOPUM
EPISTOLA APOLOGETICA III.

Quâ Propoſitionis, à Theologicæ Facultatis parte damnatæ, veritatem aſſerit.

SUperioribus in Epiſtolis expoſui Tibi, Præſul Illuſtriſſime, varias Adverſariorum in me injurias. Verùm quantumvis iniquæ, quantumvis violentæ illæ fuerint, tantum abeſt mihi ſit de iis conquerendum, ut potiùs debeam gratias Omnipotenti Deo agere, quòd veritatem, quam ego tuebar, Adverſarii mei conati opprimere, tam apertè omnia per vim & injuriam geſſerint, ut me oppreſſo victrix & illæſa Veritas triumphare videatur.

Cùm Deus ſaluti fidelium omnium, cujuſlibet ſint conditionis, pariter atque Doctorum ac Theologorum pro ſua providentia invigilet, ferè nunquam patitur doctrinam ſanctam, quâ debent nutriri, in aliquo gravioris momenti argumento lædi, quin facta illi injuria apertè & publicè pateat, ut ſcilicet juſta ſuppetat omnibus diffidentia, quâ prohibeantur ab errore.

Præſenti in controverſia ita fieri permiſit Deus. Molinæ aſſeclis neceſſarium fuit omnes æquitatis ac juſtitiæ legis violare, ut Cenſuram iſtam conficerent; at hoc ipſum facit, ut viri rerum Theologicarum rudiores fidem ei omnem detrahant. Vel ſolo rationis auxilio intelligunt, non poſſe haberi id valdè legitimum, quod viis niſi illegitimis confici non potuit; & eam doctrinam immeritò fuiſſe damnatam, cujus damnationem non potuerint gratioſiſſimi Adverſarii aliter procurare, quàm iniquis & indignis artibus.

Verùm, P. I. oſtendam, ut ſpero, hâc in Epiſtolâ, Cenſuram ipſam, nullâ habitâ ratione eorum omnium quibus patet eam eſſe nullam & irritam, non minùs debere improbari viris omnibus verè Theologis, quàm æquis quibuſque hominibus odioſa fuit Cenſorum temeritas.

Propoſitio illa quam damnaverunt & multiplici anathemate percuſſerunt, ſumma eſt & concluſio

cluſio prolixioris Scripti, in quo plurima SS. Patrum teſtimonia retuleram, maximè vero SS Auguſtini & Chryſoſtomi, qui affirmant Deum permiſiſſe Beatum Petrum cadere, ut Juſtos omnes edoceret hujus Apoſtoli exemplo, nihil poſſe eos ſine gratiâ Dei, nec reſiſti vel leviſſimæ tentationi, ſi ejuſdem gratiæ auxilium deſit, ut defuit Petro. Talem ſermonem concludens, illorum ſanctiſſimorum Doctorum verbis dixi: *A ſanctis Patribus exhiberi nobis in Beati Petri perſona Juſtum aliquem, cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, in ea occaſione defuerit in qua illum minimè peccaſſe nemo dixerit.*

Tres tantùm ſunt hujus Propoſitionis partes, eæque ſyllabatim exſcriptæ ex SS. Patribus. Dixi, *A Patribus exhiberi nobis in Beati Petri perſona Juſtum aliquem.* An id ego à me profero? Ipſiſſima ſunt Divi Auguſtini verba, quæ retuli in altero Apologetico Latino: *In Petro demonſtrans, non in ſe quemquam Juſtum debere præſumere.*

Dixi, exhiberi nobis à Patribus Juſtum in perſonâ Petri, *qui gratiâ deſtitutus ſit.* An ego hæc à me profero? Nihil aliud quàm repeto in iſta propoſitione teſtimonia ipſa ejuſdem ſanctiſſimi Doctoris & D. Chryſoſtomi, quæ priùs attuleram, & quæ hoc ipſum expreſſis verbis declarant. *Quid eſt homo*, inquit S. Auguſtinus, *ſine gratia Dei, niſi quod fuit Petrus cum negaret Chriſtum? Negatio Petri*, ait Chryſoſtomus, *non tam erat ſocordiæ & negligentiæ quàm ex eo quòd Deus eum deſeruerat.*

Dixi, nobis oſtendi à Patribus Juſtum in perſona Petri, qui gratiâ deſtitutus ſit, *ſine qua homines nihil poſſunt.* An ego hæc quoque à me protuli? Iidem duo Patres disertè hoc aſſerunt in illis teſtimoniis quæ attuli: *Et ideò*, inquit Auguſtinus, *Beatum Petrum Dominus paululùm ſul deſeruit, ut in illo totum hominum genus poſſet agnoſcere*, NIHIL SE SINE DEI GRATIA PRÆVALERE. *Negatio Petri*, inquit Chryſoſtomus, *non tam erat ſocordiæ & negligentiæ, quàm ex eo quòd Deus eum deſeruerat, erudiens ut humanam ſciret menſuram, & non repugnaret iis quæ dicebantur à Magiſtro, neque ejus quàm aliorum eſſent elatiores ſpiritus, ſed ſciret quòd abſque Deo nihil poteſt fieri.*

Hæc cùm ita ſint, P. I. poterantne Cenſores juſtam ex his verbis cauſam capere mihi objiciendi hæreſis crimen, niſi me priùs accuſaſſent, illa falsò à me tribui ſanctiſſimis Doctoribus, & adulterari ea quæ affero teſtimonia. Etenim ſi nihil ex ſanctiſſimis Viris deſumſi, quod non ſit veriſſimum, patet omnibus illas exſecrationes, illa anathemata & portenta verborum quibus ſimplicium mentes terrere voluerunt, in ipſos tantùm Patres cadere ac refundi.

Verùm iſti Theologi nullarenus me in Cenſura ſua criminantur à SS. Doctorum ſenſu vel minimùm receſſiſſe, verba eorum parùm

parùm fideliter retuliſſe, aut alienas ipſis affinxiſſe opiniones: quod ſanè pro efferato ſuo in me odio feciſſent, ſi omnino potuiſſent. At eò non proceſſit eorum audacia, ut omnium oculos tentarent configere atque obcæcare, ne ea viderentur quæ ipſâ luce clariùs patent. Non audent igitur me Patrum corruptorem adulteratoremque appellare; at blaſphemum & hæreticum, non dubitant. Non conqueruntur depravatam à me ſententiam Sanctorum illorum; ſed Eccleſiæ doctrinam hæreſi & blaſphemiâ à me depravatam audent criminari.

Quidnam afferri poſſit quo factum tam pravi exempli & tam contumelioſa maximis Eccleſiæ luminibus injuria defenderetur? Anno 1521. tulit Cenſuram Facultas Pariſienſis in Lutherum, tulit *unanimi omnium voto* & conſenſu, ſine factione, ſine prava ulla arte. Damnavit in illo hæretico errores quos SS. Patribus tribuebat. At quâ ratione id præſtitit? Nimirùm id primùm Luthero ante illam damnationem crimini datum, quòd SS. Patribus imponeret, eaſque opiniones affingeret quas nunquam tenuerant. *Iſti duo articuli*, ſcribebat Lutherus, *non ſunt Joannis Huſſ, ſed Auguſtini.* Imò, inquit Facultas, *Hæc propoſitio ad Huſſitarum intelligentiam eſt falsò Auguſtino tributa.* Et infra: *Hæc propoſitio..... perversè & truncate ex Auguſtino allegata.* Et iterùm: *Hæc propoſitio inìquè & mutilatè ex Ambroſio excerpta.*

Anno 1626. Cenſurâ notavit Summam Theologicam Garaſſi Jeſuitæ, qui plurima Patrum loca adulteraverat; verùm id diſertis verbis declarat in Cenſura: *Sacra Facultas*, inquit, *Summam illam Theologicam Franciſci Garaſſi omnino damnandam cenſuit, quòd multas propoſitiones hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, temerarias contineat: tum non pauca S. Scripturæ & SS. Patrum loca perperam citata, depravata & à ſuo germano ſenſu detorta.*

Notavit quoque eodem anno Cenſurâ Santarellum Jeſuitam, qui S. Paulo omninò alia tribuebat ac ſentit reverâ; at hoc ipſum præcipuum Cenſuræ fuit caput: *Dixerunt.....* inquit, *ipſum S. Paulo imponere, verba illius detractâ negatione immutando & multis autoribus ab ipſo citatis.*

Anno 1631. notavit Cenſura Angliæ Jeſuitas propter plurimos de Sacramento Confirmationis errores, quorum unum Divo Thomæ affingebant. Num igitur Facultas errorem hunc damnavit, nec cavit ne D. Thomas auctor illius putaretur? Quoniam eadem tunc erat Sorbonæ in SS. Patres veneratio quam ſemper præ ſe tulit, à culpa tam gravi abfuit illa longiſſimè. S. Thomæ famam illæſam ſervavit, & Jeſuitas accuſavit ſancto Doctori impoſuiſſe. *Tota hæc Propoſitio*, inquit Cenſura, *falſa eſt, temeraria, Divo Thomæ imponit, & hæreſi eſt proxima.* Cenſura in Libr. Danielis à Jeſu tit. 2. prop. 3.

Ean-

Eandem præſtitit æquitatem Facultas erga Scriptores minimè auctoritate comparandos cum SS. Patribus. Id patet ex Cenſura peſſimorum dogmatum Summæ peccatorum P. Baunii, quæ quidem confecta fuit & palàm recitata in Comitiis die primâ Julii anno 1641; at verò in vulgus ne prodiret factum eſt eâdem Jeſuitarum potentiâ quam non minùs adhibent ne deteſtandi errores Cenſurâ damnentur, quàm ut proſcribantur veriſſima dogmata. Etenim, ut evincitur ex Cenſura quæ legitur in tabulariis Facultatis, cùm Baunius perniciofam aliquam opinionem ſuam Cardinali Cajetano tribuiſſet, ea his verbis proſcribitur: *falſa, periculoſa, & falsò citat Cajetanum.* Præterea, cum ille Joannem Majorem Doctorem Sorbonicum jactaret auctorem ac patronum ſuæ in gratiam fœneratorum doctrinæ, contrà affirmant Cenſores, Jeſuitæ doctrinam non eſſe conformem ſententiæ Majoris: *Nec eſt conformis ſententiæ Majoris.* Iiſdem quoque in Comitiis die primâ Julii habitis concluſum eſt, ut Catalogus fieret eorum auctorum quibus abutitur idem Baunius, & quorum loca & citationes falſo & detorto ſenſu adhibet in confirmationem aſſertionum ſui libri, iſque Catalogus ad calcem Cenſuræ imponeretur: (a)

Talis ſemper fuit aliarum Catholicarum Facultatum ratio. Lovanienſis ac Duacenſis Cenſurâ notaverunt novas Jeſuitarum opiniones, quarum plurimas illi tribuere audebant D. Auguſtino, adulterantes ſanctiſſimi Doctoris doctrinam. Verùm duæ illæ Theologorum Societates eruditiſſimæ non modò iis exprobrarunt corruptam magni Auguſtini doctrinam, ſed certiſſimis argumentis demonſtrarunt.

Et ſanè cùm nulla re magis poſſit illibata permanere Eccleſiæ doctrina, quàm ſi ſua conſervetur auctoritas SS. Patribus, qui eam tradiderunt; nonne Theologos omnes, pro ea quam ipſis debent veneratione, amovere oportet quidquid ſacris eorum nominibus poſſet gravitatis ac ponderis aliquantum detrahere? Nonne, ſi eos tangit illorum gloriæ amor, debent ab erroribus falsò impoſitis vindicare? Denique, nonne ea quæ ipſis imperatur charitas in fideles omnes, jubet cavere, ne aut aliqua iis ſeſe offerat cauſa credendi ſanctiſſimos viros propugnaſſe hæreſes, aut hæreſes amplectantur, quarum temerè crederent patronos extitiſſe SS. Patres.

Si unquam neceſſe fuit res ita tractari, certè maximè in præ-ſenti

(a) *Concluſum eſt ut idem M. N. Grandin cum M. N. Nicolaï Catalogum exponeret eorum Autorum quibus abutitur idem Autor (Baunius) ſeu quorum loca & citationes falſo & detorto ſenſu adhibet ad confirmationem aſſertionum ſui libri, ut ad calcem Cenſuræ imponatur. Ex Regiſt. Facultat. die 1. Julii 1641.*

ſenti controverſia. Crimini datur Doctori Sorbonico impium quid & hæreticum protuliſſe. Contendit ille nihil aliud à ſe afferri quàm ipſa ſanctorum Patrum verba. Cauſam ſuam tuetûr per ſcripta publica, in quibus probare nititur ſe à veritate non receſſiſſe. Obteſtatur & urget adverſarios ut oſtendanr in quo diſcrepent ab ipſis Parrum verbis teſtimonia quæ attulit; in quo falſa iis impoſuerit; in quo eorum ſententiam aur verba adulteraverit. Fatetur ſe dignum damnari, ſi aliquam ejuſmodi diſcrepantiam deprehendi demonſtretur; at idem declarat ac profitetur palàm, ſi ea notentur Cenſurâ quæ à ſanctiſſimis Doctoribus mutuatus eſt, nec ſua in referendis eorum teſtimoniis culperur fides, damnatos tantùm ſibi viſum iri maximos Doctores, aut potiùs eos quorum inauditâ temeritate damnatio illa fuerit confecta. Probavit magna Doctorum pars tam æquam & legitimam poſtularionem, eíque ſe adjunxit. Erecta & ſuſpenſa Gallia univerſa expectabar totum hoc negotium expediri ac illuſtrari; ſed fruſtra. Poſt tam conſpicuos & inuſitatos apparatus, poſt tot machinationes occultas, tot injurias publicas, tandem fabricata clàm Cenſura prodiit, in qua mirum eſt de Patribus ſilentium, nec ulla ſit mentio me ſententiam eorum aut verba adulteraſſe; ſed vnâ eâdemque damnatione pariter configimur.

Si ejuſmodi Cenſura valeret in Eccleſia, an poſſemus jure aliquo SS. Patrum nomen & auctoritatem adversùs hæreticos aſſumere? Nonne os nobis obſtruerent exprobrantes, quæ jam cœperunt exprobrare, eos impietatis & hæreſis à nobis ipſis damnari ad arbitrium; Declaratum eſſe iſtâ Cenſurâ neminem teneri ſtare eorum verbis; nos majus ab iis obſequium erga SS. Doctores poſtulare non poſſe, quin ſignificemus in caput noſtrum hanc Sacræ Scripturæ ſententiam torqueri: *Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumque abominabile eſt apud Deum.* Proverb. 20. 10.

Verùm, P. I. eò major eſt adverſariorum Cenſorumque temeritas & audacia, quòd nulla ab iis habita ratio eſt teſtimoniorum pluſquam quadraginta ex SS. Patribus & aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis, quibus confirmavi tria meæ Propoſitionis capita in duobus latinis Apologeticis quos miſi ad Facultatem. Demonſtravi nihil à me fuiſſe propoſitum quòd non docuiſſent in omnibus orbis partibus celeberrimi Eccleſiæ Doctores, Hilarius in Gallia, Ambroſius in Italia, in Africa Auguſtinus, in Ponte Baſilius, Chryſoſtomus in Tracia, Victor Antiochenus & Theodoretus in Oriente, & plurimi alii Scriptores in diverſis Eccleſiæ ſeculis.

Si quid eorum mentes movere potuiſſet, id certè potiſſimùm, quòd, poſt allata tot teſtimonia, quibus diſertè affirmatur S. Pe-

trum

trum in hac tentatione ſibi relictum, nec adfuiſſe gratiam ſine qua non poterat eam vincere, inſtiterim vehementer, ut vel unum Eccleſiæ Patrem proferrent qui contrà ſenſerit: qui dixerit gratiam Beato Petro non defuiſſe, cùm alii aſſerant defuiſſe: qui voluerit ei præſtò fuiſſe omne Dei auxilium quo illam tentationem ſuperaret; cùm alii contendant, nihil quemquam poſſe ſine gratia quam ſanctus ille Apoſtolus non habebat. Et ſic id perpendi ſiſſent quod eos poſtea monui, ſcilicet, quoniam omninò non poterant vel unum Eccleſiæ Patrem proferre qui ab omnibus aliis à me laudatis diſſentiret, ſe non poſſe negare Sanctam & Catholicam eſſe doctrinam illam quam damnare meditabantur, niſi vellent ſubvertere certiſſimum Catholicæ doctrinæ argumentum quo ſemper Eccleſia uſa eſt ad convincendos Hæreticos & Novatores. Etenim, ut præclaris Cardinalis Perronii verbis utar, *ut doctrina aliqua à SS. Patribus pro Catholica & orthodoxa univerſim tradita eſſe dicatur, eam in omnibus Patrum monumentis reperiri minimè neceſſe eſt. Neque enim omnes ſcripsêre de omnibus: verùm doctrinæ alicujus pro Catholica habendæ id erit certiſſimum indicium, cum regionis cujuſque clariſſimi Patres ad confirmandam eam conſentiunt, nec quiſquam niſi deterioris ac ſuſpectioris notæ ab ea diſſenſerit.* Id duobus exemplis celeberrimis confirmat. *Sic Beatus Auguſtinus adversùs Pelagianos, undecim; ſic Synodus Epheſina adversùs Neſtorium, decem Patribus iiſque illuſtribus in doctrinam unam conſpirantibus in medium adductis, univerſæ Eccleſiæ fidem communem & prioris ævi conſenſum ſe ſe repræſentaſſe judicavit.*

Si hæc regula ſubvertatur, fides Eccleſiæ corruet illicò. Hanc qui ſecuti ſunt, ſemper Catholici & orthodoxi ſunt nuncupati; qui verò ab ea receſſerunt, Hæreticis annumerati, ut ſcitè docet Baronius ad a. 646. Hâc Regulâ victrix omnium hæreſeon ſtetit Eccleſia. Hâc rejecit longè quæcumque nova invehebantur fidei dogmata. Hæc præivit ſemper decretis Conciliorum, quibus non alia fides ſtabilita eſt, quàm *fides Patrum*. Denique eâdem illâ regulâ Concilium œcumenicum ultimum damnavit hæreſes Lutheri ac Calvini. Neque ſolùm in peculiaribus quibuſdam argumentis adhibuit ſæpè illum Patrum conſenſum, quaſi unum è præcipuis doctrinæ Catholicæ fundamentis; (*a*) verùm etiam generalem hanc regulam ſtatuit, ut *nemo contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat.* (ſeſſ. 4.) ille autem conſenſus tunc exiſtimari debet unanimis, cum, ut egregiè ſentit Cardinalis Perronius, plurimi Patres magni nominis in eandem doctrinam con-

(a) *Concil. Trid. ſeſſ. 5. ſeſſ. 6. c. 8. ſeſſ. 7. Proem. ſeſſ. 14. & 5. ſeſſ. 22. c. 9. ſeſſ. 23. c. 3. ſeſſ. 24.*

conſentiūt,&nemo ab ea diſſentit.

Hæc cum ita ſint, P. I. quodnam ferri debet judicium de iſta Cenſura? Demonſtravi illam Epiſtolæ meæ propoſitiònem Syllabatim fuiſſe exſcriptam ex SS. Auguſtino & Chryſoſtomo. Oſtendi omnes alios Patres qui de B. Petri lapſu locuti ſunt, idem cum duobus illis ſanctiſſimis Doctoribus ſenſiſſe. Inſtiti adverſariis ut vel unum afferrent, cujus diverſa fuerit ſententia. Id ſuſcipere auſi non ſunt, quia reverà nullus poteſt reperiri. Quid inde inferri debet, quid ſequitur? ſcilicet, me tueri fidem Patrum, hoc eſt, fidem Catholicam; Cenſores damnare fidem Patrum, quæ Eccleſiæ fides eſt, cumdãnant me.

Verùm non decebat majorem reverentiam haberi ſcriptoribus aliis à me laudatis, quàm SS. Auguſtino & Chryſoſtomo. Parem omnibus inuſſit injuriam Cenſura: eorum verba & ſententiam non intelligi ſimulatum eſt; & hoc unum ſanctiſſimis viris datum, ut, cum ipſi anathemate percuſſi ſunt, eorum nomina tacerentur.

Non modò non cura ulla fuit celeberrimorum Doctorum famam ſartam rectam ſervare in Cenſura, ubi illa palàm periclitabatur; ſed etiam ipſi Cenſores in ferenda ſententia, quàm pro nihilo illos ducerent, contumelioſo, ſi unquam fuit, ſilentio apertè declararunt. Si ad poſteros perveniat iſtorum Comitiorum hiſtoria & ſuffragia typis excuſa, mirabuntur profectò ex omnibus adverſariis meis extitiſſe tantummodò unum P. Joannem Nicolai Dominicanum qui aliquâ cum diligentia reſponderit ad quædam ex teſtimoniis Patrum à me allatis. Sed ſicuti ille ſe magis audacem oſtendit quàm cæteri, ita & minùs prudentem; docuitque ſatius futurum fuiſſe omninò tacere, quàm multiplici fraude & calumniâ aperire, Cenſuram pariter non niſi fraude & calumniâ niti.

Mihi crimini dat ille Cenſor SS. Patribus falſo imponere, & totum iſtius criminationis fundamentum hoc uno nititur, quòd ipſe mihi quædam affingit in quibus ſtatuit diſcrimen illud omne quod reperiri contendit inter SS. Patrum ſententiam & meam. Dicit igitur me, ut ſoli Deo tribuam B. Petri derelictionem, nullum in illius Apoſtoli præſumtione peccatum agnoſcere, cum moriturum ſe pro Chriſto promiſit. (a) Quæ verba duas propoſitiones mirum in modum falſas complectuntur. Etenim falſiſſimum eſt, me ſoli Deo tribuiſſe B. Petri derelictionem, quaſi ipſe non præbuerit propter peccata ſua cauſam tali derelictioni. Falſum quoque eſt, me nullum agnoviſſe peccatum in hujus Apo-

(a) *Hæc*, inquit, *illa tria quæ Chryſoſtomus ita in Petro reprehendit, ut ſubſequentis cauſam deſertionis hinc repetat, ne Deo tribuatur, non Petro. Sed Arnaldus excuſat quoad poteſt ne deſertio illa Petro tribuenda ſit & non Deo.* Joan. Nicolai Cenſor. ſuffrag. p. 9

ſtoli præſumtione. Si quidem in primo Apologetico, quem ille Cenſor refellere ſuſceperat, diſertè agnoſco, *peccaſſe B. Petrum, quia de ſe viribuſque ſuis nimium præſumſit ac aliis Apoſtolis ſe prætulit.* Et eodem in loco, quem ille citat, fateor *D. Chryſoſtomum tria peccata Petro tribuere, at non tria crimina*, ſeu tria peccata mortalia, quibus Dei inimicus factus ſit.

Nonne, P. I. luctuoſum eſt ita impotenter efferri & præcipites agi eos quos omnium maximè oporteret à libidine eſſe alienos? Extinguit illa & obruit omnem & honoris & Religionis ſenſum. Subminiſtrat & ſuggerit Doctori, Monacho, Sacerdoti eas opprimendi fratris artes, quæ vix cadere poſſint in homines abjectiſſimæ mentis. Uno verbo, pectus miſerè obdurat, & frontem tam impudenti armat confidentiâ, ut nullum ruborem ſuffundat turpe & evidens mendacium, quod ab omnibus quibus oculi ſint, deprehendi poſſit ac veluti contrectari.

Non minùs patet iſtius Cenſoris audacia in tertiâ adversùm me calumnia. Adulterata à me fuiſſe SS. Patrum teſtimonia criminatur, *quia non dixi*, Beatum Petrum propter ſuam præſumtionem fuiſſe derelictum, quæ tamen eorum ſententia eſt. Verùm ſi id ego diſertè dixi quod à me non fuiſſe dictum criminatur, quid erit aliud iſta accuſatio, quàm certiſſimum argumentum malæ fidei accuſatoris?

Hæc ſunt verba alterius Apologetici p.76.: *Non negat Epiſtola (quod auctor Epiſtolæ lubentiſſimè agnoſcit) ideò Petro gratiam defuiſſe, quia de ſuis viribus nimiùm præſumſerit.* Et circa ejuſdem paginæ initium: *Reſpondebit ille, ſat ſcio, Petrum reverà à Deo derelictum tentationem ſuperare non potuiſſe; verùm id ei accidiſſe in præſumtionis ſuæ pœnam, ut ipſi à me laudati teſtantur Patres. Fateor id quidem; ſed quid ad Epiſtolam?* &c.

En fidem præcipuorum Cenſuræ Auctorum. En judicium illorum æquitatem. En firma fundamenta quibus judicium illud nititur. Si veritatem iis etiam in rebus violarunt, ubi tam facilè deprehendi poterant ac revinci, quanto liberiùs idem eos tum feciſſe veriſimile eſt, cum ſpes fuit futurum, ut inter Theologici alicujus dogmatis tenebras minimè perciperentur iniquæ artes ſuæ.

Idem Cenſor criminatur quoque, nullâ allatâ probatione, me in eo diſcrepare à SS. Patribus, quòd ſtatuam in Petro abſolutam impoſſibilitatem ſuperandi tentationem, velímque eum nullomodo potuiſſe vitare peccatum quod commiſit.

Ad refellendam hanc criminationem ſatis eſſet, P. I. multa è ſcriptis meis afferre quibus diſertè ſtatui ſententiam omninò adverſam, Sed quoniam hæc calumnia non eſt iſtius tantùm Cenſoris propria, & id ferè unum fuit quod ſuo in me odio prætendere conati ſunt adverſarii, liceat mihi per Te, P. I. paulò diutiùs

diutiùs hìc immorari, & ipſis ſcholæ armis pugnare adversùs eos, qui traditionis Eccleſiæ auxilio deſtituti, nihil mihi gravius objici poſſe putaverunt, quàm nomen & auctoritatem ſcholaſticorum Theologorum. Quæ mihi neceſſitas incumbit talem iis odii in me ſui prætextum tollendi, ea me in ejuſmodi argumentum conjicit quod Theologicis diſputationibus poſſet quidem commodè reſervari. Verùm id à me ſatis dilucidè explanatum iri ſpero, ut pateat omnibus Cenſuram iſtam non minùs ſcholaſticorum Theologorum doctrinâ collabefactari, quàm SS. Patrum; &, ſi explanentur ea quæ adverſarii obſcurare ac implicare voluerunt, confeſtim cernatur ipſis adverſari illos etiam teſtes, quos doctrinæ ſuæ favere poſſe putaverunt.

Theologi omnes Catholici fatentur mandata Dei eſſe poſſibilia juſtis, imò & omnibus hominibus: ſed inter eos non convenit quomodo illa poſſibilitas intelligi debeat.

Qui nova Molinæ dogmata ſectantur, ii pro certo habent mandata Dei ita eſſe poſſibilia omnibus quicumque illa debent implere, hoc eſt, ſingulis hominibus, ut nunquam careant in qualibet occaſione omni illâ gratiâ quæ neceſſaria eſt ad ea actualiter implenda; hanc autem potentiam adeò eſſe perfectam, ut nullâ gratiâ indigeat quâ ad actum uſque perveniat.

Illorum quidem aliqui cùm intelligerent quantùm adverſaretur hæc ſententia omnibus Patrum teſtimoniis ac documentis de neceſſitate gratiæ, quæ non expectat dum velimus, ſed facit nos velle, vi quadam tam ſuavi, quàm efficaci & invicta, voluerunt paululùm lenire ac temperare quod erat in iſta Molinæ opinione magis odioſum. Diſtinxerunt gratiam neceſſariam ad agendum ab ea quæ eſt neceſſaria ad orandum. Faſſi ſunt gratiam quæ per ſe efficax eſt & ſuo nunquam caret effectu, eſſe neceſſariam ad agendum & ſuperandas tentationes; at iidem contenderunt, licet nullo S. Scripturæ & Patrum teſtimonio, nullis quoque ſcholaſticorum Theologorum opinionibus nixi, eandem non eſſe naturam gratiæ quæ neceſſaria eſt ad orandum: ſubjectam eſſe illam libero arbitrio, & obtinere effectum ſuum, aut eo deſtitui, prout placet hominis voluntati. His poſitis, hanc opinionem conflaverunt, Non ſemper deeſſe juſtis eam ad tentationes ſuperandas potentiam, quæ ſecundùm germanos Moliniſtas, nulla ad agendum gratiâ deſtituatur; verùm ſemper adeſſe ejuſmodi potentiam ad orandum omnibus in occaſionibus ubi divino auxilio opus habent.

Primæ opinionis præcipuus hodie defenſor ac patronus P. Annatus; poſterioris auctor & fabricator M. Alphonſus Moynius: (*Le Moine*) Verùm tota D. Thomæ ſchola binas illas opiniones pariter damnat, quaſi non di-

 verſas

verſas ab erroribus Pelagianorum & Semipelagianorum. Aſſerit adversùs primæ ſententiæ ſectatores, cùm gratia efficax ſit abſolutè neceſſaria ad implendam Dei legem, eos qui eâ careant, deſtitui auxilio neceſſario ad agendum; atque adeò quæcumque ſit ea potentia quam habent, non tamen eſſe talem ut ſuum obtinere poſſit effectum ſine ullo novo auxilio.

Contendit adversùs defenſores poſteriores, gratiam efficacem non minùs neceſſariam eſſe ad orandum, quàm ad agendum: ad utrumque pariter requiri, ut Deus excitet ac operetur in nobis ipſum voluntatis motum quo & agimus & oramus: quemadmodum S. Scriptura teſtatur, *Deum facere in nobis quod placeat coram ſe*, (a) quia nos gratiâ ſuâ adjuvat, ut id præſtemus; eandem quoque teſtari, *Spiritum Sanctum poſtulare pro nobis* (b) *& miſſum in corda noſtra clamare*, quia facit ut poſtulemus & clamemus: ſubtile illud commentum M. Moynii nihil aliud eſſe quàm renovatum errorem Semipelagianorum, qui ſimili artificio ſtatuebant, primam cauſam diſtinctionis inter fideles & infideles, bonos & malos, electos & reprobatos, pendere ab homine, non autem à Deo. Quapropter Thomiſtæ omnes definiunt adversùs callidos iſtos Moliniſmi interpretes, ſi quæſtio inſtituatur de potentia orandi quæ non indigeat novâ aliâ gratiâ ad orandum actualiter, falſum eſſe eam ſemper adeſſe juſtis quotieſcumque Dei gratiam implorare opus habent; quia ſcilicet non ſemper habent orationis gratiam efficacem, quæ tamen non minùs neceſſaria eſt ad orandum, quàm gratia actionis efficax eſt neceſſaria ad agendum & ſuperandas tentationes.

Itaque docti illi Theologi iſtam Molinæ diſcipulorum expoſitionem de poſſibilitate mandatorum Dei rejicientes, quia tollit neceſſitatem gratiæ efficacis Chriſti, duas ad explicandam illam poſſibilitatem vias ingreſſi ſunt, hoc ſemper quaſi certiſſimum ſtatuentes, nunquam Dei mandata impleri, niſi cum Deus id per Spiritum ſanctum operatur, quod per Prophetam ſuum eſt pollicitus, hoc eſt cum aufert à nobis cor lapideum quod eſt rebelle divinæ voci, & dat carneum, quo mandata implemus.

Alii, ut utraque Facultas Lovanienſis ac Duacenſis tota, Eſtius, Sylvius & cæteri, id tantùm amplexi ſunt, quod S. Auguſtinus & S. Thomas ad hanc Quæſtionem reſponderunt: nempe Deum jubere nihil impoſſibile, duas ob cauſas, quarum altera ab homine petitur, altera à Deo.

Prima quidem, quia nihil jubet Deus quod non impleamus, ſi volumus; *Certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus*: itaque quando contingit ut id quod Deus

(a) *Hebr.* 13. 21. *v. Fulg. l.* 1. *ad Monymum c.* 9.
(b) *Rom.* 8. 26. *& Gal.* 4. 6. *v. Aug. Ep.* 105. *num* 194. *ad Sixtum.*

Deus imperat non poſſimus facere, licèt velimus, exempli gratiâ mendico largiri eleemoſynam cum deficit pecunia, ſufficit Deo benigna voluntas noſtra: *Quidquid vis & non potes, factum Deus computat. Id autem*, inquit Auguſtinus, *in poteſtate noſtra eſſe dicitur, quod fit cùm volumus; non fit, cùm nolumus.*

Altera verò, quia nihil jubet Deus quod non præbeat nobis poſſibile atque etiam facile, afficiens ſcilicet cor noſtrum gratiæ ſuæ ſuavitate, ita ut det facere quod imperat, quia dat velle, & ſic velle ut reipsâ faciamus. Hoc ipſum eſt quod paſſim docet S. Auguſtinus, & ſecundùm hanc ſententiam explicat 1. Retractationum lib. c. 10. n. 2., hæc verba quæ lib. 7. de Geneſi adversùs Manichæos c. 3. ſcripſerat: *Quod omnes homines poſſunt (Dei præcepta implere) ſi velint. Non exiſtiment*, inquit, *novi hæretici Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe, ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis, ut poſſint.*

Idem legimus in D. Thoma, ſi quidem ex una parte " negat „dicendum id impoſſibile, quod „licet cum propriis viribus facere non poſſimus, poſſumus tamen cum alterius auxilio: ex alterâ aſſerit; " Quod homo ad „multa teneatur, ad quæ non „poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum & „proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ: quod quidem auxilium „quibuſcumque divinitùs datur, „miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non „datur. 2. 2. *q.* 2. *art.* 5.

Atque hæc eſt ratio quâ illi Theologi explanaverunt poſſibilitatem mãdatorum Dei ſecundùm veram doctrinam D. Thomæ & Patrum omnium qui gratiam Chriſti propugnaverunt.

Alii Theologi, qui hanc doctrinam non abjecerunt quidem, ſed non ſatis perſpexerunt, duplicem diſtinxerunt potentiam: alteram, quæ ſolam interiorem Facultatem ſpectat, qualis eſt in homine cujus oculi ſani ſint potentia videndi; licèt præter illam Facultatem plurima neceſſaria ſint ut actu videat. Alteram, quæ complectitur omnia auxilia quibus alicui opus eſt ut agat, & quæ includit non ſolùm Facultatem interiorem, ſed etiam quæcumque requiruntur ad producendam actionem.

Poſitâ illa diſtinctione duplicis potentiæ, fatentur juſtum cui non adſit gratia efficax, gaudere tantùm primâ potentiâ; alteram autem non haberi, niſi per gratiam hanc quæ non adeſt ſemper juſto: poſſe eum implere mandata Dei ſine gratiâ efficaci, ſicuti poteſt aliquis videre ſine lumine; verumtamen ut ea reipsâ impleat, tam opus eſſe illi gratiâ efficaci, quàm homini cui acerrimi oculi ſint, opus eſt lumine, ut reipsâ videat.

In hoc poſita eſt Poſſibilitas, quam Thomiſtæ dant juſtis omnibus per gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci. Ea autem verba, quibus uſus ſum ad illam explicandam, mutuatus ſum ab ipſo Alvareſio (De Auxil. Diſp. 79. n. 2. 5.) qui talia priùs hauſit ex celeberrimis Thomiſticæ ſcholæ Theologis, Cardinali Cajetano 1. 2. q. 109. a. 10. Bartholomæo de Medina, ibidem, & Franciſco Ferrarienſi contra Gentes c. 155.

Hic non expendo cujuſnam naturæ ſit gratia illa quæ dat juſtis potentiam interiorem cui aliâ præterea gratiâ opus ſit ad agendum; an ſit motus actualis, ut contendit Alvareſius; an habituale donum & vis permanens, ut aſſerunt tres illi Scriptores quos laudat Alvareſius & à quibus talis potentiæ notionem deſumſit. Etenim iſta Quæſtio omninò diverſa eſt ab eâ de qua nunc agimus, & variæ omnium poſſunt eſſe ſententiæ de Poſſibilitatis principio, licet de ipſa poſſibilitate inter omnes conveniat, ſicuti aliàs oſtendemus ipſo etiam adverſariorum noſtrorum teſtimonio.

Porrò ut mendacium illud revincam quod potiſſimùm valuit ad meam damnationem, cum mihi crimini datum eſt negaſſe reperire in juſtis poſſibilitatem mandatorum Dei quæ nunquam eis deeſt, ſatis erit quæram ab iſtis Cenſoribus, quam poſſibilitatem à me non admiſſam criminentur, Molinianamne, an Thomiſticam?

Si Molinianam, fateor libens, & ideò Deum laudo, profiteor palàm & in oculis totius Eccleſiæ, me non credere juſtos habere ſemper ad arbitrium potentiam ſuperandi tentationes, quæ ad reducendum ſuum effectum non indigeat auxilio efficaci quo applicetur & determinetur; potentiam, cujus uſus pendeat ex libertate hominis, non ex miſericordiâ Dei; potentiam denique quæ cum ſuo effectu conjungatur, aut ſeparetur ab eo, prout libero arbitrio placuerit.

Profiteor me non modò non approbare iſtam doctrinam, ſed etiam exſecrari eam ac deteſtari, utpote quæ omninò adverſetur iis quæ docuerunt Summi Pontifices, Concilia, & SS. Patres contra Pelagianos, & contineat præcipuum venenum illius hæreſeos, quæ tribuit homini, non autem Deo, illud quo diſcernitur is qui bonum operatur, ab eo qui non operatur; & qui ſuperat tentationem, ab eo quem tentatio vincit.

Profiteor etiam me non minùs deteſtari errorem eorum qui gratiæ victrici ſalvatoris hominum auferunt præcipuum hunc illius effectum, ut excitet in nobis preces ſanctas quibus divinum obtinemus auxilium; qui aſſerunt animam ad tronum uſque divinæ Majeſtatis per ſe aſſurgere, non verò Dei ſpiritu impelli ac rapi; atque ita iſto humanæ ſuperbiæ artificio volunt primos, ut ita dicam, annulos catenæ quibus huma-

humana ſalus contexitur, eſſe in hominum ipſorum manibus, nec poſſunt perpeti eam totam pendere ex miſericordiâ divinâ.

Itaque cenſeo, & quaſi Catholicam & Apoſtolicam veritatem ſine metu agnoſco, gratiam efficacem Chriſti eſſe neceſſariam ad pias omnes actiones, ad preces quaſlibet Chriſtianas, & ſancta deſideria; neceſſe eſſe ut Deus operetur in nobis & velle & perficere Philip. 2. 13., ut aptet nos in omni bono & faciat in nobis quod placeat coram ſe, Hebr. 13. 21. abripiat nos motu illius Spiritus qui ubi vult ſpirat, Joan. 3. 8. teneat ſuis in manibus animam noſtram, quaſi gladium, ut per eam & cum eâ decertet adversùs hoſtes ſalutis noſtræ Auguſt. in Pſalm. 34. Cenſeo, neceſſe eſſe ut Deus qui preces noſtras accepturus eſt, ipſe cordibus noſtris orandi præſtet affectum, faciatque nos poſtulare ea quæ ipſius voluntati ſunt conſentanea, ſecundùm hæc verba uſurpata communiter ab Eccleſia: *Et ut petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita poſtulare.*

Credo ſanctam illam doctrinam, quæ omnia tribuit Deo, & omnem homini cauſam tollit gloriandi niſi in Deo tantùm, eſſe ipſam, ut ita dicam, animam pietatis, quippe quæ Chriſtianæ humilitatis ſit fundamentum. *Eſſe diſcamus*, inquit Auguſtinus de Don. perſev. c. 13. n. 33. *non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum timore & tremore noſtram ipſorum ſalutem operemur: Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nos ergo volumus* (quod præcipuè pertinet ad deſideria & preces quæ ſunt bonæ voluntatis initium) *ſed Deus in nobis operatur, & velle. Nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis & ſubmiſſa confeſſio*, TE DETUR TOTUM DEO.

Credo doctrinam illam Apoſtolicam unicum eſſe verúmque ſolatium Fidelium animarum: per ſolam ſpem in omnipotentem gratiam Chriſti ſedari poſſe juſtum timorem quem infirmitatis ac miſeriæ humanæ conſpectus incutit: adeò non inde quemquam ad deſperationem agi, quemadmodum veteres & novi gratiæ hoſtes dicere auſi ſunt, ut potiùs totum ibi præſidium ſtatuatur, & unica reperiatur cauſa confidendi: Etenim, inquit idem S. Doctor, TUTIORES *vivimus, ſi totum Deo damus; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus*. Ibid. cap. 6.

Credo denique doctrinam hanc verè cæleſtem maximo ſanè gaudio perfundere animas quæ amore Dei flagrant, & unam ejus gloriam quærunt: nullum Religionis dogma illis eſſe ſuavius, quàm illud quo diſcunt gratiam ſalvatoris ſui plenè in ſe dominari: nullum exiſtere bonum motum, ne minimum quidem, quem non illa excitet & fo-

veat: non inſervire ſuæ voluntati gratiam, ſed gratiæ voluntatem: nullam in promerenda ſalute æternâ partem ſibi relinqui, præter eam quam Deus gratiâ omnino gratuitâ tribuit; ſed legitimam tantùm ſupereſſe ſibi cauſam perpetuò mirandi quòd, ſecundùm verba maximi Pontificis & ſacroſancti Concilii, *Tanta eſt erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona; & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus.* Capitulo 9. de gratia poſt Epiſt. Cæleſtini PP. ad Gallos & Concil. Trid. ſeſſ. 6.

Hæc eſt mea fides, hæc ſententia de gratia Chriſti. Hæc fuit hactenus mea doctrina, hæc futura eſt uſque ad vitæ extremum, modò ejuſdem gratiæ adſit mihi auxilium. Si adverſarios dogmata mea aliquâ ratione offendant, publicè & palàm me illi accuſent, ſicut ego hæc publicè & palàm profiteor. Impugnent quæ reverà ſentio, nec alia mihi falsò tribuant. Deponant tandem omnem ſimulationem & artes pravas, atque ſignificent palàm ſe Cenſurâ ſuâ damnaſſe hanc ipſam doctrinam de neceſſitate gratiæ efficacis Chriſti tum ad agendum, tum ad orandum.

Verùm aliquid ejuſmodi ab iis non expecto. Intelligunt ſcilicet futurum ut, ſi id palàm declaraſſent, inſurgerent in eos integræ Theologorum Societates quæ hanc doctrinam propugnavere, atque etiamnum propugnant, ut potè ab Eccleſia definitam adverſus Pelagianos & Semipelagianos: damnarentur à celeberrimis Catholicæ Eccleſiæ Univerſitatibus, quæ eamdem admittunt doctrinam: irriderentur ab omnibus Romæ Theologis, quibus hæc ſententia ita placet, ut ferè ſoli Jeſuitæ teneant contrariam: moverent denique S. Sedis iram, quæ perpeti non poſſet privatorum quorumdam temeritatem eò prorumpere, ut auderent in novos fidei articulos aſcribere Molinæ errores, jam à celeberrima Congregatione *De auxiliis* notatos cenſurâ, quaſi Pelagianos & Semipelagianos, & cum omni deteſtatione palàm proſcriptos à doctiſſimis SS. Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V.

Hæc omnia ab ipſis Cenſoribus (a) confeſſionem iſtam expreſſerunt, *optimam eſſe doctrinam* hanc de gratia efficaci. Atque etiam ex quo Cenſura iſta confecta eſt, ad ſolita Facultatis jura & munia admiſerunt Doctorem, (b) qui ſuam de hoc argumento ſententiam aperuit his verbis in Epiſtola typis excuſa: *Gratiam Molinianam ſemper ex animo reprobavi ac deteſtatus ſum. Illam dico quæ liberi arbitrii nutu modo efficax eſt, modò inefficax. Illam dico quam humana voluntas, tamquam ejuſdem rectrix, pro libito ſuo in actum agit, vel ab actu retinet. Illam dico quam* pendu-

(a) *Nicolao Cornet in ſuo ſuffragio & ab aliis non paucis.*
(b) *Henricum Holdenum.*

pendulam & ſuſpenſam tenet fragile noſtrum arbitrium, veluti pediſequam Dominæ ſuæ mandatum exſpectantem, an ſe uti dignabitur. Gratiam Jeſu Chriſti verè victricem (quam per ſe efficacem in ſcholis vocamus) humillimè agnoſco, & pro viribus defendo. Illa eſt quæ voluntatem humanam, maximè Chriſtianorum, determinat, ducit, regit, & facere facit. Illa eſt quæ operatur in nobis velle & perficere. *Illa denique eſt (ſi quid intelligo) S. Thomæ & S. Auguſtini, quidni dicam, etiam & S. Pauli & Jeſu Chriſti doctrina.* Hæc etiamnum propugnantur palàm in Sorbona, nec audent adverſarii mei quidquam opponere.

Itaque poſito certiſſimo hoc dogmate, quod nulla humana vis valeat convellere, liquidò patet juſtum qui aliquâ in occaſione non accipit neque gratiam efficacem ad ſuperandam tentationem, neque gratiam efficacem ad implorandum divinum auxilium, non habere potentiam ſuperandi eam tentationem, aut in ſenſu P. Annati, aut in ſenſu Mag. Moynii; hoc eſt, juſtum non habere quidquid neceſſe eſt eum accipere à Deo, ſive ad ſuperandam tentationem, ſive ad implorandã gratiam: quippe cum gratia efficax, quâ ille caret, neceſſaria ſit ad utrumque.

Cùm igitur ea potentia ad agendum aut orandum, quam admittit Molina, non ſit de Fide, ut fateri coacti ſunt adverſarii, jam ab illis quæro quam aliam potentiam negari à me criminentur? Sanè illa ſola poteſt eſſe, quam Thomiſtæ in juſtis admittunt deſtituti gratiâ efficaci, ſcilicet ea potentia quam dat virtus interior, quæ tamen ad agendum actualiter opus habeat alio auxilio quo applicetur & determinetur.

Contendo autem non poſſe ſine aperta calumnia accuſari me negaſſe talem potentiam. Id evincent hæc alterius Apolgetici mei verba (Supr. p. 91.) "Non eâ „tantùm ratione præcepta Dei „juſto poſſibilia ſunt, quia poteſt, „(*quod ei cum omnibus hominibus* „*commune eſt*,) ea ſervare ſi vult, „*quod ex Bellarmino ſufficit*, juxta „ta doctrinam S. Auguſtini, ut „aliquid in poteſtate noſtra eſſe „dicatur; verùm etiam quia per „ſpiritum gratiæ & charitatis ſibi „in juſtificatione infuſum, veram „& interiorem habet ad ea ſervanda „potentiam; etſi ex doctrina SS. Patrum & Conciliorum, „rum, ulteriùs indigeat eâ gratiâ, „tiâ, quæ ad ſingulos actus datur, „tur, ſive efficaci illo *Dei interiùs* „*riùs animam moventis auxilio, ſine* „*ne quo, ut expreſsè ait S. Thomas*, „*mas, mandata ſervare & in acceptâ* „*cepta juſtitia perſeverare non poteſt.* „*teſt.* Hinc fit, ut de juſto, auxilio „lio efficaci in aliqua tentatione „deſtituto, rectè dicatur, & potuiſſe „tuiſſe illum eam tentationem „ſuperare, & non potuiſſe: potuit „tuit enim quantum ad potentiam „tiam illam quam gratia in juſtificatione „ſtificatione accepta cuivis juſto „ſuppeditat; non potuit verò, „quia non habuit ea omnia qui„bus

„bus indigebat, ut hæc potentia „in actum ſuum exiret: qua de „re illuſtriſſimus eſt Cardinalis „Cajetani locus. *Quemadmodum*, „inquit, *ſtant hæc duo ſimul: ho-* „*mo habet potentiam viſivam quæ* „*poteſt videre; & homo non poteſt* „*ex ſola illa viſiva potentia videre*, „*quoniam ſine extrinſeco lumine* „*nunquam hæc potentia exilit in a-* „*ctum: ita in propoſito, quia gratia* „*eſt quâ homo eſt potens elicere ope-* „*rationem bonam, & reſiſtere incur-* „*ſionibus tentationum, & conti-* „*nuare in hoc, quod eſt perſeve-* „*rare; ideò homo* juſtus *donatus* „*dicitur dono quo hæc poteſt. Sed* „*quia gratia* habitualis NON PO- „TEST *exercere hos actus ſimplici-* „*ter, quando oportet, ubi oportet* „*&c. ideò dicitur quod hæc ſola* „*gratia ſine ſpeciali auxilio* (quod „paulò poſt non omnibus juſtis „dari diſertè affirmat) *non poteſt* „HÆC SIMPLICITER. Cajetan. in „1. 2. q. 119. art. 1.

Quis jam non videt ſummæ fuiſſe calumniæ criminari me ſuſtuliſſe in juſtis poſſibilitatem hanc mandatorum Dei quam Thomiſtæ admittunt? Poteramne eam magis diſertè agnoſcere, & graviori apud ſcholam illam teſtimonio confirmare, quàm Cardinalis Cajetani, qui D. Thomæ ſententiam tantùm exponit & explicat?

Hoc autem Cajetani teſtimonium tanto gravius eſſe debet hoc in argumento, quòd Thomiſtæ omnes illo uſi ſunt, ſicut & alio omnino ſimili ex Franciſco Ferrarienſi lib. 3. cont. Gent. c. 155. ad explicandum quæ ſit natura potentiæ quæ ſemper convenit juſtis. Bartholomæus de Medina laudat utrumque, cum huic argumento lucem afferre conatur. Alvares denique, eo loci ubi vult ex profeſſo oſtendere, qualis ſit illa potentia quam dat gratia ſufficiens, quando ab efficaci eſt ſeparata, laudat tres illos Scriptores, & eandem quàm illi comparationem adhibens, docet nominatim illam in juſto potentiam eſſe eandem ac hominis qui, cùm ſit oculis ſanis, verſatur in tenebris: eam non complecti quidquid neceſſarium eſt ad agendum, nec fieri unquam poſſe ut gratia ſufficiens tranſeat ad actum illum cujus reſpectu ſufficiens appellatur, niſi Deus ei adjungat efficacem.

Quoniam ergo adverſarii mei concedunt doctos illos Theologos minimè ſubvertere doctrinâ ſuâ poſſibilitatem mandatorum Dei, non poſſunt ſine calumnia criminari me ſubvertere eam; quippe qui expreſſis verbis declaraverim, eandem à me poſſibilitatem admitti quam admittunt Thomiſtæ; rejici autem ſolam poſſibilitatem Molinianam, quæ ſtare non poteſt cum neceſſitate gratiæ efficacis Chriſti ad agendum & orandum.

Concidunt itaque, P. I. & corruunt omnes Cenſorum argumentationes, omnis adverſùm me clamor & inſectatio de impoſſibilitate mandatorum Dei. Enimverò quid à me poſtulant? An volunt me agnoſcere, Juſtos omnes

omnes poſſe vincere tentationem, etiam cum non habent gratiam efficacem? Agnoſco id eos poſſe ſecundùm eam ſpeciem potentiæ quam tota D. Thomæ ſchola illis tribuit.

Volunt me agnoſcere, ejuſmodi potentiam poſſe tranſire ad actum ſine ullo alio Dei auxilio? Reſpondeo, cum univerſâ S. Thomæ ſchola, errare eos qui ita ſentiunt, & maximam facere injuriam gratiæ Chriſti, quæ debet operari in nobis omne illud bonum quod facimus.

Volunt me agnoſcere, juſtos poſſe ſaltem petere à Deo gratiam illam quâ opus habent ad ſuperandas tentationes? Agnoſco id eos poſſe, quippe qui ſunt fideles, & fides eſt principium orationis, ſicuti Charitas principium eſt bonorum operum.

Volunt me agnoſcere, hanc potentiam orandi quæ reperitur in juſtis, talem eſſe ut ad orandum actualiter non neceſſe ſit illos per Spiritum Dei applicari & determinari ad orationem? Reſpondeo pariter cum omnibus Thomiſtis, non poſſe hanc ſententiam propugnari, quin impingatur in hæreſim Semipelagianorum.

Volunt ut potentiam illam, quam cum Thomiſtis admitto, appellem potentiam proximam? Reſpondeo primò ridiculum quid futurum, ſi, cùm agatur de dogmate fidei circa quod mihi hæreſis crimen imponitur, pendeat res è voce quam nec Scripturæ Sacræ nec Eccleſia conſecrarunt.

Adhuc tamen reſpondeo ſecundùm ſententiam & verba ipſa Alvareſii: *Potentia poteſt dupliciter dici proxima & expedita ad operandum*: 1. *Quia nihil aliud requiritur ex parte ipſius potentiæ, quo in actu primo conſtituatur ad actualiter operandum.* 2. *Quia in ſua operatione non dependet ab alia priori cauſa efficienter ei tribuente ipſum cooperari vel actualiter.* Alvar, de Auxil. Diſp. 117. n. 11.

Itaque adverſarios meos rogo, ut aperiant quo ſenſu velint me potentiam hanc vocare proximam. Si primo, nihil obſtat quominus à me admittatur; imò fortè potiori jure uſurpabitur, quàm à plurimis novis Thomiſtis, ſicut probavi in Scripto quod Romam miſi, & cujus exemplar cum hac Epiſtola accipies, Præſul Illuſtriſſime.

Si altero ſenſu, qui Moliniſtarum eſt, & qui ferè unus vulgò uſurpatur, contendo cum Alvareſio & omnibus Thomiſtis, potentiam iſtam quæ in juſtis eſt, non poſſe abſque errore vocari potentiam proximam hoc ſenſu; quia etiam abſque errore non poteſt negari voluntatem juſti pendere, ſive ad agendum, ſive ad orandum à cauſa ſuperiori quâ efficaciter impellatur ad agendum & orandum: *Tenent*, inquit Alvares ibid. n. 5., *hanc concluſionem omnes Theologi, qui ſentiunt, Deum ſua motione, aut gratia efficaci, non ſolum moraliter, ſed etiam efficienter ſeu phyſicè facere ut faciamus, & operari ut operemur.*

Ut

Ut tandem paucis abſolvam, Præſul Illuſtriſſime, omiſſis tot quæſtionibus obſcuris parúmque ad inſtitutum meum neceſſariis; non expenſis etiam variis nominibus, quæ huic potentiæ ab aliis impoſita alii non admittunt; ſatis mihi erit declarare, nullum ex his nominibus adverſari ſententiæ meæ, dummodò ſubjungantur hæc duo, quæ cum univerſâ S. Thomæ ſchola contendo non poſſe negari ſine errore.

Primum quidem, potentiam illam, quantacumque ſit, deſtitui ſemper ſuo effectu, ſive de oratione ſermo ſit, ſive de actione, quamdiu Deus non largitur gratiam efficacem; nec fieri unquam poſſe, ut juſtus agat propter Deum, aut etiam oret, niſi moveatur ab illo Spiritu Sancto *qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit*, ut ſæpiùs repetit D. Thomas.

Alterum verò, ſi conſtet nihil fieri abſque auxilio efficaci quo determinetur voluntas, jam licitum eſſe dicere cum S. Scriptura, Conciliis, & Patribus, ſine gratia nos nihil poſſe, quia ſcilicet non habemus ejuſmodi potentiam ab Alvareſio & Thomiſtis omnibus tum veteribus tum recentioribus admiſſam, quæ complectitur omnia ad agendum neceſſaria.

Quamobrem, P. I. perſuaſum mihi eſt futurum, ut quicumque non gravabuntur totum hoc negotium diligentiùs excutere, facilè perſpiciant de eo uno in præſenti controverſiâ diſputari, quod nullam per ſe patitur diſputationem. Etenim projectâ licet audaciâ ſint adverſarii, non audeant profiteri ſe doctrinam meam ideò damnaſſe, quòd aſſeram cum SS. Patribus gratiam efficacem Chriſti eſſe abſolutè neceſſariam, etiam juſtis, ad omnes actus pios, atque vel minimos affectus, & preces leviſſimas. Patet autem ipsâ luce clarius, omnes illorum accuſationes de impoſſibilitate mandatorum Dei, aut directè impugnare gratiæ efficacis neceſſitatem, tam ad agendum, quàm orandum; (in quo cernitur quàm infirmæ illæ ſint, cùm ipſi ſemper præ ſe tulerint hanc doctrinam intactam à ſe relinqui) aut meras eſſe cavillationes, quæ, ſi viris æquis indignæ ſint, certè maximè Theologis. Itaque P. I. ne faſtidium tibi moveat longior diſceptatio, in aliam Epiſtolam reſervo conjiciendum examen quarumdam ſcholæ Quæſtionum, quibus adverſarii ea etiam obſcurare voluerunt, quæ per ſe clara erant & certiſſima. Hanc autem dum abſolvo & finio, non poſſum non declarare quantùm mihi doleat, quòd ad defendendam Chriſti gratiam cogar in hoc uno laborare, ut involucra atque umbras, quibus eam cooperiunt, ne luce ſuâ afficiat homines, rejicere valeam & diſcutere. Nam cùm hoc in argumento deberet ſatis eſſe ad ipſos Veritatis fontes penetrare, & toti Eccleſiæ exhibere decreta ac effata Sum. Pontificum & SS. Doctorum qui ea de re ſcripſerunt

runt, non minùs ad alendam fidelium pietatem, quàm ad ſubvertendos errores & hæreſes; depugnandum mihi eſt adversùs ejuſmodi homines, quorum cura unica eſt leves invenire argutias, ad pervertendam obſcurandámque doctrinam eorumdem Patrum, & qui quodammodo, ut ait S. Scriptura, *Telas araneæ texunt*, quibus homines ſimplices capiant. Iſaï. 59. 5.

Spero tamen futurum ut tibi P.I. non improbetur, me ſuſcipere ejuſmodi laborem, quem moleſta adverſariorum meorum inſectatio legitimum, veritatis defenſio neceſſarium faciunt. Spero quoque mihi pro ſingulari tua humanitate non defuturam tuam benevolentiam coram hominibus, nec preces apud Deum.

Die 15 Aprilis
1656.

ANTONIUS ARNALDUS
Doctor ac Socius Sorbonicus.

X V.

VIRO SAPIENTISSIMO

HENRICO HOLDENO

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS

DOCTORI,

ANTONIUS ARNALDUS

DOCTOR SORBONICUS

S. D.

EA temporum conditione deſenſus ſum abs te, Vir doctiſſime, ut ipſe ingratus mihi viderer & injuſtus, niſi me ſingulari à te beneficio affectum eſſe præ me ferrem. Quamquam enim id tuæ potiùs pietati, quàm amicitiæ meæ, ac Deo potiùs quàm mihi tribuiſti, cùm mihi tecum nulla familiaritas intercederet, tamen hoc teſtimonium tuum eò pluris æſtimo, quò magis ſuſpicione gratiæ caret.

Quæ conſecuta ſunt in ſubſcribendâ Cenſurâ, minorem fortaſſe tibi gratulandi cauſam ſuppeditant, nullam ſuccenſendi. Novi enim humanæ infirmitatis vices, & paucorum admodum eam vim eſſe, id animi robur, ut blandientibus ac terrentibus amicis, imminentique potentiæ obſiſtere valeant. Quamobrem ut in te, quòd Cenſuræ in me latæ ſubſcripſeris, nulla violatæ æquitatis culpa reſideat, opto potiùs quàm ſpondeo. Illud & confirmo & ſpondeo, nullam hujuſce rei causâ ſimultatem & offenſionem in me reſidere.

Adeò enim mihi non obfuiſti, ut etiam valdè profueris. Nam cùm nihil ipſe diverſum à te ſentiam, non poſſum, ut in his malis, non lætari, eamdem doctrinam quàm in me inſectantur ut hæreticam, in te ut orthodoxam & catholicam illis probari, qui à te Cenſuræ ſubſcriptionem extorſerunt. Ex quo perſpicuum eſt, perpaucos illos qui cùm in comitiis à Cenſurâ me exemerint, poſteà tamen alienis inſidiis, infirmitate ſuâ Cenſuræ ſubſcripſerunt, non ideò quam publicè profeſſi ſunt mutaſſe ſententiam.

Quod igitur à te in facti quæſtione ſum abſolutus, multùm tibi debere confiteor: quòd in juris

juris diſceptatione poſt ereptam libertatem ab illo cœtu cum reliquis veritatis & æquitatis amantibus te ſubduxeris, gaudeo: quòd Auguſtinianam doctrinam nunc etiam apertè profiteris, gratulor: quòd in fratris innocentiâ, imò in veritate tuendâ parum firmus videris, nec miror, & doleo; at tuâ causâ potiùs, quàm meâ. Sed ut is tecum expoſtulandi locus alienus eſt, ita purgandi mei planè neceſſarius.

Scilicet, te autore, ideò Censuræ, quâ modò inuſta eſt Epiſtolæ meæ propoſitio, *occaſionem præbui quòd eam Thomiſtarum opinionem*, quàm tu verè & ſcienter explicas, *apertè & ingenuè amplecti noluerim: quod omiſſis tot Apologeticis unâ pagellâ præſtare potuiſſem: hoc à me neglectum homines in eam ſuſpicionem adduxiſſe* dicis, *aliquid me à Thomiſtarum ſcholâ, nec non à catholicis Theologorum paleſtris diverſum in animo recondere.*

Quàm tibi, mi Holdene, parum perſpectus ſum! quàm parum perſpecta inimicorum meorum conſilia & fraudes! Jam vellem, ut ſicut Janſenium numquam te attigiſſe teſtatus es, etiam illud teſtatus eſſes, numquam te Apologeticos meos vidiſſe. Næ tu multò faciliorem mihi viam aperires, ad te (quod ſtudeo) apud eos qui tuam ſcriptiunculam legerint, excuſandum.

Quænam igitur illa Thomiſtarum ſententia eſt, ſub cujus patrocinium confugere debueram, antiquorum Patrum præſidiis parum apud iſtos judices tutus? Nimirum ea quam tu luculenter his verbis explicas: *Gratiam ex natura ſua, ſeu per ſe, efficacem ad hoc neceſſariam eſſe, ut actu faciamus bonum aliquod meritorium; vel ut actu ſuperemus gravem aliquam tentationem. Per gratiam per ſe efficacem intelligo eam quæ ſuum ſemper habet effectum. Fateor tamen & agnoſco hominem juſtum habere gratiam habitualem, & ſæpiſſimè actualem, etiam interiorem quâ verè poteſt bonum quodlibet meritorium facere, & gravem quamcumque tentationem ſuperare. Hæc autem gratia, quòd verè dat poſſe, quamvis non illud poſſe quod ſemper cum effectu conjungitur, ſolius enim gratiæ per ſe efficacis eſt hoc efficere, communiter à Theologis ſufficiens dicitur, quam ego etiam in hoc ſenſu ſufficientem agnoſco.* Quibus paulò poſt addis: *Cur non licet dicere cum S. Thoma, gratiam habitualem & ſanctificantem dare poſſe, & ſufficere ad illud efficiendum, quod reipſa numquam ſola efficiet?*

Itane hoc non profeſſus ſum? Itane hæc me ſentire non apertè tuli? Attende, mi Holdene, ſatiſne hanc quam profiteris Thomiſtarum ſententiam his verbis in 2. Apologetico complexus ſim. „Illis etiam juſtis qui peccant poſſibilia fuiſſe illa ipſa „præcepta quæ tranſgrediuntur, „non eâ tantùm poſſibilitate quæ „ex SS. Patrum doctrinâ impiis „& infidelibus competit, ſed eâ „quam juſtis confert donum gratuitum naturæ ſuperadditum,

quo

„quo juſti ad non peccandum „adjuvantur, ut docet S. Tho„mas 1. 2. qu. 109. art. 2. 6. 9. „etſi ex eodem Angelico Doctore „ulteriùs indigeant auxilio Dei „animum interiùs moventis, di„rigentis, & protegentis.

Et paulò poſt adhuc explanatiùs. „Non eâ tantum ratione „præcepta Dei juſto poſſibilia „ſunt, quia poteſt ea ſervare ſi „vult, juxta doctrinam S. Au„guſtini, de eo quod in poteſta„te noſtrâ eſſe dicitur; verùm „etiam quia per ſpiritum gratiæ „& charitatis ſibi in juſtificatio„ne infuſum veram & interiorem „habet ad ea ſervanda potentiam; „etſi ex doctrinâ SS. Patrum & „Conciliorum ulteriùs indiget „eâ gratiâ quæ ad ſingulos actus „datur, ſive efficaci illo Dei in„teriùs animam moventis auxi„lio, ſine quo, ut expreſsè ait „S. Thomas, mandata ſervare, „& in acceptâ juſtitiâ perſevera„re non poteſt.

„ Hinc fit ut de juſto, efficaci „auxilio in aliquâ tentatione de„ſtituto, rectè dicatur, & potuiſſe „illum eam tentationem ſupera„re, & non potuiſſe. Potuit e„nim quantùm ad potentiam il„lam quam gratia in juſtificatio„ne accepta cuivis juſto ſuppe„ditat. Non potuit verò, quia „non habuit ea omnia quibus in„digebat ut hæc potentia in „actum ſuum exiret, ſicut lo„quuntur Theologi.

Obſecro, mi Holdene, an non agnoſco gratiam habitualem quæ dat omnibus verum poſſe? An aliud eſt *verum poſſe* quod profiteris, & *vera poteſtas* quam profiteor? An aliud ſignificat *gratiæ habitualis* nomen quo uteris, & hæc verba, *Spiritus gratiæ in juſtificatione infuſus*, quibus utor?

Quid eximius ille Caietani locus quem attexui? Patumne declarat veram à me mandata ſervandi poteſtatem admitti? *Quemadmodum*, inquit Illuſtriſſimus Cardinalis, *ſtant hæc duo ſimul: homo habet potentiam viſivam quæ poteſt videre; & homo non poteſt ex ſolâ illâ viſiva potentiâ videre, quoniam ſine extrinſeco lumine numquam hæc potentia exibit in actum: Ita in propoſito, quia gratia eſt quâ homo eſt potens elicere operationem bonam, & reſiſtere incurſionibus tentationum, & continuare in hoc, quod eſt perſeverare: ideò homo* juſtus *donatus dicitur dono quo hæc poteſt. Sed quia gratia* habitualis NON POTEST *exercere hos actus ſimpliciter, quando oportet, ubi oportet, ideò dicitur quòd hæc ſola gratia ſine ſpeciali auxilio* (quod paulò poſt non omnibus juſtis dari diſertè affirmat) NON POTEST *hæc ſimpliciter.*

An id me non addidiſſe cauſaberis: *Juſtis ſæpiſſimè gratiam actualem adeſſe quâ bonum poſſint operari?* At illud cur adderem, de quo nulla quæſtio vertebatur, & quod mecum omnes S. Auguſtini diſcipuli libenter agnoſcunt? Tecum enim gratiam juſtis *actualem ſæpiſſimè dari*, conſentiunt; ſemper, negant: quibus tamen ſemper verè mandata ſervandi poteſtas competit.

Quid

Quid eſt igitur in quo tibi mecum non omnino conveniat? An ſufficientis gratiæ nomen à te uſurpatum, à me omiſſum? Verùm illam tibi diſſidii occaſionem ipſe præcidis: *Inutile enim & animi perturbati indicium tibi videri* dicis, *de vocabulorum proprietate, ſeu de modo loquendi contumaciter diſputare.*

Nec ab hac tua mente ipſe abhorreo. Quamquam enim in fide non modò rerum, ſed etiam verborum novitates valdè fugiendæ ſint; quia tamen nomen illud gratiæ ſufficientis, tametſi Patrum auribus inauditum, nonnullam in ſcholis jactationem habet, nolim de hac voce temerè litigare, dummodò idoneâ explicatione à Molinianâ quam præ ſe fert ſignificatione ad aliam catholicam traducatur.

Sufficientem igitur gratiam impugnavi, ſed Molinianam. Illam rejeci quæ ſine ſuperadjecto auxilio ſatis eſt ad reipsâ & effectivè agendum. Illam inſectatus ſum quæ pro liberi arbitrii nutu modò efficax eſt, modò inefficax. Hanc falſam, hanc Pelagianam, hanc hæreticam, ſemper cum universâ Thomiſtarum ſcholâ contendi.

Illam verò quam antiquiores Thomiſtæ, quam Lovanienſis & Duacenſis Facultas, quam Eſtius, aliique in gratiâ habituali conſtituunt, hoc, inquam, gratiæ ſufficientis genus, cui alia gratia neceſſaria eſt ut in actum prodeat, ſemper admiſi.

Illam ipſam recentiorum Thomiſtarum ſufficientem & actualem gratiam non aſpernor omninò, ſæpe tecum dari fateor; ſemper, nego. Sæpe datur, quia ſæpe concupiſcit ſpiritus adverſus carnem, & bonos in anima motus excitat, quibus reverâ reſiſtitur, etſi ex omnium Thomiſtarum doctrina eum effectum habeant quem vult Deus. Non ſemper datur, quia non ſemper innoteſcit quod latebat peccatum, quia per ignorantiam, per errorem, per ſubitam cupiditatem ſæpe delinquitur, ut ait Aug. lib. de pecc. mer. c. 17. quia non ſemper delectat bonum, ut ibid. tradit; quia non ſemper concupiſcit ſpiritus adverſus carnem, ut luculenter docet l. 6. operis ultimi in Jul. his verbis: *Concupiſcentiæ reatus niſi in renaſcentibus non ſolvitur, ut eo poſt hanc abſolutionem non inquinetur, niſi qui ei ad perpetrandum opus malum ſpiritu adverſus eam vel* NON CONCUPISCENTE *vel non fortiùs concupiſcente conſentit.*

Sed quamquam in hoc capite diſſentire me ab Alvareſio non diffitear, ne ab antiquioribus Thomiſtis diſſentiam; illud tamen diſſidium (quod tu diligenter attendas velim) nihil omnino Epiſtolæ meæ propoſitionem attingit. Nam cum gratiam Petro defuiſſe dixi ſine qua nihil poterat, non omnimodam me ab ipſo gratiam actualem ſummoviſſe in Apologeticis teſtatus ſum, ſed tantùm efficacem quâ re ipſâ & effectivè tentationem ſuperaret.

Et reverâ ſi quis me roget utrùm Petrus in tentatione poſitus, actuali gratia planè deſertus ſit, neſcire me fatear; potuit enim habere piam cogitationem, potuit habere pium Spiritus ſancti motum: potuit etiam non habere, in pœnam præſumtionis ſuæ. Ergo ſi quis gratiam actualem Petro concedat, rationes fortaſſe requiram cur id aſſerat, repugnabo numquam. Non igitur illud dixi; Patres & Scripturam Petro gratiam omnem actualem defuiſſe teſtari. Nam illud dicere quî poſſem, quod me neſcire confiteor. Illud novi, illud dixi, illud contendi, Petro gratiam efficacem ad vitandum peccatum neceſſariam defuiſſe. Quod genus gratiæ interim habuerit, an ſufficientem actualem, an gratiam orandi, numquam hoc loco, aut affirmare aut negare animus fuit. Neque enim disjunctiſſimas quæſtiones miſcere ſoleo: ut nihil iis fieri poſſit injuſtius, qui me à propoſitionis meæ finibus ad alias contentiones abducunt.

Quod mones *de ratione loquendi ad vitandam rudiorum offenſionem; de cavendis propoſitionibus quæ præceptorum poſſibilitatem generatim negant*, in hoc mihi vehementer prudentiam tuam probas, à quâ non deſciviſſe nos, ſi Apologeticos noſtros legeris, facilè cognoſces. Etſi enim impoſſibilitatis voce, quæ ex ſe dura eſt & malæ interpretationi obnoxia, conſultò ſemper abſtinui, ad illam ipſam maximè innocuam loquendi formulam, qua juſtum dixi tentationem interdum ſuperare non poſſe, ferè ſemper addidi voces illas, *actu*, *reipſà*, & ejuſmodi, quas tu ad cautionem addendas rectiſſimè præcipis.

Cur autem in propoſitione non addiderim, ea cauſa eſt quòd Patrum verba, non mea, proferebam: Patrum autem verbis aliquid addere, præſertim ubi ex adjunctis patet ſententia, hominis eſt parum cautos Patres exiſtimantis; nec recentiorum opiniones ad ipſorum placita, ſed ipſorum placita ad recentiorum & ſcholaſticorum vocum amuſſim & normam exigentis.

Nihil igitur tuus à meo diſcrepat ſenſus, nec meus à tuo. Si tibi Cenſuræ ſubſcribere licuit, liceret & mihi: non minùs enim *ſenſum illum, quo præceptorum impoſſibilitas aſtruitur, à majori parte Facultatis*, ut tuis verbis utar, *utcumque intellectum* damno & rejicio, quàm tu, quàm illi. Neque minùs quàm tu hæreſeos damno, qui ita affirmet *impoſſibilitatem exiſtendi effectus, ut omnem etiam deneget poteſtatem ad effectum*: in quo errorem à Cenſura proſcriptum reponis: *Quia hæc duo*, inquis, *ſimul ſtare & conjunctim eſſe vera docet & Chriſtiana Religio, & philoſophia naturalis.* Cui ſententiæ tuæ libenter aſſentior, & ſubſcribere paratus ſum. Quare ſi nihil ad te Cenſura pertinet, ne ad meipſum quidem. Verùm ut hunc ſenſum ejuro & exſecror, ſic mihi ſper calumniam affictum, per ſummam

mam injuriam in Patrum verba teſtor intruſum. Quod exemplum ſi ſemel ſuſcipiatur, manabit latiùs, & ad omnium Theologorum perniciem ſerpet. Cujus enim tam accurata, tam cauta verba ſint, ut non in aliquem ſenſum erroneum inimicorum arbitrio detorqueri poſſint.

Sed tu, Vir ſapientiſſime, non ſatis acutè totum illius machinationis conſilium & mentem introſpicis. Verum quidem eſt, omnes qui timore tantùm vel humanâ gratiâ, ſed nullo privato in me odio ducebantur, hunc vanum & fictitium errorem in propoſitionis meæ verbis damnaviſſe, atque hanc conſcientiæ ſuæ nubem objeciſſe, ut factum illi ſuum excuſarent. At factionis illius duces aliud omnino ſequuntur, aliud ſpectant. Nam Moliniſticis partibus jamdiu juncti, Auguſtino & gratiæ præſertim efficaci capitaliter infenſi, omnibus illam modis è Facultate ejectam, ex orbe chriſtiano exturbatam volunt. Hanc cùm apertè aggredi non audeant, cuniculis & inſidiis tentant. Hac mente Cenſuram ſuam ita conflarunt, ut nullo negotio in gratiam efficacem contorqueri poſſit: nec illorum voluntati defuerit eventus, ſi eſſet aliqua Cenſuræ autoritas. Nihil enim expeditius quàm illud probare, gratiæ efficacis neceſſitatem à Facultate eſſe proſcriptam.

Propoſitionem meam ſic expoſui, ut nihil in eâ contineri docerem, niſi gratiam ad vincendam tentationem neceſſariam juſtis aliquando deeſſe, ſive illam ſine quâ non poſſunt proximè, complete, & effectivè tentationem vincere.

Huic propoſitioni ſic expoſitæ notam hæreſeos inurunt. Malè à me explicatam non queruntur: nullam ipſi interpretationem, nullum ſenſum aſſignant. Quid aliud conſequitur, niſi hanc propoſitionem, prout à me explicata eſt, hæreticam eſſe; & oppoſitam propoſitionem ad fidem pertinere, nimirum illam quam tu Molinianam & Pelagianam eſſe fateberis: Nulli juſto in tentatione poſito deeſt gratia ad tentationem ſuperandam neceſſaria, ſive ea ſine quâ non poteſt reipsâ & effectivè tentationem ſuperare.

Cernis opinor quàm aſtutè triumphantem Molinam in Facultatem invexerint. Omnes enim illi ſenſus, quos in mente habuiſſe ſe fingunt, illicò evaneſcent. Quid Cenſura ſignificet, non aliunde quàm ex ipſius verbis meiſque judicabitur. Nihil ego aſſerui niſi gratiam efficacem ad ſingulos pietatis actus neceſſariam eſſe: nihil ergo aliud damnaverunt, niſi ejuſdem gratiæ neceſſitatem.

Id ſi pati potes, ipſe non patiar, Patrumque & Eccleſiæ doctrinam pro viribus ab ipſorum petitionibus quantum licebit, ipſâ cui milito infirmitatem meam gratiâ protegente, defendam.

De me verò iterum tibi confirmo, nullis me flexibus, nullis

 cavilla-

cavillationibus umquam uſum, umquam uſurum; ſed eam S. Thomæ ſententiam, quam tu in Epiſtola, ego in Apologeticis expoſui, & alibi fortaſſe latiùs exponam, ex animo amplecti.

Quamobrem ſi meus tibi ſenſus umquam probatus eſt, & nunc etiam probari poteſt. Eadem enim ſentio, quæ ſenſi. Idem ſum qui fui, S. Auguſtini & S. Thomæ non minùs quàm olim ſtudioſus: Summi Pontificis, & Sacri Epiſcoporum Ordinis non minùs religioſus venerator & cultor: Eccleſiæ non minùs obſequens filius: tibi ac defenſoribus meis non minùs gratus, quidquid illi tamdem de me ac de ſe conſtituant: neque enim ex illorum officio pendet meum. Quàm volent inimici ſæviant, qui volent amici deſerant: ego tamen & inimicis patientiam, & amicis gratum animum præſtare conabor. Vale. Pridie Calend. April. 1656.

A N-

CAUSA ARNALDINA
SEU
ANTONIUS ARNALDUS
DOCTOR ET SOCIUS SORBONICUS

A Cenſura Anno M. DC. LVI. ſub nomine Facultatis Theologiæ Pariſienſis vulgata

VINDICATUS

Suis Ipſius aliorumque Scriptis, nunc primùm in unum volumen collectis:

QUIBUS

S. AUGUSTINI & S. THOMÆ DOCTRINA, De Gratiâ efficaci & ſufficiente, dilucidè explanatur.

REVERTIMINI AD JUDICIUM. Danielis XIII. 49.

PARS II.

LEODICI EBURONUM,
Apud JOANNEM HOYOUX.
M. DC. IC.

XVI.

ANTONII ARNALDI

DOCTORIS SORBONICI,

Super illa Propoſitione SS. Chryſoſtomi & Auguſtini:

DEFUIT PETRO TENTATO GRATIA SINE QUA NIHIL POTERAT,

DISSERTATIO THEOLOGICA,

QUADRIPARTITA,

In qua exhibetur NORMA tum loquendi, tum ſentiendi, circa poſſibilitatem Præceptorum, & Gratiæ efficacis neceſſitatem, ex Scripturis & Patribus, & recentiorum etiam Theologorum placitis, depromta.

Ad Clariſſimum Doctiſſimumque Eccleſiæ Romanæ Theologum Hilarionem, Abbatem Sanctæ Crucis in Jeruſalem.

Juxta exemplar editum 1656.

CHRISTIANO
LECTORI.

SCriptionem iſtam, Chriſtiane Lector, quam brevem eſſe malueram, longiorem neceſſitas fecit. Multæ enim ac variæ nobis quæſtiones, ex ſe invicem nexæ, pertractandæ fuerunt, ut omnia adverſariis meis effugia præcluderem. Ita ſingulæ partes, per ſe breves, longam tamen ſummam efficiunt. Hoc autem, ni fallor, omnibus æquis rerum æſtimatoribus probabimus, ſententiam noſtram, non modò in antiquorum Patrum, ſed in omnium Thomiſtarum tum veterum tum recentiorum doctrinâ, nemine excepto, peræque veram eſſe. Quæſtiones illas de poteſtate proximâ, de gratiâ actuali, de poſſibilitate præceptorum, ita præcidimus, ut nulla in iis ne cavillandi quidèm cauſa ſupereſſe videatur. Quamobrem Cenſores ipſos, tam mihi, licèt ſine causâ, infenſos, vehementer oro atque obteſtor, ut hanc Diſſertationem primùm legant, deindè ipſi reſpondere dignentur. Nam quò magis magiſque cogito, eò magis in eam ſententiam adducor, non intelligere ipſos quid ſentiam. Id mihi ex ipſorum ſuffragiis conjicere licuit, in quibus tam aliena commenta mihi affictа ſunt, ut mirari ſatis non poſſim tantam, ut mitiſſimè dicam, Theologorum indiligentiam, qui ejus, de quo ſententiam ferebant, mentem explorare ne curaverint quidèm: adeòque, ſi hæc contentionis & odii flamma reſederit, hoc ſcio, diſſentiones iſtas horæ momento componi poſſe. Non enim illis modo ſolida cauſa non ſubeſt, ſed planè nulla; nullum, inquam, doctrinæ caput eſt, quod ipſi adhuc ad fidem pertinere univerſi contendere auſi ſint, quod quidèm à me negetur. Itaque, dum maximè fictis coloribus me inſectantur, eadem omnia à quibuſdam

ex ſuis propugnari ſinunt, in multis etiam iſta plauſu & gratulatione proſequuntur. Exemplo eſſe poteſt Holdeni Epiſtola, præcipuis, ut ipſe dictitat, Cenſoribus grata & probata; & tamen, nihil illum à me diſſidere, edita de hoc argumento ſcriptiuncula planum fecit.

Sed illuſtrius adhuc hujus rei exemplum ſuppeditant Theſes, apud Presbyteros Oratorii defenſæ, & Illuſtriſſimis Galliæ Epiſcopis Lutetiæ congregatis nuncupatæ, eorumdemque, ut audio, frequentiâ cohoneſtatæ. In his enim totum controverſæ propoſitionis ſenſum his verbis expreſſum lego: *Sufficiens gratia infallibiliter ſuo caret effectu: Efficax illum infallibiliter producit, idque in omni ſtatu: unde, abſente hâc (efficaci) ita non potuit Adam bonus ſe ſervare bonum, ex S. Auguſtino*, UTI NEC PETRUS CHRISTUM CONFITERI: *infallibiliter enim id non erant volituri: licèt utrumque ambo abſolutè potuerint.* Diſſentio quidem ab illius Theſeos auctore, quiſquis eſt, quòd gratiam efficacem ad perſeverandum neceſſariam admittat etiam in ſtatu innocentiæ. Sed, hoc in quæſtione verſari, nemo dicat. At planè ille mecum ſentit in eo, quòd Petrum ſine gratiâ efficaci, quam certè non habuit, Chriſtum non potuiſſe confiteri dicat, eundemque potuiſſe per potentiam, ut ipſe explicat poſteà, *in actu primo conſtitutam.* Nihil enim affirmat aliud Epiſtolæ propoſitio; & quiſquis illi alium ſenſum tribuit, falſum affingit. Quod adverſariis meis denunciare ideò neceſſe eſt, quia video, nihil aliud eos moliri, niſi ut ambiguum aliquod Decretum ab Eccleſiæ poteſtatibus eliciant, ut illius ſpecie poſtmodùm Orbem chriſtianum ludificentur. Verùm, poſt meam hanc conteſtationem, ſi quid calumniis ſuis à quibuſvis Eccleſiæ judicibus auferant, in quo meus hic ſenſus non clarè & apertè damnatus appareat, manifeſtum vel hoc indicio omnibus erit, judices fraude & dolo circumventos, nec propoſitionem verè damnatam dici poſſe, cùm in ſenſu alieno, fictitio, & per calumniam impoſito damnata ſit.

Quamobrem, ne ſit dubitationi locus, Decreti formam ipſe præformabo, quod ſi impetrent ab ullis Eccleſiæ judicibus, ab illis quoque propoſitionem meam damnatam eſſe, non diffitebor: *Hæretica eſt illa propoſitio, quæ aſſerit, Petro juſto non affuiſſe gratiam efficacem agendi, id eſt, confitendi Chriſtum (nam de gratiâ orandi nullus hîc ſermo) ſine quâ nihil poterat, quod ad vincendam tentationem attinet, eâ poteſtate, quæ complectitur omnia ad agendum neceſſaria.* Sin aliter ſe geſſerint, nihil agent omninò, omneſque veritatis amantes Theologos in calumniam cogent inclamare.

Sed quod in iiſdem, quas dixi, Theſibus legitur: *Iis verò recentioribus non conſentimus, qui, dum potentiam proximam negant cuiquam adeſſe ſine gratiâ efficace Salvatoris, per eam intelligi volunt illam vim voluntatis &c. quâ ſi careat, adſint licèt cætera omnia, nihilo-magis ipſa bonum velle poſſit, quàm cæcus videre, claudus currere, beatus peccare: carere autem eâ quotquot nunc efficaci gratiâ carent*: Id, inquam, unde didicerit prædictarum Theſium ſcriptor, & quinam ſint iſti recentiores, libenter ex ipſo quæſierim; neque enim ullos legere me memini, qui ſic teneant aut doceant. Ego verò planè non ita me tenere profiteor: modò enim id unum mihi concedatur, quod iſte auctor ſatis luculenter explicat, *Neceſſariam eſſe gratiam efficacem, ut poteſtatem actus primi in actu ſecundo applicet ac determinet*, adeòque nihil omninò boni ſine illâ unquam neque cogitando, neque orando, neque agendo, factum eſſe, poteſtatem actus primi ſine gratia efficaci in omnibus generatim juſtis libenter admitto.

Speciatim verò, in juſtis volentibus & conantibus gratias excitantes admittendas, fateor, eáſque Thomiſtico ſenſu ſufficientes. Quamobrem, quæcunque demùm ſententia Conſtitutioni Innocentii X. ſubjiciatur, fateor verum eſſe illum ſenſum quo vulgò à Thomiſtis accipitur, nimirùm omnibus juſtis volentibus & conantibus adeſſe gratias excitantes ſufficientes Thomiſtico ſenſu, neque deeſſe illis gratiam, quâ poſſibilia fiant præcepta; tum quia jam habent

habent excitantem quâ poſſunt ſenſu prædicto, tum quia ſi illi gratiæ plenè conſenſerint(quod poſſunt ſi velint: quod ſi non faciant in culpâ ſunt) gratiam efficacem non ſolùm habituri ſunt, ſed jam habebunt; quia, ſi quis gratiæ ſufficienti conſenſerit, ut iidem docent, ſignum eſt à poſteriori, affuiſſe illi gratiam efficacem. Hæc de juſtis volentibus & conantibus, de quibus ſolis loquitur Conſtitutio Innocentii X. mihi cum Thomiſtis recentioribus planè conveniunt.

Cæterùm, malè elici ex Conſtitutione Summi Pontificis alterutram ex ſequentibus propoſitionibus, palàm eſt: *Juſtis ignorantibus, incogitantibus, nec volentibus, nec conantibus, adeſt cognitio, cogitatio, voluntas, conatus, id eſt, gratia excitans actualis*; vel: *Nullus unquàm juſtus peccat, ne quidèm venialiter, ex ignorantiâ, ex incogitantiâ, & ſine piâ voluntate, pioque conatu ab illo peccato abſtinendi.* Qui ſic acceperit Summi Pontificis Conſtitutionem, non ipſam interpretatur, ſed novam & planè diverſam Conſtitutionem condit, eamque, ut mihi quidèm videtur, manifeſtè ſibi repugnantem. Quare non eſt credendum, id voluiſſe Innocentium, donec alterutra ex iſtis propoſitionibus in aliquo Summi Pontificis diplomate nominatim legatur expreſſa, quod ab Apoſtolicâ Sede, fidenter hoc affirmo, nunquàm impetrabunt adverſarii; & quamvis impetrarent, quod fieri non poteſt, ſua tamen propoſitioni Epiſtolæ veritas conſtabit, quæ gratiam actualem non dicit Petro defuiſſe, ſed ſolam efficacem, ut poſteà explicabitur. Hæc quamquàm in hujus Diſſertationis ſerie fuſiùs explanentur, tamen in ipſo limine prædicta volui, in eorum gratiam quibus totam hanc ſcriptionem perlegere non vacabit. Ex omnibus autem perſpici poterit, unam quæſtionem rectè moveri poſſe: *Utrùm gratia efficax, effectum infallibiliter producens, & ad agendum & ad orandum neceſſaria ſit*: quam doctrinam quoniam adverſarii OPTIMAM eſſe profeſſi ſunt, nulla omninò controverſia jam ſupereſt.

A N-

ANTONII ARNALDI
DOCTORIS SORBONICI

Super illâ Propoſitione SS. Chryſoſtomi & Auguſtini:

DEFUIT PETRO TENTATO GRATIA SINE QUA NIHIL POTERAT,

DISSERTATIO THEOLOGICA;
QUADRIPARTITA.

PRÆFATIO.

In qua ſcriptionis occaſio, conſilium, & partitio, declarantur.

P*Erlatæ ſunt ad me nonnullæ ſchedulæ, in quibus duo magni nominis Theologi amicè inter ſe concertant ſuper illâ quæſtione: An de juſto gratiâ efficaci deſtituto verè dici poſſit, deeſſe illi gratiam ſine quâ nihil poſſumus. Diſputationem illam commoverat propoſitio à me ex Chryſoſtomo & Auguſtino deſcripta, quam nonnulli, in me iniquiores, contumelioſis hæreſeos & blaſphemiæ notis affecerunt.*

Inter illos autem Theologos illud video convenire, gratiam efficacem ad ſingulos pietatis actus neceſſariam eſſe, & ſine eâ nihil unquam boni fieri. Imò eorum alter, qui nonnihil à me diſſentire ſe putat, pro eâ quâ pollet antiquitatis notitiâ, libenter agnoſcit, innumera ex Patribus loca poſſe congeri, in quibus aſſerunt, ſine gratia efficaci nihil fieri poſſe, atque illo elogio ſemper ab Auguſtino donari gratiam, de quâ cum Pelagio diſputat, cum tamen diſputet de efficaci. *Unde nulli dubium eſſe poteſt, quid ille de Cenſura ſentiat, quæ nullâ additâ exceptione eam propoſitionem proſcribit, quam clariſſimus ille Theologus, infinitis*

tis penè locis, in Patrum ſcriptis inveniri fatetur.

Levis tantùm diſſenſio ſupereſt, quòd alter eorum ſine gratia efficaci potentiam proximam haberi vult, alter ſine ea potentiam proximam haberi negat. Iſte eâ maximè ratione nititur, quod potentiæ proximæ nomine intelligatur ea, quæ complectitur omnia ad agendum neceſſaria, ideòque illi tribui non poſſit cui gratia efficax ad agendum neceſſaria deſit. Alter verò, qui in ea opinione eſt, quam hodie multi ex Thomiſtis profitentur, gratiâ efficaci non dari poſſe, *ſed* velle & agere, *potentiæ proximæ nomine eam intelligit, cui nihil deeſt ex parte potentiæ, licèt aliquid deſit ex parte actus; ideóque etiam in iis potentiam proximam eſſe contendit, quibus deeſt gratia efficax; quia,* inquit, *per illam non fit, ut velle poſſimus, ſed ut velimus.*

De hâc controverſiâ quid ipſe ſentiam, quia cognoſcere ſtuduerunt, impoſitum mihi munus eò libentiùs ſuſcepi, quòd illa verborum potiùs quàm rerum contentio eſſe mihi viſa eſt, adeóque utriuſque ſenſum & optimè inter ſe conciliari poſſe, nec ullo modo cum ſubjectâ propoſitioni meæ ſententiâ pugnare arbitratus ſum. Auguſtiniana enim illa propoſitio, quam in Epiſtolâ meâ retuli, ſenſum habet omninò ſegregatum ab omnibus illis quæſtionibus, quæ inter illos Theologos efficacis gratiæ patronos agitantur. Id affirmat quod inter illos convenit; illud in quo diſſident non attingit. Solos illa Moliniſtas, & alios efficacis gratiæ hoſtes, invadit; ab illis etiam ſolùm invadi poteſt: indigniſſimum verò fuerit, illam à Thomiſtis non defendi, quorum adversùs Molinianos cauſam agit.

Ergò, ne cum dubiis & obſcuris quæſtionibus certiſſima Eccleſiæ fides permiſceatur, tria mihi præſtanda putavi, & in totidem partes digerenda.

Primâ, propoſitionis meæ & ſenſum & verba ſic tutabor, ut graviſſimis Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum teſtimoniis illam ad fidem pertinere convincam.

Alterâ, ſic illam ratione confirmabo, ut optimè cohærere doceam cum illorum Thomiſtarum ſententiâ, qui gratiam efficacem,

ficacem, non ad poſſe, ſed ad velle, non ad actum primum, ſed ad ſecundum, neceſſariam ſtatuunt; in qua mihi varia de ſenſu illius verbi poſſe, *& de poſſibilitatis Thomiſticæ naturâ, inquirenda & diſputanda ſunt.*

Tertiâ denique, meum de ipſis illis quæſtionibus ſcholaſticis, & de variarum vocum acceptione ſenſum, ſic exponam, ut tamen meam ſuper illis controverſiis ſententiam conjungi nullatenùs velim cum propoſitionis meæ ſenſu, quæ Traditionis auctoritate firmata & tuta, periclitare non debet ex iis opinionibus, in quibus, pro humani ingenii infirmitate, errare nonnunquàm citra fidei diſpendium Theologi poſſunt.

MONITUM.

QUartam Autor non commemorat, quia, ut ad Tertiæ calcem ipſe monuit, hanc Diſſertationem tres tantùm in Partes diſtribuere initio propoſitum illi fuerat. Verùm cum Tertia longiùs jam proceſſiſſet quàm putarat, non alienum viſum eſt, reliquas quæſtiones Scholaſticæ Theologiæ minùs affines in Quartam potiùs Partem rejicere, ne Tertiæ Partis abnormis magnitudo ab aliarum modo nimium abhorreret.

DISSERTATIONIS PARS PRIMA.

In qua Auguſtinianæ Propoſitionis veritas totius Traditionis auctoritate roboratur.

ARTICULUS I.

Status quæſtionis exponitur, & quædam præmittuntur ad illam rectè intelligendam neceſſaria.

TOtius Controverſiæ ſumma eſt, Utrùm de juſto, gratiâ efficaci deſtituto, verè & catholicè dici queat, *Deeſſe illi gratiam ſine quâ nihil poſſumus, vel ad bene agendum, vel ad tentationes vincendas.* Nam, ſi de aliquo juſto id dici poteſt, utique de Petro, quem in lapſu gratiam efficacem non habuiſſe, conſentiunt omnes. Tota autem illius controverſiæ difficultas eò redit, Utrùm verè dicatur, *ſine gratia efficaci nihil hominem poſſe.* Nam hoc conceſſo, nemo eſt qui conſequens eſſe non videat, eum, qui caret gratiâ efficaci, ut caruit Petrus, carere utique gratiâ ſine quâ nihil poſſumus. Ergo utrum probes, vel generatim ſine gratiâ efficaci nihil hominem poſſe, vel ſpeciatim juſtum gratiâ efficaci deſtitutum nihil poſſe, nihil omninò ad probationis firmitatem intereſt.

Antequàm verò quæſtionis hujus tractationem aggrediar, tria præmittenda ſunt. Primum eſt, cùm de victoriâ tentationis loquor, eam me victoriam intelligere, quâ pio in Deum affectu tentatio vincitur: neque enim neceſſaria eſt gratia efficax ut prava cupiditas aliâ, licèt fortaſſe minùs noxiâ, cupiditate vincatur: eâdemque ratione, cùm aio ſine gratiâ Dei nihil boni fieri poſſe, ad præcidendas omnes controverſias de eo bono me id accipere, quod ad ſalutem pertineat.

Alterum eſt, per gratiam efficacem hîc à me intelligi miſericordiam Dei quemcumque in nobis bonæ voluntatis motum, ſive perfectum ſive imperfectum, efficaciter operantem: non verò eam ſolam, quæ plenam & integram, vel ad Deum converſionem, vel boni faciendi voluntatem inſpirat, quam ſolam efficacis gratiæ nomine Thomiſtæ vulgò deſignare ſolent. Unde quæſtionis ſenſus eſt, Utrùm verè & catholicè dici queat, ſine gratiâ

gratiâ efficaci nihil boni fieri poſſe, hoc eſt, ſine illa gratiâ efficaci, quæ ad unumquemque pium voluntatis motum neceſſaria eſt, pium illum motum haberi non poſſe: neminem, exempli causâ, ſine illa gratia habere poſſe ipſam imperfecti boni cupiditatem: neminem orare poſſe, niſi cui ille Spiritus qui pro nobis interpellat, quia interpellare nos facit, orandi inſpiret affectum: neminem poſſe tentationes ſuperare, niſi cui per efficacem Chriſti gratiam tentationis victoria concedatur: neminem in bono perſeverare poſſe, niſi cui perſeverantia ipſa donetur, ita ut non ſolùm ſine iſto dono perſeverans eſſe non poſſit, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverans ſit.

Poſtremum, quod majoris adhuc momenti eſt, non id quæri: An juſtis omnibus ſemper adſit gratia quâ Dei mandata poſſibilia fiant, & quâ tentationes vinci poſſint; ſed illud ſolùm: Utrùm verè & catholicè dicatur, ſine gratiâ efficaci, quam juſtis aliquandò deeſſe omnes fatentur, nihil boni fieri, & tentationes vinci non poſſe. Quamvis enim illæ propoſitiones inter ſe pugnare videantur, adeò tamen non pugnant, ut utraque ad Eccleſiæ doctrinam ex æquo pertineat. Verum & catholicum eſt, Omnes juſtos ope gratiæ interioris ſemper poſſe mandata ſervare, ac tentationes vincere, quantùm *ad ſufficientiam operativæ virtutis*, ut loquitur S. Thomas. Sed non minùs verum & catholicum, imò longè magis etiam Traditionis auctoritate munitum, Juſtis eam aliquandò gratiam deeſſe ſine quâ nihil fieri poteſt, nedum graves tentationes ſuperari.

Ad prius illud dogma ſtabiliendum, quamvis verum & orthodoxum, pauca tamen admodùm Patrum teſtimonia ſuppetunt. Raro enim illi de aliâ poteſtate loquuntur, quàm quæ, vel ſit naturæ ſeclusâ gratiâ, vel gratiæ efficacis, & cum effectu ſemper conjuncta ſit. At poſtremùm illud tot Scripturarum, Conciliorum, Patrum, undique concinentibus teſtimoniis confirmari poteſt, ut ſi quis totam Traditionem commovere velit, innumeris penè locis illud aſtruere poſſit, *Sine gratia efficaci nihil nos poſſe*: quam gratiam juſtis aliquandò deeſſe, nemo inficiari queat. Quare, cùm multa in his contentionibus mirer, quia inuſitata & nova, tum nihil magis, quàm illam ſententiam, *Sine gratia efficaci nihil homines poſſe*, quæ Patrum libros tractantibus undique in oculos incurrit, ab iis qui ſe Theologos haberi velint, in dubium revocari.

Nec tamen ſic illam amplectimur, ut ab alterâ recedamus, quam ut catholicam & orthodoxam ſemper profeſſi ſumus. Novimus enim id catholici eſſe Theologi, qui fidem, non humanâ ratione, ſed divinâ auctoritate metiatur, eâ quæ inter quaſdam Chriſtianæ doctrinæ ſenten-

ſententias pugnâ nonnunquàm apparet, ab iis pariter amplectendis non deterreri, ſi ab Eccleſiâ, quam unam fidei ſuæ normam agnoſcit, ſibi pariter commendentur.

Illo animo qui non fuerunt, errorum & hæreſeum duces adversùs Eccleſiam fuerunt. Quarum ſi quis originem diligenter attendat, non aliam ferè reperiet, niſi quia ita ſe quibuſdam, licèt veris alioquin & catholicis, dogmatis addicebant, ut quicquid illis repugnare in ſpeciem videretur continuò velut erroneum ſolitâ hæreticis temeritate rejicerent. Unitatem divinæ naturæ cum perſonarum multiplicitate conciliare Sabelliani non potuerunt: ergo unitatem ſic confeſſi ſunt, ut Trinitatem perſonarum negaverint. Ariani contrà, quia unitate naturæ deſtrui perſonarum pluralitatem putarunt, ſic tres perſonas profeſſi ſunt, ut unitatem naturæ diviſerint. Perſonas in Chriſto duas eſſe aſſeruerunt Neſtoriani. Fons erroris ex eo eſt, quòd perſonæ unitatem cum naturarum diverſitate conjungere non potuerunt. At Eutychiani ſimili causâ in oppoſitam hæreſim prolapſi ſunt; ſic enim unam in Chriſto perſonam eſſe docuerunt, ut duas in unum naturas miſcuerint. Denique, ne abeamus ab illâ controverſiâ, quæ his temporibus inter Catholicos maximè jactatur, liberi arbitrii cum gratia componendi ſummam difficultatem eſſe, fatetur Auguſtinus, quâ tamen non tardata Eccleſia ſic gratiam confitetur, ut liberum non neget arbitrium: ſic arbitrium humanum agnoſcit, ut gratiæ in illud imperium pariter agnoſcat. Pelagiani contrà & Calviniſtæ, quia hâc animi demiſſione non fuerunt, in oppoſitos errores, ſed ex eodem fonte profectos, impegêre: illi gratiæ neceſſitatem & imperium negaverunt; hi ſùb imperio gratiæ liberam manere voluntatem non putaverunt. Utrunque damnat Eccleſia; quia, gratiâ non adimi liberum arbitrium ſed liberari, ſentit. *Non enim*, ut ait Proſper contra Collat. c. 12. *periculum eſt libero arbitrio ex gratiâ Dei, nec voluntas aufertur, cum in ipsâ bene velle generatur.*

Sic affecti in iis quæ hodie vigent contentionibus eſſe debemus. Summorum Pontificum Conſtitutiones ex æquo vereamur, quia parem omnes auctoritatem obtinuerunt. Sed non ita ſimus præpoſterâ in recentiores pietate, ut ab illis convulſum putemus quicquid à Deceſſoribus ſuis, quidquid ab antiquis Conciliis, quidquid à perpetuâ Eccleſiæ Traditione definitum ac ſancitum eſt. Qui aliter ſe gerunt, ſchiſma in ipſam unitatis Sedem inducunt; exitiale contemnendæ Traditionis exemplum invehunt; &, dum unius Pontificis Conſtitutione totam antiquitatem perversâ ipſius interpretatione damnatam volunt, Calviniſtis Eccleſiæ hoſtibus hanc facultatem ſuppeditant ubique, ut

ut faciunt, jactandi, Pontificiâ Conſtitutione antiquam Eccleſiæ fidem eſſe damnatam.

Nos verò, ut illorum hæreticam audaciam ex animo deteſtamur, ſic illis fortiter reſiſtendum putamus, qui Pontificis Decreto contra ejus mentem abutuntur, ad ea dogmata deſtruenda, quæ pro certiſſimis hactenùs habita ſunt. Quantâ poſſumus demiſſione animi Decretum Innocentii X. veneramur & amplectimur; ſed non minori veneratione Innocentii I. Cœleſtini, Gregorii, totius denique Traditionis conſenſum, nobis colendum eſſe judicamus. Non illum à ſuis Deceſſoribus diſtrahimus, imò optimè conciliari poſſe, arbitramur. Et, ſi nobis illorum conciliandorum ratio non ſatis appareret, religioſiùs tamen putaremus, etiam quæ pugnare inter ſe viderentur, amplecti, quàm, dum unum ſequimur, reliquos omnes deſerere atque damnare. Ergò ſinceram animi mei reverentiam in poſtremi Pontificis Decretum conteſtatus, & id prætereà profeſſus, minimè, ut jam dixi, negare me juſtis omnibus veram & interiorem adeſſe gratiam, quâ mandata ſervare, & tentationes ſuperare poſſe, verè dicuntur; id unum mihi quærendum propono, Num etiam verè dici poſſit, ſine gratiâ efficaci, quâ juſtus aliquandò deſtituitur, nihil boni fieri poſſe, neque tentationes ſuperari.

ARTICULUS II.

Verus & præciſus Propoſitionis ſenſus oſtenditur.

QUæſtionis autem illius aut ſenſus ſpectatur, aut verba: non enim modò rectè ſentire debemus, ſed etiam catholicè loqui. Verùm, in neutro me ab Eccleſiæ vel doctrinâ vel ſermone receſſiſſe, in neutro me cum Thomiſtis & cum clariſſimo Theologo pugnare, facilè demonſtrabo.

Cum de juſto gratiâ efficaci deſtituto dixi, *illum tentationem ſuperare non poſſe*, vel *Petro defuiſſe gratiam, ſine quâ vinci non poterat tentatio*, hoc ſolùm ſignificare volui, *illum à Deo non accepiſſe quidquid ad vincendam actu tentationem neceſſarium eſt*; vel, quod in idem recidit, *ipſum aliquo auxilio ad vincendam tentationem neceſſario caruiſſe*, quod quidem auxilium non ex ipſius nutu, ſed ex divinâ miſericordiâ, penderet; vel denique, *hæc duo ſtare ſecum & componi non poſſe, ut Petrus gratiâ efficaci deſtitutus fuerit, ut reverà fuit, & tamen tentationem re-ipsâ ſuperaret.*

Quamvis autem catholico Theologo, mentem ſuam aperienti, fides abrogari non debeat; tamen in Apologeticis meis nullum alium ſub propoſitionis meæ verbis ſenſum incluſum eſſe, non

modò teſtatus ſum, ſed etiam probavi ex aliis Epiſtolæ meæ locis, quibus eandem ſententiam complexus eram. At in iſto ſenſu nihil eſt, quod omnibus S. Thomæ diſcipulis non probetur. Sic enim omnes ad unum ſentiunt, gratiam efficacem, quæ conſenſum voluntatis infallibiliter elicit, ad omnia pietatis opera ad bonam voluntatem neceſſariò requiri; atque adeò illam eſſe, *quâ ſolâ*, ut ait Auguſtinus, de Correp. & gr. c. 11. *homines liberantur à malo; & ſine quâ nullum prorsùs, ſive cogitando, ſive volendo & amando, faciunt bonum.* Hoc quicunque profitebitur, quemadmodùm omnes Thomiſtæ profitentur, mecum, velit nolit, faciet & ſentiet. Hoc enim unum fidei Chriſtianæ dogma, quo ſalus hominum, non ex humana, ſed ex divinâ voluntate, ſuſpenditur, jam per multos annos adversùs Molinianos tuentur Auguſtini diſcipuli. Quanquàm verò in iſto certamine omnibus iniquitatibus & calumniis oppreſſi ſunt; illud tamen perfectum eſt, ut à cardine quæſtionis dejecti Moliniſtæ, ad neſcio quas argutationes, & alienas planè contentiones, diſputationem avertere cogantur, licèt in omnibus id unum ſpectent, ut gratiæ efficacis doctrinam, quam apertè aggredi non audent, cuniculis & inſidiis evertant: quod ſe Cenſuræ ſuæ ope potiſſimùm perfecturos arbitrantur.

ARTICULUS III.

Senſum catholicum ſuperiùs expoſitum controverſæ propoſitionis verbis rectè exprimi potuiſſe, oſtenditur primùm ex Scripturis.

CUm igitur illud conſtet ex omnium Auguſtini & Thomæ diſcipulorum mente, imò ex certiſſimâ Eccleſiæ doctrinâ, verè & catholicè dici 1. *Juſtis, ut Petro, aliquandò deeſſe gratiam efficacem ad vincendam tentationem neceſſariam.* 2. *Juſtis aliquandò deeſſe divinum auxilium ad vincendam tentationem neceſſariò prærequiſitum.* 3. *Fieri non poſſe, ut hæc duo inter ſe componantur: Juſtus gratiâ efficaci caret, & juſtus vincit tentationem.* His poſitis, quæritur, utrùm illi ſenſus, quos omnibus Thomiſtis probari, certum eſt, illis vocibus exprimi poſſint: *Juſtis aliquandò deeſt gratia ſine quâ tentationes vinci non poſſunt:* vel *Juſtus deeſt aliquandò gratia ſine quâ nihil poſſunt ad vincendam tentationem:* vel *Juſti aliquandò non poſſunt vincere tentationem.* Eccleſiaſtica autem loquendi ratio ad duas normas exigi poteſt: primùm ad auctoritatem Scripturæ, Patrum, Theologorum, deinde ad humanæ rationis vulgariſque ſermonis arbitrium. At, ſi ſuperiùs expoſitas

locutiones ex alterutro metiamur, manifeſtò patebit omnes tum antiquos tum recentiores Eccleſiæ Scriptores, illis frequentiſſimè uſos, & eo quo diximus ſenſu; neque aliter loqui debuiſſe, niſi ab omnium hominum loquendi more diſcedere vellent. Quæ ad auctoritatem ſpectant, in hâc priori parte tractabimus: quæ ad rationem, humanique ſermonis arbitrium, ad alteram rejiciemus. Ex eo enim præcipuè pendet quod in ſecundâ Diſſertationis hujus parte probandum ſuſcepimus, hanc loquendi formulam cum illorum Thomiſtarum ſententiâ minimè pugnare, qui gratiam efficacem non *ad poſſe*, ſed *ad velle tantùm & agere*, dari contendunt.

Ut Eccleſiæ doctrina, ſic ejus ſermo fluxit ex Scripturis. Ergò ut exploretur, an illa loquendi ratio, *Sine gratia efficaci nihil fieri poteſt*, catholica & orthodoxa ſit, nulla commodior via eſt, quàm ſi expendantur illa Scripturæ loca, in quibus affirmat, ſine gratiâ nihil fieri poſſe. Nam, ſi pateat, illa loca de gratiâ efficaci ſemper à Patribus intellecta, catholicus non ſit qui de gratiâ efficaci dici poſſe neget, Sine eâ nos nihil poſſe.

Hoc poſito, facilè probari poteſt, omnia Scripturæ loca, ex quibus ea ſententia, *Sine gratia nihil fieri poteſt*, elicitur, de gratiâ efficaci ab iis Patribus qui de gratia ſcripſerunt, ſemper acceptа. Ut ſingula non percurram, de gratiâ efficaci loquitur Chriſtus, Joan. 6. cùm ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Trahitur enim homo*, ut ait Auguſtinus l. 1. ad Bonif. c. 19. *miris modis, ut velit, ab illo qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari; non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.*

De Gratiâ efficaci loquitur Chriſtus, cùm ibidem addit: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt; propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*, hoc eſt interprete Auguſtino, de præd. ſanct. c. 8. *niſi donum acceperit à Patre, quo credat in Chriſtum.*

De Gratiâ efficaci loquitur Paulus in illis verbis: *Non quia idonei ſumus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; de ea enim loquitur gratiâ, quâ ipſe ad fidem converſus eſt, & quâ ex nolente factus eſt volens, ut teſtatur Aug. de Præd. SS. c. 2. *Averſus quippe*, inquit, *à fide quam vaſtabat, eique vehementer adverſus, repentè eſt ad illam gratiâ potentiore converſus, convertente illo, cui hoc ipſum facturo per Prophetam dictum eſt: Tu convertens vivificabis nos; ut non ſolùm ex nolente fieret volens credere, verùm etiam ex perſecutiore perſecutionem, in ejus fidei quam perſequebatur defenſione, pateretur. Donatum quippe illi erat à Chriſto, non ſolùm ut crederet in eum, verùm etiam ut pateretur pro eo. Et ideò commendans iſtam gratiam, quæ non datur ſecundùm ali-*

quà merita; ſed efficit omnia bona merita: Non quia idonei ſumus, inquit, *cogitare aliquid quaſi ex nobis met-ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

De Gratiâ efficaci loquitur Sapiens, cùm ait: *Cùm ſcirem quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapientiæ ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum.* Hoc enim loco Pelagianos ſæpe compellit Auguſtinus ad gratiæ efficacis neceſſitatem agnoſcendam. *Proprium arbitrium*, inquit ep. 143. *niſi Dei gratiâ juvetur, nec ipſa bona voluntas eſſe in homine poteſt. Deus eſt enim*, inquit Apoſtolus, *qui operatur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate; non ſicut iſti ſentiunt, tantummodò ſcientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus, ſed etiam inſpirando charitatem, ut ea quæ diſcendo novimus, etiam diligendo faciamus. Nam utique noverat ille quàm magnum bonum eſſet continentia, qui dicebat: Et cùm ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det...... Nec tamen ei ſcientia ſuffecit, ſed ait: Adii Dominum, & deprecatus ſum illum. Non igitur tantummodò in hoc nos adjuvat Deus, ut ſciamus quid agendum ſit, verùm etiam ut amando agamus, quod diſcendo jam ſcimus.*

De gratiâ efficaci loquitur Chriſtus, Joan. 15. cum ait: *Sine me nihil poteſtis facere.* Hic enim locus, quo maximè nititur catholicum illud dogma, *Sine gratia Dei nos nihil poſſe*, ab omnibus Patribus quos ad gratiæ ſuæ defenſionem excitavit Deus, de efficaci gratiâ ſemper intellectus eſt: *Quomodò eſt*, inquit Aug. l. 4. ad Bonif. cap. 6. *hominis bonum propoſitum ſine miſerante priùs Domino, cùm ipſa ſit bona voluntas, quæ præparatur à Deo? ..... Reluctanti enim priùs aditus divinæ vocationis ipſâ Dei gratiâ procuratur: ac deinde in illo, jam non reluctante, ſpiritus virtutis accenditur. Veruntamen in omnibus quæ quiſque agit ſecundùm Deum, miſericordia ejus prævenit eum. Quod iſti nolunt, quia non eſſe Catholici, ſed Pelagiani, volunt.... Ita namque illis tumor ipſe aures cordis obſtruxit, ut non audiant: Quid habes, quod non accepiſti? non audiant: Sine me nihil poteſtis facere; non audiant: Charitas ex Deo eſt; non audiant: Deus partitus eſt menſuram fidei; non audiant Spiritus ubi vult ſpirat; non audiant: Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo; non audiant quod per Jeremiam dicit Dominus: Et timorem meum dabo in cor eorum, ut à me non recedant, & viſitabo eos, ut bonos eos faciam.* Innumera ex Auguſtino aliiſque Patribus loca proferri poſſunt, quibus hanc Chriſti ſententiam, *Sine me nihil poteſtis facere*, vel de gratiâ efficaci apertè intelligunt, vel cum aliis Scripturæ teſtimoniis connectunt, quæ ad gratiam efficacem procul-dubio pertinent. Nullus verò, fidenter hoc aſſero, locus reperietur, in quo hæc Chriſti verba de illa gratiâ interpretati ſint, quæ det ſolam boni poſſibilitatem, etiamſi nec velit homo, nec agat bene,

ut loquitur Auguſtinus.

Hæreticæ porro temeritatis eſt Scripturæ ſenſus ex ingenio petere, non ex antiquorum Patrum conſenſione. Convenit enim inter Catholicos, ut Scripturas ipſas, ſic Scripturarum ſenſum ad nos Traditionis alveo deferri; & præcipuè ex illorum Patrum ſcriptis in ſingulis quibuſque fidei capitibus hauriendum eſſe, quos ad illa explicanda & cæleſtibus oraculis confirmanda Deus Eccleſiæ ſuæ conceſſit, quod egregiè à Perronio notatur in Opere poſthumo ad Regem Britanniæ, obſ. 4. c. 5. ubi eximium illum Auguſtini locum affert, ex ſerm. 54. *Multi*, inquit, *qui optimè poterant Scripturas cognoſcere & pertractare, latebant in populo Dei, nec afferebant ſolutionem quæſtionum difficilium, cùm calumniator nullus inſtaret. Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequàm oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum, antequàm obſiſterent Novatiani? Sic non perfectè de baptiſmate tractatum eſt, antequàm contradicerent foris poſiti rebaptizatores; nec de ipſâ unitate Chriſti enucleatè dicta erant, quæ dicta ſunt, niſi poſtquàm ſeparatio illa urgere cœpit fratres infirmos.* Quibus addit Perronius, nec de libero arbitrio perfectè tractatum eſſe ante Pelagianos. Cujus rei rationem idem Auguſtinus in Pſal. 67. his verbis expoſuit. *Multi enim ſenſus Scripturarum ſacrarum latent, & paucis intelligentioribus noti ſunt, nec aſſeruntur commodiùs & acceptabiliùs, niſi cùm reſpondendi hæreticis cura compellit. Denique quàm multi Scripturarum ſenſus de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinum; quàm multi de homine Chriſto contra Manichæum; quàm multi de Trinitate contra Sabellium; quàm multi de unitate Trinitatis contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos; quàm multi de Catholicâ Eccleſiâ adversùs Donatiſtas & Luciferianos?*

Ut ergo hoc argumentum breviùs aſtringam. Scripturæ ſenſus circa unumquodque Fidei caput ex iis potiſſimùm Patribus repetendus, qui illud adversùs hæreticos propugnarunt. At illum Scripturæ locum, *Sine me nihil poteſtis facere*, & ſimilia, nuſquam de alia quàm de efficaci gratia interpretantur illi Patres, qui de gratiâ ſcripſerunt adversùs Pelagianos & illorum reliquias. Igitur ex illis invictè probari poteſt, verè & catholicè dici, *Sine gratiâ efficaci nos nihil poſſe*; adeòque, *Juſtis, quibus deeſt gratia efficax, deeſſe gratiam ſine quâ nihil poſſumus.*

ARTICULUS IV.

Eadem locutio ex Summis Pontificibus aſſeritur.

Certum eſt, hoc fidei Catholicæ caput ab Eccleſiâ adversùs Pelagianos definitum ac defenſum eſſe: *Sine gratiâ Dei nihil boni fieri poſſe*. De ſenſu tantùm lis eſſe inter Catholicos poteſt.

teſt. Jam verò invictè demonſtrari poſſe arbitror, gratiam, ſcilicet illam ſine quâ nihil fieri poſſe definiunt ſummi Pontifices & Concilia, non aliam eſſe quàm efficacem.

INNOCENTIUS I.

HOc dogma fidei primus, ſi non tempore, at auctoritate, definivit Innocentius I. *Quotidiana*, inquit ille ad Africanos Patres, *præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur*, NULLATENUS *vincere humanos* POTERIMUS *errores: neceſſe eſt enim ut, quo auxiliante vincimus, eodem iterum non adjuvante vincamur.* Et paulò ſuperiùs: *Quemadmodum Pelagius Cœleſtiuſque, ſepoſitâ omni reſponſione Pſalmorum, talique abdicatâ doctrinâ, ſuaſuros ſe aliquibus eſſe confidunt, nos adjutorium Dei nec debere quærere, nec eo egere, cùm omnes ſancti* NIHIL SE SINE HOC AGERE POSSE TESTENTUR. Sed quæ tandem illa gratia eſt, ſine qua nihil nos poſſe definit Innocentius? Illa nempe, *quâ auxiliante vincimus*; illa, *quæ magnis precibus implorata deſcendit*; illa, *cujus obtinendæ causâ vir beatus & jam electus ita Dominum deprecatur poſtulans: Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus Salutaris meus.* Quæ ad gratiam efficacem pertinere & per ſe clarum eſt, & ab Alvare, Medina, cæteriſque Thomiſtis, agnitum, ut intrà oſtendemus.

Præterea eandem gratiam intellexit Innocentius, quam ejus Decreto ſtabiliri petierant Africani Patres. Nihil autem clarius, quàm illos Epiſcopos non aliam quàm efficacem ſignificaſſe: *Hoc itaque geſtum*, inquiunt, *Domine Frater ſancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas, pro tuendâ ſalute multorum, & quorundam perverſitate etiam corrigendâ. Id enim agunt iſti damnabilibus diſputationibus ſuis, ut non defendendo, ſed potiùs in ſuperbiam ſacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei.* Sed cui gratiæ? An ſufficienti, quæ nullum unquàm effectum habeat? Vide quid addant: *Gratiæ Dei, quâ Chriſtiani ſumus, quâ & ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis; quod auxilium fides impetrat quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Illam gratiam prædicant, de quâ intelliguntur hæc Scripturæ loca: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Et illud: *Habentes dona diverſa ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis*; Et: *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Denique, ut paucis abſolvam, in Epiſtolis Synodorum Carthaginenſis & Milevitanæ ad

Innocentium, & Innocentii ad illas Synodos, in quibus maximè commendatur gratia Dei ſine quâ nihil poſſumus, nullus eſt locus qui ad aliam gratiam quàm efficacem cum aliquâ veriſimilitudine referri poſſit, præſertim à Thomiſtis, qui fatentur non alterius gratiæ confeſſionem à Pelagio poſtulatam, quàm illius, quâ Deus facit ut faciamus, hoc eſt efficacis, ut ſæpe docet Alvarez, ac potiſſimum diſp. 1. & 99.

COELESTINUS.

Sine gratiâ Dei nihil fieri poſſe definivit Cœleſtinus Pontifex in Ep. ad Gall. c. 9. *Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit; quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.* Cui verò dubium eſſe poteſt, quin ea gratia efficax ſit, per quam Deus *in ipſo libero arbitrio omnem motum bonæ voluntatis operatur.*

Nec verò in illo ſolùm loco, ſed in iis omnibus divinis planè de gratiâ capitibus, nullam aliam gratiam præter efficacem ſtatuit Cœleſtinus. Ad quam enim gratiam niſi efficacem pertinet, *quòd omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda ſint; quia nemo aliundè ei placeat, niſi ex eo quòd ipſe donaverit?*

Quam gratiam, niſi efficacem, confirmat ex illis Eccleſiæ precibus, quibus à Deo poſtulat, *ut infidelibus donetur fides, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant: quæ non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti rerum ipſarum monſtrat effectus; quandoquidèm ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere?*

Quam gratiam, niſi efficacem confirmat ſub illius finem egregiis illis verbis: *Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipſius gratiâ omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Tanta eſt enim erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, &, pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult & velimus & agamus.*

Igitur, cùm de gratiâ efficaci ubique loquatur Cœleſtinus, manifeſtum eſt de eadem gratiâ intelligendum eſſe, quod de ipſis juſtis, c. 6. docet, *Neminem, etiam baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.* Quod ad gratiam efficacem referri debere, vel illa locutio ſatis indicat: *per adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.* Sine manifeſtâ enim abſur-

abſurditate dici non poteſt, eum qui in bona converſatione non perſeveravit, perſeverantiam bonæ converſationis à Deo accepiſſe. Igitur, vel à Cœleſtino definitum non eſt, ſine gratia Dei nos nihil poſſe, & ad vincendas tentationes minimè idoneos eſſe; vel illud ab ipſo ſancitum eſt de gratiâ efficaci, de quâ unâ loquitur.

SANCTUS LEO.

INter ſummos Pontifices, qui gratiam Dei, ſine quâ nihil poſſumus, adversùs renaſcentes Pelagianæ hæreſeos frutices aſſeruerunt, non poſtremus eſt S. Leo. Quam verò ille gratiam intellexit? An quæ dat merum *poſſe*, etiamſi nec velimus, nec agamus: an verò quæ facit ut velimus, ipſum *velle* in nobis operando, id eſt, efficacem? Optimus ipſe ſuæ mentis erit interpres: ſic enim fideles alloquitur, ſerm. 8. de Epiph. *Dicente diſcipulis ſuis Domino: Sine me nihil poteſtis facere; dubium non eſt, hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortator: Cum timore*, inquit, *& tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.*

ARTICULUS V.

Quod à Conciliis definitum eſt, Sine gratiâ nihil boni fieri poſſe, ab iiſdem Conciliis de gratia efficaci intellectum eſſe.

HOc Catholicæ fidei caput in omnium Chriſtianorum, non ſolùm ſermonibus, ſed etiam animis, penitùs conſignatum, ſine gratiâ Dei nihil fieri poſſe, nullis aliis Conciliorum definitionibus conſtitutum eſt, quàm Africanorum ſub Innocentio & Zozimo, Sardinienſis Africanorum Epiſcoporum in Sardiniâ exulum, ſecundi Arauſicani, & Oecumenici Tridentini. In Synodo enim Epheſinâ damnati quidèm Pelagiani, ſed non expreſſis eorum erroribus, ideóque nihil in illâ de gratiâ ſancitum eſt; ſed id tantùm, quod antè decretum erat, generalis Concilii auctoritate firmatum. In tertio verò Valentino Concilio multa de prædeſtinatione præclara, ex quâ tota de efficaci gratiâ doctrina elici poteſt; ſed de ipsâ gratiâ id ſolùm nominatim cautum eſt, c. 6. *De eâ tenendum eſſe quod ſanctiſſimi Patres auctoritate ſacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt, quod Africana Synodus profeſſa eſt, quod Beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis Catholicâ fide tenuerunt.* Breviter igitur diſpiciendum, quænam ſit illa gratia, ſine quâ prædicta Concilia nihil fieri poſſe docuerunt.

AFRICANA CONCILIA SUB .INNOCENTIO.

DUo in gratiæ causâ Concilia ſub Innocentio celebrata ſunt. Alterum eſt Carthaginenſe Epiſcoporum Africæ Proconſularis : alterum Milevitanum Epiſcoporum Numidiæ, inter quos Auguſtinus. Huic aſcribuntur octo canones de gratiâ; ſed, quia in alio Carthaginenſi Concilio ſub Zozimo, ſi non primùm conditos, ſaltèm renovatos, eſſe conſtat, ad illud eos reſervavimus.

His ergo canonibus nunc omiſſis, quid illa duo Concilia ſub Innocentio habita de gratiâ ſenſerint, ex tribus ad Innocentium ſcriptis Epiſtolis judicandum eſt, unâ Carthaginenſis Synodi, alterâ Milevitanæ, tertiâ Aurelii totius Africæ Primatis, Auguſtini, & trium aliorum ad eundem Pontificem, in quâ latiùs explicant quod in Epiſtolis Synodicis breviùs erant complexi. Suprà autem vidimus ex Epiſtolâ Synodicâ Concilii Carthaginenſis, gratiam illam ſine quâ nihil fieri poſſe contra Pelagium ſtatuunt, non aliam eſſe quàm efficacem, eam ſcilicet *quâ & ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur*; eam quâ dicitur: *Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum* : &, *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* : quod idem ex iiſdem locis eruunt Milevitani Patres.

Sed quia uberiùs Africanæ Eccleſiæ ſententiam exponit longior illa quinque Epiſcoporum ad eundem Innocentium Epiſtola, ideò uberiora nobis hujus veritatis argumenta ſuppeditat. In primis enim totam Pelagium inter & Catholicos controverſiam in eo ponunt, quòd ſecundùm Pelagium poſſet homo per liberum arbitrium cupiditates tentationeſque ſuperare; quod ſine gratiâ fieri non poſſe Catholici defendebant: *Naturam*, inquiunt, *humanam tantùm Pelagiani dicunt valentem, ut...* POSSIT *per liberum arbitrium, nihil ulterius adjuvante Dei gratiâ, domare & extinguere omnes cupiditates, tentationeſque ſuperare.*

Quærendum igitur reſtat, quænam ſit illa gratia, ſine quâ ex Pelagii mente tentationes ſuperari poterant, ex Catholicorum non poterant. Non enim ipſum gratiæ nomen generatim reſpuebat Pelagius, non gratiam generatim adversùs illum aſſerebat Eccleſiâ; ſed certam ille gratiam oppugnabat, certam illa gratiam tutabatur. Nam, cùm in Concilio Palæſtino objectum eſſet, ex illius ſententiâ hominem ſine gratiâ juſtè vivere poſſe, reſpondit ille *ſe Dei gratiam confiteri*, & *ita poſſe hominem ſuo labore ac voluntate juſtè vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratiâ non negaret*. Quibus auditis, Catholicus à Palæſtinis Epiſcopis judicatus eſt; quia *Catholici Antiſtites*,

tes, inquit illa ad Innocentium Epiſtola, *nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, niſi quam in libris Dei legere & populis prædicare conſueverunt.* Sed, cùm ambiguo gratiæ nomine fucum Palæſtinis Epiſcopis à Pelagio factum eſſe ſagaciores Africani deprehendiſſent, & gratiæ voce pro verâ Chriſti gratiâ nihil niſi liberum arbitrium, legem, atque doctrinam, & remiſſionem peccatorum ab ipſo intellectam, ne ſimili verſutiâ Innocentio imponeret vafer hæreticus, gratiam illam ſine quâ tentationes ſuperari non poſſunt, illam, inquam, quàm à Pelagio negari arbitrabantur, certis notis &, ut ita loquar, caracteribus circumſcripſerunt, ut omnem cavillationibus ejus aditum præcluderent. Has notas ſoli gratiæ efficaci convenire maniſeſtè demonſtrabimus. Ex quo illud conſequens eſt, gratiam illam, ſine quâ tentationes ſuperari non poſſe adversùs Pelagianos defendit Eccleſia, non aliam eſſe quàm efficacem.

Imprimis Catholicam illam gratiam eam eſſe dicunt, *quâ juſtificamur ab iniquitate, & quâ ſalvamur ab infirmitate.* At ſolâ efficaci gratiâ juſtificamur & ſalvamur, &c. Eam eſſe dicunt, *quâ Chriſtiani & filii Dei ſumus, non eam quam cum impiis habeamus*; quibus verbis ſummovetur illa gratia ſufficiens, quam infidelibus perinde ac fidelibus Moliniſtæ omnes largiuntur. *Illud adjutorium eſſe* volunt, *quod per ſubminiſtrationem Spiritus Sancti pertinet ad concupiſcentias tentationeſque vincendas; quod quiſque petit dum orat, ut non intret in tentationem.* Quibus verbis tamen non orat ſolùm ut poſſit non peccare, ſed orat *ut non peccet*, hoc eſt, *ne quid faciat mali*: quod præſtatur ſolùm per efficacem.

Ad hujus gratiæ confeſſionem adigere Pelagium volunt, *quam doctrina Chriſtiana demonſtrat & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum; quæ non eſt natura, ſed quâ ſalvatur natura, non auribus ſonante doctrinâ, vel aliquo adjumento viſibili, ſicut plantatur quodammodò & irrigatur extrinſecus, ſed ſubminiſtratione Spiritus, & occultâ miſericordiâ, ſicut facit ille qui dat incrementum Deus.* Sed quænam eſt illa gratia propria Chriſtianorum, quâ Deus occultâ miſericordiâ incrementum dat, niſi efficax, de qua Auguſtinus, l. 2. operis ultimi, cap. 157. *Cùm verbis Doctor plantat & rigat, peſſumus dicere, fortè credit auditor; cùm verò dat incrementum Deus, ſine dubio credit & proficit.*

Hanc eſſe gratiam dicunt, *quâ prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur.* Cui conveniunt iſta, niſi efficaci? *De hâc* ergo *gratiâ*, inquiunt illi, *quæſtio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebat atque turbabat, dicebatur ei, quòd eam ſuis diſputationibus oppugnaret, quibus aſſereret non ſolùm ad facienda verùm etiam ad perficienda, mandata divina, per liberum arbitrium huma-* num

nam ſibi ſufficere naturam; hanc Apoſtolica doctrina gratiam iſto nomine appellat, quâ ſalvamur & juſtificamur ex fide Chriſti; de hâc ſcriptum eſt: Non irritam facio gratiam Dei. Neminem, niſi planè pertinacem, arbitror inficias iturum, quin totâ illâ Epiſtolâ non alia quam efficax gratia deſcribatur; adeòque, cùm ſine hâc gratiâ tentationes vinci non poſſe Patres Africani ſtatuant, manifeſtò ab illis definitum eſſe, ſine gratia efficaci tentationes vinci non poſſe.

Concilia Africana ſub Zozimo.

AD hæc Concilia referimus octo canones, qui vulgò Milevitano tribuuntur; eò quòd à Cœleſtino ſub Carthaginenſis Concilii nomine citentur. Nihil verò clarius, quàm illam gratiam, ſine quâ definitur adversùs Pelagium, mandata Dei ſervari non poſſe, non aliam eſſe quàm efficacem. *Quiſquis dixerit*, inquit Concilium, can. 4. *eandem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præſtari ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus & valeamus: anathema ſit.*

Gratia, quâ nobis præſtatur, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, efficax proculdubio eſt; & tamen canone ſequenti anathemate feriuntur, qui ſine illâ gratiâ, non quidem facilè, ſed tamen aliquo pacto divina mandata, impleri poſſe exiſtiment. *Item placuit, ut quicunque dixerit ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illâ implere divina mandata: anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficiliùs poteſtis facere; ſed ait: Sine me nihil poteſtis facere.* Iidem Patres Africani in Epiſtola ad Zozimum, referente Proſpero, contra Collat. c. 10. utrumque illum canonem his verbis complexi ſunt, dum aiunt: *Pelagio & Celeſtio apertiſſimâ confeſſione fatendum eſſe, gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ad cognoſcendam, verùm etiam ad faciendam juſtitiam, nos per actus ſingulos adjuvari.* (En quod Can. 4. definierant nobis præſtari per gratiam, non ſolùm ut ſciamus quid appetere aut quid vitare debeamus, ſed etiam ut facere diligamus atque valeamus) *ita ut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere,* VALEAMUS. Ergo ex illorum 214. Epiſcoporum non ſemel Apoſtolicæ Sedi probatâ definitione (quam, ut ait Proſper ad Cap. Gall. c. 8. *Totus mundus amplexus eſt*) *ſine illâ gratiâ, per quam præſtatur nobis*

bis, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque VALEAMUS, hoc eſt efficaci, *nihil veræ ſanctæque pietatis vel habere, vel cogitare; vel dicere, vel agere*, VALEMUS.

Concilium Sardinienſe ſub initium ſexti ſeculi.

NUllum ferè eſt antiquitatis monumentum, quod apud omnes Eccleſiaſticæ veritatis amantes majori pretio eſſe debeat, quàm inſignis illa Africanorum Epiſcoporum Epiſtola, quos Ariani Wandali Africâ potiti in Sardiniam catholicæ fidei causâ relegaverant. Non enim illa nobis exhibet ſolùm quorumvis Epiſcoporum, ſed egregiorum fidei Confeſſorum ſententiam, qui teſtimonium per tot ærumnas & labores Chriſti divinitati redditum, chriſtianæ gratiæ confeſſione cumulare voluerunt.

Tota illorum Epiſtola, damnandis Semipelagianorum erroribus inſtituta, quod ſine ope gratiæ fieri non poſſe docebat Eccleſia, de gratiâ efficaci accipiendum eſſe apertè teſtatur. Nam, cùm illud præmiſiſſent: *De gratiâ Dei non dignè ſentire, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari*; *Jubet*, inquiunt, *Deus homini ut velit; ſed Dominus operatur & velle. Jubet ut faciat; ſed operatur & facere.... Ac per hoc, quoniam habet homo liberum arbitrium, audit præcepta quæ faciat; ſed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenùs efficitur, niſi divinitùs adjuvetur. Ita fit, ut ſe operari debere homo cognoſcat, dum præceptum accipit, & Deo ſe ſciat ſemper omne bonum debere, quod vult ac facit:... qui ſuis fidelibus hanc dignatus eſt gratiam promittere per Prophetam dicens: Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.*

Et ad illius gratiæ, ſine quâ ſtatuunt liberum arbitrium ad implenda præcepta nullatenùs idoneum eſſe, efficacitatem adhuc uberiùs declarandam: *Cum ergo*, inquiunt, *Dominus in homine operari cœperit velle, tunc homo ad Dominum convertitur; &, eodem in ſe operante, unde ipſi placeat operatur. De Domino enim dicit Apoſtolus: Aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram ſe. Ad vitam quoque in tantùm* POTEST *homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum protectionem ſuam, ſuper manum dexteram ſuam.*

Iidem verò, ſine illâ bonæ voluntatis effectrice gratiâ liberum arbitrium ad nihil poſſe, appoſitâ luminis comparatione demonſtrant. *Ante largitatem quippe gratiæ eſt in homine quidem liberum arbitrium, ſed non bonum, quia non illuminatum. Proindè, niſi gratia detur, bonum ipſum arbitrium non habetur: ſic namque eſt liberum hominis arbitrium abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine luce. Nam & oculus ad videndum factus eſt, ſed niſi lumen acceperit, non videbit.*

bit. Sicut ergo corporis oculus ſemper indiget lumen accipere, ut ipſum POSSIT *aſpicere, ſic & libero arbitrio hominis nulla* POTEST *gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ ſpiritualis infuſio.*

Concilium Arauſicanum II.

Sine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe Africana (ut vidimus) Concilia definierunt. Sed, cùm huic gratiæ ipſa ſalutis initia detraherent Semipelagiani, ut ſalutem hominum ad voluntatis humanæ nutum revocarent, non ſolùm Africani Patres in Sardiniâ exules, ſed & ſanctiſſimi Galliarum Epiſcopi, in Synodo Arauſicanâ congregati, ut exitialem illum errorem penitùs ſuffocarent, de ipſis preſertim initiis diſertè ſanciverunt, neminem ſine gratiâ efficaci credere, orare, aut omninò aliquid velle & conari poſſe. Non enim aliam ab efficaci gratiam illos intellexiſſe, ex ſingulis canonibus patet.

Hanc Can. 3. gratiam ſe ſtatuere ſignificant, *Quæ facit ut Deus invocetur à nobis.* Can. 4. *Quâ fit in nobis, ut purgari velimus per Sancti Spiritus infuſionem & operationem.* Can. 5. *Quæ per inſpirationem Spiritus Sancti corrigit voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem.* Can. 9. *Per quam, quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur.*

Videamus igitur quid de iſta gratiâ credi velint: *Si quis*, inquiunt c. 6. *Sine gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, quærentibus, petentibus, pulſantibus, nobis miſericordiam Dei dicit conferri divinitùs, non autem, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere* VALEAMUS, *per infuſionem & inſpirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti? Et: Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et Can. ſeq. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire* POSSE, *confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil* POTESTIS *facere. Et illud Apoſtoli: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Quis ambigere poſſit, non aliâ gratiâ quàm efficaci dari per Spiritum Sanctum *ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati?* At de illâ pronuntiant Arauſicani Patres contra Semipelagianos, neminem ſine illâ quidquam quod ad ſalutem pertineat, cogitare aut eligere poſſe, &c.

Idem de juſtis ſanciunt C. 10.

Ad-

Adjutorium Dei etiam renatis & ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono poſſint OPERE *perdurare.* Adjutorium autem, quod ſanctis eſt implorandum, efficax eſſe ſatis patet: *Non enim*, ut egregiè notat Aug. de gr. Ch. cap. 25. *oramus ut poſſimus nihil mali facere, ſed ne quid faciamus mali.*

Denique idem repetunt in definitionum ſuarum clauſula his verbis: *Ac ſic ſecundùm Scripturas, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſteà aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt*, POSSIT, *niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit.* Quod multis poſteà Scripturæ teſtimoniis probant, quæ omnia ad efficacem gratiam pertinent; quale eſt illud Pauli: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* Et illud: *Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt.* Et quod de ſe ipſo ait Apoſtolus: *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem.* Ac demùm ipſi explicant quid ſit, *gratiâ & miſericordiâ Dei præveniri*, dum aiunt, *ſe ſalubriter profiteri & credere, quod in omni opere bono non nos incipimus, & p[oſt]eà per Dei miſericordiam adjuvamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem Dei prius inſpirat.* Igitur ex illo Concilio, niſi Deus & fidem & ſui amorem inſpiret (quod eſt gratiæ efficacis) nullus aut diligere Deum ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt, poteſt.

Concilium Tridentinum.

TRidentino Concilio, adverſùs hujus temporis hæreticos congregato, gratiæ divinæ neceſſitas novis Decretis ſtabilienda non fuit. Illi enim eam adeò non negabant, ut etiam nimium illi tribuere viderentur. Quòd ergo quædam de gratiâ definivit, hoc conſilio fecit, ne novi hæretici, aliquid ab ipſo gratiæ detractum eſſe arbitrarentur.

Ut illam ſuſpicionem amoveret ſacra Synodus, non novum aliquod dogma de gratiâ ſancivit, ſed, quod ab Africanis Conciliis & Arauſicanâ Synodo ſtatutum erat, renovandum judicavit; adeòque illorum Conciliorum loca, unde canones ſuos mutuabatur, margini adſcribenda curavere, qui illius editioni præfuerunt. Quare, cùm ſeſſ. 6. c. 2. anathemate percellit: *Si quis dixerit ad hoc ſolùm divinam gratiam per Jeſum-Chriſtum dari, ut faciliùs homo juſtè vivere, ac vitam æternam promereri poſſit; quaſi per liberum arbitrium ſine gratiâ utrumque, ſed ægrè tamen & difficulter poſſit:* & cùm can. 3. idem anathema intorquet in eos, *qui dice-*

dixerint, ſine præveniente Sancti Spiritus inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; dubium eſſe nemini poteſt, quin in illis Canonibus, qui ex Conc. Carthaginenſi & Arauſicano deſcripti ſunt, eadem gratia intelligatur, quam in antiquis illis Conciliis intellectam eſſe, demonſtravimus, id eſt, illa gratia efficax, *quâ nobis præſtatur, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus.*

Sed Tridentini Concilii mens ex Can. 22. illuſtriùs etiam perſpici poteſt, quo de ſingulari perſeverantiæ dono ita ſancivit: *Si quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in acceptâ juſtitiâ perſeverare poſſe, vel cum eâ non poſſe, anathema ſit.* Auxilium enim illud perſeverantiæ efficax eſſe, docuit ipſe Leſcotius, Carnotenſis Epiſcopus, in prælectionibus ſuis de Gratia qu. 4. art. 13. & vox illa *ſpecialis* quæ communi opponitur, ſatis indicat, & quod in cap. 13. ejuſdem ſeſſ. ad quod hic canon refertur, ſpeciale illud auxilium *perſeverantiæ munus appellatur, de quo ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit; & quod aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt, eum qui ſtat ſtatuere ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit reſtituere.* Ubi & additur *neminem de hoc dono abſolutâ certitudine certi quidquam ſibi polliceri debere*; quod fruſtra diceretur, ſi ſpeciale illud auxilium, ſine quo juſtificatus in acceptâ juſtitiâ perſeverare non poteſt, nemini unquam juſto deeſſet. Quare ex his locis eruditiſſimus inter recentiores S.Thomæ diſcipulos Guillielmus Eſtius meritò concludit in ſecundum ſentent. diſt. 26. n. 43. *ex doctrinâ ſacris Conciliorum canonibus illoque præſertim Tridentino definitâ, neminem* POSSE *in bono perſeverare abſque ſpeciali auxilio, quod de novo ſemper à Deo petendum & expectandum ſit; quo nimirùm Deus ipſum perſeverare in homine operetur.* Id ipſum agnoſcit Leſcotius, Carnotenſis Epiſcopus, in prælectionibus ſuis de Gratia, qu. 4. art. 13. & hunc Synodi Tridentinæ locum ad illud perſeverantiæ donum, quo reipsâ in bono electi perſeverant, referendum eſſe docet.

ARTICULUS VI.

Auguſtini auctoritate confirmatur, quod fide tenemus Sine gratiâ nihil fieri poſſe, de gratiâ efficaci eſſe intelligendum.

Tam crebra, tam aperta ſunt eam in rem Auguſtini teſtimonia, ut ſi quis iſtud negare audeat, quamlibet multo locorum numero, & tota quaſi Auguſtinianæ doctrinæ mole obrui

obrui poſſit. Unde verè & ſcienter clariſſimus Theologus, cujus maximè gratiâ hic nobis libellus ſuſceptus eſt, profitetur & agnoſcit, *innumeris Patrum teſtimoniis probari poſſe, gratiæ efficaci rectè aptari poſſe hanc locutionem, quod ſine eâ nihil poſſumus. Et quidem*, inquit, *Auguſtinus hoc elogio ſemper donat gratiam, de quâ cum Pelagio diſputat; & tamen diſputat de efficaci.* Quamobrem, ſi cum illo ſolo agerem, Auguſtini ac cæterorum Patrum locis huc congerendis ſuperſedere potueram: Sed, quia hoc ſcriptum in aliorum manus venire poteſt, nec ullum præterea fidei caput magis nunc in Eccleſia quorundam temeritate vexatur, non alienum erit pauca de multis ex Auguſtino afferre.

Universè quidem illud affirmare non vereor, cùm ducentis aut plus etiam locis afferat, ſine Chriſti gratia bonum fieri, aut tentationem vinci non poſſe, nunquam hoc ab illo de alia, quàm de efficaci gratia intellectum eſſe. Sed quia tam multa proferre & longum & non neceſſarium eſt, hunc habebo delectum, ut ea tantùm commemorem, in quibus non ut privatus Doctor loquitur, ſed ut ejus doctrinæ teſtis, quam adversùs Pelagianos ſuis temporibus Eccleſia definivit. Quibus in locis, ne ab iis quidèm repudiari S. Auguſtini auctoritas poteſt, qui eam toties, licet ab Eccleſia conſecratam, inſigni audacia in cæteris aſpernantur. Nam, ut præclarè Perronius in Epiſt. ad Caſaubonum, *cùm Patres non ut privati Doctores ſententiam ſuam promunt, ſed Eccleſiæ fidem tanquam teſtes referunt, tunc argumenta ex eorum auctoritate deſumta non jam probabilia ſolùm, ſed planè invicta & neceſſaria ſunt.*

Quidquid igitur ex Auguſtino afferemus, ad hæc tria capita revocabimus. Primò, oſtendemus de gratia efficaci ab Auguſtino intellectas Africanorum Conciliorum & Innocentii definitiones, quibus ſcitum eſt, Sine gratia Dei nos nihil poſſe. 2. Temporibus illis Eccleſiam pro Catholico non habuiſſe, qui fateretur, uti fatebatur Pelagius, ſine gratia Dei nos nihil poſſe, niſi gratiam illam efficacem eſſe ſimul fateretur. 3. Non aliter à Pelagianis catholicam illam doctrinam intellectam eſſe, nec alio ſenſu ab Auguſtino totius Eccleſiæ nomine propugnatam.

I.

Quod ad primum caput attinet, huic conficiendo, vel unus locus ſatis fuerit, ex epiſt. 106. ad Paulinum, in quo poſt commemoratas Africanorum Conciliorum ad Apoſtolicam Sedem Relationes, & Innocentii Reſponſa, hæc in illis ſancita declarat: *Quod gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quod fides vera, & Catholica ſemper tenet Eccleſia, puſillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam ſecundi hominis transfert, non ſolum peccata delendo, verùm etiam ad non peccandum, rectèque vivendum eos,* qui

qui jam uti poſſunt voluntatis arbitrio; ſic adjuvando, ut niſi adjuvet, NIHIL *pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipſâ voluntate*, HABERE POSSIMUS. *Deus quippe operatur in nobis & velle & operari. Nam quis nos, niſi qui venit quærere & ſalvare quod perierat, ab illâ perditionis maſsâ & concretione diſcernit? Unde Apoſtolus interrogat dicens: Quis enim te diſcernit? Ubi ſi dixerit homo: diſcernit me fides mea, voluntas mea, bonum opus meum, reſpondetur ei: Quid enim habes quod non accepiſti; ſi autem & accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Gratiam, quâ Deus operatur in nobis & velle & operari, quæ diſcernit fidelem ab infideli, quæ dat fidem, quæ dat voluntatem, quæ dat bonum opus, nemo dixerit aliam eſſe, quàm efficacem. Et tamen hæc illa gratia eſt, de qua, teſte Auguſtino, *fides vera & Catholica tenet ſemper Eccleſia, ita per illam ad non peccandum rectéque vivendum homines adjuvari, ut, niſi adjuvet, nihil pietatis atque juſtitiæ, ſive in opere, ſive etiam in ipſâ voluntate, habere poſſint.*

II.

Cùm Pelagius apud Catholicos gratiæ inimicus audiret, quod etiam ſine Dei Gratiâ hominem crederet vitare poſſe peccatum, ut admiſſo in ſpeciem gratiæ vocabulo frangeret invidiam, *offenſionemque declinaret, ſub ambiguâ iſtius verbi generalitate quid ſentiret abſcondebat.* Quare ſæpiùs profitebatur, *liberum arbitrium in omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvari auxilio; liberum ſe ſic confiteri arbitrium, ut diceret nos indigere Dei ſemper auxilio: anathematizare ſe qui diceret, gratiam Dei ad omnes actus noſtros non eſſe neceſſariam:* denique ſe *in Epiſtolâ ad Paulinum trecentis ferè verſibus nihil aliud, quàm Dei gratiam & auxilium confiteri, noſque nihil omninò boni facere poſſe ſine Deo.*

Integrum igitur librum ſcripſit Auguſtinus, qui *De gratia Chriſti* inſcribitur, ut oſtenderet hanc Pelagio gratiæ confeſſionem neutiquàm ſufficere, ut catholicus haberetur: quia non ſatis erat generatim confiteri, *Sine gratiâ nihil nos poſſe*, niſi verbis illis ea intelligeretur gratia, quam Eccleſia catholica profitebatur. *Cernitis*, inquit cap. 31. *hac ejus verba ſolvendæ non ſufficere quæſtioni. Quærimus enim adhuc quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium.* Et paulò pòſt, cum illa Pelagii verba retuliſſet: *In illis* (infidelibus) *nudum & inerme eſt conditionis bonum: in his verò qui ad Chriſtum pertinent, Chriſti munitur auxilio. Videtis*, inquit Auguſtinus, *adhuc incertum eſſe quo auxilio, ſecundùm ea quæ diximus.*

Certæ igitur gratiæ *ſine qua nihil poſſimus* confeſſionem à Pelagio depoſcit, quæ nimirum has duas conditiones obtineat; unam, quòd ſit inſpiratio dilectionis; alteram, quæ ex priori ſequitur, quòd non adjuvet tantùm ut poſſimus,

ſimus, ſed etiam ut velimus & agamus; adeòque nunquàm eo effectu careat, propter quem à Deo datur. In priori non immoramur, quòd variis locis probari poſſet; poſterior verò nonnullis ex eo libro teſtimoniis confirmanda eſt.

Nos, inquit Aug. c. 1. *eam gratiam volumus iſte aliquandò fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verum etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur. Non enim omnium eſt fides, qui audiunt per Scripturas Dominum regnum cœlorum pollicentem; aut omnibus perſuadetur quibuſcunque ſuadetur, ut veniant ad eum qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis. Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur ut ad eum veniant, ſatis ipſe demonſtravit, ubi ait: Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Et paulò poſt, cùm de non credentibus loqueretur: Dixi,* inquit, *vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus.*

Et cap. 13. *Hæc gratia, ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altiùs & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere; nec ſolùm per eos qui plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſeipſum, qui incrementum ſuum miniſtrat occultus; ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem: ſic enim docet Deus eos qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans & quod agant ſcire, & quod ſciant agere.* Et quaſi omnes Molliniſtarum cavillationes & prævidiſſet, & elidere voluiſſet, adjungit: *Qui autem novit quid facere debeat & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem; non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm litteram.* Et infra cap. 14. *De iſto docendi modo etiam Dominus ait: Omnis qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur: Audivit quidèm & didicit ſibi eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit: prorsùs non rectè dicitur de iſto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, ſicut veritas loquitur, omnis qui didicit venit, quiſquis non venit, profectò non didicit.* Videatur totum caput, quod planè divinum eſt, & ad gratiæ divinæ efficacitatem demonſtrandam efficaciſſimum.

Denique c. 47. non aliter pro Catholico Pelagium habitum iri confirmat, niſi gratiam ſine quâ fieri nihil poſſe concedebat, talem eſſe agnoſceret, quâ in nobis fieret ut bene velimus & agamus, hoc eſt efficacem. *Si ergo*, inquit, *conſenſerit nobis non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat bene, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem; id eſt, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando vult &*

& bene agit, ſi, ut dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, & ſic adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per I.C.D.N. in quâ nos ſuâ, non noſtrâ, juſtitiâ juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controverſiæ relinquetur.

Ecce quid Pelagium ab Eccleſiâ & Auguſtino dividat: ſi fateatur illâ gratiâ ſine qua nihil poſſumus, dari velle & operari, catholicus eſt Auguſtino; ſi neget, hæreticus. Hæc eſt illa gratia, quæ facit ut bene velimus, & bene agamus, & ſine qua nec bene velle, nec bene agere poſſumus; cujus confeſſionem pro catholicæ fidei teſſera depoſcit à Pelagio, c. 26. *Ac per hæc*, inquit, *gratiam Dei, quâ charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis* (hoc eſt, ut alibi ait, quæ eſt *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*) *ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino* NIHIL *boni ſine illâ quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam,* FIERI POSSE *non dubitet; non quomodò iſte, qui, cùm dicit propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur facilius impleatur, quid de illâ ſentiat ſatis oſtendit, ſcilicet quod etiam ſine illa, etſi minùs facile, fieri tamen quod divinitus præcipitur* POTEST. Quod jam c. 19. ſic expreſſerat: *Non tantùm, ut homo ſit arbor bona, ſed etiam ut faciat fructus bonos, eâdem gratiâ neceſſarium eſt ut adjuvetur, ſine quâ boni aliquid facere* NON POTEST. *Ipſe quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinſecùs rigat atque excolit per quemlibet miniſtrum, & per ſe dat intrinſecùs incrementum*: quod ad efficacem gratiam certò pertinere ſuprà demonſtratum eſt.

Totus ferè hic liber exſcribendus, ſi omnia velim recenſere, quæ invictè probent, non aliam ob cauſam Pelagium ab Eccleſia pro hæretico habitum, niſi quòd eam gratiam, *Sine quâ fatebatur nihil boni fieri poſſe*, talem agnoſcere detrectaret, *quâ* Deus, ut in eodem libro ait Auguſt. c. 24. *internâ atque occultâ, mirabili ac ineffabili poteſtate operaretur in cordibus hominum, non ſolum veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*: hoc eſt quod fateri recuſaret, ſine gratiâ efficaci nihil boni à nobis fieri poſſe.

III.

Jam verò, quod poſtremum reſtat, hanc ipſam catholicam ſententiam, *Sine gratiâ Dei nihil fieri poſſe*, non aliter quàm de gratia efficaci à Pelagianis intellectam, eo ſenſu ab ipſis impugnatam, catholicis exprobratam, & ab Auguſtino totius Eccleſiæ nomine defenſam; ut omittam alia hujus rei teſtimonia, unus, ni fallor, locus ſatis oſtendet. Refert S. Doctor lib. 2. ad Bonif. cap. 8. hæc Pelagianorum Epiſcoporum verba de catholicis: *Sub nomine gratiæ ita fatum aſſerunt,*

runt, ut dicant, quia, niſi Deus invito & reluctanti homini inſpiraverit boni & ipſam imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum Possit *arripere.*

Quid verò ad hanc exprobationem reponit Auguſtinus? An eos arguit quod catholicos falsò criminarentur? Imò verò exploſa fati calumniâ, quod illi objiciebant, verum eſſe agnoſcit: id unum explicat, *ſic invito & reluctanti inſpirari boni etiam imperfecti cupiditatem, ut jam non ſit reluctans, non ſit invitus; ſed conſentiens bono, & volens bonum:* quo nihil validius ad efficacis gratiæ virtutem adſtruendam. Omninò toto illo capite probat, ſanctum & catholicum eſſe quod carpebant Pelagiani: ſine illâ efficaci gratiâ, quâ homo ex reluctanti & invito fit conſentiens bono & volens bonum, nunquam haberi poſſe ab homine boni non ſolùm perfecti (id enim fateri videbantur Pelagiani) ſed ne imperfecti quidem cupiditatem.

Hoc nobis, inquit, *objiciendum putarunt, quod invito & reluctanti homini Deum dicamus inſpirare, non quantuncunque boni, ſed & ipſius imperfecti cupiditatem. Fortaſſis ergo ipſi eo modo ſaltem ſervant locum gratiæ, ut ſine illâ putent hominem* posse *habere boni, ſed imperfecti, cupiditatem; perfecti autem, non faciliùs per illam* posse, *ſed niſi per illam omninò non poſſe.... Dominus autem, ut reſponderet futuro Pelagio, non ait: Sine me difficilè* potestis *aliquid facere; ſed ait: Sine me* nihil potestis *facere. Et ut reſponderet futuris etiam iſtis, in eâdem iſtâ Evangelica ſententiâ non ait: Sine me* nihil potestis *perficere, ſed facere. Verùm audiant & Apoſtolum. Dominus enim cùm ait: Sine me nihil poteſtis facere, hoc uno verbo initium finemque comprehendit; Apoſtolus verò, tanquam ſententiæ Dominicæ expoſitor, apertiùs utrumque diſtinxit, dicens: Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Quæ ultima Pauli verba de gratiâ efficaci eſſe intelligenda, nemo inficias ierit.

Idem verò Sanctus Doctor capite ſequenti ad quædam Scripturæ verba, à Pelagianis objecta, ita reſpondet, ut in illorum ſolutione ſemper ſignificet, gratiam, quâ facit Deus ut faciamus, id eſt, efficacem, eam eſſe ſine quâ bonum nec inchoare, nec perficere poſſumus. *Scriptum eſt*, inquiebant Pelagiani, *Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ.* Quid verò Auguſtinus? *Abſit, ut ſic intelligant filii promiſſionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem: Sine me* nihil potestis *facere; quaſi convincant eum dicentes: Ecce ſine te* possumus *cor præparare. Abſit, ut ſic intelligant, niſi ſuperbi ſui arbitrii defenſores, & fidei catholicæ deſertores: ideò quippe ſcriptum eſt: Hominis eſt præparare cor, non tamen ſine adjutorio Dei,* qui si tangit cor, homo præparat cor. Ecce quale ſit illud adjutorium, ſine quo homo præparare cor non poteſt, tale neu-

pe quod illud infallibiliter efficiat propter quod datur: nam, *ſi illo tangat cor Deus, homo præparat cor.*

Et paulò infra: *Sicut dictum eſt: Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ; ita etiam dictum eſt: Aperi os, & implebo illud. Quamvis enim, niſi adjuvante illo* SINE QUO NIHIL POSSUMUS FACERE, *os* NON POSSUMUS *aperire, tamen os aperimus illius adjumento & opere noſtro; implet autem illud Dominus ſine opere noſtro.* At quale tandem illud adjumentum eſt quo præparatur cor, & os aperitur, quæ ad orandi donum maximè pertinent? *Quid eſt*, inquit, *præparare cor & os aperire, niſi voluntatem parare? Et tamen in eiſdem litteris legitur: Præparatur voluntas à Domino; &: Labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Ecce Dominus admonit, ut præparemus voluntatem; & tamen, ut hoc faciat homo, adjuvat Deus, quia præparatur voluntas à Domino; & aperit os ita jubendo, ut* NEMO POSSIT NISI IPSE ID FACIAT ADJUVANDO, *cui dicitur: Labia mea aperies.* Nemo, niſi in Auguſtini doctrinâ planè rudis, ignorat hoc maximè loco: *Præparatur voluntas à Domino*, gratiam efficacem intelligi ab ipſo & probari ſolere; ſed ad omnem dubitationem amovendam, idem Auguſtinus adjungit: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla verò facit homo,* QUÆ NON FACIT DEUS UT FACIAT HOMO.

Denique ſub finem capitis quidquid probaverat in ſummam colligens, ita loquitur: *Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, quâ fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis: in quâ, ſi nos non prævenit Deus, non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur in nobis. Si enim ſine illo* NIHIL POSSUMUS FACERE, *profectò nec incipere, nec perficere; quia, ut incipiamus, dictum eſt: Miſericordia ejus præveniet me; ut perficiamus, dictum eſt: Miſericordia ejus ſubſequetur me.*

Tantum illorum locorum lumen, & tanta vis, ut omnes adverſariorum gratiæ tenebras diſcutiat, conatus frangat, effugia præcludat. Apertè enim pronuntiat Auguſtinus, hanc Eccleſiæ fidem eſſe, quam qui neget *fidei deſertor* habendus ſit: *Sine gratia quâ homo ex reluctanti & invito fit conſentiens bono; quâ bonum opus incipit Deus & perficit in nobis; quâ, ſi tangit cor, homo præparat cor; quâ præparatur voluntas à Domino; quâ facit Deus ut bona faciat homo; quâ fit in nobis ut amemus Deum* (quæ tantùm de gratiâ efficaci dici poſſunt) ſine hâc, inquam, gratiâ *boni ne quidem imperfecti haberi cupiditatem* POSSE; ſine hâc *nec fieri, nec perfici bonum* POSSE; ſine hâc *os aperire neminem* POSSE; ſine hac denique *nec perfici bonum in nobis nec inchoari* POSSE. Quibus ultimis verbis non modò illorum generatim error eliditur, qui catholicè dici negant, Sine gratiâ

gratiâ efficaci bona opera fieri & tentationes vinci non poſſe; ſed nominatim exploditur Alphonſi *le Moyne* Sorbonici olim Profeſſoris nuperum, & catholicis antè auribus inauditum commentum, quo gratiam orandi ab agendi gratiâ ſecernens, illam ſufficientem eſſe tantùm, & Moliniano quidem ſenſu, iſtam ſemper efficacem eſſe vult: adeòque ſine efficaci gratia bona opera fieri non poſſe concedit; ſed cum ſolâ ſufficiente, cujus effectus à nutu voluntatis pendeat, actu & effectivè orari poſſe & re-ipſa orari contendit. Auguſtinus enim non modò perfecti boni cupiditatem, ſed ne imperfecti quidèm ſine efficaci gratiâ haberi poſſe definit.

Hoc qui ad fidem pertinere negaverit, tria in Auguſtinum graviſſima crimina conferat neceſſe eſt: primum imperitiæ, quod doctrinam Eccleſiæ, Conciliorumque quibus interfuit mentem ignoraverit, & pravâ interpretatione corruperit: alterum ſacrilegæ temeritatis, quod toti Eccleſiæ privatas ſuas opiniones affingere non dubitarit: tertium denique offenſionis & ſcandali, quòd Pelagianos ab Eccleſiâ alienarit, dum ab illis non Eccleſiæ fidei, à quâ fortè non abhorruiſſent, ſed privatæ opinionis ſuæ, id eſt, efficacis gratiæ, confeſſionem exigeret, quam, ut fatalem neceſſitatem, ut certum libertatis interitum, ut ſocordiæ, ignaviæ, deſperationis cauſam deteſtabantur; & meritò quidèm, ſi Moliniſtæ nobis audiendi ſint. Horum verò criminum ſi reus peragatur Auguſtinus, non jam ille inter Patres in ſupremo auctoritatis apice locandus, ſed infra imperitiſſimos ſimul audaciſſimoſque ſcriptores deturbandus eſt; nec præſtantiſſimus gratiæ defenſor, ſed everſor potiùs exiſtimandus. Quod ſi vel cogitare nefarium ſit & impium, ut fatetur ipſe Suarez; & non modò in tanti viri memoriam, ſed in Apoſtolicam Sedem, in totam denique Eccleſiam, à quâ toties defenſa & conſecrata Auguſtini doctrina, contumelioſum, certum illud & fixum manere debet (quod pro fidei capite ab Auguſtino traditum eſt) ſine gratiâ efficaci nihil boni fieri poſſe; nec hanc loquendi rationem ſexcenties ab ipſo uſurpatam ſine ſacrilegio poſſe damnari, aut ullius erroris ſuſpectam judicari.

ARTICULUS VII.

Idem fidei dogma; Sine gratiâ nihil fieri poſſe, *ab iis Patribus, qui poſt Auguſtinum adversùs Semipelagianos ſcripſerunt, de gratiâ efficaci ſemper intellectum eſſe.*

PRæcipuum inter Semipelagianos & Eccleſiam controverſiæ caput in hoc ſitum fuiſſe, nemo neſcit, quòd ex primævæ inte-

integritatis reliquiis ſine verâ Chriſti gratiâ aliquod homines bonæ voluntatis initium habere poſſe Semipelagiani ſtatuerent: *Nullius enim ita depravatam vel extinctam putabant eſſe naturam*, teſte Hilario in Epiſt. ad Auguſt. *ut non debeat vel poſſit ſe velle ſanari; nec negari gratiam ſi præcedere dicatur talis voluntas, ut tantum medicum quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat.* Omnes verò Theologi conſentiunt, catholicos contrà contendiſſe, naturam ita peccato eſſe vitiatam, ut ſine medicinali Chriſti gratiâ nequidèm poſſet ſe velle ſanari. Quæritur ſolùm, quænam illa gratia ſit, ſine quâ ex Eccleſiæ catholicæ ſenſu non poteſt homo velle ſanari. Unde verò condiſcere poſſumus, in hoc dogmate ſanciendo, Eccleſiæ mentem & ſenſum, niſi ex iis Patribus, qui Eccleſiæ cauſam adversùs Semipelagianos egerunt, inter quos præcipui ſunt Proſper, Fulgentius, Petrus Diaconus, & Scytiæ monachi in causâ fidei Romam miſſi.

S. PROSPER.

UNum aut alterum ex S. Proſpero locum afferre ſatis fuerit. Sic ergo ille in Epiſtola ad Ruffinum Semipelagianorum ſententiam exponit: *Dictum, aiunt, libero arbitrio utentibus: Venite ad me omnes qui laboratis, & ego vos reficiam. Quod ad omnes homines volunt pertinere laborantes in incerto hujus vitæ, oneratoſque peccatis, ut qui voluerint manſuetudinem & humilitatem Salvatoris imitari, & jugum mandatorum ejus ſubire, inveniant requiem animabus ſuis in ſpe vitæ æternæ; qui autem hæc facere noluerint, ſuâ culpâ careant ſalute, quam, ſi voluiſſent, potuiſſent obtinere.* En Semipelagianam ſententiam; quid Proſper reſpondeat videamus. *Sed audiant & dictum à Domino libero arbitrio utentibus: Sine me nihil poteſtis facere; &: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, attraxerit; &, Nemo poteſt venire ad me, niſi datum ei fuerit à Patre meo, &c. Quæ omnia cùm ſint incommutabilia, & nequeant ulla interpretatione in ſenſum alium detorqueri, quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generavit? Alioqui ſufficeret, moneri hominem, non etiam in ipſo novam fieri voluntatem, ſicut ſcriptum eſt: Præparatur voluntas à Domino; & ſicut ait Apoſtolus: Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate.* Videmus igitur illam Chriſti ſententiam: *Sine me nihil poteſtis facere*, ex quâ præſertim hauſit Eccleſia quod fidelibus tenendum tradidit, nos ſine Chriſti gratiâ nihil poſſe, non minùs adverſus Semipelagianos, quàm Pelagianos, de illa gratiâ intellectum, quæ affectum credendi obediendique in hominibus generat, & quâ ipſa fit in hominibus bona voluntas, adeóque de efficaci.

Idem S. Proſper peculiarem Caſſiani errorem ab Arauſicanâ Synodo Can. 8. damnatum, quo

aliis

aliis petentibus gratiam tribui, alios invitos ad ſalutem attrahi aſſerebat, hâc ratione refellit: *Quod non ex toto verum ſit quod ait Dominus: Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, attraxerit eum; ſi cujuſquam hominis ſine Dei illuminatione eſſet credenda converſio, aut ullo modo ſe voluntas hominis ad Deum ſine Deo* POSSET *extendere, qui, cùm vocatum ad Filium trahit non reſiſtentem, invitumque compellit; ſed ex invito volentem facit, & quibuſlibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, ut cor audientis obediendi in ſe delectatione generatâ ibi ſurgat ubi premebatur, ibi diſcat ubi ignorabat, inde fidat unde diffidebat, inde velit unde nolebat. Etenim Dominus dabit ſuavitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Catholica ergo veritas eſt adverſùs Caſſiani errorem à Proſpero aſſerta, *voluntatem hominis nullo modo ſe ad Deum poſſe convertere* ſine illâ gratiâ, per quam Deus ex invito volentem facit, per quam infidelitatem reſiſtentis inclinat, per quam in corde audientis obediendi delectationem generat, per quam ita dat ſuavitatem, ut terra noſtra det fructum ſuum. Quæ ſi ad gratiam efficacem non pertineant, neſcio quibus illa verbis exprimi poſſit.

S. FULGENTIUS.

SAnctus Fulgentius, quem Sirmundus poſt Ferrandum Diaconum, *ſui ævi Epiſcoporum ingenium & linguam*, Perronius verò *alterum Auguſtinum, alterum Africanæ Eccleſiæ oraculum* appellat, innumeris in locis gratiam ſine quâ nequidem deſiderari bonum poſſe, adverſus Pelagianorum reliquias contendebat Eccleſia, efficacem eſſe demonſtrat. Ea verò ſeligam ex variis S. Fulgentii operibus, in quibus hanc non ſuam, ſed Eccleſiæ adversùs Semipelagianos ſententiam eſſe dicit.

In primo igitur libro de verit. præd. & gratiæ, c. 15. *Dignum eſt*, inquit, *chariſſimi fratres, ut in ſingulis quibuſque ſententiis, in quibus nubilo cujuſdam obſcuritatis ambigimus, ſanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præveniens miſericordia Dei gratis illuminavit ut crederent, & ſequens inſtruxit ſpiritaliter ut docerent. Hi enim, Apoſtolicæ prædicationis tenentes per omnia veritatem, certiſſimè cognoverunt, cognoſcendumque libris & Epiſtolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari; gratuitum quippe donum eſt gratia.* Ecce primam veræ gratiæ dotem, non omnibus dari, quia gratuita eſt.

Iſta gratia, quam Deus vaſis miſericordiæ gratis donat, ab illuminatione cordis incipit, & hominis voluntatem non bonam invenit ipſa, ſed facit; atque, ut eligatur, ipſa prius eligit; neque ſuſcipitur aut eligitur, niſi hoc ipſa in corde hominis operetur. Ergo & ſuſceptio, & deſiderium gratiæ, opus ipſius eſt gratiæ. En ſecundam gratiæ virtutem, omnis bonæ voluntatis in hominibus effectricem eſſe.

ISTAM *gratiam nullus hominum deſide-*

deſiderare vel poſcere, ſed nec cognoſcere POTERIT, *niſi eam priùs ab illo accipiat, qui eam nullis præcedentibus operibus aut voluntatibus bonis ad hoc largitur, ut voluntatem in quâ ſemper maneat ipſa præparet, ipſa donet, ipſa illuminet, ipſa excitet, ipſa conſervet.* En tertiam gratiæ conditionem, ſine eâ voluntatem præparante & dante, ne ipſam quidèm gratiam deſiderari poſſe.

Quod & in ſequentibus uberiùs explicat: *Ut ergo*, inquit, *gratia Dei cognoſcatur & diligatur, deſideretur & poſtuletur, priùs donatur homini non cognoſcenti, non diligenti, non deſideranti, non poſtulanti; ipſaque ſe facit cognoſci, diligi, deſiderari, poſtulari.* Quam gratiæ efficaciam poſtquàm apertis Scripturæ teſtimoniis comprobavit: *Sunt ergo*, inquit, *bonæ voluntatis initium* NEMO POTEST *habere, niſi fuerit gratiâ præveniente illuminatus, quia præparatur voluntas à Domino; ita eandem voluntatem bonam* NEMO *uſque in finem* POTERIT *obtinere, niſi fuerit eâdem miſericordiâ ſubſequente ſervatus.... Miſericordia igitur, quæ gratis hominem prævenit, ut mutet in melius; & ipſa quem bonum facit, ſubſiquendo regit, ne mutetur in pejus. Omne igitur bonum voluntatis & operis tunc ineſſe* POTEST *homini, ſi prævenientis gratiæ largitate detur, ejuſdemque gratiæ ſubſequentis opitulatione ſervetur; quæ malum prævenit, ut bonam, Deo largiente, voluntatem habere incipiat, quam prius, quia per ſe habere* NON POTERAT, *non habebat. Subſequitur autem bonum, ut perſeveret & proficiat in bonâ voluntate, quam ex ſe habere* NON POTUIT *ſed gratis accepit.* Hinc patet ex S. Fulgentio, bonam voluntatem vel eſſe in homine, quia per gratiam efficacem data eſt, vel eſſe non poſſe, quia eam non aliter habere homo poteſt, quàm per gratiam efficacem.

Hactenus Fulgentius acceptam ex Sanctis Patribus doctrinam retulit. In libro verò de Incarn. & gratiâ Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui non tam Fulgentii liber, quàm Eccleſiæ Africanæ, cujus nomine loquitur, Semipelagianos contrà ſentientes his verbis retundit: *Miramur quoſdam dicere, ſi nolentes Deus facit ut velint credere, cur ergo non facit omnes velle?.... Itane verò in nemine hoc facit, quia non in omnibus facit? Deus ergo, qui voluntatem præparat, ipſe donat: quam ſi Deus per ſuam gratiam homini non dederit,* NUNQUAM POTEST *homo in Deum velle credere, quia ipſam voluntatem gratia non invenit, ſed operatur in homine.* Contendat qui voluerit, gratiam efficacem ad hoc tantùm dari ut velimus, non gravarè fatebimur. Sed ex hoc quod ad volendum neceſſariò ſupponitur, inde concludat cum Fulgentio rectè dici, ſine gratiâ efficaci nos velle non poſſe.

Idem ſanctiſſimus Antiſtes, lib. 1. ad Monim. c. 14. *Loquens*, inquit, *Deus per Prophetas, ſeipſum facere confirmat, quod fide-*

libus

libus donat, ut faciant.... Quid eſt enim, Faciam ut faciatis, niſi mei erit operis omne bonum quod operati fueritis. Ipſe ergo facit ut faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum quod facimus, de quo dicitur ad Hebræos: Aptet vos in omni bono; quia quæcunque nobis facienda donat, ſicut HABERE NON POSSUMUS, *niſi nobis ipſe largiatur; ſic* FACERE NON POSSUMUS, *niſi ipſe in nobis quæ largitus eſt operetur.* Clariora iſta ſunt, quàm ut ullâ explicatione indigeant.

Mitto alia plurima ejuſdem auctoris. Unum tantùm adſcribam, quo pateat, hanc ipſam ſententiam: Sine gratiâ efficaci mandata ſervari non poſſe, ad fidem catholicam ex S. Fulgentio pertinere. In libro enim de fide ad Petrum Diaconum, c. 32. *Firmiſſimè*, inquit, *crede, & nullatenus dubites, poſſe quidèm hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adverſitas, verba ſanctæ legis & Evangelii ſive legere, ſive ex ore cujuſdam prædicatoris audire; ſed divinis mandatis obedire* NEMINEM POSSE, *niſi quem Deus gratiâ ſuâ prævenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat; & acceptâ divinitus bonâ voluntate atque virtute mandata Dei facere & velit &* POSSIT. *Neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, qui etiam operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.*

PETRUS DIACONUS.

PEtrus Diaconus, aliique in causâ fidei à Græcis Romam miſſi, in libro de Incarn. & gratiâ Jeſu-Chriſti, ad Africanos Præſules ſcripto, ita cap. 6. de gratiâ loquuntur: *Ut*, inquiunt, *falſa libertas fieret Chriſtiana libertas, liberatore indiguit, quo* POSSET, *per ejus gratiam ab occupationibus humanis averſa, ea cogitare & deſiderare, quæ pertinent ad vitam æternam. Sine hâc igitur gratiâ poteſt quidèm cogitare & deſiderare humana;* NON *autem* POTEST *cogitare aut velle, ſeu deſiderare divina.* Quænam autem hæc gratia? Mox ipſi ita luculenter explicant, ut nemo ad aliam quàm efficacem eorum verba detorquere poſſit. *Fruſtrà garriunt qui dicunt: Meum eſt velle credere, Dei autem gratiæ eſt adjuvare; cùm etiam ipſum credere, quod eſt conſenſum præbere veritati, nobis à Deo dari teſtetur Apoſtolus.* Et cap. 8. *Sed nos*, inquiunt, *ſequentes eundem Apoſtolum, omnem bonarum cogitationum originem, earumque confeſſionem & voluntatem ex Deo, & per Deum, & in Deo, dicimus, qui pravas hominum voluntates, & terrenis actibus implicatas, per infuſionem & operationem intrinſecùs Sancti Spiritus abſolvit & corrigit, ſicut ſcriptum eſt: Præparatur voluntas à Domino.*

RUPERTUS.

COnſultò multa Patrum teſtimonia omiſimus, qui de ipſa

ipſo Petro Chriſtum negante dicunt, eum à Deo fuiſſe dereliſtum, neque potuiſſe tentationem illam ſuperare, ac ſe mortis pro Chriſto ſubeundæ periculo objicere: plurima enim ex illis in Apologeticis allata ſunt, quæ repetere ſuperfluum. Unum tantùm illic prætermiſſum hîc repræſentare viſum eſt, Ruperti ſcilicet, l. 8. de gloriâ & honore Filii hominis ſuper his Chriſti verbis: *Nolite timere eos qui occidunt corpus. Hic rectè*, inquit, *dicat quis: Da, Domine, quod jubes, & jube quod vis. Ecce jubes ut non timeamus eos qui occidunt corpus, & ratio conſentit, eum potiùs eſſe timendum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Sed quæ caro non timeat occidi? Petrus Apoſtolorum primus timuit, & mori timens vitam negavit. Cur hoc? Quia nondum illi dederas ut non timeret, cui juſſeras ut non timeret. Poſtquàm illi dediſti,* POTUIT *facere quod juſſiſti. Eſto igitur fortitudo noſtra, & fac in nobis quod tu nos facere vis.*

ARTICULUS VIII.

Sancti Thomæ aliorumque tum veterum tum recentiorum ſcholæ Doctorum auctoritate eadem veritas confirmatur.

A Patrum ſenſibus nihil deſciverunt præcipui antiquioris ſcholæ Doctores, præſertimque S. Thomas, & veteres illius diſcipuli; qui omnes uno ore ſine efficaci auxilio nihil fieri poſſe profeſſi ſunt. Ergo in re nihil ab illis novatum eſt; vocabulum gratiæ ab uſitatâ in Patrum ſcriptis ſignificatione nonnihil defluxum, & ad aliam minùs apud Patres vulgarem notionem tranſlatum; quod, quia magnam antiquiorum Scholaſticorum ſcriptis afferre lucem poteſt, hîc paucis annotaſſe non pigebit. Patres enim & antiqui ſcriptores ſic utuntur gratiæ vocabulo, ut ſemper ferè actualem Dei operationem intelligant, quâ Deus in homine & cum homine voluntatis actum producit. Gratiæ verò habituali non ſimpliciter hoc nomen impertiri ſolent, niſi quatenùs per actualem ad operandum impellitur & admovetur. Contrà verò veteres Scholaſtici Doctores voci gratiæ ferè ſemper habitualis gratiæ notionem ſubjiciunt; actualem verò gratiam rarò gratiam, ſed auxilium Dei moventis, ſpeciale auxilium, motionem Dei, appellant.

Eximius eſt S. Thomæ eâ de re locus de verit. q. 24. a. 14. *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei; ſed communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali juſtificante.*

ſtificante. Hoc pacto conciliantur non nulla, quæ ſibi primâ fronte videantur adverſa. Veteres enim Scholaſtici multa fieri ſine gratiâ dicunt, quia nomine gratiæ habitualem intelligunt, ſine quâ non à fidelibus, ſed à peccatoribus, quos Deus nondum inhabitans adjuvat, multa bene fiunt. Unde eadem illa, ut ex S. Thomâ vidimus, ſine auxilio Dei moventis fieri negant. Patres verò generatim docent, ſine gratiâ nihil boni fieri poſſe; quia nomine gratiæ intelligere ſolent miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, ſine quâ S. Thomas concedit nullum bonum fieri poſſe. Quare, cùm his verbis gratiam efficacem apertè deſignet, ut per ſe clarum eſt, & latiùs alibi probatum, hic ipſe locus oſtendit ex mente S. Thomæ, ſine gratiâ efficaci nihil boni fieri poſſe.

Multa alia ex S. Thomâ referri queunt; ſed quia id ſeparatim in eo comentariolo præſtitimus, in quo totam illius doctrinam accuratè explanavimus, unum adhuc & alterum referre ſatis erit, ex 1. 2. quæſt. 109. a. 6. NON POTEST *homo per ſe ipſum præparari ad divinæ gratiæ lumen ſuſcipiendum*. Per quid igitur poteſt? *Sed gratuito Dei interiùs moventis, bonumque propoſitum inſpirantis*, quæ ſine dubio gratia efficax eſt, *auxilio indiget*. Et in reſp. ad primum adhuc manifeſtiùs: *Converſio hominis ad Deum fit quidèm per liberum arbitrium, & ſecundùm hoc homini præcipitur quòd ſe ad Deum convertat. Sed liberum arbitrium ad Deum converti* NON POTEST, *niſi Deo ipſum ad ſe convertente, ſecundùm illud Hierem. 31. Converte me & convertar, quia tu Dominus Deus meus*; & Thren. ult. *Converte nos, Domine, ad te & convertemur*. Neminem Deus convertit, niſi per gratiam efficacem; At ex S. Thomâ *non poteſt homo converti, niſi Deo ad ſe-ipſum convertente*: non poteſt igitur converti, niſi per gratiam efficacem.

Porrò antiqui ſcholæ Doctores à Patrum & S. Thomæ veſtigiis in hac loquendi formulâ non receſſerunt, ex quibus paucos hîc tantùm ad ſpecimen afferam.

BRADUARDINUS Archiepiſcopus Cantuarienſis, & vulgò Doctor profundus appellatus, in libro de causâ Dei, l. 11 c. 6. cui titulus eſt: *Quod auxilium Dei ſpeciale eſt voluntas ejus invicta*: *Poſtquàm*, inquit, *in præcedentibus eſt oſtenſum, nullum tentatum ſolius liberi arbitrii viribus ſine gratiâ*, nempe habituali, *vel cum gratiâ quantacunque*, habitualem iterum intellige, *abſque alio Dei auxilio ſpeciali* POSSE *tentationem aliquam ſuperare, reſtat conſequenter inquirere quid ſit illud auxilium, quo tentati omnia ſuperant tentamenta, & ſine quo in omnibus ſuperantur.... Voluntas ergo divina eſt illud auxilium*; & ea quidèm invicta, id eſt, infallibiliter operans, ut ſignificat in titulo capitis, *eſt illud auxilium ſine quo tentatus quilibet ſuperatur,*

&

& per quod tentatus quilibet ſuperans efficaciter ſuperat tentamentum. Ubi vides ab inſigni illo Theologo, uti & à Patribus diſertè doceri, ſine illo efficaci auxilio, quo tentati omnia ſuperant tentamenta, & ſine quo in omnibus ſuperantur, neminem, licet juſtum & quantacunque gratiâ habituali præditum, tentationem aliquam ſuperare poſſe.

GREGORIUS ARIMINENSIS, magni nominis Theologus, S. Auguſtini Eremitarum quondam Generalis, in 2. ſenten. diſt. 28. q. II. a. III. *Ex iſtis puto ſatis patere, quòd etiam veri juſti, & in gratiâ exiſtentes, ut in tentationibus fortiter reſiſtant, & in peccatum non cadant, indigent adhuc ſpeciali auxilio Dei, & ſine illo* NON POSSENT *reſiſtere quin caderent in peccatum.* Quod probat: ex Scripturis; ex Eccleſiæ precibus, ex S. Auguſtino, & ex illo Innocentii ſupra allato: *Neceſſe eſt, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Ex quo patet per auxilium ſpeciale ſine quo non poſſunt juſti tentationibus reſiſtere, non aliam gratiam quàm efficacem à Gregorio Ariminenſi intellectam eſſe.

JOANNES CAPREOLUS, S. Thomæ, ut Bellarminus notat, defenſor egregius l. II. ſent. diſt. 28. q. I. a. III. doctiſſimè diſputat de motione divinâ, quam infallibilem eſſe vult, licet voluntas per illam non neceſſitetur: *Juvatur,* inquit, *voluntas ita, ut agat ea qua non ſic adjuta* NEQUAQUAM AGERE POTUISSET. *Et hoc eſt illud adjutorium ſpeciale ſine quo dicimus, nos* NIHIL BENE VELLE AUT FACERE.

CARDINALIS CAIETANUS, in cap. 10. Joan. v. 39. *Si privatio gratiæ fert ſecum* NON POSSE *credere, conſequens eſt quod* POSSE *credere conferatur à gratiâ. Et hoc ſuperiùs c. 6. Chriſtus dicit: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Quomodò verò trahit Pater, niſi per gratiam efficacem?

Tota LOVANIENSIS FACULTAS, in Juſtificatione ſuæ Cenſuræ anni 1588. *Aliud eſt,* inquit, *poſſe, in quo tam magnæ inſunt vires per ſufficientem gratiæ præparationem, ut ſatis ſit ad agendum: per quam quidèm gratiam, non jam ſolum ipſum poſſe, verùm etiam agere adjuvatur. . . . . Juxta quem modum,* ut ſuperiùs ait, *quidam dicuntur,* NON POSSE *credere aut ſequi Dominum, ſicut dictum eſt Petro: Non potes me ſequi modò.*

Tota item DUACENSIS FACULTAS, in Cenſurâ anni 1588. ad Aſſert. 14. *Neque induratus converti* POTEST, *niſi per gratiam auferentem cor lapideum, & tribuentem cor carneum, quam utique, quamdiu induratus eſt, non habet: neque excæcatus aſpicere* POTEST *lumen veritatis, niſi per gratiam tenebras ejus illuminantem, & velamen de corde ejus auferentem, quam ſimiliter, quamdiu excæcatus eſt, non habet: Neque infidelis quiſquam credere* POTEST, *niſi per gratiam quâ*

cor

cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur; quam gratiam eum non habere, quamdiu infidelis manet, perſpicuum eſt.

Nihil neceſſe videatur, poſt integros Theologorum ordines, privatorum Theologorum ſuffragia conquirere. Unus tamen pro omnibus erit Eſtius, doctiſſimis in Scripturas & Magiſtrum ſententiarum Commentariis toto orbe celeberrimus. Ex quo hìc annotaſſe ſufficiet, integro illum capite, nimirum in 2. ſent. diſt. 42. probandum ſuſcipere, NEMINEM *in bono perſeverare* POSSE, *ſine gratiâ*, non qualicunque, *ſed quam ſuperiori paragrapho ſe deſcripſiſſe teſtatur* his verbis: *Intelligendum eſt donum perſeverantiæ in actuali gratiâ, id eſt, gratuitâ operatione Dei, quâ facit & præſtat ut homo in bonâ & juſtâ converſatione permaneat, ac perduret uſque in finem vitæ, ſuperetque omnes tentationes interiùs occurrentes; quibus à curſu bonæ vitæ retrahi poterat.* Unde fit ut graviter admoneat, ſicuti jam diximus, à Conciliis, & maximè à Tridentino, eſſe definitum, NEMINEM POSSE *in bono perſeverare abſque ſpeciali Dei auxilio, quod de novo ſemper à Deo petendum & expectandum ſit, quo nimirùm ipſum perſeverare in homine operetur. Tale enim hujuſmodi auxilium eſſe debere perſpicuum eſt.*

ARTICULUS IX.

Eadem locutio recentiorum Thomiſtarum auctoritate aſſeritur, qui falsò ipſius inſectatores habentur.

TAntis auctoribus nixa ſententia facilè quorumvis obtrectatorum voculas contemneret, neque privatorum Theologorum contrariis opinationibus convelleretur; ſed illos potiùs Theologos, ſi qui ſint, erroris & temeritatis argueret. Itaque, cùm audirem adverſarios paſſim tam fidenter jactantes, recentiores Thomiſtas in eâ damnandâ cum Jeſuitis conſentire, quanquàm videbam illam Thomiſtarum diſſenſionem verborum potiùs eſſe quàm rerum, cum illi cæteroquin de gratiâ efficaci rectè ſentirent, tamen nec ipſis falsò tribui putabam hanc opinionem; & illos rectè ſentire, malè locutos exiſtimabam. Verùm, poſtquàm libros ipſorum in manus ſumſi, liquidò perſpexi non minorem ipſis injuriam fieri, quam mihi, quàm Patribus facta; tantùmque abeſſe ut ipſi hanc loquendi formulam *Sine gratia efficaci nihil fieri poteſt*, repudient & proſcribant, ut eâ contineri aſſerant fidei catholicæ caput ab Eccleſiâ definitum adversùs Pelagianos, contrariamque propoſitionem, nempe *Sine gratia efficaci aliquid fieri poteſt*; quam ego bono ſenſu admitto, ipſi falſam eſſe contendant. Quamobrem, cùm in iſtâ Thomi-

ſtarum

ſtarum cum Jeſuitis conſenſu præcipuum Cenſuræ ſuæ præſidium adverſarii mei collocent, operæ pretium erit hîc oſtendere, quàm fallaciter & præpoſterè clariſſimorum Theologorum nomine abutantur ad evertendam Eccleſiæ doctrinam.

Recentiorum Thomiſtarum doctrina ex nullo certiùs aut luculentiùs perſpici, quàm ex Alvare poteſt, qui ob excellentem doctrinam ab Ordine ſuo delectus eſt, ut Catholicam de gratiâ efficaci fidem coram ſummis Pontificibus adversùs Molinæ patronos tueretur. Is igitur adeò non damnat hanc propoſitionem, *Sine gratia efficaci nihil fieri poteſt*, ut eam à ſummis Pontificibus, à Conciliis, à Patribus, ſancitam velit. Id videre eſt diſput. 88. ubi hanc ſtatuit concluſionem: *In homine juſto præter gratiam excitantem & concurſum ſupernaturalem ſimultaneum, quo Deus unà cum libero arbitrio & habitibus infuſis actus ſupernaturales producit, requiritur neceſſariò ad ſingulos actus ſpeciale auxilium gratiæ adjuvantis.* Notum eſt autem in doctrinâ Alvaris, gratiam excitantem eandem eſſe ac ſufficientem; adjuvantem verò, eandem ac efficacem; quod & alibi paſſim, ut in diſp. 71. n. 2. & in hâc ipſa diſp. 88. ſæpiùs expreſsè notat, & maximè his verbis n. 10. *Quia per ſolam gratiam habitualem non adhæret juſtus immobiliter bono, neque ad illud proſequendum & amandum prædeterminatur: ideò adhuc indiget ſpeciali auxilio* ADJUVANTIS GRATIÆ, QUO INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER AD BONUM OPERANDUM MOVEATUR. Videamus nunc quid ſumat ille ad hoc probandum. Nimirùm ea affert loca, quæ nos ſupra retulimus, in quibus Patres & Concilia definiunt, „*Sine gratiâ nihil fieri poſſe*, quæ „ ipſe de gratiâ efficaci accipienda eſſe contendit: Concluſio, „ inquit ille, eſt contra auctores ſecundæ ſententiæ (id eſt, „ Moliniſtas) eſt tamen expreſſa „ S. Aug. l. de nat. & gr. c. 26. „ *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè* NON POTEST *vivere. Sanat ergo* „ *Deus non ſolùm ut deleat quod peccavimus; ſed præſtat etiam* „ *ne peccemus.* Et lib. de gr. & „ lib. arb. cap. 6. idipſum con„ firmat multis teſtimoniis „ Scripturæ; ſed præſertim ex „ illo Cantic. 8. Quæ eſt iſta quæ „ aſcendit dealbata, incumbens „ ſuper dilectum ſuum. *Alba* „ *facta*, inquiens, *bene ambulat;* „ *ſed ſi ſupra eum à quo dealbata* „ *eſt perſeveranter incumbat. Propter* „ *quod & ipſe Jeſus, ſuper quem* „ *incumbit dealbata, dixit diſcipu*„ *lis ſuis, Sine me* NIHIL POTESTIS „ FACERE.

Ecce voces illas Scripturæ, *Sine me nihil poteſtis facere*, & illas Auguſtini: *Homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ lu-*

ce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere, de gratiâ efficaci & adjuvante interpretatur Alvarez. Sed id adhuc uberiùs & clariùs ſequentibus verbis oſtendit.

„Eadem eſt, inquit, ſententia S. Thomæ 1. 2. qu. 109. a. 1. „ubi ait, quòd *quantumcunque* „*natura aliqua corporalis vel ſpiri-* „*tualis ponatur perfecta*, NON „POTEST *in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo*; & „idem docet, art. 9. Nec poteſt „explicari S. Thomas de ſolâ „gratiâ excitante, hoc eſt, ſufficiente: nam per illam Deus „non movet phyſicè liberum arbitrium ad pias operationes; „ſed ſolùm moraliter...... ſed „neceſſariò debet intelligi DE „GRATIA ADIUVANTE, PER QUAM „LIBERUM ARBITRIUM PRÆMO- „VETUR ET PRÆDETERMINATUR „AD OPERANDUM. Prætereà probatur ex definitione illa Concilii Arauſicani: *Quoties bona* „*agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur*: ubi „univerſaliter loquitur de omnibus operibus bonis, etiam „hominis jam juſtificati: & ad „hujuſmodi opera neceſſarium „eſſe docet ſpeciale auxilium „gratiæ adjuvantis, quo non „ſolùm nobiſcum ſimul operetur opus bonum, ſed etiam „in nobis efficiendo, videlicet „per idem auxilium, ut nos liberè cooperemur Deo: ut ex „ſupradictis conſtat..... Confirmatur ex Innocentio I. in Reſcripto ad Conc. Carthag. ubi „ait: *Omnes ſancti ſine adiutorio* „*Dei nihil ſe agere poſſe teſtantur*. Et in Reſcripto ad Conc. „Milevit. *Neceſſe eſt*, inquit, „*ut, reſtitutâ nobis priſtini ſtatus* „*libertate per gratiam, eam gratiam quæramus; quippe qui neque alias Diaboli tentationes &* „*machinas, niſi gratiâ adjuvante,* „*poſſumus evitare*. Et Cæleſt. I. „Epiſt. ad Epiſc. Galliæ c. 8. & „9. decernit gratiam ad ſingulos actus eſſe neceſſariam, & „refert Zozimum Papam aſſerentem in Epiſtola ad totius „orbis Epiſcopos, *quòd in bonis* „*voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium, quódque omnis* „*ſancta cogitatio, omniſque motus* „*bonæ voluntatis ex Deo ſit; quia* „*per illum aliquid boni poſſumus,* „*ſine quo nihil poſſumus*. Et loquitur *de ſpeciali auxilio gratiæ* „*adjuvantis, per quam agit Deus* „*in nobis, ut quod vult & velimus & agamus*, ut dicit idem „Cœleſt. c. 12. ejuſdem epiſtolæ. Propter hæc teſtimonia „M. Medina 1. 2. q. 109. a. 9. c. „3. hanc noſtram ſententiam „adeò veram & certam exiſtimat, ut contrarium docere putet eſſe improbabile.

Ubi ſunt nunc qui nobis Alvarem tanquàm ſententiæ noſtræ hoſtem, & Molinæ hâc in parte fautorem, opponunt? Ubi ſunt qui contendunt ex illius mente falſam hanc propoſitionem eſſe: *Sine gratia efficaci nihil fieri poſſe*? En ille de gratiâ efficaci interpretatur Innocentii, Zozimi

Zozimi, Cæleſtini, definitiones, in quibus illi Pontifices, ſine gratiâ nihil fieri poſſe, decernunt. Quàm vehementer igitur ipſe illis Cenſoribus reſtitiſſet, qui eam ſententiam, quam ipſe ab Auguſtino, à S. Thomâ, à tribus ſummis Pontificibus definitam cenſet, blaſphemiæ & hæreſeos notis inuſſerunt?

Nec verò hæc propoſitio verbis Alvaris congruit, principiis abhorret; imò & principiis & verbis peræquè conſentit. Imprimis ſtatuit, diſp. 79. ut alibi fuſiùs videbimus, ex Cajetano, Ferrarienſi, & Medinâ, vocem *poſſe* ita nonnunquàm uſurpari, ut complectatur omnia ad agendum neceſſaria; & hoc ſenſu fatetur, ſine gratiâ efficaci non haberi *poſſe*, hoc eſt, ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe.

2. Non ſolùm id concedit de voce *poſſe* in genere, verùm etiam *de potentiâ proximâ*, quam uno ſenſu, qui quidèm maximè vulgaris ac ferè unicus eſt, ſine gratiâ efficaci haberi negat, ut in tertiâ parte hujus Diſſertationis videbimus.

3. Diſpur. 22. n. 33. probat & tuetur, ſine prædeterminatione divinâ in ſenſu compoſito *nihil nos velle poſſe*; quia non poſſunt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd ſcilicet nos velimus in particulari aliquid, & quod Deus non præordinaverit quod velimus illud.

Nec verò ab Alvare diſſentiunt hâc in parte cæteri Thomiſtæ. Vidimus jam Bartholomæum Medinam, ab ipſo citatum, eadem Patrum teſtimonia, in quibus aiunt, ſine gratiâ nihil fieri poſſe, de gratiâ efficaci intelligere, contrariamque ſententiam tanquàm improbabilem rejicere. Videre etiam licet alios Thomiſtas iiſdem Patrum locis, uti ad adſtruendam prædeterminationem efficacem. Imò ipſe Navarreta hanc propoſitionem, *Sine gratiâ efficaci aliquid fieri poteſt*, apertè & diſertis verbis falſam eſſe pronunciat, Cont. 19. §. 11. *Ad quintum*, inquit; *reſpondetur, has duas propoſitiones non efficere eundem ſenſum; ſcilicet, Homo cum auxilio ſufficienti, praſcindendo ab efficaci, poteſt converti ad Deum; & hanc, Homo ſine auxilio efficaci, cum ſolo ſufficienti, poteſt converti ad Deum. Nam in primâ propoſitione denotatur quædam abſtractio præciſiva ex parte auxilii ſufficientis, conſiderati in ratione potentiæ ad operandum; & cùm tale auxilium non participet rationem potentiæ ab auxilio efficaci, fit ut ex ſe ipſo ſit potens operari. Cæterùm in ſecundâ propoſitione denotatur quædam abſtractio negativa, & per modum compoſitionis, denotans quòd operatio poteſt ſequi defectio ſine auxilio efficaci, quod tamen falſum eſt.*

Ex illis, ni fallor, ad oculum demonſtratur, omnibus Thomiſtis probari hanc ſanctorum Patrum ſententiam, quâ toties ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe profeſſi ſunt; adeóque eos omnes, qui in ejus damnationem conſenſerunt, & ſanctos Patres & univerſam S. Thomæ damnaſſe familiam.

ART I-

ARTICULUS X.

Eccleſiam in ſuis precibus id tantùm petere quod non poſſit; neque tamen aliam à Deo gratiam petere quàm efficacem.

L*Egem credendi lex ſtatuat ſupplicandi*, inquit Cæleſtinus PP. I. in Ep. ad Gallos: nec cum hominibus quiſquam ſanctiùs de gratiâ loqui poteſt, quàm illis verbis quibus tota Eccleſia Deum in precibus ſuis affatur.

Duo verò ex precibus Eccleſiæ apertè colliguntur. Primum eſt, nunquàm Eccleſiam in precibus ſuis gratiam illam ſufficientem, quæ dat bonorum operum poſſibilitatem ab effectu ſejunctam, à Deo poſcere. Ut enim ſapienter advertit Aug. de gr. Chr. c. 25. *Non ait Apoſtolus, Oramus ut poſſitis nihil mali facere, ſed, Ne quid faciatis mali; nec, Ut poſſitis bonum facere, ſed, Ut bonum faciatis.* Quid igitur petimus? Ipſam gratiam efficacem, quâ fit ut velimus, quâ fit ut agamus, ut amemus, ut præcepta impleamus. Poſcimus à Deo *ut inſerat pectoribus noſtris amorem ſui nominis; ut ad ſe noſtras etiam rebelles compellat propitius voluntates; ut noſtræ voluntatis pravitatem frangamus, ut præceptorum rectitudinem in omnibus adimpleamus; ut det nobis velle & poſſe quod præcipit; ut faciat nos ſuis inhærere mandatis.* Non petit Eccleſia ut infidelis poſſit credere ſi voluerit, ſed ut velit & credat. Non petit ut quiſquam poſſit non malè facere ſi velit; ſed orat cum Apoſtolo *ne quid mali faciat.* Non agit gratias, quòd aliquis præceptum implere potuerit, poteſtate ab effectu ſeparatâ, ſed quòd impleverit: non, quòd converti potuerit, ſed, quòd converſus ſit: nec unquàm ſe putat exauditam, niſi cum factum fuerit quod oratur, id eſt, cùm ad fidem vel ad pietatem converſi fuerint pro quorum converſione deprecatur. *Loquimur*, inquit Aug. Ep. 107. *de ipſis initiis fidei, cùm homines qui erant averſi & adverſi, convertuntur ad Deum, & velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem quam non habebant: quod ut fiat in eis, oratur pro eis, quamvis non oratur ab eis. Cùm verò factum fuerit quod oratur, ei qui fecit aguntur gratiæ, & pro eis & ab eis.*

Alterum eſt, qui orant nihil aliud à Deo petere, quàm ut poſſint quod nondum poſſunt. *Fideles*, inquit Aug. de nat. & gr. c. 53. *orantes dicunt: Ne nos inferas in tentationem. Si adeſt poſſibilitas, ut quid rogant? Quid enim ſtultius*, ut idem ait c. 18. *quàm orare ut facias quod in poteſtate habeas?* Et Ep. 105. *Impetrando quippe oratio quicquid impetrat evidenter Dei donum eſſe oſtendit; ne homo exiſtimet à ſe ipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur.* Unde libro de dono perſev. c. 2. *Irriſorium eſſe*

petitionem dicit, *à Deo petere quod ipſo non donante ſit in hominis poteſtate.* Ex quo Concilium Tridentinum *Dei præceptis admoneri nos* dicit, *ut faciamus quod poſſumus, & petamus quod non poſſumus.*

Si ergo juſtus, in tentatione conſtitutus, habere tantùm gratiam ſufficientem ſupponitur, quæro utrùm ille non orare debeat pro obtinendâ gratiâ efficaci. Orare non debere nemo, niſi impius, dicat. Si autem orare debet, nondum ergo adeſt poſſibilitas quam petit: ſi enim adeſt poſſibilitas, ut quid orat? Non orat ut faciat quod in poteſtate habet; id enim ſtultum eſt Auguſtino. Non orat quod Deo non donante in ejus poteſtate ſit, ne hac oratione Deum irrideat. Non petit quod poteſt, ſed quod non poteſt, ex Concilio Tridentino.

Ex hiſce verò duobus catholicæ doctrinæ capitibus manifeſtò ſequitur, eſſe quidem aliquod *poſſe* quod à Deo non poſtulamus; illud nimirùm quod à voluntate ſejunctum eſt, & quod in nobis eſſe poteſt, etiamſi nec velimus, nec agamus: eſſe tamen aliud *poſſe* nunquàm à voluntate, nunquam ab effectu divulſum, quod Auguſtinus appellat *poſſibilitatem cum effectu*; atque hanc poſſibilitatem eſſe, quam ſolemnes Eccleſiæ preces expoſcant. In his enim precibus à Deo petit, *ut videre poſſimus quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt agere valeamus; ut ipſius valeamus implere præcepta; ut peccata noſtra plangere valeamus; ut divinæ placita majeſtatis cogitare ſemper, & ipſum ſincerè diligere, valeamus:* quam gratiam niſi impetret, *ſe nihil poſſe teſtatur.* Ex quo Innocentius I. in Epiſt. ad Carthag. Conc. eo potiſſimùm nomine Pelagii Cæleſtiique doctrinam ſe deteſtari, ſignificat, quòd peſtiferâ ſuâ ſententiâ everterent orationes Eccleſiæ, quibus illud adjutorium à Deo poſcitur, *ſine quo omnes ſancti nihil ſe agere poſſe teſtantur*: quod efficax eſſe & Thomiſtæ agnoſcunt, ut jam vidimus, & ſatis ipſe Innocentius oſtendit, cùm paulò poſt addit: *Neceſſe eſſe, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Unde etiam perſæpe Auguſtinus iiſdem locis, quibus oſtendit ea ſolùm à Deo poſci quæ non poſſumus, iiſdem, inquam, locis gratiam efficacem ad obtinendam illam quæ non habetur poſſibilitatem, peti teſtatur. Multa hujus generis proferri poſſunt: unum hîc afferam ex lib. 1. op. ultimi in Jul. c. 93. *Abſit*, inquit, *ut impediatur ab homine Omnipotentis & cuncta ſcientis intentio.* Deus enim, *ſicut homo Dei dixit Ambroſius*, quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit. *Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet & NON POTEST, admonitus ſentiat, & ab eo à quo ſunt bona omnia, indigens poſcat.* Vides ea peti quæ non poſſumus. Vide nunc quâ gratiâ poſſibilitas illa danda ſit. *Si enim exauditus fuerit in eo quod dicere juſſi ſumus:*

Ne

Ne nos inferas in tentationem; *procul dubio nullâ decipietur inſcitiâ, nullâ cupiditate vincetur.* Quænam gratia efficax eſt, ſi hæc non eſt, per quàm certò & infallibiliter peccatum vitatur? *Quiſquis enim,* ut ait idem Aug. l. de Dono perſ. c. 6. *in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem ſuæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem ſuæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorſus infertur; unuſquiſque enim tentatur, ut ſcriptum eſt, à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus. Ut autem ei non conſentiamus,* inquit idem, l. 2. de pecc. mer. & rem. cap. 4. *deprecamur adjutorium, dicentes: Et ne nos inferas in tentationem... ut, ſi fortè cœperimus tentari à concupiſcentiâ noſtrâ, adjutorio ejus non deſeramur, ut in eo* POSSIMUS *vincere, ne abſtrahamur illecti.*

Ut ergo rem in pauca contraham, manifeſtum eſt, quamdam eſſe poſſibilitatem quæ precibus impetratur, quæ ab ipsâ voluntate nunquàm ſejuncta ſit, & proindè non à ſufficienti gratiâ, ſed ab efficaci donetur; & hàc qui careat, ut caruit certè Petrus, de illo rectè dici, *carere eum gratiâ ſine quâ nihil poſſumus*, cùm eo adjutorio careat, *ſine quo*, ut ait Innocentius I. *omnes Sancti nihil ſe agere poſſe teſtantur.*

Hic Chriſtianæ pietatis ſenſus ſic altè omnium fidelium mentibus impreſſus eſt, ut non aliter loqui vel cum Deo, vel cum hominibus, poſſint, quoties ex affectu potiùs proprio, quàm ex anticipatis opinionibus, loquuntur. Indicio erunt illi ipſi Jeſuitæ, qui gratiæ efficacis doctrinam ſocietatis totius Ordinis viribus oppugnant: è quibus unus nomine San-Jurius, pietatis famâ inter ipſos non poſtremus, in libro cui titulus eſt: *De cognitione Dei, & amore Domini noſtri Jeſu Chriſti*, p. 2. l. 3. c. 8. ſect. 2. ita de humilitate loquitur: *Cognoſcit humilis quàm imbecillæ ſint vires hominum, qui quantumlibet ſufficientibus auxiliis inſtructi ſint,* NIHIL TAMEN SINE EFFICACIBUS BONI FACERE POSSUNT. En blaſphemas, hæreticas, impias illas voces, in quas paſſim Jeſuitæ debacchantur, à celeberrimo Jeſuitâ, in eo libro quem maximè ipſi commendant, diſertis verbis expreſſas.

ARTICULUS XI.

Primæ Partis concluſio.

LOngè plura poterant ex Patribus & Scholaſticis congeri teſtimonia, ad illam loquendi rationem, *Sine gratiâ efficaci nihil boni fieri poteſt*; ab omni erroris ſuſpicione vindicandam. Nam, ſi eam quam potui copiam conſectatus eſſem, non jam mihi libellus exiguus, ut inſtitui, ſed ingens volumen conficiendum fuiſſet. Illis tamen quæ raptim in hoc ſcriptum contuli teſtimo-

niis, iſta ni fallor conficiuntur.

1. Senſum hunc catholicum & orthodoxum eſſe, ſine gratiâ efficaci nihil bene fieri, neque hæc duo componi poſſe; ut qui eâ deſtitutus ſit, bene tamen operetur.

2. De gratiâ efficaci rectè & catholicè dici, ſine eâ tentationes vinci & ſuperari non poſſe, cùm ita loquantur Scripturæ, Pontifices, Concilia, Patres, Scholaſtici, tota denique Eccleſia.

3. Sententiam his verbis intellectam à Patribus, quæcunque tandem illa ſit, non modò orthodoxam eſſe, ſed ad fidem planè pertinere, cùm in eâ ſitum eſſe docuerint catholicum illud dogma adversùs Pelagianos ab Eccleſia definitum, ſine gratiâ Dei nihil boni fieri poſſe.

4. Duarum iſtarum ſententiarum, *Sine gratia nihil poſſumus:* &, *ſine gratiâ efficaci nihil poſſumus*, eundem planè apud Patres ſenſum eſſe; nec alteram ad fidem pertinere poſſe, quin altera quoque pertineat.

De quo ſi quis adhuc ambigat, illud cogitet infinitis penè locis ab illis Patribus, qui adversùs Pelagianos & Semipelagianos ſcripſerunt, dictum eſſe, Sine gratiâ nihil fieri poſſe; & tamen illis omnibus locis ſignificatam eſſe gratiam efficacem. Unde alterutrum conſequens eſt, vel illis locis non probari, ſine gratiâ nihil fieri poſſe, quod impium & nefarium; vel pariter probari, ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe; cùm nomine gratiæ efficacem ab illis intellectam eſſe, perſpicuum ſit. Hoc ſi quis negare ſit auſus, proferat ille vel unum Auguſtini & ejus Diſcipulorum locum, ubi in hoc lapſæ naturæ ſtatu *gratia ſine quâ nihil poſſumus* nomine intelligatur ea, quæ det tantùm *poſſe*, non *agere*. Proferat vel unum locum ubi illa Chriſti verba, *Sine me nihil poteſtis facere*, ad eam gratiam referantur, quæ det *poſſe* ab omni actu ſeparatum, & de gratiâ efficaci commodè intelligi non poſſit. Contrà verò plus quàm ſexcenta proferemus, ubi hæc eadem verba, vel ſimilia de gratiâ efficaci, ita manifeſtè interpretantur Patres, ut aliter intelligenda eſſe, nulli, non dicam Moliniſtæ, quid enim illi non audeant? ſed Thomiſtæ poſſint contendere.

Porrò cui conſtiterit hanc locutionem, *Sine gratiâ efficaci nihil fieri poteſt*, non modò innoxiam eſſe, ſed etiam ſacram, ejuſque ſenſum ex Patrum ſententiâ haud dubiè ad fidem pertinere, non opinor înficias ibit, ut minimùm illis verbis ſignificaſſe Patres hæc tria quibus contineri noſtræ propoſitionis ſenſum docuimus; nempe ſine gratiâ efficaci, quâ Petrus caruit, non haberi omnia ex parte adjutorii divini ad agendum neceſſaria. 2. Eum qui careat gratiâ efficaci, carere aliquo adjutorio ad agendum neceſſario, quod non ex ipſius nutu, ſed ex divina voluntate pendeat. 3. Fieri non poſſe

poſſe ut hæc duo inter ſe componantur : Petrus gratiâ efficaci caret ; & tamen bene agit.

Ex illis omnibus duo conſtare debent. Primum eſt, Propoſitionem meam, ſi verba ſpectes, veram, catholicam, Theologicam, Patrum & Scripturæ verbis expreſſam, eſſe ; ſi ſenſum, ad ipſa fidei fundamenta pertinere ; quippe quæ nihil aliud contineat, quàm capitale illud dogma contra Pelagianos definitum, Sine gratiâ efficaci nihil bene fieri ; ſive, quod idem eſt apud Patres, nihil bene fieri poſſe.

Alterum eſt, eos, qui Propoſitionem illam Chryſoſtomi & Auguſtini cenſurâ inuſſerunt, & horrenda blaſphemiæ, hæreſcos, impietatis nomina in illam contulerunt, utroque nomine Eccleſiæ honorem & fidem gravi injuriâ violaſſe. Nam, cùm ipſi hanc propoſitionem nullo addito ſenſu, nullâ exceptione damnarint, manifeſtum eſt eo ſenſu ab illis damnatam eſſe, qui verbis illis exprimi vulgò ſolet. Illis autem verbis catholicam ſententiam, ad fidem pertinentem, ſemper à Patribus expreſſam, docuimus. Quid igitur aliud ſequitur, quàm catholicam de gratiâ efficaci fidem eſſe damnatam?

Nec verò, etiamſi ſenſum non attigiſſent, illud leve flagitium eſt, quòd locutionem à Scripturâ uſurpatam, à Pontificibus ſancitam, à Conciliis conſecratam, à Patribus frequentatam, à Scholaſticis tritam, à totâ Eccleſiâ in preces aſcitam, pravâ interpretatione à quoquam corruptam eſſe nihil cauſati, hæreticam & blaſphemam pronuntiarint. Non enim Scripturæ tantùm ſenſibus honor habendus eſt, ſed etiam verbis, quibus tanquàm involucris veritas continetur. Atque ut ille planè ſceleratus ſit & impius, qui Chriſti corpus ſub panis ſpecie venerari ſe fingens, pedibus ipſas ſpecies obterat, & indignis modis habeat ; ſic non levi Deum injuriâ afficit, qui Scripturæ, id eſt, Dei verba, quæ *ſancta & adorabilia* à Conciliis appellantur, quia, ut ſæpe dicit Auguſtinus, illis veritas continetur, iis notis aſſiciat, quæ ſolùm in Dæmonis verba meritò conferantur.

Non ſum neſcius tamen, ſub ipſis Scripturæ vel Patrum verbis nonnunquàm ab hæreticis nefarios errores occultatos ; at tunc Concilia & Patres diligenter Scripturæ ſenſum ab illorum errore ſegregarunt, & hæretico tantùm dogmate rejecto, ſuam Scripturæ vel Patrum verbis auctoritatem aſſeruerunt.

Horum exemplum ſi ſequi potiùs ſtuduiſſent noſtri Cenſores, quàm iracundiæ & malevolentiæ ſuæ parere, nunquàm voces illas Auguſtini & Chryſoſtomi, ex Scripturis & Eccleſiæ perpetuo ſermone deſumtas, nullo expreſſo ſenſu damnaſſent. Si enim nefarius ille ſenſus, quem his verbis à me incluſum ſuſpicabantur, alicubi à me expreſſus erat, nihil fuit negotii illum potiùs locum, in quo meus hic er-

ror, quiſquis eſt, tandèm clarè & meis verbis enunciatus exſtabat, cenſurâ feriendum objicere, quàm innoxia Patrum verba contumelioſo anathemate percellere.

Sin autem nuſquàm erat expreſſus, ſed eum in mente meâ retruſum ſuſpicabantur; quæro quid illis juris fuit in mentem meam, quæ ſoli Deo patet. Quæro cur fidem mihi affirmanti, & ſenſum illum ejuranti, non adhibere libuit. Quæro cujus æquitatis fuerit, propter fictitium errorem in unius Theologi animo reconditum, perpetuam, certiſſimam, conſtantiſſimamque Patrum ſententiam, Patrum verbis enunciatam, hæreſeos damnare. Quæro denique cur illum commentitium errorem non aliquo ſaltèm veſtigio indicarint, ut à Patrum verbis in erroneum ſenſum aliquo pacto Cenſura detorqueri poſſet. Iſtud illos noluiſſe nemo credat. Eccui enim veriſimile fiet, maximum ab illis Cenſuræ ſuæ præſidium ſponte neglectum? Cur igitur omiſerunt? niſi quia omninò non potuerunt, nec minùs erroneus ille ſenſus ipſis ignotus fuit, quàm mihi adhuc ignotus eſt.

Verùm illi quando lubebit, ſententiam nobis ſuam patefacient; mea ſequentibus punctis continetur, è quibus quodnam anathemate damnandum putaverint, ex ipſis vehementer ſcire pervelim.

Qui Petrum, dum Chriſtum negavit, efficaci gratia ad vincendam tentationem neceſſariâ deſertum negat, quid dicat non attendit.

Qui ſine gratiâ efficaci tentationes utiliter vinci, & aliquod ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo, fieri bonum cenſet, Chriſtianæ & Catholicæ gratiæ inimicus eſt.

Qui propoſitioni Epiſtolæ meæ, in quâ dixi, *Gratiam ſine quâ nihil poſſumus Petro defuiſſe*, aliam ſententiam affingit ab eâ quam in hoc ſcripto & apologeticis expreſſi, *defuiſſe nimirùm Petro gratiam efficacem, ſine quâ tentatio nunquàm vincitur, & ſine quâ non habetur ea poteſtas, quæ complectitur omnia ad agendum neceſſaria*, iniquiſſimus eſt fraternæ conſcientiæ arbiter.

Qui ſenſum illum ſic verbis Patrum efferri poſſe negat: *Defuit Petro gratia ſine quâ nihil fieri poteſt*, in eorum ſcriptis rudem ſe profitetur.

Qui vel his verbis, vel huic ſententiæ, cenſuram infligit, in Patres, in totam Eccleſiam, contumelioſus eſt, quem his Bernardi verbis in Epiſt. 77. ad Hugonem refellere ſatis fuerit: *Non quærimus pugnas verborum, novitates quoque vocum juxta Apoſtolicam doctrinam evitamus. Patrum tantùm opponimus ſententias ac verba proferimus, & non noſtra: nec enim ſapientiores ſumus quàm Patres noſtri. Abundet ſanè in ſuo ſenſu qui vult, quantùm vult, dummodò nos patiatur in Patrum ſenſibus abundare.*

DISSERTATIONIS SECUNDA PARS

Quâ conciliatur illa ſanctorum Patrum locutio : Sine gratiâ efficaci nihil fieri poteſt ; *cum illorum Thomiſtarum doctrinâ, qui gratiam efficacem non ad poſſe, ſed ad velle, neceſſariam ſtatuunt.*

ARTICULUS I.

Scopus & concilium Secundæ illius Partis aperitur.

HAc propoſitionis meæ defenſione, quâ ſenſum ejus & verba in tuto poſui, facilè poteram adverſùs inimicos eſſe contentus ; nihil enim prætereà ad me pertinet. Itaque illis meritò reſiſtendum putavi, cùm diſputationem aliò avertere conarentur. Non enim illuſtrandæ veritatis ſtudio, ſed calumniandi libidine ducebantur ; qui cùm me ad novas quotidie quæſtiones pertrahere niterentur, cùm alias ex aliis calumnias confingerent, ſi quando poſt diuturnam patientiam à me repulſi eſſent, continuò ſcribendi me avidum, turbidum quemdam & inquietum, ac penè ſeditioſum, clamitabant; quaſi rerum omnium ea converſio facta ſit, ut calumniari impunè liceat, calumnias refellere non liceat. Ergo illis malo animo varia quærentibus, aut nihil omninò, aut invitus certè reſpondi ; optimis verò & erudiſſimis Theologis ab omni ſtudio contentionis abhorrentibus, ſolius veritatis amore incenſis, libentiſſimè me totum aperio, omneſque meos ſenſus ipſis cupio eſſe notiſſimos.

Imprimis illa Theologis omnibus regula figenda eſt, Eccleſiaſticam veritatem à duobus tantùm fontibus repetendam, Scripturâ ſcilicet & Traditione, quâ Pontificum Conciliorumque decreta, & Patrum ſenſa continentur. Aliorum Theologorum ad hanc normam & ſenſus & verba expendenda ſunt ; non autem Scripturæ vel Traditionis ſententiæ & voces ad ullius privati Theologi arbitrium revocandæ. Equidem multùm tribuo Scholaſticis Doctoribus, nec unquàm ab hâc ſcientiâ alienus exſtiti ; ſed tamen non ſine quâdam dedignatione fateor me nonnullos intueri, qui ſcholaſticorum placita Patrum ſenten-

ſententiis opponant, cùm omnis recentiorum auctoritas ex antiquitate petenda ſit.

Cùm igitur illud demonſtraverimus, ac fortaſſe prolatis omnium Eccleſiæ temporum & ſcriptorum teſtimoniis latiùs alibi, ſi neceſſe fuerit, demonſtraturi ſimus, hanc in omnium animis & ſermonibus impreſſam ſententiam, *Sine gratiâ nihil fieri poſſe*, non aliter quàm de gratiâ efficaci ab omnibus Patribus intellectam; ſupereſt ut de eâ omnes Theologi convenire, & ſententias ſuas ac loquendi modum ad illas accommodare, debeant; nedum ut ipſam, quaſi privatis opinionibus ſuis parùm congruentem, damnare vel improbare audeant.

Sed, ut antiquitatis doctrinam inflectere ad ſcholaſticorum ſenſa æquum non eſt, ſic illud imprimis pium, oſtendere nihil ab antiquis Patribus primarios ſcholæ Doctores diſſidere. Id mihi hâc in parte propoſitum eſt: ex quâ, ni fallor, omnes perſpicient, in omnium Thomiſtarum, tum antiquorum, tum recentiorum, ſententiâ peræquè verum eſſe, *Sine gratiâ efficaci nihil nos poſſe*; nec quicquam intereſſe ad illius propoſitionis veritatem, utrùm illi gratiam efficacem ad *velle* ſolùm, an etiam ad *poſſe*, neceſſariam ſtatuant; ad actum primum vel ad ſecundum dari fateantur; potentiam proximam Thomiſtico ſenſu, ſive tantùm remotam, non habentibus gratiam efficacem, concedant: quod ut præſtem, variæ mihi Theologorum de gratiâ efficaci rectè ſentientium opiniones referendæ ſunt.

ARTICULUS II.

Conſenſio & diſſenſio Thomiſtarum inter ſe breviter aperitur.

Imprimis conſtans & perpetua eſt omnium Thomiſtarum doctrina.

1. Gratiam efficacem ad omnia pietatis opera, & ad ipſam orationem, neceſſariam eſſe, per modum adjutorii phyſicè prædeterminantis voluntatem.

2. Certùm eſt, apud illos efficaci gratiæ nunquàm ita reſiſti, ut effectum ſuum non habeat: quam doctrinam ita nuper adulterare conatus eſt Pſeudo-Thomiſta Nicolai ex Dominicana familiâ, ut diceret gratiam efficacem dici, non quia ſemper habet effectum, ſed quia ſemper habere poteſt: adeò illum non modò ſanctorum Patrum Auguſtini & Thomæ, ſed ne ſui quidèm Ordinis, ne omnium quidem eruditorum judicii pudet, quorum nemo ignorat inſignem hanc eſſe gratiæ corruptelam, ante hæc tempora inauditam.

3. Certum eſt, ſine gratia efficaci nihil unquàm boni fieri; imò repugnare ut actu aliquid

bene

bene fiat; quia repugnat, inquiunt, ut cauſa ſecunda bene agat, niſi præmoveatur & prædeterminetur à Deo.

4. Certum eſt, illam gratiam efficacem gratis à Deo dari, non ex meritis humanis, ſed ex ſolâ divinâ voluntate.

5. Certum eſt, etſi omnis gratia eum effectum habeat quem vult Deus, eſſe tamen nonnulla gratiæ divinæ auxilia, quæ non omninò voluntatem convertant, ſed bona tantùm deſideria in animâ excitent, quibus non plenè conſentiatur.

6. Certum eſt, illis motibus & imperfectis voluntatibus verè reſiſti in eo effectu ad quem ex naturâ ſuâ tendunt, non in eo ad quem ex divinâ voluntate deſtinantur.

7. Certum eſt, eſſe in omnibus juſtis veram obſervandi mandata potentiam per gratiam interiorem.

8. Certum eſt, iſtam potentiam non ejuſmodi eſſe ut complectatur ſemper omnia ad agendum prærequiſita: non enim ſemper habet adjunctam gratiam efficacem, ſine quâ illam in actum prodire repugnat.

9. Certum eſt, eos qui plurimùm huic potentiæ, cùm ſola eſt, tribuunt, talem illam cogitare, qualis eſt potentia viſiva in homine cui vigeant oculi, ſed qui in tenebris conſtitutus ſit: certum eſt, inquam, non minùs eſſe neceſſariam gratiam efficacem juſtis quâlibet aliâ potentiâ inſtructis, quam neceſſarium ſit lumen oculis valentibus; nec minùs repugnare, ut quis ſine gratiâ efficaci bene agat, quàm ut ſine lumine videat. Ita paſſim Thomiſtæ recentiores; & illorum princeps Alvares, ut mox videbimus.

Hæc ferè inter Thomiſtas conſtant, & unanimi conſenſu probantur: verùm in hoc veluti doctrinæ trunco inter ſe conjuncti, in minutionibus deinde naſcentium inde controverſiarum ramis à ſe invicem disjunguntur.

Ergo de iſtâ poſſibilitate, quàm juſtis citra gratiam efficacem ineſſe certum eſt, quidam illorum ita ſentiunt, illam eſſe perfectam, completam, proximam in actu primo, non autem in actu ſecundo. Alii contrà, ne in actu primo quidèm omninò perfectam & proximam eam potentiam appellant. Ita Zumel aliique à Ledeſmâ citati. Primi conſequenter loquentes, gratiam efficacem non ad *poſſe*, quod completum ſupponit per ſufficientem gratiam, ſed ad *velle*, neceſſariam, ſtatuunt. Alii verò per gratiam efficacem potentiam proximam conferri contendunt, licèt in juſtis ſit ſemper alia gratia quæ poſſe remotius conferat.

Rursùm Thomiſtæ de naturâ gratiæ illius quæ dat *poſſe*, inter ſe diſſident. Quidam enim ex illis eam ſemper actualem eſſe volunt, ut Alvaris diſcipuli; alii, ut veteres Thomiſtæ, Capreolus, Cajetanus, Ferrarienſis, & quidam etiam è noſtris Cenſoribus, putant poteſtatem illam, quæ juſtis

juſtis ineſt, ſeclusâ efficaci gratiâ, per gratiam habitualem ipſis conferri, quamvis ſæpe etiam iis motibus roboretur, qui conſenſum perfectum non eliciant.

3. De ipſis vocibus aliqua eſt inter gratiæ efficacis patronos diſceptatio. Quidam enim, ut Lovanienſes & Duacenſes in Cenſuris ſuis, gratiæ ſufficientis nomen nonniſi efficaci tribuunt; adeóque negant, adeſſe ullis Chriſti gratiam quæ ad juſtè vivendum ſufficiat, niſi illis in quibus Deus operatur velle, & facit ut in præceptis ſuis ambulent: *Non operatur autem*, inquiunt, *Deus velle in eo qui non vult, nec facit in præceptis ſuis ambulare eum, qui adhuc bene velle recuſat. Non eſt igitur in eo gratia ſufficienter præparans.* Alii verò, ſufficientis gratiæ nomen alio ſenſu accipientes, vel gratiæ habituali illud tribuunt, vel illis gratiæ actualis motibus, qui ad perfectum voluntatis conſenſum diſponunt, ſed illum non omninò efficiunt: ita plerique Thomiſtæ recentiores. His poſitis quæritur, utrùm in omnium illorum Theologorum ſententiâ verum ſit, *Sine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe.* Vehementer enim huic ſententiæ repugnare videntur ii, qui citra gratiam efficacem *poſſe* perfectum voluntati tribuunt, nec gratiam efficacem ad *poſſe* neceſſariam ducunt, ſed tantùm ad *velle*: de quo quid ſentiendum ſit, ſequentibus articulis inquiremus.

ARTICULUS III.

Exponitur & ſolvitur quæſtio, ex duplici acceptione vocis poſſe *ab Alvare traditâ.*

INter omnes Theologos gratiæ efficacis aſſertores conſtat, ut jam vidimus, illam ad omnem bonam voluntatem ita neceſſariam eſſe, ut niſi adſit, hoc eſt, niſi bonam voluntatem in corde hominis operetur, nullus unquàm ſit in homine bonæ voluntatis motus. Idque ab Apoſtolo his verbis traditum: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & operari.*

Dum ergo nonnulli ex iis docent, gratiam efficacem non ad *poſſe*, ſed tantùm ad *velle*, neceſſariam eſſe, ſive dare tantùm *velle*, non autem *poſſe*, eo tantùm ſenſu id intelligere poſſunt, quòd gratia efficax non det aliquam volendi virtutem antecedentem ad ipſum velle, & ab ipſo diſtinctam: ut qui ſecurim ad ſecandum impellit, non dat ſecuti novam ſecandi virtutem, quam ante non haberet, ſed eam, quæ ſecuri jam inerat, ad opus applicat. At verò nunquàm illorum Theologorum mens fuit, ante gratiam efficacem ineſſe omnia ad volendum & agendum neceſſaria, cùm id contrà expreſsè negent, ut videre eſt apud Alvarem, diſp. 79. n. 1. & 2.

&

& Navarretam, Tom. 2. controv. 19. §. 1. ac cæteros Thomiſtas. Neque aliter ſentire poſſunt, cùm gratiam efficacem ad volendum & agendum neceſſariam ſtatuant.

Si ergo vox illa, *poſſe*, non pro ſola interna agendi virtute ſumatur, ſed pro complexu omnium tum cauſarum tum conditionum, quæ ad agendum neceſſariò prærequiruntur, tunc nihil repugnabit, ut ſine aliquo habeatur *poſſe* primo ſenſu (quia habetur agendi virtus) ſine quo tamen non habetur *poſſe* ſecundo ſenſu, quia non habentur omnia ad agendum neceſſariò prærequiſita: ut cui vigent oculi, poteſt utique videre propter internam videndi potentiam; idem tamen dicitur non poſſe videre, propter abſentiam luminis ad videndum neceſſarii.

Nec verò nobis ad arbitrium excogitata eſt duplex illa vocis *poſſe* ſignificatio; ſed ab ipſis Thomiſtis cognita & explanata. Quâ de re locus illuſtris eſt apud Alvarem, diſp. 79. n. 2. *Supponendum eſt*, inquit, *cum Cajetano, Ferrarienſi & Medina, quòd dupliciter intelligitur liberum arbitrium poſſe per aliquod auxilium producere aliquem actum. Primo modo abſolutè & ſimpliciter, hoc eſt, ſine addito, ſicut cùm aſſerimus hominem per potentiam viſivam poſſe videre; quia videlicet, quantùm eſt ex parte potentiæ, per quam conſtituitur in actu primo ad videndum, non requiritur ut verè dicatur poſſe videre, quòd ſuperaddatur illi alia potentia aut virtus, tribuens in actu primo ipſum poſſe videre; quamvis ultra potentiam viſivam alia plura requirantur, ut quis actu videat. Unde ex ſolâ potentiâ non poteſt inferri uſus, ſeu operatio illius in actu exercito. Et in hoc ſenſu aſſerendum eſt, per auxilium ſufficiens verè poſſe hominem operari actum illum, comparatione cujus dicitur ſufficiens, etiamſi nunquàm ſit operaturus, niſi Deus auxilio efficaci efficiat, ut illud poſſe reducatur ad actum ſecundum. Secundo modo id poteſt intelligi de principio, ſive auxilio, quo poteſt completè operari, ita videlicet, ut non ſolùm habeat quis principium quo verè poſſit operari, ſed etiam habeat complementum, quo in ipſo exercitio operetur & velit.*

Non hîc unus Alvares loquitur, ſed præcipui quique è Thomiſticâ ſcholâ Doctores. Sententiæ ſuæ auctorem habet Cardinalem Cajetanum in 1. 2. qu. 109. a. 10. à quo illam ipſam luminis comparationem mutuatus eſt. Auctorem item habet Franciſcum Ferrarienſem illuſtriſſimum S. Thomæ interpretem, in lib. 3. cont. Gent. c. 155. Habet Bartholomæum Medinam in eundem ac Cajetanus locum. Alvarem verò ſequuntur quicumque deinceps ſcripſerunt, & ſummo conſenſu definiunt ſine gratia efficaci non haberi omnia ad agendum neceſſaria. Hinc verò quæſtio noſtra planè ſolvitur: neque ulli, poſthac dubium eſſe poteſt, quin Thomiſtæ, etiam illi quos hactenùs maximè nobis adverſari jactatum

ctatum eſt, nobiſcum faciant.

Fatentur enim, duplicem eſſe vocis *poſſe* acceptionem: unam, cùm ſumitur ex parte potentiæ & actus primi, id eſt, pro internâ virtute; alteram, cùm ſumitur pro *poſſe* completo, & pro complexu omnium quæ neceſſaria ſunt ad agendum. Fatentur per ſolam ſufficientem gratiam, id eſt, ſine efficaci, non haberi *poſſe*, niſi primo ſenſu. Fatentur, ut docet Alvares initio numeri ſequentis, per ſolam gratiam efficacem haberi *poſſe* ſecundo ſenſu, & in hoc omnes utriuſque partis auctores convenire. Ex quo conſequens eſt, eum, qui ſine efficaci gratiâ nihil fieri poſſe dicit, ſi vocem illam *poſſe* ſecundo illo ſenſu ſumat, nullo modo ab Alvare, nec ab ullis Thomiſtis diſſentire. Nam, ſi affirmant, quod non ita frequenter apud illos invenias, imò aliqui falſum putant, *Sine gratiâ efficaci homines aliquid poſſe*, vocem *poſſe* pro virtute agendi uſurpant; non autem pro complexione omnium cauſarum. At cùm affirmavi in hoc ſcripto, & in epiſtolâ, *Sine gratiâ efficaci nihil nos poſſe*, vocem illam accepi pro complexu omnium cauſarum & conditionum, quæ neceſſariæ ſunt ad agendum, ut teſtor, & ſæpe aliàs teſtatus ſum.

Ita Thomiſtarum ſententiam nihil omninò læſi: manet ipſis defendendæ illius plena & integra libertas. Quod inter ipſos convenit, non haberi completum illud *poſſe*, quod complectitur omnia prærequiſita ad agendum ſine gratiâ efficaci, id aſſerui: quod dubium inter ipſos, utrum ſine gratiâ efficaci habeatur interna virtus perfecta, primus actus immediatus & proximus, omninò non attigi.

Supereſſe tantùm poteſt levior contentio, uter illius vocis *poſſe* ſenſus uſitatior, & rationi congruentior. Cùm enim clarum ſit ex jam dictis, hominem, verbi gratia, qui ſanos oculos habeat, ſed careat lumine, verè dici *poſſe* videre, propter facultatem videndi quam habet; & *non poſſe*, propter abſentiam luminis: quæritur, utrùm uſitatiùs & rationi congruentiùs dicatur *non poſſe* videre, quàm *poſſe*. Quam quæſtionem à nullo Theologo, quòd ſciam, ex profeſſo diſputatam, etſi rectè poteram omittere, tamen ut clariùs adhuc appareat, quàm verè toties dixerint Patres, ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe, non abs re erit, & ratione, & communi omnium ſermone, & Traditionis perpetuo loquendi modo confirmare uſitatiſſimè ſumi vocem illam *poſſe* pro conjunctione omnium cauſarum & conditionum; ita ut ſi aliqua conditio, licet non ad virtutem agendi, ſed ad ipſam actionem pertinens, deeſſe ſupponatur, ſæpiùs negetur *poſſe*, quàm affirmetur. Hoc ſequentibus articulis præſtabimus.

ARTICULUS IV.

Uſitatiùs de eo cui deeſt aliquid neceſſarium dici non poſſe, *quàm* poſſe; *etiamſi illud quod deeſt ad potentiam non pertineat. Variæ obſervationes circa illorum verborum uſum.*

Rationis in rebus Theologicis minus eſt pondus, imò nullum eſt adversùs apertam auctoritatem; valet tamen ipſa permultùm ubi auctoritati non repugnat, ſed concinit: quod in præſenti negotio cernere eſt. Eſt enim illud in omnium mentibus inſitum & impreſſum, atque inde in omnium ſermonem tranſlatum, ſi quid ad actionem neceſſarium deſit, actionem illam fieri non poſſe; ſi quid ad confectionem rei neceſſarium non adſit, rem confici nullo modo poſſe. Ex quo manavit illa neceſſarii definitio toties à S. Thomâ repetita: *Neceſſarium id eſt, ſine quo res eſſe non poteſt.*

Neque verò neceſſarii nomine id ſolum intelligi debet, quod requiritur ad agendum, tanquàm cauſa agens & efficiens, tanquàm virtus agenti indita; ſed etiam illud omne, ſine quo res non fit, ſive ſit inſtrumentum, ut cum penicillus dicitur neceſſarius ad pingendum; ſive tantùm conditio ſine qua non, ut vulgò in ſcholis loquuntur, ut admotio ligni ad focum. Horum enim omnium ſi quid deſit, rectè dicitur rem fieri non poſſe, actionem eſſe non poſſe.

Verùm ut iſtius rei ratio penitiùs perſpiciatur, illud diligenter attendendum eſt, duobus modis quæri, utrùm aliqua cauſa agere poſſit: 1. abſolutè, omnibus ad agendum neceſſariis nec expreſſis nec excluſis, ut cùm quæritur, utrùm homo poſſit videre: 2. excluſâ aliquâ conditione ad agendum neceſſaria, ut cùm quæritur, utrùm aliquis poſſit videre ſine lumine.

Quod ad primam quæſtionem pertinet, illud modo ſpectare ſolent homines, dum huic reſpondent, utrùm res, de quâ quæritur an poſſit aliquid facere, habeat internam agendi virtutem: ſi habet, reſpondent *poſſe*; ſi non habet, *non poſſe*. Aliæ enim conditiones, cùm non ſint excluſæ, ſupponi ſolent. Verbi gratiâ, ſi de illo à nativitate cæco, cui Chriſtus viſum reſtituit, quæſitum à Judæis fuiſſet, utrùm videre poſſet: qui eum ſanatum noverant, poſſe videre reſpondiſſent; qui iſtud ignorabant, non poſſe. Quâ in reſponſione neutri eorum attendiſſent luceret-ne, an non luceret, ſed utrùm haberet videndi potentiam, an non haberet.

Ad poſteriorem verò quæſtionem, in quâ negatur aliquid ad agendum neceſſarium, omnes vulgò homines, ipsâ duce ac magiſtra natura, negativè reſpondent,

dent, ſive illud quod deeſt ad potentiam pertineat, ſive non pertineat, ſed tantùm ſit conditio ad agendum prærequiſita, & ſine quâ non agitur. Ita ſi quæratur ab aliquo, utrum videre poſſit in tenebris, nemo eſt qui non reſpondeat, ſe non poſſe; & ſi quis affirmetur noctu videre poſſe, prodigii loco res habebitur, neque alio ſenſu id intelligetur, quàm quomodò feles, noctuæ, & ſimilia animantia, noctù dicuntur videre. Similiter, ſi de pictore abſolutè quæratur an poſſit pingere, poſſe dicent omnes qui ejus in pingendo peritiam noverint: ſi verò quæratur, an ſine penicillo poſſit pingere, iidem ipſi poſſe negabunt. Roget quis, an ignis poſſit lignum comburere; quis non affirmet? Adde hypotheſim, ſi non admoveatur foco, ſed toto milliari ab igne diſſitum ſit, quis tunc non neget comburi poſſe? Nec tamen vel admotio ligni ad focum, vel penicillus, vel lumen, ad internam comburendi, pingendi, videndique potentiam pertinent.

Ergo ut ejuſmodi exempla, nam innumera proferri poſſent, ad noſtrum inſtitutum transferamus; ſi de juſto abſolutè quæratur, an poſſit obſervare mandata Dei, proculdubiò poſſe reſpondendum eſt, quia tum attenditur ad internam bene agendi virtutem, quam in ſanctificatione accepit; & ipſa auxilia gratiæ cùm non excludantur, adfore ſupponuntur, ut re-verâ adeſſe omnibus juſtis qui piè vivunt à poſteriori rectè concluditur. Unde ſi quis abſolutè diceret, juſtos non poſſe ſervare mandata, vel illud dicere cenſeretur, nullam in ipſis eſſe per gratiam ſervandi mandata facultatem, quod erroneum; vel cum Calviniſtis ſentire putaretur, nunquàm adeſſe juſtis ea gratiæ auxilia quibus re-vera mandata impleantur.

Sin verò de aliquo juſto, cui gratia efficax in aliquâ tentatione deſit, quæratur, an ſine gratia efficaci ad vincendam tentationem neceſſariâ, quam ſupponimus ipſi defuiſſe, tentationem vincere potuerit; tunc ex communi omnium loquendi ratione reſpondebitur, non quidèm abſolutè, ſed in illa hypotheſi, ſine hac gratiâ non potuiſſe. Quod ſi quis rectè dici neget, neget etiam oportet rectè dici hominem non poſſe videre ſine lumine, pictorem non poſſe pingere ſine penicillo, ignem non poſſe comburere lignum milliari diſſitum. Sin verò iſtas loquendi rationes, omnium ſermonibus tritas, nemo mendacii & erroris arguat, quin in omnium riſum incurrat, quantumvis clamitet etiam in tenebris integram eſſe videndi potentiam, pingendi artem totam eſſe in pictore, qui penicillum non habeat, vim urendi eſſe in igne, à quo lignum diſtet; quis non videat non minùs abſurdum eſſe, qui præfractè neget rectè dici, hominem juſtum ſine gratiâ efficaci tentationem ſuperare non poſſe, quantumvis exiſtimet, ſine gratiâ efficaci haberi plenam,

proxi-

proximam, integram, tentationis vincendæ potentiam, modò fateatur, ut omnes Thomiſtæ fatentur, gratiam efficacem eſſe non minùs neceſſariam ad velle, & ad tentationem re ipsâ ſuperandam, quàm lumen ad videndum, penicillum ad pingendum, admotionem ligni ad comburendum?

Ex iiſdem exemplis intelligi licet, quàm falsò quidam, præpoſterè ſubtiles, ſibi perſuaſerint, ideò non rectè dici, ſine gratiâ efficaci juſtum bene agere non poſſe, quia, ut aiunt, hæc propoſitio, cùm ſit negativa, & ideò malignantis naturæ, totam perimit potentiam. Magnifica verba, ſed ſenſus inania! Quaſi verò idem ſit dicere, aliquem in tenebris videre non poſſe, & illum cœcum eſſe: quaſi verò eadem Raphaëli Urbinati fieret injuria, ſi dicatur ipſum pingere non potuiſſe ſine penicillo, ac ſi diceretur eum omninò pingere non potuiſſe, nec ullam pingendi artem ac virtutem habuiſſe.

Quod totum contrà eſt ac illi exiſtimant. Ex certiſſimo enim & pervulgatiſſimo axiomate, Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu: *poſſe* autem ad bonum pertinet, *non poſſe* ad malum, niſi cùm κατηγορηματικῶς uſurpatur; ut cùm Deus dicitur non poſſe mori, non poſſe ſeipſum negare; quod non impotentiæ eſt, ſed poteſtatis. Quare propriè loquendo, longè plura requirit *poſſe*, quàm non *poſſe*. Etſi enim, cùm ad ſolam agendi virtutem attenditur, rectè dicatur agere poſſe qui eâ pollet; ferè tamen in animo ſic loquentis tacita ineſt hæc conditio, ſi cætera omnia ad agendum neceſſaria adſint. Bonum enim, quale eſt *poſſe*, ex integrâ causâ; at verò ad *non poſſe*, quilibet rei neceſſariæ ad agendum defectus ſufficit; malum enim, quale eſt *non poſſe*, ex minimo defectu.

Quamobrem ut juſtus dicatur poſſe obſervare mandata, prout vulgò homines vocem illam *poſſe* uſurpant, requiritur non ſolùm ut habeat internam potentiam, ſed ut prætereà tacitè ſupponantur affore aliæ conditiones ad agendum neceſſariæ; at verò ut negetur poſſe, ſatis eſt ſi deſit aliqua conditio ad agendum neceſſaria, qualis eſt ex omnium Thomiſtarum conſenſu gratia efficax.

Non nego tamen, quin bono ſenſu dici poſſit, juſtum ſine gratiâ efficaci bene agere poſſe, propter ipſam internam potentiam, & ut loquitur S. Thomas, *quantum ad ſufficientiam operativæ virtutis*; ſed illud ſolùm contendo, ſignificationem illam verbi iſtius *poſſe*, cùm uſurpatur pro ſolâ potentiâ, etiamſi deſit aliqua conditio ad agendum neceſſaria, eſſe minùs vulgarem & tritam. At verò cum ſumitur pro complexione omnium tum cauſarum tum conditionum, quæ ad agendum requiruntur, eſſe & magis propriam, & in uſu ita frequentem, ut nunquàm ferè aliter homines loquantur. Viderunt hoc illi Thomiſtæ, qui eam ob cauſam hanc propoſitionem: *Poteſt homo bene agere ſine gratiâ*

gratia efficaci, falſam eſſe pronunciarunt. *Non enim*, (inquit Navarreta jam à nobis citatus, Cont. 19. in 1. part. qu. 19.) *hæ duæ propoſitiones eundem ſenſum efficiunt; ſcilicet: Homo cum auxilio ſufficienti, præſcindendo ab efficaci, poteſt converti ad Deum; Et hæc: Homo ſine auxilio efficaci, cum ſolo ſufficienti, poteſt converti ad Deum.* Prior vera eſt ex illo auctore; quia præſcinditur tantùm à gratia efficaci, non autem illa negatur. Poſterior falſa, quia *denotat quod operatio poteſt ſequi de facto ſine auxilio efficaci;* QUOD TAMEN FALSUM EST. Nonne id ipſum eſt, quod hoc toto articulo probavimus, multùm differre, an abſolutè & ſimpliciter de juſto quæratur, *utrùm poſſit tentationes vincere;* an verò quæratur, *utrùm id poſſit ſine gratia efficaci?* Ad priorem enim quæſtionem meritò reſponderi *eum id poſſe* per gratiam in juſtificatione acceptam, à quâ præſcinditur tantùm in illâ propoſitione, non excluditur gratia efficax. Ad poſteriorem verò, in quâ illa disertè abeſſe dicitur, longè rationi congruentius loqui, qui *non poſſe* reſponderit.

Sed quoniam à vulgari ſermone nonnunquàm Eccleſiaſtica loquendi ratio diſcrepat, operæ pretium erit hìc oſtendere notiones illas verborum quas attulimus antiquorum Patrum menti planè conſentaneas eſſe.

ARTICULUS V.

Idem probatur ex præclaro Sancti Anſelmi loco.

NOn hìc conſilium eſt ea congerere, quæ jam attulimus in prima parte, ut illud probaremus, *Sine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe;* ſed aliquot tantùm Patrum locis oſtendere, communem apud ipſos eſſe vocis *poſſe* notionem, ut, quamvis aliundè poteſtas agendi non deſit, dicatur tamen *non poſſe*, cui deeſt aliquid ad agendum neceſſarium.

Inſignis ea de re locus S. Anſelmi in Dial. de lib. arb. c. 3. in quo luculenter oſtendit: primùm quidem poſſe nos habere agendi poteſtatem, etiamſi ea deſint ſine quibus ad actum poteſtas illa minimè perducitur. 2. Si illa deſint, nos agere *non poſſe*, quamvis alioqui non deſit agendi poteſtas: *Nullam*, inquit, *poteſtatem habemus, ut puto, quæ ſola ſibi ſufficiat ad actum; & tamen cùm ea deſunt ſine quibus ad actum minimè perducuntur noſtræ poteſtates, non minùs eas, quantùm in nobis eſt, habere dicimur: ſicut nullum inſtrumentum ſolum ſufficit ad operandum; & tamen, cùm deſunt illa ſine quibus inſtrumento uti nequimus, inſtrumentum nos cujuſlibet operis habere ſine difficultate fatemur. Quod ut in multis advertas in uno tibi monſtrabo. Nullus viſum habens dicitur nullatenùs videre poſſe montem:* cui diſcipulus reſpondet: *Qui montem*

tem videre non poteſt, profectò nullum habet viſum.

En quod ſuperiori articulo diximus, cùm de eo qui cæcus non eſt, abſolutè quæritur utrùm videre poſſit, ſine dubio reſponderi debere, videre eum poſſe. Diſpiciendum verò, utrùm idem reſponderi debeat, cùm aliquid abeſſe ſupponitur eorum quæ ad videndum neceſſaria ſunt. Sic igitur pergit Anſelmus: *Habet ergo poteſtatem & inſtrumentum videndi montem qui viſum habet, & tamen ſi mons abeſt, & dicis ei; Vide montem, reſpondet tibi;* NON POSSUM *quia abeſt; ſi adeſſet, poſſem videre. Item ſi mons adeſſet & lux abeſſet, reſponderet ſe montem* NON POSSE *videre, quia non poſſet abſente luce; ſed ſi lux adeſſet, tunc poſſet. Rurſum ſi viſum habenti lux & mons præſens eſt, & aliquid viſui obſtet, velut ſi aliquis illi oculos claudat, dicet ſe* NON POSSE *videre montem; ſed ſi nihil viſui ejus obſiſteret, tunc ſine dubio montem videndi poteſtatem haberet,* plenam ſcilicet & expeditam. Ante enim dixerat, etiamſi illa deeſſent ſine quibus non agitur, nos tamen habere agendi poteſtatem.

Sed quod attinet ad vocem *poſſe*, de quâ ſolâ hîc quæſtio eſt, ubicunque deeſſe ſupponitur aliquid ad videndum neceſſarium, ſemper affirmat S. Anſelmus videre non poſſe etiam qui perſpicaciſſimos oculos & internam videndi facultatem omninò integram habet. Quid autem ad hæc diſcipulus? *Hoc totum*, inquit, *omnibus notum eſt.* Ut mira planè videri poſſit noſtrorum temporum malè feriata ſubtilitas, quæ in iis locutionibus hæreſes, blaſphemias, impietates, quærit, quas qui neget, ex Patrum mente communi omnium ſenſui bellum indicat: neceſſe eſt, vel contentionis ſtudio eò abripiatur, ut ignorare ſe fingat *quod omnibus notum eſt.*

ARTICULUS VI.

Uſitatiùs dici non poſſe videre qui lumine carere ſupponitur, quàm poſſe, probatur ex variis locis Patrum: Juſtus autem ſine gratiâ efficaci eſt ſicut oculus ſine luce, ex omnibus Thomiſtis.

HOc loco Anſelmi admonemur, ut argumentum illud ex lumine deſumtum paulò uberiùs proſequamur. Eò enim validius eſt, quòd omnes Thomiſtæ fatentur, gratiam efficacem non minùs neceſſariam eſſe ad bonam voluntatem eliciendam, quàm lumen ad viſionem exercendam; eamque poteſtatem quæ gratiam efficacem antecedit, à gratiâ ſufficiente profectam, talem eſſe, qualis eſt poteſtas viſiva lumine deſtituta. Unde, quemadmodum apud ipſos gratia ſufficiens eſt verè ſufficiens, verbi gratia ad credendum, licet requirat ad credendum actu auxilium efficax: ſic

viſiva facultas eſt principium ſufficiens ad videndum, licèt lumine indigeat ad actu videndum: ſicut gratia ſufficiens dat poſſe bene agere, ita facultas viſiva dat poſſe videre. *Potentia viſiva*, inquit Alvares diſp. 79. n. 3. *eſt ſufficiens principium ad videndum, etiamſi actualis viſio nunquàm fiat niſi accedente lumine, & causâ univerſali eam movente. Ergo ſimiliter auxilium ſufficiens ad credendum eſt verè ſufficiens in ſuo genere, quamvis ultra illud ſit ſimpliciter neceſſarium auxilium efficax quo Deus efficit ut homo credat.* Et n. 2. in loco jam ſuprà citato vidimus Alvarem ex primariorum Thomiſtarum ſententiâ docentem, eodem tantùm modo bene agere nos poſſe per gratiam ſufficientem ſine efficaci, quo modo poſſumus videre per viſivam potentiam ſine lumine.

Ut ergo illud exploretur, utrùm Patrum ſermoni congruentiùs loquantur, qui aiunt *hominum ſine gratiâ efficaci poſſe bene agere*, an qui dicunt, *non poſſe*, videndum eſt quo pacto loquantur Patres de oculo ſano, ſed lumine deſtituto. Nam, ſi crebriùs dicant *eum poſſe videre ſine lumine*, quàm *non poſſe*, conſequens erit rectiùs dici, *juſtum ſine gratiâ efficaci bene agere poſſe*, quam *non poſſe*; ſin autem contrà, contrarium certè colligendum erit.

Jam verò libenter quæſierim, non à Thomiſtis, nam illi quidem parùm hac de re ſenſum ſuum aperuerunt, ſed à quibuſdam Theologis, quibus hæc loquendi ratio, *Sine gratiâ efficaci aliquid fieri poteſt*, (quam Navarretta falſam eſſe contendit) ſic propria & uſitata videtur, ubinam apud ſanctos Patres legerint, *Oculum ſanum ſine lumine videre poſſe*, quod profectò in illorum ſcriptis non memini me reperire. Contrà verò ſæpiſſimè in illis legi, oculum quantumvis ſanum ſine lumine videre non poſſe: non repetam quem ex Anſelmo jam retuli locum, ubi diſertè ait abſente luce montem videre non poſſe qui videndi facultate præditus eſt; aliquot hîc adjungam tantùm ex Auguſtino loca, plura prolaturus ſi opus ſit.

Auguſtinus igitur lib. 2. de pecc. meritis & rem. c. 5. ſic loquitur. *Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce; ut ab eâdem luce clauſus averſuſque diſcedat; ut autem videat, adjuvatur ab eâ;* NEQUE HOC OMNINO, *niſi illa adjuverit*, POTEST: *ita Deus, qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum, ut non ſecundùm noſtram, ſed ſecundùm ejus juſtitiam boni aliquid operemur.* Et de nat. & gr. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo, etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè* NON POTEST *vivere.* Et ep. 106. *Sicut ſanos oculos firmos dicimus ad videndum, quod tamen* NULLO MODO FACERE POSSUNT, *ſi deſit lucis auxilium.* Denique l. de geſtis Pelagii c. 3. SUFFICIT *ſibi oculus* AD NON VIDENDUM, *hoc eſt, ad*

tene-

tenebras; ad videndum verò lumine ſuo non ſibi ſufficit, niſi illi extrinſecùs adjutorium clari luminis præbeatur.

Idem habes in Epiſtola ſynodali Conc. Sardinienſis loco jam à nobis citato. *Sic namque eſt*, inquit, *liberum hominis arbitrium abſque dono gratiæ, ſicut eſt oculus ſine luce: ſicut ergo corporis oculus ſemper indiget lumen accipere, ut ipſum* POSSIT *aſpicere, ſic & libero arbitrio hominis nulla poteſt gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ ſpiritualis infuſio.* Plura referre nihil neceſſe eſt. Facilè enim, credo, impetrabimus ab illis Theologis, ut ſi nullum proferre locum potuerint ubi ſine luce videri poſſe Patres affirment, multa nos afferamus quibus id negent, liceat nobis eandem, quam utique profitemur de gratiæ efficacis neceſſitate ſententiam, ſic efferre quemadmodum Patres extulerunt. Sed obiter hîc lectores monitos volo, ut vix ullam ſimilitudinem invenire eſt undequaque perfectam, ſic in illâ lucis comparatione, licèt aptiſſima, & ab Auguſtino ſæpe uſurpatâ, nonnullam tamen diverſitatem ineſſe. Exprimit illa quidem neceſſitatem gratiæ efficacis: nec enim minùs neceſſaria eſt illa gratia ad bene agendum vel orandum, quàm lumen ad videndum; ſed in eo diſcrepat, quòd qui lumine caret videre non poteſt, etiamſi velit. At verò qui caret gratiâ efficaci bene ageret & oraret utique, ſi vellet. Totum enim illud bene agere & orare in ipsâ voluntate ſitum eſt: & ideò fit cùm volumus. Quamobrem ſemper eſt hoc ſenſu in poteſtate voluntatis, nec unquàm poſſibile eſſe poteſt, ut plenè velimus bene agere, nec tamen bene agamus, ſi de interioribus virtutum actibus ſermo ſit. Verùm quia aliundè non fit ut quis velit aut bene agere, aut orare, quàm per gratiam efficacem, rectè à Patribus & Scholaſticis dictum eſt: Ut nemo poteſt ſine luce videre, ita ſine gratia efficaci nihil bene fieri poſſe.

ARTICULUS VII.

Idem oſtenditur ex adjutoriorum diviſione ab Auguſtino traditâ libro de geſtis Pelagii.

PUdet me profectò in his probandis diutiùs immorari. Non dubito enim quin ſi honeſtis & intelligentibus ſæculi hominibus innoteſceret, illam, quæ inter Theologos tantâ animorum contentione agitatur, controverſiam eò denique redigi, utrùm verè dici queat aliquem ſine luce videre non poſſe; non dubito, inquam, quin tota res merum illis ludibrium videretur, & quin ſtultos arbitrarentur qui id negarent; ridiculos, qui probare laborarent. Parendum tamen miſerrimæ neceſſitati; & ne certiſſima

fidei dogmata impietatis & hæreſeos arguantur, illud operosè probandum, de quo poſt homines natos ante iſtas contentiones nemo unquàm ſanæ mentis dubitaverat.

Ergo invictum hujus rei argumentum peti poteſt ex diſtinctione duplicis adjutorii apud S. Aug. l. de geſt. Pel. c. 1. *Cum*, inquit, *videamus* (*exempli gratiâ*) *& ſine tribulis areas triturari, quamvis adjuvent ſi adſint; & ſine pedagogis poſſe pueros pergere in ſcholam, quamvis ad hoc non ſint inutilia pædagogorum adjumenta; & multos ſine medicis ab ægritudine convaleſcere, quamvis manifeſta ſint adjutoria medicorum; & alia multa quæ nobis tacentibus cogitanti facilè occurrunt, profectò admonemur adjutoriorum genera eſſe duo. Alia quippe ſunt ſine quibus illud ad quod adjuvant effici* NON POTEST, *ſicut ſine navi navigat nemo, nemo ſine voce loquitur, nemo ſine pedibus graditur, nemo ſine luce intuetur. Unde eſt etiam illud, quod nemo ſine Dei gratiâ rectè vivit. Alia verò ſunt adjutoria quibus ſic adjuvamur, ut, etiamſi deſint, poſſit alio modo fieri propter quod ea requirimus: ſicut ſunt illa quæ commemoravi, tribula ad fruges terendas, pedagogus ad puerum ducendum, medicamentum humanâ arte confectum ad recipiendam ſalutem, & cætera talia.*

Multa ex hoc loco elici poſſunt. Primum, adjutoria adæquatè dividi in hæc duo genera, id eſt, vel ejuſmodi eſſe ut ſine illis illud ad quod adjuvant effici non poſſit; vel hujuſmodi ut, etiamſi deſint, poſſit alio modo fieri propter quod ea requirimus. Illam verò diviſionem eſſe adæquatam, ex eo ſatis intelligitur, quod Auguſtinus ſtatim ſubjungit: *Quærendum igitur ex quo duorum iſtorum generum ſit legis ſcientia, id eſt, quomodò adjuvet ad non peccandum.* Quod omninò ineptè quæreret, ſi præter illa duo eſſet etiam tertium genus ad quod referri poſſet.

2. Efficitur, adjutoria ſine quibus non fit, ut navis ſine quâ nemo navigat, lucis ſine quâ nemo videt, gratiæ ſine quâ nemo rectè vivit, ad prius illud genus adjutorii, ſine quo illud ad quod adjuvat effici non poteſt, pertinere; ac proindè & lucem ſine quâ nemo videt, & gratiam ſine quâ nemo rectè vivit, eſſe adjutoria ſine quibus non poteſt res fieri.

3. Colligitur, ſecundum illud genus adjutorii ſine quo res eſſe poteſt, ea tantùm complecti ſine quibus res aliquando eſt, ut patet ex omnibus exemplis, tribularum, ſine quibus, inquit Auguſtinus, videmus areas triturari; medicorum, ſine quibus multi convaleſcunt, &c. adeóque ad illud adjutorii genus gratiam efficacem referri non poſſe, ſine quâ fatentibus omnibus Thomiſtis nemo rectè vivit.

Ex quo generatim concluditur, eo ipſo quod adjutorium tale eſt, ut ſine eo res nunquàm ſit, ad illud adjutorii genus pertinere, ſine quo illud ad quod adjuvat effici non poteſt: & proinde rectiſſimè

ctiſſimè dici, ſine eo rem fieri non poſſe. Quare cum ex omnium Thomiſtarum ſententiâ ſine gratiâ efficaci nemo rectè vivat, quemadmodum nemo ſine luce intuetur, ſequitur & lucem & gratiam efficacem eſſe adjutoria ſine quibus res eſſe non poteſt, & proinde rectè dici, ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe; ſicut rectè dicitur, ſine luce videri non poſſe.

ARTICULUS VIII.

Explicatur alia adjutoriorum diviſio ab eodem Auguſtino tradita, & oſtenditur omne adjutorium ſine quo aliquid non fit, eſſe adjutorium ſine quo non poteſt fieri.

IDem oſtendi & illuſtrari poteſt ex aliâ adjutoriorum diviſione ab Auguſtino tradita lib. de corr. & gr. c. 12. *Ipſa adjutoria*, inquit, *diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud adjutorium quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit eſt, & ſine quo non fit.*

Ad hanc diviſionem rectè intelligendam quædam notanda ſunt. Ac primùm illam non eſſe ejuſdem generis diviſionem, atque eam quam ſuperiori articulo attulimus ex libro De geſtis Pelagii, ſed eſſe potiùs ſpeciei partitionem, quàm generis. Communiter enim adjutorium dividitur in adjutorium ſine quo res fieri non poteſt, & ſine quo fieri poteſt. Prior autem illa ſpecies rurſus dividitur in has duas ſpecies adjutoriorum, nimirùm illius ſine quo non fit, & illius quo fit.

Notandum 2. adjutorium quo fit, retinere ſemper naturam ſui generis, & eſſe etiam adjutorium ſine quo non fit. Disertè enim Auguſtinus de beatitudine, quam in exemplum adducit adjutorii quo: *Adjutorium eſt*, inquit, *non ſolùm ſine quo non fit, ſed etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit eſt, & ſine quo non fit.* Quamobrem, ut non includatur adjutorium ſine quo non fit, in adjutorio quo fit, addenda eſt negatio oppoſitæ ſpeciei hoc modo, adjutorium ſine quo non fit, non quo fit. Et ſic, cùm illa ſpecies ſimpliciter dicitur adjutorium ſine quo non fit, id ex illâ Logicæ regula intelligi debet, quæ monet ſpeciem ignobiliorem nonnunquàm ſumere nomen generis; ut cùm gratia gratis data opponitur gratiæ gratum facienti,

licèt utraque gratis detur. Sed prior ſpecies, inquit S. Thomas in 1. 2. qu. 111. a. 1. *retinet ſibi nomen commune, ſicut in pluribus aliis contingit. Et ſic opponuntur duæ partes diviſionis, ſicut gratum faciens, & non faciens gratum.*

Sed omnis illa adjutoriorum diſtinctio planiùs ſubjectâ tabellâ demonſtrabitur.

Adjutorium in genere duplex, ex Aug. De geſt. Pel. c. 1.

- Quo ſic adjuvamur, ut etiamſi deſit poſſit alio modo fieri propter quod id requirimus, ut panis ad vivendum, medicamentum humanâ arte confectum ad recipiendam ſanitatem, equus ad iter faciendum, &c. Hoc adjutorium vocatur à S. Thomâ ſecundùm quid neceſſarium, ſeu utile.
- Sine quo illud ad quod adjuvat effici non poteſt. Quod ruſſum duplex ex eodem Auguſtino De corr. & gr. c. 12. Hoc adjutorium vocatur à S. Thomâ ſimpliciter neceſſarium.
  - Sine quo non fit, non quo fit: Ut alimenta, ſine quibus non poſſumus vivere, quibus tamen non fit ut vivat qui mori voluerit.
  - Sine quo non fit, & quo fit, ut donum perſeverantiæ, ſine quo, ut inquit Auguſtinus, nunc ſancti perſeverantes eſſe non poſſunt, & per quod non niſi perſeverantes ſunt.

Dubitari verò non poteſt quin illæ duæ adjutoriorum ſpecies, quas diſtinguit Auguſtinus, lib. De corr. & gr. pertineant ad prius membrum diviſionis, quam Auguſtinus tradit libro De geſtis Pelagii, hoc eſt, ad illud adjutorii genus, *Sine quo illud ad quod adjuvat effici non poteſt.* Utrumque enim adjutorii genus, & ſine quo non fit, & quo fit, ſic explicat, ut ſine utroque fieri non poſſe ſignificet illud ad quod adjuvant. In adjutorii *Sine quo non fit* exemplum affert alimenta. Quid verò de alimentis? *Nam ſine alimentis*, inquit, NON POSSUMUS *vivere*: in exemplum verò adjutorii quo fit, donum perſeverantiæ. Quid autem de illo? *Non ſolùm*, inquit, *ſine iſto dono Sancti perſeverantes eſſe* NON POSSUNT, *verùm etiam per hoc donum non niſi perſeverantes ſunt*,

Atque hinc ni fallor perſpicitur ex Auguſtini mente, quotieſcunque ſine aliquo adjutorio res non fit, toties rectè dici *Sine illo rem fieri non poſſe.* Cujus rei non alia ratio eſt, quàm quia vox *poſſe* uſurpatur vulgò & ferè ſemper pro complexu omnium tum cauſarum tùm conditionum, quæ ad confectionem rei requiruntur, &

& ſine quibus non fit. Unde ſi aliquod adjutorium, ſine quo res non fit, defuerit, non ſolùm dicitur non fieri ſine illo, ſed etiam *fieri non poſſe*. Hinc eſt quòd Auguſtinus ſine diſcrimine uſurpat eas locutiones: Nemo ſine luce intuetur; nemo ſine luce intueri poteſt: nemo ſine gratia Dei rectè vivit; Nemo ſine gratiâ Dei rectè vivere poteſt: & ſæpe in eâdem periodo alteram alterius loco ſummutat. Quin & eundem Scripturæ locum nunc iſto nunc illo modo profert, ut quod Chriſtus ait, Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, aliquandò ſic effert prout habetur in Evangelio; aliquando iſtis verbis, *Nemo venit ad me.*

Et quoniam his temporibus bene multi graviſſimas fidei quæſtiones philoſophicis tricis expendi volunt; admonendi ſunt qui negant rectè dici, *Sine gratiâ efficaci nihil boni fieri poſſe*, cùm rectè dici fateantur, nunquàm contingere ut ſine eâ quidquam boni fiat; ut meminerint has quatuor propoſitiones, quas vulgò *modales* appellant, apud Logicos æquivalentes eſſe: Non contingit hominem ſine luce videre: Non eſt poſſibile hominem ſine luce videre: Impoſſibile eſt hominem ſine luce videre: Neceſſe eſt hominem ſine luce non videre; ad quarum exemplũ illæ quatuor formari poſſunt: Non contingit juſtum ſine gratiâ efficaci tentationẽ ſuperare: Non eſt poſſibile juſtum ſine gratiâ efficaci tentationem ſuperare: Impoſſibile eſt juſtum ſine gratiâ efficaci tentationem ſuperare: Neceſſe eſt juſtum ſine gratiâ efficaci tentationem non ſuperare. Quam ultimam propoſitionem omnium duriſſimam diſertè Innonoentius I. expreſſit Epiſtolâ ad Concil. Carth. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Quibus tamen locutionibus non negatur virtus in causâ; ſed illud tantùm ſignificatur, gratiam efficacem eſſe principium neceſſariò prærequiſitum ad omnem bonam voluntatem & opus bonum; ita ut ſine illâ hominem bene velle & bene agere repugnet.

ARTICULUS IX.

Aſſertur neceſſarii definitio ex S. Thomâ, & demonſtratur ex illâ, ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe: quam demonſtrationem non convelli reſponſione clariſſimi Theologi, quamvis ſubtiliſſimâ, declaratur.

EAndem adjutoriorum diviſionem, quam, ut ſuprà vidimus, affert Auguſtinus lib. De geſtis Pelagii, in illud *Sine quo id ad quod adjuvat fieri non poteſt*, & illud *ſine quo fieri poteſt*, variis etiam locis attulit S. Thomas, ſed aliis verbis expreſſam.

Quod enim Auguſtinus appellat adjutorium *ſine quo res fieri non poteſt*, illud S. Thomas *neceſſarium ſimpliciter* nominat; quod verò Auguſtinus adjutorium *ſine quo fieri poteſt id ad quod adjuvat*, id S. Thomas *neceſſarium non ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Dicendum*, inquit 3. p. q. 65. a 4. *quòd neceſſarium reſpectu finis de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter: uno modo, ſine quo non poteſt haberi finis*, vel ut antè dixerat q. 1. a. 2. *Sine quo aliquid eſſe non poteſt, ſicut cibus eſt neceſſarius vitæ humanæ: & hoc eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem. Alio modo dicitur neceſſarium, id ſine quo non habetur finis ita convenienter; ſicut equus eſt neceſſarius ad iter: hoc autem non eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem; quia*, ut inquit 1. parte qu. 15. a. 3. *ſine equo poſſumus ire.* Unde ejuſmodi adjutoria, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſaria, inter ea reponit *Sine quibus finis eſſe poteſt.*

Cùm ergo neceſſarium ſimpliciter ubique à Sancto Thomâ definiatur, *id ſine quo aliquid eſſe non poteſt*, vel *finis haberi non poteſt*; manifeſtum eſt vocem *poſſe* non ſumi apud illum pro ſolâ virtute internâ, ſed eo quo diximus ſenſu, nimirùm pro complexione omnium cauſarum & conditionum quæ ad confectionem rei requiruntur: alioquin & vitioſa eſſet definitio, quia non omnia quæ neceſſaria ſunt ad finem, comprehenderet, cùm pleraque ad virtutem agendi non pertineant: & alieniſſima eſſent exempla, cùm cibi ad vivendi potentiam internam non pertineant, & tamen in exemplum afferantur à Sancto Thomâ eorum quæ ſunt neceſſaria ſimpliciter, & ſine quibus res eſſe non poteſt. Hinc colligitur nullam Geometriæ demonſtrationem illâ vel clariorem vel certiorem eſſe, quæ ex hac neceſſarii definitione conficitur, quam nullus Thomiſta negaverit, utpote toties à Sancto Thomâ traditam, & omnium hominum mentibus à naturâ inditam.

Sine eo quod neceſſarium eſt, res eſſe non poteſt, ex definitione neceſſarii. Sed gratia efficax eſt neceſſaria ad omnem voluntatem bonam, ad omne opus pium, ad omnem tentationem ſuperandam, ex omnium Thomiſtarum, imò totius Traditionis conſenſu. Ergo ſine gratiâ efficaci non poteſt eſſe bona voluntas, non poteſt eſſe opus pium, non poteſt tentatio ſuperari.

Patietur credo, imò boni conſulet Vir Clariſſimus, cujus gratiâ hæc nobis Diſſertatio ſuſcipitur, ut breviter oſtendam hactenus mentem meam ipſi minùs innotuiſſe. Renunriatum eſt enim mihi demonſtrationem propoſitionis meæ, geometricâ methodo compoſitam, ſic illum accepiſſe, quaſi hic eſſet argumentationis contextus: *Gratia efficax neceſſaria eſt ex parte principii ad faciendum opus: ſed neceſſarium ex parte principii pertinet ad poſſe: ergo gratia efficax pertinet ad poſſe.* Quod argumentum ita ille enucleatè diſtinguit,

Diſtin-

Diſtinctio majoris. Gratia efficax eſt neceſſaria ad hoc ut adſit potentia, *nego*: *ad hoc ut adſit volentia*, *concedo*. *Diſtinctio minoris: Neceſſarium ex parte principii pertinet ad poſſe*, *ſi ſit neceſſarium ut adſit potentia*, *concedo*; *ſi Ut adſit volentia*, *nego*. *Ergo gratia efficax pertinet ad poſſe. Negatur conſequentia.*

Si ſic argumentum in illâ demonſtratione contextum eſſet, nihil certè ſubtilius reſponderi potuit; ſed illius planè alia mens, alius ſcopus. Non enim probandum id ſuſcipit, gratiam efficacem ad poſſe pertinere, ſed illud tantùm rectè dici, *ſine gratiâ efficaci nihil nos boni velle poſſe.* Ad hoc autem planè ſufficit gratiam efficacem eſſe neceſſariam *ut adſit volentia*, quod Theologus ille concedit, etiamſi neceſſaria non ſit *ut adſit potentia.* Hinc enim iſtud argumentum confici poteſt, quod viri doctiſſimi reſponſione nullatenùs infirmatur. Id neceſſarium eſt ad aliquid, ex S. Thomâ, ſine quod illud eſſe non poteſt. Sed gratia efficax neceſſaria eſt *ad volentiam*, ut fatetur ipſe. Ergo ſine gratiâ efficaci *volentia* eſſe non poteſt.

ARTICULUS X.

Colliguntur in ſummam quæ hac ſecunda parte confecta ſunt, & ſuppoſitâ gratiæ efficacis neceſſitate reliquas de propoſitione meâ contentiones planè abſurdas & ridiculas eſſe oſtenditur.

UT ergo hîc illa omnia, quæ totâ hâc ſecundâ parte confecimus, in ſummam collecta repræſentem, vidimus primò omnes gratiæ efficacis aſſertores in eo convenire, quòd gratiam efficacem ad omnem bonæ voluntatis motum neceſſariam ſtatuant, & repugnare fateantur ut quis à Deo motus non ſit, & tamen bene velit aut bene agat.

Vidimus ſecundò, eos ipſos Thomiſtas qui gratiam aliam ab efficaci dari *poſſe* contendunt, efficacem verò dare tantùm velle & agere, fateri tamen eſſe aliquam vocis *poſſe* ſignificationem, ſecundùm quam ante auxilium efficax non habeatur *poſſe*, cùm ſcilicet ſumitur vox illa pro complexione eorum omnium, quæ ad re ipſâ agendum requiruntur, & præter quæ nullum aliud adjutorium ad agendum neceſſarium eſt.

Vidimus tertiò, ſecundùm poſtremam illam ſignificationem vocis *poſſe* rectiſſimè dici, *Sine gratiâ efficaci nihil nos poſſe:* quia, cùm gratia efficax ſit neceſſaria ad rectè agendum, manifeſtum eſt ſine illâ non haberi illud *poſſe* quod complectitur omnia ad agendum neceſſaria.

Vidimus quartò, hanc propoſitionem, *Sine gratiâ efficaci nihil fieri poteſt*, nullatenùs adverſari Thomiſtarum ſententiæ, qui aiunt

aiunt *per aliam gratiam quàm efficacem bonum fieri poſſe*, quia vox *poſſe* ſumitur in priore pro complexione omnium neceſſariorum ad agendum; in poſteriore verò, pro ſolâ virtute internâ. At nihil repugnat, ut aliquis habeat virtutem agendi, eâque ratione dicatur *poſſe agere*, ut cùm viſu præditus dicitur poſſe videre, & tamen non habeat omnia ad agendum neceſſaria, eâque ratione dicatur *non poſſe agere*, ut cùm quis viſu præditus, ſed in tenebris conſtitutus, dicitur non poſſe videre.

Vidimus quintò, rationi & communi omnium ſermoni longè congruentius eſſe, ut cui deeſt aliquid ad agendum neceſſarium, quamvis aliàs habeat agendi potentiam, dicatur *non poſſe agere*, propter defectum illius rei neceſſariæ, quàm ut dicatur *poſſe* propter ſolam agendi potentiam.

Vidimus ſextò, id ipſum Patrum ſermone longè magis frequentatum. Cujus rei etſi alia nulla argumenta protuliſſem, id unum tamen ſatis eſſe potuiſſet, quòd illâ locutione, Sine gratiâ quâ facit Deus ut velimus, quâ præparatur voluntas à Domino, & per quam Deus operatur in nobis velle, hoc eſt, ſine gratiâ efficaci, bonum fieri non poſſe, ſexcenties utantur antiqui Patres. Gratiſſimum verò mihi fecerit, qui mihi in illorum ſcriptis oſtenderit hanc locutionem, quam tamen falſi non arguo, imò eo quo diximus ſenſu veram eſſe concedo, Sine gratia quæ dat velle & operari bene velle aut bene agere poſſumus. Fateor quidèm ſæpe à Patribus dici, poſſe juſtos, imò & omnes homines, mandata ſervare ſi velint; de quorum verborum ſenſu alibi agemus; ſed illud in eorum ſcriptis non reperi, poſſe homines vel etiam juſtos mandata ſervare, etiamſi non præparetur voluntas à Domino, etiamſi Deus non faciat ut in præceptis ſuis ambulent.

Vidimus ſeptimò, ex ſancto Auguſtino idem planè eſſe adjutorum ſine quo aliquid non fit, & ſine quo id ad quod adjuvat effici non poteſt; & ex S. Thomâ, idem eſſe quod neceſſarium eſt ad aliquid, & ſine quo aliquid eſſe non poteſt.

Ex quibus omnibus manifeſtò ſequitur, qui unus noſtræ diſputationis ſcopus eſt, ad illius propoſitionis, *Sine gratiâ efficaci nihil boni poſſumus*, veritatem tuendam, ſuperfluum eſſe curioſè veſtigare, utrùm gratia efficax det poſſe Thomiſtico ſenſu, an ſolùm velle & agere; actum primum, an ſecundum: an ſupponat potentiam completam, an tantùm incompletam. Quidquid enim de his quæſtionibus Theologi ſentiant, hoc ipſo quo gratia efficax neceſſaria ſtatuitur ad velle & ad agere, ſequitur rectè dici, voluntatem illam & actionem ad quas neceſſaria ſtatuitur, ſine eâ eſſe non poſſe: quibus tamen verbis non illud *poſſe* negatur, quod vulgò Thomiſtæ intelligere ſolent, ad ſolam inter-

nam

nam agendi potentiam pertinens, ſed illud tantùm quod cæteri vulgò homines intelligunt, quod complectitur omnia ad volendum & ad agendum neceſſaria.

Quare ſi vel vulgarem omnium paſſim hominum, vel Eccleſiaſticum & à Patribus uſurpatum loquendi modum attendas, non diverſam ſed eandem planè notionem in omnium mentibus habere comperies rres illas propoſitiones: *Juſtu aliquandò deeſt gratia efficax neceſſaria ad vincendam tentationem: Juſtis adiquandò deeſt gratia ſine quâ tentatio nunquàm vincitur: Juſtu aliquandò deeſt gratia ſine quâ vinci non poteſt tentatio*; adeòque qui duas ex illis catholicas fateantur, tertiam hæreticam pronuncient, non minùs abſurdè ſe gerant, quàm ſi eandem ſententiam gallicè & latinè catholicam, græcè hæreticam dicerent. Illarum enim in auribus noſtris diverſus ſonus, in animis eadem penitùs notio, idem ſenſus, qui certè ſimul & hæreticus & catholicus eſſe non poteſt.

Denique illud ex omnibus iſtis exſtat & eminet, ingens illud crimen in quod omnes Eccleſiæ ſæculique poteſtates armare ſtudent Moliniſtæ, in quod in concionibus ſuis ubique debacchantur, propter quod extruduntur ex familiis ſuis viri de Eccleſia bene meriti, ad quod cavendum veræ in Eccleſiam hæreſes invehuntur, antiqua gratiæ efficacis fides deſtruitur, tota Patrum doctrina repudiatur, hæreticorum ludibrio catholica Eccleſia objicitur; propter quod omnis ſeverioris vitæ inſtitutio, antiquitatis amor, ſæculi fuga, ſeceſſus conſectatio, penitentiæ ſtudium, eleemoſynarum largitio, in hæreſeos ſuſpicionem vocantur; illud, inquam, crimen tam deteſtandum, illam hæreſim, illam blaſphemiam, illam impietatem, illam labem, illam peſtem diris omnibus anathematis digniſſimam, ad hoc demùm caput referri, quòd nonnulli ſunt qui affirmare non verentur bono ſenſu dici, hominem viſu præditum ſine lumine videre non poſſe: quâ contentione tam abſurdâ tamque ridiculâ concuſſam eſſe Eccleſiæ pacem boni gemunt, hæretici rident, poſteri indignabuntur.

DISSERTATIONIS
TERTIA PARS.

In quâ incidentes quæſtiones, & à propoſitionis veritate disjunctæ breviter explicantur.

ARTICULUS I.

Prima quæſtio: Utrùm gratia efficax det actum primum, an ſecundum; poſſe, an tantùm velle & agere. Explanatur quæſtio & dividitur.

HACTENUS plus aliquantò præſtitimus, quàm jure à nobis potuit poſtulari. Non enim modò propoſitionis noſtræ veritatem totius Traditionis conſenſione munivimus; ſed prætereà, ne quis præcipuos Scholæ Doctores infeſtos nobis eſſe, falsò licet, ſibi tamen perſuaderet, etiam cum ipſis nullum nobis certamen eſſe docuimus. Reliquum eſt ut de ipſis controverſiis ſcholaſticis quid ſentiam, quàm maximâ potero & fide & brevitate demonſtrem. Minùs neceſſarium illud quidèm adversùs inimicos;adversùs veritatis amantes Theologos, qui nonnullas attigerunt in ſcriptis ad me miſſis, officioſum & pium. Ut planiùs totà res perſpiciatur, dubia à non dubiis, certa ab incertis ſecernenda ſunt.

Primùm quidèm fatentur omnes gratiæ efficacis aſſertores (nam Molinianos in hac tota controverſia nihil moror) per gratiam efficacem dari nobis & velle & facere. *Certum eſt*, inquit Aug. De gr. & lib. arb. c. 16. *nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum eſt: A Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet; de quo dictum eſt; Deus eſt qui operatur in vobis & velle. Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.*

Cùm ergo quæritur utrùm gratia efficax det *poſſe*, an ſolùm *velle* & *agere*, non ambigitur utrùm det *velle* & *agere*: neque utrùm ſit neceſſaria ad utrumque; hæc enim conſtant; ſed utrùm det aliquod *poſſe* antecedenter ad ipſum *velle* & *agere*, quod ſe habeat tanquàm actus pri-

mus ad ſecundum.

Notandum porrò quæſtionem illam, utrùm gratia efficax det actum primum, ſive *poſſe*, intelligi vel reſpectu voluntatis ipſius ſeu volitionis, vel reſpectu ipſius actionis, hoc eſt, bonorum operum, & obſervationis mandatorum; quæ duo diverſa eſſe patebit ex iis quæ dicentur. Priùs igitur diſpiciendum, utrùm gratia efficax det *poſſe* reſpectu ipſius bonæ voluntatis (ſeu volitionis) ab ipsâ voluntate diſtinctum tanquàm actum primum à ſecundo.

ARTICULUS II.

Gratiam efficacem, quatenùs eſt principium bonæ voluntatis, ab aliis in miſericordia Dei & formâ inhærente conſtitui, ab aliis in ſolâ miſericordia Dei, quæ interiùs motum mentis operatur.

IN hâc quæſtione ſolvendâ non unum, ut quidam putant, ſed duplicem video eſſe Theologorum ſenſum. Quidam gratiam efficacem ad actum primum pertinere ſentiunt, & ſine eâ non haberi actum primum omninò completum: deeſſe enim ſaltem complementum actus primi. In hac ſententiâ eſt Zumel, to. 3. ad 1. 2. diſp. 4. ſect. 1. & multi à Ledeſma citati, tr. de Aux. q. unicâ, a. 3. Alii autem, ut Ledeſma ipſe, gratiam efficacem nullo modo ad actum primum, ſed tantùm ad actum ſecundum, pertinere volunt: quæ videtur eſſe ſententia clariſſimi Theologi, cujus ſcriptum ad me perlatum eſt. Harum ſententiarum utra ſit probabilior, judicari non poſſe exiſtimo, niſi priùs expendatur quâ ratione ſecundùm varias Theologorum opiniones Deus in homine efficaciter bonam voluntatem operetur.

Certum eſt quidèm apud omnes Thomiſtas, divinæ illius operationis efficaciam ex præſcientiâ conditionatâ eventus futuri minimè pendere, ut nuper Molina commentus eſt, ſed ex illius nutu *qui magis habet in poteſtate ſuâ voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.*

Certum eſt prætereà voluntatem divinam ita operari in homine bonum ipſum voluntatis motum, ut tamen ipſa voluntas humana etiam operetur, & quidèm liberè; quia, ut ait S. Thomas in Opuſ. 2. c. 140. *ad efficaciam divinæ voluntatis pertinet, ut non ſolùm fiat quod Deus vult, ſed ut hoc modo fiat quo illud fieri vult*; ac proindè ut infallibiliter & tamen liberè fiat, quod ab homine liberè fieri vult.

Verùm in hoc inter ſe diſcrepant, quod nonnulli præcipuè ex recentioribus Thomiſtis, præter voluntatem divinam, quæ liberam voluntatem ipsâ etiam in juſtis habituali gratiâ inſtructam ad opus applicat, requiri volunt vel qualitatem quandam

tranſeuntem, vel ſaltem motionem quandam virtuoſam, quæ ſit inſtrumentum Dei ad producendum in libero arbitrio pium voluntatis motum. Alii autem mediam illam vel qualitatem vel motionem virtuoſam omninò repudiant, & ipſam gratiam efficacem, pro-ut eſt principium bonæ voluntatis, nihil aliud eſſe volunt, quàm gratuitum Dei favorem, miſericordiam, & ipſam divinam operationem (illa autem non eſt aliud re-ipſâ quàm Deus operans) quæ ſimul cum libero arbitrio, priùs tamen ordine cauſalitatis quàm liberum arbitrium, bonam voluntatem in nobis producit.

Hanc ſententiam, præter alios è veteribus ſcholaſticis, apertiſſimè docuit Thomas Braduardinus, qui ſpeciale illud auxilium quo præter gratiam habitualem juſti indigent, nihil aliud eſſe vult, quàm *voluntatem Dei ſemper invictam.* Inter recentiores verò doctè illam & explicat & confirmat eruditiſſimus Eſtius. Et propterea in 2. ſent. diſt. 26. §. 1. *Gratiam intelligi poſſe*, ait, *vel ex parte Dei, vel ex parte noſtrâ: ex parte Dei, ſignificare gratuitum Dei favorem, miſericordiam, liberalitatem, & omninò quamcunque gratuitam & beneficam Dei operationem.* Quod poſtquàm multis Scripturæ teſtimoniis oſtendit, adjungit: *Loquitur ad hunc modum de gratiâ Auguſtinus, ep.* 106. *ad Paulinum, & alibi cùm dicit gratiam præcedere voluntatem hominis, quia nimirùm prior eſt Dei voluntas quâ homini bene vult, quàm voluntas hominis accipiens Dei beneficium, juxta illud Pſal. Miſericordia Dei præveniet me. Conſimili ſenſu dicit, libro de grat. & lib. arb. c. 6. Gratiam ſe interdum ſubtrahere; quia videlicet Deus ſuam gratuitam operationem interdum ſubtrahit. Sic in Conc. Arauſ. c. 3. dicitur, gratiam Dei facere ut Deus invocetur à nobis, id eſt, Deum gratuitò in nobis operari hoc bonum, ut eum invocemus. Et alia quàmplurima ſecundùm hanc acceptionem de gratiâ dicuntur. Gratia igitur hoc modo accepta, re-ipſâ non eſt aliquid à Deo, divinâque eſſentiâ diverſum. Eſt autem hæc acceptio gratiæ frequens etiam apud ſcholaſticos, ut quoties dicunt gratiam Dei hæc aut illa bona in nobis operari. De ea S. Thom. de verit. q.* 24. *a.* 14. *dicit: Quamvis communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro dono habituali juſtificante; generaliùs tamen gratiam intelligi poſſe miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur & exteriora ordinat ad hominis ſalutem: & ſic nullum bonum facere poſſe hominem ſine gratiâ Dei. De eâdem ſic ſcribit 3. p q. 86. a. 2. Gratia Dei cauſat bonitatem in homine grato, eò quòd bona voluntas Dei, quæ nomine gratiæ intelligitur, eſt cauſa omnis boni creati:* Hactenùs Eſtius.

IdemDuacenſis Facultatis Cancellarius, cùm gratiam habitualem ab habitu charitatis minimè diſtinguendam eſſe docuiſſet, ſic ejuſdem diſt. §. 5. ſolvit argumentum ex illio Auguſtini loco repeti-

reperitum, *Gratia prævenit charitatem. Gratia*, inquit, *quæ ſecundum Auguſtinum, prævenit charitatem, non eſt gratia habitualis, ſed ea quæ ſecundum eundem prævenit omnia noſtra bona opera, id eſt, benevolentia Dei, quæ non eſt aliud quàm ipſe Deus, quatenùs hæc omnia nobis gratuitò largitur. Hoc igitur modo etiam verè dicere poſſumus, quòd gratia prævenit gratiam, id eſt, benevolentia Dei gratiam nobis inhærentem, ſcilicèt ut cauſa ſuum effectum. Et eodem ſenſu charitas prævenit charitatem; nimirum charitas quâ Deus diligit nos, charitatem quâ nos eum viciſſim diligimus.*

Denique §. 19. celeberrimam illam Conciliorum ſententiam, *gratiam ad ſingulos actus dari*, primùm quidèm non de gratiâ habituali, ſed de gratiâ actuali intelligendam eſſe docet. Deinde verò non de creatâ, ſed de increatâ. *Reſpondeo*, inquit, *in hac ſententiâ, Gratia ad ſingulos actus datur, gratiam intelligi increatam, id eſt, divinam operationem* (*quæ non eſt aliud re-ipsâ quàm Deus operans*) *gratuitò producentem in nobis effectus ſalutares. Datur autem hæc gratia ad ſingulos actus, quomodò Scriptura ſæpe numerò dicit, Spiritum ſanctum, qui utique Deus eſt, dari hominibus ad hæc aut illa opera, dum ſcilicèt ea in illis operatur; & quomodo dictum eſt: Mitte auxilium de ſancto; &, Miſit Deus miſericordiam ſuam; cùm tamen auxilium illud & miſericordia, non ſint aliud ſecundùm rem, quàm Deus ipſe. Senſus igitur ſententiæ clarus & facilis hic eſt: Deus gratuitò per Chriſtum in nobis operatur ſingulos actus bonos ad pietatem pertinentes.*

Eandem ſententiam aliquot ab hinc annis propugnavit in Galliâ in ipsâ Jeſuitarum ſcholâ Tiphanius ſcientiæ mediæ impugnator, & efficacis Dei operationis propugnator acerrimus. Multis ille in lib. *de Ordine* contendit, Deum efficaciter prædeterminare voluntatem, ſed ſine ulla ope *ullius formæ inhærentis, vel qualitatis realis, ſive phyſicæ, ſive intentionalis ipſi voluntati à Deo impreſſæ*: idque ſenſiſſe S. Thomam ultimo capite ejus libri probat. Harum ſententiarum utra ſit verior, nihil hîc definio: duo tantùm dico; primùm quidem illam quæ qualitates vel motiones virtuoſas rejicit, Moliniſtis diſplicere non poſſe, cùm ipſi vulgò ſentiant gratiam actualem non eſſe *qualitatem fluentem* (Leſcotii Carnotenſis Epiſcopi verba ſunt tr. de gr. qu. 2. art. 9. *ſed ipſaſmet mentis noſtræ actiones, prout à Deo pendentes*: deinde qui ex duabus illis ſententiis hanc vel illam amplectuntur, ſi conſequenter philoſophari velint, non idem de propoſitâ quæſtione, utrùm gratia efficax pertineat ad actum primum vel ſecundum, ſentire debere, ut diſtinctis articulis explicabimus.

ARTI-

ARTICULUS III.

Qui gratiam efficacem formam inhærentem eſſe volunt, quæ ſit principium bonæ voluntatis, conſequenter dicere debere, Gratiâ efficaci non dari tantùm actum ſecundum, ſed etiam primum; ſive, quod idem eſt, complementum actus primi.

NOn hîc attendo quid quiſque dicat, ſed quid cuique dicendum ſit, ſi conſtanter loqui & ſentire voluerit. Non ſum enim neſcius, inter illos Theologos qui gratiam efficacem eſſe formam inhærentem volunt, ſive qualitatem illam appellent, ſive motionem virtuoſam, non unum eſſe de propoſitâ quæſtione judicium. Verùm hâc in parte immeritò diſſentire videntur, etſi verbis potiùs quàm re diſſentiant. Hoc ipſo enim quo ſtatuunt, gratiam efficacem eſſe formam inhærentem, ab ipſo voluntatis motu quem producit diſtinctam, hoc ipſo concedunt illam ad actum primum pertinere. Nullam enim aliam actus primi notionem habemus, quam ut ſit forma aliqua inhærens quæ ſit principium actus ſecundi. Ex quo patet eos, qui gratiam efficacem in forma inhærente vel motione virtuoſa conſtituunt, quæ ſit principium actuum voluntatis, & tamen ipſam ad actum primum pertinere negant, idem reverà & affirmare & negare; quia eſſe actum primum nihil aliud eſſe videtur, quàm eſſe principium actus ſecundi; aut certè, ſi ſibi non repugnant, aliam notionem habere actus primi ab obviâ & vulgari longè diverſam: quâ explicatâ patebit eos aliter quàm cæteros loqui, non aliter ſentire.

Itaque omnes illi Thomiſtæ cum Zumel dicere deberent, gratiam efficacem ad actum primum pertinere, & ſine eâ non haberi actum primum completum & adæquatum. Quod idem aliis verbis agnoſcunt Alvares & Navarreta, dum aiunt, ſine gratiâ efficaci haberi quidem actum primum, non autem *complementum*; quod idem eſt ac ſi dicerent, ſine illâ actum primum non eſſe completum. Unde idem Alvares, de Auxiliis Diſp. 18. ſæpius agnoſcit, *cauſas omnes tam naturales quàm liberas per efficacem Dei motionem in ſuâ operativâ virtute* COMPLERI.

ARTICULUS IV.

Gratiam efficacem non pertinere ad actum primum, ſed ad ſecundum, in eorum ſententia, qui illam, quatenus eſt principium bonæ voluntatis, in miſericordia Dei, non in forma inhærente conſtituunt.

At verò qui ſupra explicatam Braduardini, Eſtii, Tiphanii, aliorumque multorum, ſententiam ſequuntur, à quâ me non alienum eſſe fateor; & qui cum eodem Eſtio in lib. 2. ſent. diſt. 28. §. 1. gratiam efficacem conſtituunt *in gratuitâ & benignâ Dei operatione, quâ propriè in libero hominis arbitrio operatur ipſam converſionem, ſeu alium quemcunque actum veræ pietatis, ſcilicet ipſum voluntatis motum efficienter attingendo, hoc eſt, voluntatem ipſam applicando & determinando ad volendum & eligendum, ita ut fieri non poſſit quin gratia iſta habeat ſuum effectum; quoniam fieri nequit ut Deus voluntatem determinet, & non ipſa voluntas determinetur, agatque id ad quod tanquàm ſecunda cauſa applicatur à Deo*: qui, inquam, ita ſentiunt, conſequenter loquuntur, cùm gratiam efficacem non ad actum primum, ſed ad ſecundum; non ad *poſſe*, ſed ad *velle*, neceſſariam ſtatuunt. Non enim poteſt pertinere ad actum primum, cùm operatio divina non aliquam formam tranſeuntem imprimat in voluntate, ſed immediatè ipſum actum ſecundum ſimul cum voluntate, vel ſolâ, vel etiam habitualibus donis inſtructâ, producat.

Quamvis autem rectè & ſuis principiis congruenter illi Theologi gratiam efficacem ad ſolum actum ſecundum pertinere exiſtiment, atque ita non dare *poſſe*, ſed *velle*; rectè nihilominùs iidem cum Patribus agnoſcunt, ſine gratiâ efficaci nihil nos poſſe. Sic Eſtius eâdem diſtinctione §. 19. *Sine divinâ operatione ſeu cooperatione* (quibus verbis efficacem gratiam ſemper intelligit) *nullum actum veræ pietatis à nobis exerceri poſſe*, quaſi certiſſimum ſtatuit.

Sic etiam (quod in priori parte jam attulimus) negat *juſtum in bono perſeverare poſſe ſine ſpeciali Dei auxilio*, hoc eſt, ut ipſe explicat, *ſine gratuitâ Dei operatione, quâ facit ut homo in bonâ & juſtâ converſatione permaneat.*

Sic denique idem Eſtius, qui gratiam efficacem ad *velle* non ad *poſſe* requirit, negat tamen eâdem diſt. §. 21. ſine eâ in cujuſquam eſſe poteſtate ne in peccatum prolabatur; quod eorum exemplo probat qui reverâ labuntur. *Quoties enim aliquos, qui magnâ cum alacritate & facilitate currunt viam mandatorum Dei, contingit ex illo ſanctitatis gradu prolabi in aliquod grande peccatum, ſatis ipsâ re manifeſtum fit, non*

fuiſſe in illorum poteſtate ut abſque continuo Dei auxilio & cooperatione in bonorum operum exercitio permanerent. Quod poſtquàm Davidis exemplo comprobaſſet, adjungit: *Unde ipſe in Pſ.* 118. *ita loquitur, Viam mandatorum tuorum cucurri cùm dilataſti cor meum. Et iterum: Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum; quaſi dicat: Niſi te deducente & continuò dilatante cor meum, per ſemitam mandatorum tuorum incedere, & currere* NON POSSUM.

In quo Eſtius accuratè S. Auguſtini veſtigia perſecutus eſt. Cùm enim Pelagius tria diſtinxiſſet, *poſſe, velle, agere*; & gratiæ adjutorium ad *poſſe* tantùm requireret: duo ſimul adversùs illum ſtatuit Auguſtinus, quæ pugnare inter ſe videntur, neque tamen ullo modo pugnant, ut in ſecunda parte oſtendimus: primùm quidem, gratiam Chriſti non dare nobis poſſibilitatem ab effectu ſejunctam, per quam poſſe dicamur, etiamſi nec velimus, nec agamus: alterum eſt, ſine illâ gratiâ, quâ Deus facit ut bonum velimus & faciamus, adeóque ſine efficaci, de quâ ſolùm hoc libro agit, nihil omninò boni, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam, quemquam aut facere aut omninò velle poſſe. Quod ad primum enim pertinet: *Quomodo*, inquit, de grat. Chr. c. 25. *quod poſſumus bene agere, Dei eſt; quod autem agimus, noſtrum eſt? cùm dicat Apoſtolus, orare ſe ad Deum pro iis ad quos ſcribebat, ne quid mali faciant, & ut quod bonum eſt faciant. Non enim ait, Oramus ut poſſitis nihil mali facere, ſed, Ne quid faciatis mali; nec, Ut poſſitis bonum facere, ſed, Ut bonum faciatis. Et quomodò dicit Pelagius: Quod bene loquimur noſtrum eſt? cùm dicat Dominus: Spiritus Patris veſtri eſt qui loquitur in vobis. Neque enim ait, Spiritus Patris veſtri eſt qui vobis dat vel dedit poſſe bene loqui, ſed ait, Qui loquitur in vobis: non ſignificans poſſibilitatis profectum, ſed exprimens cooperationis effectum.* Hoc loco & multis aliis confirmat Auguſtinus, gratiam Chriſti non dare *poſſe* à voluntate diſtinctum, ſed ipſum velle & facere largiri. Et tamen id non impedit quin capite ſequenti, ut innumeris aliis locis, diſertè tradat, *illam eandem Dei gratiam ſic eſſe confitendam ab eo qui vult veraciter confiteri, ut omninò* NIHIL BONI *ſine illâ, quod ad pietatem pertinet veramque juſtitiam,* FIERI POSSE *non dubitet.*

Nec modò docet ſine gratia efficaci hominem bonum facere non poſſe, ſed etiam velle non poſſe. Ita enim lib. 4. contra Jul. c. 8. *Omnes qui ſalvi fiunt & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente ſalvi fiunt, eo volente veniunt. Qui enim jam utuntur voluntatis arbitrio, niſi eo volente & ſubveniente* VELLE NON POSSUNT. *Ubi ſi dixeris mihi: Cur ergo non convertit omnium nolentium voluntates? Reſpondebo, Cur non omnes morituros adoptat lavacro regenerationis infantes? Si hoc profundius eſſe perſpicis, quàm ut abs te valeat inveniri; utrumque utrique noſtrûm*

ſtrûm

ſtrum profundum ſit, cur & in majoribus & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri ſubvenire.

Et Ep. 143. *Proprium arbitrium niſi Dei gratiâ juvetur*, NEC IPSA BONA VOLUNTAS ESSE IN HOMINE POTEST: *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate.* Et in ult. op. contra Jul. c. 97. CUM *diſplicet tibi hominem non poſſe bonum velle, niſi adjuvetur ab eo qui malum non poteſt velle, nonne reſpicis ei te contradicere qui dixit: Sine me* NIHIL POTESTIS FACERE; & *Scripturæ ubi legitur: Paratur voluntas à Domino; & ubi legitur: Deus eſt qui operatur in vobis & velle.* Ubi videmus ab Auguſtino non aliud gratiæ efficaci tribui, quàm ut det velle. Sed quia ad hoc neceſſaria eſt, rectè concludit, nos ſine ea velle non poſſe. Quod breviùs etiam exprimit Fulg. de Inc. & gr. c. 21. *Deus, qui voluntatem præparat, ipſe donat; quam ſi Deus per gratiam ſuam homini non dederit*, NUNQUAM POTEST *homo in Deum* VELLE *credere; quia ipſam voluntatem gratia non invenit, ſed operatur in homine.*

ARTICULUS V.

Gratiam efficacem reſpectu bonorum operum dare poſſe, *etſi non ab ipſo* velle *diſtinctum.*

HActenus de efficaci gratiâ cum ipsâ bonâ voluntate comparatâ: ubi oſtendimus probabilius eſſe, efficacem gratiam non dare poſſibilitatem ab ipsâ bonâ voluntate ſeparatam, quæ illius principium ſit; ideóque ad actum ſecundum potiùs pertinere quàm ad primum; ſed tamen hoc ipſo quo neceſſaria eſt, rectè dici hominem ſine eâ velle non poſſe Nunc de eâdem gratiâ efficaci agendum eſt cum bonis operibus ac victoriâ tentationum collatâ, de quâ tunc aliter paulò ſentiendum videtur. Non enim ſolùm *velle* dat, ſed etiam *poſſe*, non quidem ab ipsâ voluntate, ſed à bonis operibus aliquo modo diſtinctum; quia ipſa bona voluntas, quam efficax gratia dat, eſt potentia reſpectu bonorum operum, cùm ab illâ velut à radice prodeant. Sic Aug. de gr. Chriſti, c. 18. cùm duas arbores bonam & malam, de quibus in Evangelio loquitur Chriſtus, duas voluntates eſſe dixiſſet; bonam, quæ charitas eſt; malam, quæ cupiditas. *Fructus autem*, inquit, *harum radicum atque arborum, facta ſunt, dicta ſunt, cogitata ſunt, quæ bona de bonâ voluntate procedunt, & mala de malâ.*

Hujus rei ratio ex illâ Moralis diſciplinæ certiſſima regula petenda eſt, intentionem finis cauſam eſſe electionis mediorum. *Bona* autem *voluntas, quæ nihil aliud eſt quàm charitas*, ut ſæpe ait Auguſtinus, eſt amor finis, & quidem ultimi; ex quo amore

deinde naſcitur quidquid ad conſequendum ultimum finem ab homine ſuſcipitur. Unde ſæpe dicit Auguſtinus, *nullum eſſe fructum bonum qui de charitatis radice non ſurgat; & tunc ſolum victa vitia deputari debere, cùm Dei amore vincuntur.*

Ex hac doctrina apud Auguſtinum certiſſima, manifeſtum eſt bonam voluntatem, id eſt, charitatem, dilectionem, amorem Dei, & quidem actualem, fontem, principium, radicem eſſe bonorum operum, & proindè ad illa facienda poteſtatem eſſe. Vera autem Chriſti gratia ex ipſo Auguſtino l. 4. ad Bonif. c. 5. nihil aliud eſt, quàm *inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Unde lib. de gr. Chr. c. 35. gratiam de qua cum Pelagio diſputat, his verbis deſcribit: *Adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ, per inſpirationem flagrantiſſimæ ac lumínoſiſſimæ charitatis.* Ex quo colligitur, gratiam efficacem dare potentiam ad bona opera facienda & tentationes vincendas, in quantum dat bonam voluntatem & amorem. Et propterea idem Aug. op. ult. in Jul. l. 1. n. 131. *Gratia prævenit hominem, ut diligat Deum, quâ dilectione operetur bona.* Et in Expoſit. quarundam propoſ. ad Rom. *Niſi Deus det dilectionem, nemo poteſt eſſe miſericors.*

Sed quemadmodum omnis ignis urendi virtutem & poteſtatem habet, non tamen quidvis urendi, verbi gratia, auri liquefaciendi, vel lapidis in calcem redigendi, ita ut ſi de igne generatim quæratur, an poſſit urere, abſolutè reſpondendum ſit poſſe; ſed ſi quæratur utrùm exiguus ignis poſſit lapidem in calcem redigere, vulgò non poſſe reſpondebunt: ſic omnis charitas vel exigua, poteſtas eſt bonorum operum; & ſi quæratur, utrùm qui bonam voluntatem habet, poſſit bene agere, poſſe procul dubio reſpondendum eſt. Non tamen omnis bona voluntas ad quidvis efficiendum ita ſufficit, ut non aliquando pleniorem voluntatem requirat; quia ut egregiè Aug. l. 2. de pecc. mer. & rem. c. 5. *Ad nonnulla ſuperanda vel quæ malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis.* Et Ser. 3. de verb. Apoſtoli c. 10. *Volo*, inquit, *ut velis; ſed non ſufficit ut velis; adjuvandus es, ut plenè velis, & impleas quod velis.* Et in Ep. 143. ad Julianum, de eo qui continentiam à Deo poſcit, *quam nemo poteſt habere niſi Deus det*, ita loquitur: *Utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere ſpiritu ſapientiæ, qui ſufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ.*

Igitur qui bonam voluntatem habet, ſed imperfectam & invalidam, certorum bonorum operum poteſtatem illam nondum habere dicitur, cui nihil deeſt ad re-ipſa agendum; quia nonniſi per voluntatem magnam atque perfectam actu impleri poſſunt.

Nihil

Nihil hac doctrina in Auguſtino frequentius. Sed nuſquàm illuſtriùs ab eo explicatur, quàm lib. de gr. & lib. arb. c. 15. & ſequentibus: *Gratia Dei*, inquit, *ſemper eſt bona; & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat ut* POSSIT *implere divina mandata quæ voluerit, cùm valde perfectéque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt: Si volueris, conſervabis mandata; ut homo qui voluerit, &* NON POTUERIT, *nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata; ſic quippe adjuvatur ut faciat quod jubetur.* Et ibid. c. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum &* NON POTEST, *jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam:* POTERIT *autem cum magnam habuerit & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magnâ utique voluntate, hoc eſt, magnâ charitate fecerunt. Ipſam Charitatem* (hoc eſt, magnam voluntatem, ſive ut infra ait, *divino amore ardentiſſimam voluntatem*) *Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit; & tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam; putabat enim ſe* POSSE *quod ſe velle ſentiebat.*

In eandem ſententiam dicit lib. 1. Retr. c. 22. *Cùm fortis & potens præparatur voluntas à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impoſſibile fuit.*

ARTICULUS VI.

Superioris Doctrinæ quædam maximi momenti conſectaria.

Ex ſuperiùs expoſitâ doctrinâ iſta conſequuntur.

1. Bonam voluntatem eſſe poteſtatem reſpectu bonorum operum, cùm ſit illorum principium & radix. 2. Non omnem bonam voluntatem, ſed tantùm magnam & robuſtam, eſſe poteſtatem ſufficientem, quæ nullam aliam deſideret reſpectu cujuſvis boni operis, verbi gratiâ, ardui & difficilis.

3. Ei cui deeſt magna charitas & magna voluntas, deeſſe poteſtatem illam integram & omnia neceſſaria complectentem, quâ magna & ardua opera actu impleri poſſunt. 4. Petro nominatim defuiſſe poteſtatem illam vincendæ tentationis, quia defuit magna charitas & magna voluntas, ſine qua *non poterat quod ſe velle ſentiebat*, ut ait Auguſtinus.

5. Duplici nomine verè dici, juſtos quibus gratia efficax deeſt mandata ſervare non poſſe: primò, quia ſine gratia efficaci, quæ neceſſaria eſt ad bene volendum, ex communi omnium Patrum

locutione verè dicuntur velle non poſſe, quamvis ipſa gratia non det potentiam volendi ab ipsâ volitione ſejunctam: ſecundò etiam magis propriè, quia ſine gratia efficaci non habetur magna illa charitas, & robuſta voluntas, quæ poteſtas eſt quâ implentur mandata; & proinde propoſitionem meam, in quâ poſt Auguſtinum & Chryſoſtomum dixi, *Petro defuiſſe gratiam ſine quâ nihil poſſumus*, dupliciter veram eſſe: tum quia Petro defuit gratia efficax, ſine quâ plenè velle non poterat ex ſenſu Patrum; tum quia defuit magna voluntas, ut ait Auguſtinus, ſine quâ graves tentationes vinci actu non poſſunt.

6. Etſi de juſto qui gratia efficaci deſtitutus à tentatione vincitur, rectè dicatur ipſum in illa hypotheſi tentationem ſuperare non potuiſſe, actu ſcilicet & effectivè; ſi tamen quæratur quare non ſuperaverit, malè reſponderi quia non potuit; ſed omninò reſpondendum eſſe, quia noluit, ſeu quia non tantùm voluit, quantùm neceſſe erat ad illam tentationem ſuperandam: nam ſi voluiſſet, utique potuiſſet. Si autem quæratur quare noluit, reſpondendum eſt, quia vel ignorantiâ cæcabatur ipſius mentis acies, vel pravâ aliquâ cupiditate quaſi viſco retinebatur & deprimebatur voluntas, ne ad ardua illa præcepta ſeſe erigeret. Viſcus autem ille pravæ cupiditatis nihil aliud eſt, quàm ipſa carnalis & mala voluntas temporalium rerum amore implicata, cujus nulla alia cauſa quærenda eſt præter ipſam voluntatem deficientem. Et qui illuc pervenit, ad primam cauſam pervenit, ultra quam nulla ſit: malæ enim voluntatis una cauſa eſt voluntas ipſa deficiens. Quare ſi de Petro quæratur, quare non confeſſus ſit Chriſtum, neutiquàm reſpondendum eſt, quia non potuit, ſed, quia noluit. Quærentibus autem quare noluit, reſpondendum, quia timuit mori, quia ignavus fuit. At ſi ultrà interroges, quare ignavus & timidus fuit, promta adhuc reſponſio eſt, quia nimis amavit vitam. Verùm ſi interrogare pergas, quare nimis amavit vitam, primæ cauſæ cauſam quæris, & ideò vitioſè quæris.

7. Qua ratione oſtenditur, omnia bona opera Deo aſcribenda eſſe, quia bonæ voluntatis eſt auctor, ex qua bona opera profluunt, eâdem oſtendi nunquàm mala opera Deo aſcribi debere, quia malæ voluntatis, ex qua naſcuntur, nunquàm eſt auctor. Poteſt quidèm Deus malam voluntatem *omnipotentiſſima facilitate in bonam convertere, & inſpirare pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam*: Poteſt utique; ſed *cùm facit, miſericordiâ facit; & cùm non facit, judicio non facit. Et quis dicet illi: Quid feciſti, cui miſericordia & judicium pia ſanctorum mente cantatur?* ut inquit Aug. l. 2. de pec. mer. & rem. c. 19.

A R:

ARTICULUS VII.

Secunda quæſtio: An potentia quæ juſtis ineſt ante gratiam efficacem, debeat dici proxima, completa, & expedita?

QUid de prima quæſtione, Utrùm gratia efficax det actum primum, an ſecundum, probabiliùs dicatur, ſecundùm varia Theologorum placita dilucidè, ni fallor, & perſpicuè oſtendimus. Sequitur altera, Utrùm potentia bene agendi, quæ habetur ante gratiam efficacem, ſit proxima, an remota; completa, an incompleta; expedita, an impedita?

Huic quæſtioni diſſolvendæ magnam lucem afferet tradita ab Alvare diſtinctio duplicis ſenſus, quo voces illæ *potentiæ proximæ* accipiuntur. Sic enim ille de Aux. diſp. 117. n. 11. *Ad tertium reſpondetur, quòd potentia poteſt dupliciter dici proxima & expedita ad operandum. Primò, quia nihil aliud requiritur ex parte ipſius potentiæ, quo in actu primo conſtituatur ad actualiter operandum, ſive ad volendum & nolendum; & hoc modo liberum arbitrium, poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt potentia proxima & expedita operari & non operari, velle & nolle. Unde S. Thomas 1. p. q. 83. ar. 2. ad ſecundum ait, Quòd facultas nominat quandoque potentiam expeditam ad operandum, & ſic ponitur in definitione liberi arbitrii. Secundo modo poteſt dici facultas vel potentia proxima & expedita ad operandum, quia in ſua operatione non dependet ab alia priori cauſa efficienter ei tribuente ipſum cooperari, vel actualiter concurrere:* ET IN HOC SENSU NULLA CAUSA SECUNDA, QUANTUMVIS PONATUR PERFECTA, EST SECUNDUM SE, ET SECLUSA PRÆMOTIONE DIVINA, EXPEDITA AD OPERANDUM; *quia, ut ſupra dictum eſt ex S. Thoma, nulla cauſa ſecunda, quantumvis perfecta, poteſt in ſuum actum prodire niſi virtute motionis divinæ.*

Ex hac Alvaris doctrinâ liquet juxta poſtremum illum ſenſum *proximæ poteſtatis*, cùm ſcilicet ſumitur pro eâ quæ in ſuâ operatione non dependet ab aliâ priori causâ efficienter ei tribuente ipſum cooperari & actualiter concurrere, poteſtatem proximam haberi non poſſe ſine gratiâ efficaci, & præmotione divinâ, ut Alvares agnoſcit. Et quia poteſtatem proximam nunquàm alio ſenſu Moliniſtæ accipiunt, nunquàm alio ſenſu accepi, ſequitur rectè me in Apologeticis meis adversùs illos contendiſſe, ſine gratiâ efficaci non haberi poteſtatem proximam; quia vulgò huic voci non illa prior ſed hæc poſterior notio ſubjicitur. Unde quamvis poteſtatem proximam ſine gratiâ efficaci haberi negaverim, non ideò ullis Thomiſtis contradixi. Eâ enim notione negavi, quâ negandum ipſi aſſerunt,

runt, & nominatim ipſe Alvares.

Verùm ſi quis ulteriùs quærere pergat, quid de proximâ potentiâ priori ſenſu acceptâ, id eſt, in actu primo, quam admittit Alvares, ſentiendum putem, diſtinctione utendum hîc exiſtimo. Nam omnes illi Theologi qui gratiam non in qualitate aliqua creatâ, vel in motione virtuosâ conſtituunt, ſed in efficaci Dei operatione, quâ ipſum velle in homine operatur, ut conſequenter dicere debent gratiam efficacem non eſſe neceſſariam ad *poſſe*, ſed ad *velle*; non ad actum primùm, ſed ad ſecundùm: ita rectè poſſunt admittere potentiam proximam in actu primo ſine gratiâ efficaci in illo priori Alvaris ſenſu. Nam, ut ait idem Alvares l. 3. Reſp. c. 5. n. 27. *Ut aliqua potentia & facultas verè dicatur* hoc ſenſu *proxima & expedita ad producendum aliquem actum, ſolùm requiritur quòd inter ipſam potentiam & talem actum nihil mediet tribuens ſubjecto poteſtatem ſeu virtutem in actu primo, quâ poſſit operari talem actum; non autem requiritur ut nihil mediet tribuens ultimum complementum, quo actus primus reducatur ad ſecundum.* At verò illi Theologi omne id quod ad potentiam proximam Alvares requirit, longè prolixiùs quàm ipſe concedunt. Fatentur enim inter potentiam & actum volendi *nihil mediare quod det actum primum*; imò nec illud complementum actus primi inter potentiam & actum ſecundum inſerunt. Ergo in illorum ſententiâ rectè admitti poteſt potentia proxima in hoc ſenſu, qui non adverſatur gratiæ efficacis neceſſitati.

At ſi cum ipſo Alvare & aliis recentioribus Thomiſtis ſentias, gratiam efficacem eſſe qualitatem aliquam vel motionem virtuoſam *quæ mediet inter potentiam & actum*, & ſit complementum actus primi; incommodiùs planè & minùs conſequenter proximam poteſtatem ſine gratiâ efficaci admiſeris. Quocunque enim illam nomine afficias, modò fatearis illam eſſe principium actus ſecundi voluntati inhærens; hoc ipſo fateris, illam ad actum primum pertinere; & idcò ſine illâ non eſſe potentiam omninò perfectam, proximam, & completam. Indiget enim alio auxilio quod ad actum primum pertineat, & ipſum compleat. Unde cum Alvares negat, gratiam efficacem ad actum primum pertinere, & tamen concedit, illam eſſe principium neceſſarium & inhærens actus ſecundi, non ſatis conſtare ſibi videtur. Eſſe enim actum primum, ut jam diximus, nihil eſt aliud, quàm eſſe principium inhærens actus ſecundi.

Quapropter, quod valdè in hoc negotio mirari licet, Eſtius & Tiphanius, qui de proximâ potentiâ nunquàm loquuntur, rectè in ſuâ ſententiâ poſſunt proximam poteſtatem Alvareſiano ſenſu defendere; & quia ab illorum opinione non ſum alienus, cur proximam poteſtatem hoc eodem ſenſu non admittam, nulla cauſa

eſt

eſt. At verò ipſe Alvares, & qui ab ejus diſciplinâ ſunt, vix ſatis commodè illam poſſunt admittere, magnamque inconſtantiæ ſuſpicionem præbent. Non enim ſatis cohærere videtur quod illi docent, ſine motione divinâ efficaci haberi potentiam proximam & completam, & quod animosè tuentur, *cauſas omnes per motionem divinam*, quam formam inhærentem eſſe volunt, *in ſua virtute operativa compleri*. Quod ipſe Alvares de Aux. diſp. 18. n. 12. 18. 19. ſæpiùs repetit. Quomodò enim cauſa aliqua potentiam ad operandum omninò completam jam habet, ſi adhuc illam ulteriùs *compleri* neceſſe eſt *in ſua operativa virtute*. Quapropter conſtantiùs & rationi congruentiùs Zumel, multique alii à Ledeſma citati, ſine gratiâ efficaci poteſtatem proximam haberi negant. Ad quos alluſiſſe videtur Leſcotius, dum agnoſcit qu. 2. art. 10. quoſdam Theologos ita ſentire potentiam, quam dat gratia ſufficiens, non eſſe omnino completam & adæquatam.

Eadem ferè de expeditâ potentiâ ratio eſt. Video enim duplicem hujus vocis acceptionem à clariſſimo Theologo traditam, ut potentia dicatur expedita, vel quia *expedita eſt ab omni impedimento impotentiæ*, *vel quia etiam expedita eſt ab omni impedimento operationis ſive nolentiæ*. Quare nulla hìc difficultas in concilianda doctiſſimi illius viri ſententia cum noſtræ propoſitionis explicatione. Admittit enim ille potentiam bene agendi non eſſe ſemper in juſto expeditam ab impedimento operationis, quod unum aſſerui; contendit verò eſſe expeditam ab omni impedimento impotentiæ, quod nunquàm negavi. Imò ſi impotentia ſumatur pro defectu virtutis agendi ab ipſa bona voluntate diſtinctæ, ut ſumit ille Theologus, verum eſſe concedo. At ſi de vocum illarum uſu quid ſentiam liberè dicendum ſit, illum magis proprium exiſtimo, ut potentia expedita dicatur, quæ ab omni impedimento actionis libera eſt. Nam ſi quis oculos quamlibet ſanos aliquo velo obductos habeat, & de illo quæratur, utrùm habeat potentiam expeditam ad videndum, vix invenietur qui aliter reſpondeat, quàm ejuſmodi hominem viſum impeditum habere, licet potentiam habeat expeditam ab omni impedimento impotentiæ, & impeditam tantùm impedimento actionis.

ARTICULUS VIII.

Tertia quæſtio de gratiâ ſufficiente; ſufficientis nomen variè uſurpari poſſe.

CUm tota ferè de gratiâ ſufficiente diſputatio à nominis intelligentiâ pendeat, operæ pretium erit, ut ante omnia veram illius

illius vocis, *ſufficiens*, notionem & varios uſus inveſtigemus.

Sufficiens igitur generatim dicitur id præter quod non requiritur aliud; dividiturque in id quod eſt ſufficiens in certo genere tantùm, & illud quod dicitur abſolutè ſufficiens.

Sufficiens in certo genere eſt, cùm nihil aliud ex iſto genere requiritur ad id cujus reſpectu dicitur ſufficiens. Iſto modo dicitur panis ſufficiens ad conſervationem vitæ, non quia nihil aliud ad conſervationem vitæ requiratur; ſed quia nihil aliud requiritur abſolutè in genere cibi. Sic ſufficiens lumen dicitur ad videndum, cùm nullum aliud lumen requiritur, etſi prætereà ſanitas oculorum requiratur, & multa alia. Sic Alvares diſp. 76. nu. 3. agnoſcit *gratiam exteriùs excitantem dici nonnunquàm poſſe ſufficientem ad ſalutem in ſuo genere, videlicet in ratione prædicationis, vel alterius ſuaſionis & excitationis externæ, quia talis eſſe poteſt, ut ex parte illius nihil ampliùs requiratur ad credendum, vel piè operandum, & vitam æternam conſequendam.*

Sufficiens autem abſolutè eſt, cùm nihil omninò aliud requiritur. Sic ſolis præſentia ſufficit ad illuminandam terram, quia nihil aliud requiritur.

Has notiones ſi ad gratiam tranſtuleris, primò liquebit, cùm gratia dicitur ſufficiens, vel ad poſſe, vel ad agere, id intelligendum in genere gratiæ, & ſignificari præter illam gratiam quam ſufficientem dicimus, nullam aliam neceſſariam eſſe vel ad poteſtatem agendi, vel ad re ipsâ agendum.

Ergo ſi gratia ſufficiens comparetur cum ipſa actione vel motu voluntatis, nulla eſt gratia verè ſufficiens præter efficacem; quia nulla eſt gratia niſi efficax, de quâ dici poſſit, nullam aliam præter ipſam ad re-ipsâ agendum requiri.

Sed ſi comparetur gratia ſufficiens non cum ipsâ actione, ſed cum ſola interna agendi poteſtate, ſic præter gratiam efficacem eſt alia gratia, quæ tribuit poteſtatem illam internam agendi, & quæ hoc reſpectu verè dicitur ſufficiens; quia nulla alia gratia requiritur ad tribuendam virtutem & potentiam internam, licet alia requiratur ad movendam & applicandam ad actum potentiam. Sufficit ergo illa gratia ad *poſſe*, non ſufficit ad *agere*; ſive dat omnia neceſſaria ut poſſis virtute internâ, non dat omnia neceſſaria ut agas; quemadmodum ſanitas oculi eſt principium ſufficiens ut poſſis videre, non tamen ſufficit ut actu videas, quia lumen eſt neceſſarium.

De his omnibus mihi cum recentioribus Thomiſtis convenit, quorum non poſtremus Alvares diſp. 79. duplicem ſufficientis auxilii acceptionem agnoſcit: unam, quâ ſignificatur illud auxilium ultra quod nullum eſt abſolutè neceſſarium, ut illa operatio actu producatur, quod ſoli gratiæ efficaci competere agnoſcit: alteram, quâ auxilium ſufficiens dicitur, quod tribuit tan-

tùm poſſe, & ultra quod nullum aliud abſolutè neceſſarium eſt, ut homo dicatur poſſe illam operationem producere; hoc tantùm ſenſu ſufficientis gratiæ nomen alii gratiæ quàm efficaci tribui poſſe docet.

ARTICULUS IX.

Sufficientis nomen in alio ſenſu à Patribus acceptum, quàm à recentioribus Thomiſtis vulgò uſurpetur.

SEd cùm illud inter Thomiſtas & me conveniat, duplicem hanc tribui ſignificationem poſſe gratiæ ſufficientis voci, in quanam potiſſimùm uſurpari debeat, alia quæſtio eſt, quæ præcipuè ex duabus animadverſionibus dijudicanda.

Prima eſt, recentioribus Theologis valdè cavendum eſſe, non modò ne à Patrum ſenſibus, ſed etiam ne à Patrum verbis temerè diſcedant. Retinetur enim fides & eadem in ſæculorum labentium decurſu perſeverat, dum iiſdem verbis incluſa ad poſteros propagatur. At ſi novandi in verbis licentia ſerpat, metuendum eſt ne in ipſam Eccleſiæ doctrinam multa novitas invehatur. Hoc conſilio Eccleſia ne quidem ſolemnes, quæ Deo adhibentur preces, vulgari & patriâ linguâ fieri ſinit, ne ſermone vernaculo, cujus penes vulgus lex & arbitrium eſt, immutato, aliquid in Dei cultu novetur & immutetur. Ergo ut gratiæ ſufficientis nomen in ſcholas catholicas introduceretur, diſpiciendum fortaſſe fuerat quis illius uſus apud Patres: quod ſi ſatis attendiſſent qui primi hoc verbo uſi ſunt, nunquàm illud alii gratiæ quàm efficaci tribuiſſent. Illud enim certum exiſtimo, hoc verbo, *ſufficit*, ita ſemper uſum Auguſtinum & alios Patres gratiæ defenſores, ut referatur non ad potentiam, ſed ad actionem, ſignificetque illud auxilium, præter quod nullum aliud neceſſarium eſt ut actu operemur; & ideò nunquàm id nomen alteri gratiæ tributum videas præterquàm efficaci.

Hinc eſt 1. quòd apud Auguſtinum non niſi magna voluntas, magna charitas, plena & perfecta voluntas, quæ per gratiam efficacem & adjuvantem confertur, ſufficere dicitur. *Qui voluerit*, inquit ille l. de gr. & lib. arb. c. 15. *& non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta* SUFFICIT *ad implenda mandata*. Et c. 16. *Certùm eſt nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt ut tantùm velimus, quantùm* SUFFICIT *ut volendo faciamus.* Et Ep. 143. in loco jam citato de eo qui continentiam à Deo poſcit: *Utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere ſpiritu ſapientiæ, qui* SUFFICERET

CERET

CERET *ad implendam magnitudinem continentiæ.* Et lib. de ſp. & lit. c. 35. *Fieret enim perfecta juſtitia, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta* SUFFICIT *tantæ rei.*

Hinc 2. idem Auguſtinus infirmam voluntatem, quæ per gratiam excitantem, quam Thomiſtæ *ſufficientem* vocant, à Deo confertur, ſæpe negat ad bene agendum ſufficere, nunquàm dicit ſufficere. Propterea Ep. 208. *Oras ut non intres in tentationem; & utique ſi homo ſibi præſtare poſſet volendo, non poſceretur orando. Quapropter ut non intremus in tentationem, ſi voluntas* SUFFICERET, *non oraremus, quæ tamen ſi deeſſet, nec orare poſſemus. Adſit ergo ut velimus; oremus autem ut valeamus.* Et ſerm. 3. de verb. Apoſt. *Volo ut velis; ſed* NON SUFFICIT *ut velis*, hoc eſt, non ſatis eſt te velle per gratiam excitantem, *adjuvandus es ut plenè velis*; hoc eſt, impetranda tibi gratia efficax. Et in Expoſitione quarundam propoſitionum ex Epiſt. ad Rom. *Cùm voluerimus* NON SUFFICIT *voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus vires currentibus præbeat.* Denique lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 19. *Ideirco etiam ſanctos & fideles ſuos in aliquibus vitiis tardius ſanat, ut in his eos minùs quàm implendæ omni ex parte juſtitiæ* SUFFICIT, *delectet bonum.*

3. Oculum ſanum, qui ſolet à Thomiſtis in exemplum afferri ſufficientis poteſtatis, negat Auguſtinus ad videndum ſufficere ſine lumine; & ait tantùm ad non videndum ſufficere, SUFFICIT *ſibi*, inquit ille de geſtis Pelagii c. 3. *oculus ad non videndum, hoc eſt, ad tenebras: ad videndum verò lumine ſuo non ſibi* SUFFICIT, *niſi illi extrinſecùs adjutorium clari luminis præbeatur.*

Hinc 4. liberum arbitrium ad malum faciendum ſibi dicit ſufficere, quia nullum requirit auxilium, ut actu malum operetur. Sic enim l. de corr. & gr. c. 11. *Liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Ex his perſpicuè conſtare arbitror verbum, *ſufficit*, apud Auguſtinum illud ſignificare, quod ſine alio auxilio ſatis eſt ad actu & effectivè operandum; & ideò Auguſtiniano ſenſu tantùm efficaci gratiæ tribuendum.

Neque verò aliter ab aliis Patribus gratiæ defenſoribus uſurpatum eſt; è quibus unum proferam Fulgentium, qui lib. 2. de verit. prædeſt. & gr. c. 4. negat ſine gratiâ efficaci voluntatem ſibi ſufficere: *Voluntas*, inquit, *non ſuâ virtute, ſed Dei prævenientis operatione conſurgit, & poſtquàm ſurrexerit, ut non cadat ſola ſibi non poteſt* SUFFICERE; *ſed ſicut ad ſurgendum beneficio miſericordiæ prævenientis erigitur, ſic ad perſeverandum miſericordiæ ſubſequentis juvamine cuſtoditur.* Gratiam autem quâ juvamur ad perſeverandum, eſſe apud illum efficacem, nemo doctrinæ Fulgentianæ gnarus negaverit. Et ib. c. 7. *Ut deficiat voluntas, poteſt ſibi ſola* SUFFICERE; *ut proficiat verò, indiget ſemper divinæ miſerationis auxilio.* Quo in

loco

loco planum eſt, ideò Fulgentium aſſerere voluntatem ſibi ſufficere ut deficiat, quia nihil ei aliud neceſſarium eſt ut deficiat.

Pluribus locis commemorandis ſuperſedeo. Satis erit eos, qui aliam hujus verbi ſignificationem apud Patres eſſe vellent, hìc compellare, ut vel unum locum proferant, ubi ea gratia ſufficere dicatur ad agendum, quæ nunquàm in actum prodeat ſine alterius gratiæ auxilio; denique ubi eadem gratia, quæ negetur ſufficere ad *agere*, dicatur ſufficere ad *poſſe*.

ARTICULUS X.

Cavendum eſſe ne gratiæ ſufficientis voce ad gratiæ efficacis neceſſitatem avertendam abutantur Moliniſtæ.

ALtera obſervatio eſt, catholicis Theologis valde providendum eſſe, ne vocibus utantur, quarum popularis ſignificatio fideles in errorem poſſit inducere. Barbarè mavult loqui Auguſtinus, ut nonnunquàm teſtatur in expoſitione Pſalmorum, quàm à populo non intelligi; quanto ſtudio idem eas voces devitaſſet, quæ non modò à populo non intelligerentur, ſed etiam pravo & erroneo ſenſu acciperentur. Certum eſt autem vocem *ſufficientis gratiæ* vulgò à mulieribus, ab imperitis viris, imò ab omnibus ferè, accipi pro eâ gratiâ, quæ nullam aliam requirat ad agendum, & neceſſitatem alterius auxilii excludat. Quæ una ratio Theologos deterrere debuerat, ne iſtud verbum alteri gratiæ quàm efficaci tribuerent, & ne paſſim apud populos ſufficientem aliquam gratiam quæ non ſit efficax venditarent. Hoc enim imperiti, (quorum ſalus non minori nobis curæ eſſe debet, quàm eruditorum, ſapientibus enim & inſipientibus debitores ſumus) hoc, inquam, imperiti ſic accipiunt, quaſi ſit quædam gratia, quâ Deo ipſum velle & operari in nobis efficaciter non operante, nonnunquàm tamen & velimus & operemur. Quamobrem ſi res integra nunc eſſet, nullo modo fuerim auctor, ut verbum illud nunquàm à S. Patribus & ipſo S. Thoma alii gratiæ tributum quàm vel efficaci, aut habituali, ſed cum aliquâ exceptione, velut *in ſuo genere*, *quantum eſt de ſe*, paſſim nunc ita excitanti gratiæ tribuatur, ut etiam gratia ſufficiens ipſo nomine ab efficaci diſtinguatur.

Et ſanè quantùm mali ſecum hoc vocabulum in ſcholas Chriſtianas invexerit, facilè animadverti poteſt. Quo enim alio fuco in populi animos irrepunt gratiæ efficacis adverſarii, quàm fallaci ſufficientis gratiæ æquivocatione? Nam cùm rudes à concionatoribus audiunt gratiam ſufficientem prædicari, hanc accipiunt utique quæ nullo alio ſuperad-

peraddito auxilio in actum nonnunquàm prodit; atque ita in eum errorem inducuntur, ſine gratiâ efficaci nonnunquàm aliquid bene fieri, neque illam ad piè agendum neceſſariam eſſe. Hâc arte tantas ſibi vires conflavit Moliniſmus, hoc uno ſufficientis gratiæ nomine incautiùs ſibi à Thomiſtis conceſſo, ipſos apud populum deridiculo habet, pro Calviniſtis & Manichæis traducit; & efficacem gratiam, quam unam ſufficientem Patres vocant, paſſim eliminat. Tolle præjudicium illud ex nomine ſufficientis gratiæ petitum, Molinam funditùs ſuſtuleris. Aliunde enim Traditionis auctoritate ita nudus & inermis eſt, ut in Theologorum conſeſſum, in Doctorum diſputationem prodire non audeat; aut ſi audeat, continuò antiquitatis pondere ſuffocetur.

Quare meritò non modò SS. Patres, ſed hoc ſæculo tota Lovanienſis Facultas ſufficientis gratiæ nomen ſoli tribuit efficaci, & quamcunque aliam ſufficere negavit. *Dicimus*, inquiunt doctiſſimi illi Theologi de gratiâ Chriſti optimè meriti in Juſt. Cenſuræ c. 13. *non eſſe gratiam ſufficienter præparantem voluntatem, niſi quæ faciat ut velimus, & conſentiamus. Quamdiu enim voluntas nondum ſic affecta eſt ut velit, ſed adhuc reſiſtit & contradicit*, NONDUM SUFFICIENTER *eſt à Domino præparata.* Et ibid. c. 12. *Addimus, & hoc qualecunque ſubſidium quod aliquando ſubminiſtrari dicitur iis qui neque credunt neque convertuntur ad Dominum*, NON FUISSE SUFFICIENS *ad fidem aut converſionem; quippe gratia ad converſionem* SUFFICIENS *ipſa convertit; quæ verò non convertit*, NON SUFFICIT.

Eodem modo Duacenſis Facultas locuta eſt, cùm illam Jeſuiticam propoſitionem damnaret: *Omnes infideles ſemper & ubique habent ſufficiens auxilium ad ſalutem ex parte Dei. Neque infidelis*, inquit in cenſuræ aſſertione, *quiſquam credere poteſt, niſi per gratiam quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur, quam gratiam eum non habere quamdiu infidelis manet, perſpicuum eſt. Si ergo donum fidei nondum habet infidelis, quomodò dicendus eſt habere* SUFFICIENS *auxilium ad ſalutem ex parte Dei, cùm abſque dono Dei non poſſit eſſe fidelis.*

Sic etiam Duacenſis Facultatis inſigne lumen Guillelmus Eſtius ex his Scripturæ locis: *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet*; & infrà: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me; traxerit eum*; & ſimilibus, colligit, *non omnibus dari auxilium ſimpliciter ex parte Dei ſufficiens ad hoc ut veniat ad Chriſtum; quia non omnes ad Chriſtum veniunt, neque omnes à Patre trahuntur, & quicumque non veniunt non trahuntur efficaciter.* Quibus locis perſpicuum eſt ſufficientis gratiæ nomen eo quo diximus ſenſu uſurpari. Ab illis verò Theologis non multùm recedunt celeberrimi S. Thomæ diſcipuli, qui licet gratiæ ſufficientis nomen non reſpuant, agnoſcunt tamen ſolam

ſiam efficacem eſſe ſimpliciter & abſolutè ſufficientem. Sic Medina ex Cajetano in 1. 2. q. 109. ar. 10. *Ad hoc*, inquit, *argumentum optimè reſpondet Cajetanus, quòd dupliciter aliqua res poteſt eſſe ſufficiens ad aliquem actum exercendum; uno modo, ſimpliciter ſufficiens, quod accidit quando ipſa res ſola ſine adminiculo alterius poteſt abſolutè operationem producere. Alio modo poteſt dici ſufficiens, non ſimpliciter, ſed in ſuo genere. Verbi gratia viſus in genere potentiæ eſt ſufficiens ad videndum; & qui viſum habet, dicitur poſſe videre. Eſt tamen ſufficiens ut potentia, non tamen ſimpliciter; nam ſine objecto atque lumine non poteſt videre: Ita habens gratiam & habitus virtutum potens eſt perſeverare, tametſi egeat auxilio gratiæ tum ad operandum, tum ad perſeverandum*; quod auxilium efficax eſſe vel hinc ſatis patet, quod loquitur de auxilio non quo perſeverari poteſt, ſed quo perſeveratur, quod apertè infrà appellat *auxilium efficax*.

Cùm igitur ſufficientis gratiæ ab efficaci diſtinctæ nomen nec Patres, nec Concilia, nec Summi Pontifices ulli, commemorent; improbent & rejiciant duæ celeberrimæ Theologicæ Facultates, repudiet doctiſſimus Eſtius, cujus ſcripta in omnium catholicorum manibus cum laude verſantur, minùs proprium eſſe fateantur etiam qui illud uſurpant, illius vocis in Eccleſiam introducendæ nulla neceſſitas extitit, multò minùs verò ulla cauſa ſubeſt, cur illa vox quaſi catholicæ fidei teſſera à quoquam exigatur, cum in ſuo notiſſimo ſignificatu, id eſt Moliniano, erroneum ſenſum habeat, ut omnes Thomiſtæ contendunt: in Thomiſtico autem ſenſum meo quidèm judicio rectum, in Moliniſtarum verò mentibus & auribus intolerandam abſurditatem contineat. Non ſatis autem Eccleſiæ honori conſulere videatur, qui ab eâ præcipi velit illius vocis uſum, quæ cum duos tantum ſignificatus habere poſſit; altero erroneum ſenſum, ut Thomiſtis videtur, altero ridiculum, ut Moliniſtis placet, complectatur.

Verùm, ut meo quidem judicio providentius fuiſſet illud nomen neutiquàm initio in ſcholas catholicas admittere, ſic jam receptum per vim abigere & præfractiùs de voce contendere, durius & ab Eccleſiæ pace alienius videri poteſt. Ergo cum Thomiſtis nunquàm de illâ voce litigabimus; rogabimus tantùm, dum apud imperitos verba facient, ut vel ab illâ voce abſtineant, vel ſaltem admoneant, illam à ſe uſurpari in eo ſignificatu qui à Moliniano longè disjunctus ſit. Ita nullum mihi cum ipſis certamen eſt, nec de nomine, quia non rejicio; nec de ſenſu, quia ſenſum illius vocis Thomiſticum admitto. Admitto quippe in juſtis gratiam quæ det *poſſe*, ultra quod nulla virtus interna requiratur, ſed tantùm applicatio, motio, prædeterminatio, impulſio

ſio illius virtutis, quæ ſit per auxilium efficaciter prædeterminans ex omnium Thomiſtarum ſententia.

ARTICULUS XI.

Sufficientis gratiæ nomen Thomiſtico ſenſu uſurpatum habituali gratiæ rectiùs tribui quàm actuali.

Supponamus igitur, eſſe aliquam gratiam ab efficaci diſtinctam, quæ conferat illud poſſe cui deſit ſola applicatio & motus; quod concedo & profiteor. Supponamus 2. illam gratiam rectè ſufficientem vocari Thomiſtico ſenſu, quod non aſpernor, modò à Moliniano errore ſejungatur. Una quæſtio ſupereſſe poterit de naturâ illius gratiæ ſufficientis quæ det *poſſe*, utrùm ſcilicet ſit, vel habitualis vel actualis; ſive utrùm ſit aliquid in anima permanens, etiamſi minimè de eâ cogitemus; an potiùs pius intellectus & voluntatis motus, de quo non video inter ipſos Thomiſtas conſtare.

Veteres enim Thomiſtæ ut Capreolus, Ferrarienſis, Cajetanus, & nonnulli ex recentioribus, ut Lovanienſis Facultas, & Eſtius, *poſſe* illud quod gratiam efficacem antecedit, habituali gratiæ tribuunt, non autem actuali. Ita ſentiunt adhuc aliqui Hiſpanienſes Theologi; imò hæc ſententia pleriſque Pariſienſibus Doctoribus probatur, nec ingrata eſt ipſis Cenſoribus, dummodò ab amicis ſuis, non à me, propugnetur.

Teſtis eſt Cenſuræ ſubſcriptor Holdenus, qui gratiam actualem non ſemper dari vult, ſed tantùm ſæpe; qui cum ſancto Thoma dicit, *gratiam habitualem & ſanctificantem dare poſſe, & ſufficere ad illud efficiendum quod reipſâ nunquàm ſola efficiet*: & tamen in Epiſtola quâdam ad me ſcriptâ ſic loquitur: *A nemine ſiquidem accepi Magiſtrorum noſtrorum quemquam ſcriptiunculæ meæ doctrinam tanquam ſcholis catholicis indignam reprobaſſe; & certiſſimè novi, eum quem ferunt te inimicorum tuorum coryphæum habere, hanc meam efficacis gratiæ explicationem veluti legitimam approbaſſe.* Nuperrimè verò venit in manus meas non ignobilis Thomiſta Conradus Koelin, Cajetani aut æqualis aut ſuppar, de gratiâ habituali ſic loquutus in quæſt. 109. art. 9. *Homo primò indiget ipſâ gratiâ habituali, quæ faciat eum potentem ad operandum meritoriè, quæ eſt actus primus conſtituens hominem in potentiâ activâ* SUFFICIENTI *ad operandum meritoriè. Quia autem ſuprà art. 1. dictum eſt quod quantumcumque res habeat principium operandi ſufficiens, indigeat auxilio & motione divinâ; ideò habitâ gratia adhuc opus eſt motione Dei, & ut patebit, ſpeciali.* Admiſit quidem, & meritò, Conradus motionem Dei ſupra gra-

tiam habitualem ad operandum neceſſariam: Verùm eam ſpecialem eſſe vult, & non omnibus dari; nec ideò tamen excuſari à peccato qui eâ caruerint. Sic enim art. 6. *Juſti moventur in Deum ut ſpecialem finem motione ſpeciali. Quod ex eo patet:* QUIA UNUS MOVETUR, ALIUS NON; *unus ſufficienter & non efficaciter, alius utroque modo.* Et ibid. *An ſi non à Deo præparatur & diſponitur, ſit à peccato non habitionis gratiæ tempore debito excuſatus. De hoc vide quartum contra Gentiles, c. 159. Quia non eſt excuſatus: quia per ſe-ipſum poteſt præſtare & præſtat impedimenta. Et, ut ſuprà tactum eſt, impotentia quæ eſt ex concurſu primi agentis non excuſat, cum ſit ſemper propter aliquam culpam ad minus originalem.*

Contrà verò plerique recentiores Thomiſtæ gratiam illam, quæ dat juſtis *poſſe*, actualem eſſe volunt, & eandem cum illâ, quæ alio nomine dicitur excitans, de quâ mox uberiùs agemus.

In illâ Theologorum diſſenſione non diffiteor, in eorum me Thomiſtarum partes concedere, qui *poſſe* illud, antecedens gratiam efficacem, per gratiam habitualem tribui docent; & ideò illam potiùs quàm actualem ſufficientis gratiæ appellatione afficiunt. In eam ſententiam his rationibus adducor. Primò, quia S. Thomas, quem in ſcholaſticâ Theologiâ ducem ſequor, omninò iſtius mihi videtur eſſe ſententiæ. Sic enim loquitur q. 110. a. 2. *In eo, qui dicitur gratiam Dei habere, ſignificatur eſſe quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis. Dictum eſt autem ſuprà, quòd dupliciter ex gratuitâ Dei voluntate homo adjuvatur; & uno modo in quantum anima hominis movetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum. Et hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ: actus enim moventis in moto eſt motus, ut dicitur in 3. Phyſic. Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundùm quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur. Et hoc ideò quòd non eſt conveniens, quòd Deus minùs provideat his quos diligit ad ſupernaturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem naturalibus ſic providet, ut non ſolùm moveat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas & virtutes quaſdam, quæ ſunt principia actuum, ut ſecundùm ſe-ipſas inclinentur ad hujuſmodi motus; & ſic motus, quibus à Deo moventur, fiunt creaturis connaturales & faciles, ſecundùm illud Sap. 8.* Et diſponit omnia ſuaviter. *Multò igitur magis illis quos movet ad conſequendum bonum ſupernaturale, æternum infundit aliquas formas ſeu qualitates, ſecundùm quas ſuaviter & promtè ab ipſo moveantur ad bonum æternum conſequendum; & ſic donum gratiæ qualitas quædam eſt.* Ex hoc loco elici poteſt, idem præſtare in rebus ſupernaturalibus gratiam habitualem ad actus ſupernaturales, quod formæ naturales præſtant in naturalibus

ad actus naturales. Sed illæ formæ naturales tribuunt illam potentiam, quæ antecedit motionem Dei præmoventem & prædeterminantem, ex omnibus Thomiſtis. Igitur formæ ſeu qualitates ſupernaturales debent etiam præſtare potentiam illam, quæ antecedit prædeterminantem & præmoventem gratiam.

2. S. Thomas nullam agnoſcit motionem generalem Dei per gratiam. Sic enim loquitur 1. 2. q. 9. a. 6. *Dicendum quòd Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis motor ad univerſale objectum voluntatis quod eſt bonum; & ſine hâc univerſali motione homo non poteſt bonum velle; ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud quod eſt verè bonum & apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum quod eſt bonum, ſicut in his quos movet per* GRATIAM. Ex quo colligi licet motionem per gratiam non eſſe communem omnibus, nec ſemper adeſſe. Diſertè enim S. Thomas, motionem per gratiam non communem, ſed ſpecialem; non ſemper adeſſe, ſed interdùm tantùm; non omnibus, ſed quibuſdam tantùm, tribui dicit. At verò, cùm quæritur poteſtas in juſtis gratia efficaci deſtitutis, ferè quæritur ejuſmodi poteſtas quæ ſemper adſit, quæ proindè repeti non poteſt ex motione Dei, quæ non ſemper adeſt.

3. Gratiam habitualem S. Thomas expreſsè aſſerit dare, quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium ad non peccandum. De ea enim, ut alibi probavimus, intelligitur locus ille qui exſtat 1. 2. q. 106. a. 2. *Nec tamen propter hoc dicitur quod lex nova iram operatur; quia, quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Jam verò nunquàm de illa motione actuali quæ movet ad bonum imperfectum, in qua Thomiſtæ recentiores gratiam ſuam ſufficientem conſtituunt, dixit S. Thomas, illam, quantum eſt de ſe, dare ſufficiens auxilium ad bonum perfectum.

4. Thomiſtæ illi qui gratiæ ſufficientis nomen actuali gratiæ concedere ſolent, iidem nihilominùs quidquid gratiæ ſufficienti competit habituali convenire ultrò agnoſcunt. Quid enim ampliùs habere poteſt gratia ſufficiens ab efficaci diſtincta, quæcunque tandem illa ſit, quàm ut det homini ſufficientem virtutem in actu primo, quò poſſit ſervare omnia mandata & perſeverare in finem ſi velit? Id verò ipſe Alvares, qui inter præcipuos gratiæ ſufficientis actualis patronos vulgò cenſetur, per gratiam habitualem juſto conferri profitetur, eamque eſſe S. Thomæ ſententiam. Sic enim ille Reſp. l. 3. c. 5. n. 20. *Ex doctrinâ*, inquit, *S. Thomæ* 1. 2. *q.* 109. *per gratiam habitualem & virtutes infuſas habet homo ſufficientem virtutem in actu primo, quò poſſit ſervare omnia mandata & perſeverare uſque in finem ſi velit; & tamen de facto cum ſolâ gratiâ habituali & virtu-*

virtutibus infuſis, ſeclusſo quocunque auxilio actuali prævenientis gratiæ, nunquam ſervabit eadem mandata, nec perſeverabit uſque in finem, ut oſtendit ſanctus Doctor, a. 9. & 10. ejuſdem quæſtionis. Ex hoc autem non ſequitur, QUOD GRATIA HABITUALIS NON SIT SUFFICIENS AD OPERANDUM BONUM. *Fallaciam enim hujus conſequentiæ detegit S. Thomas, a. 9. citato ad primum argumentum, ubi objectionem factam diſſolvit.* Fruſtrà ergo requiritur gratia actualis ab efficaci diſtincta, tanquàm neceſſaria ut habeat juſtus ſufficientem virtutem in actu primo ad mandata ſervanda, & tentationes vincendas, cùm id jam habeat ex S. Thoma, fatente ipſo Alvare per gratiam habitualem & virtutes infuſas.

5. Id-ipſum docet Bartholomæus Medina in 1. 2. q. 109. a. 10. ſuper illo S. Thomæ loco: *Nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum gratiæ quo perſeverare poſſunt, & ulterius eis datur quo perſeverent. Ex quo evidens eſt*, inquit, *eſſe diſtinctum donum poſſe perſeverare ab eo quod eſt perſeverare.* Hoc ultimum, nimirùm actu perſeverare, gratiæ efficacis eſſe nemo non videt. Diſpiciamus igitur ad quam gratiam *poſſe* referat, actualem an habitualem. *Poſſe*, inquit, *perſeverare habet homo ex eo quòd habet gratiam juſtificantem, per quam natus eſt ex Deo, & efficitur particeps divinæ naturæ; ex quo fit potens operari omne bonum, & vitare omne malum.* Et infrà: *licet gratia habitualis de ſe ſufficiens ſit ad omne peccatum vincendum, & ad omne opus bonum præſtandum; nihilominùs ratione ſubjecti in quo reſidet, & ratione pugnæ, quæ ſemper eſt à Carne, Dæmone, Mundo, eget homo dono perſeverantiæ, ut victor evadat.*

6. Auxilium gratiæ quod ejuſmodi eſt, ut poſſit eſſe, & frequenter ſit piæ operationis principium phyſicum, licèt nonſine gratiâ efficaci, longè potiori jure dicitur gratia ſufficiens in actu primo ad illam piam operationem, quàm quod ejus generis eſt, ut etiam cum gratiâ efficaci piæ operationis principium eſſe non poſſit, niſi morale. Ex omnibus enim Thomiſtis cauſa moralis non eſt propriè cauſa, ſed metaphoricè, ut docet S. Thomas de malo, q. 3. a. 3. Certum eſt verò, gratiam habitualem eſſe piarum operationum principium phyſicum; non item gratiam illam excitantem, quam ſufficientem Thomiſtæ recentiores appellant. Ipſi enim docent teſte Alvare, Reſp. l. 3. c. 4. n. 6. *Auxilium præveniens gratiæ excitantis non habere phyſicum influxum in conſenſum, ſeu piam operationem liberam, ſed tantùm moralem*, etiam cùm illi adjungitur gratia efficax. Quod multis ille rationibus probat, quarum præcipua eſt quam affert n. 7. *Motus gratiæ excitantis*, quæ ipſi gratia ſufficiens, *ſolet eſſe minus perfectus, quàm actus ſupernaturalis ad quem movet. Solet enim Deus vivâ quâdam mortis repræſentatione, aut*

timore gehennæ, excitare & movere ad actum contritionis, aut dilectionis Dei ſuper omnia, qui actus & accidentaliter & ſpecificè ſunt præſtantiores motibus excitantis gratiæ. Ergo hujuſmodi gratia excitans non erit phyſico influxu cauſa efficiens horum actuum. Probatur conſequentia. Nam cauſa efficiens debet eſſe ad minus æque perfecta, ſicut eſt ejus effectus, cùm tota perfectio effectus virtute contineatur in cauſâ. Unde ſic concludit, n. 17. *Dicendum, gratiam prævenientem adjuvantem* (hoc eſt efficacem) *vires efficaces tribuere voluntati ad conſenſum eliciendum, & phyſicum influxum habere in eundem conſenſum, ut dictum eſt. Gratia autem excitans, licet tribuat libero vires ſufficientes, quibus poſſit piè operari ſi velit, non tamen concurrit efficienter ad piam operationem, quia movet voluntatem ex parte finis alliciendo, invitando, & ſuadendo.* Quantò igitur magis gratia habitualis dici poteſt ſufficiens Thomiſtico ſenſu ad bene agendum & mandata ſervanda, de qua ſic ipſe Alvares in Reſp. ad 8. objectionem, quæ erat ejuſmodi: *Auxilium præveniens gratiæ excitantis non minus trahit & inclinat voluntatem ad opus bonum, quàm habitus; ſed multo magis: Atqui habitus, præſertim infuſi, cooperantur phyſico influxu cum libero arbitrio in opus pium ſeu conſenſum: Ergo ſimul cooperabitur gratia excitans præveniens. Ad octavum*, inquit, *reſpondetur, quòd gratia excitans inclinat moraliter voluntatem ad opus bonum, eam movendo ex parte objecti, alliciendo, invitando, & ſuadendo. Habitus verò ſupernaturalis inclinat eam habitualiter ex parte potentiæ per modum principii effectivi. Auxilium autem efficax prævenientis gratiæ adjuvantis inclinat voluntatem, id eſt, inclinare eam facit actualiter & infallibiliter.* Nulla ergo gratia *omnibus modis* ad opus bonum *ſufficiens*, niſi quæ ipſum in nobis atque nobiſcum efficaciter operatur, ut alibi fatetur ipſe Alvares. Sed ſi inter gratiam excitantem reſpectu actus perfecti ad quem diſponit, & gratiam habitualem comparatio inſtituatur, hæc profectò quæ ex *parte potentiæ per modum principii effectivi ad opus bonum voluntatem inclinat*, ſufficientis gratiæ nomen magis mereretur, quàm *quæ illam tantùm moraliter inclinat ex parte objecti*, neque unquam boni operis principium verum & phyſicum eſſe poteſt.

7. Gratia habitualis nullam aliam requirit habitualem ad agendum actu, & ideò eſt verè ſufficiens in genere gratiæ habitualis. At minùs propriè gratia excitans actualis dicitur ſufficiens, quia ad ipſam actionem actu producendam requirit aliam gratiam actualem, nempe efficacem. His rationibus moveor, ut meliùs habituali, quàm excitanti actuali, ſufficientis gratiæ nomen dari exiſtimem.

ARTICULUS XII.

Bono etiam ſenſu gratiam excitantem dici poſſe ſufficientem.

ATTAMEN ſi quis pertinaciùs obtinere nitatur, gratiam excitantem ſufficientem appellari poſſe, dummodo Molinianam hujus verbi ſignificationem excludat, & alterius gratiæ efficacis neceſſitatem ad ipſam actionem admittat, faciles nos præſtabimus; nec enim de nominis quæſtione, in quo vel ſanciendo vel abrogando nulla Eccleſiæ auctoritas interceſſit, libenter certaverimus. Quam volent igitur excitantem gratiam ſufficientem appellent recentiores Thomiſtæ, nos omninò repugnantes non habebunt, dummodò, ut faciunt, eo tantum ſenſu ſufficientem dicant, quòd in nobis initia bonæ voluntatis producat atque adeò quandam bene agendi potentiam & virtutem largiatur: quòd talis ſit, ut niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret, non modò boni operis deſiderium fructu vacuum, ſed ipſum bonum opus re-ipsâ produceret: quòd talis ſit, ut qui illi reſiſtit in eo ſit culpandus: quòd talis ſit, ut niſi prava voluntas in nobis ineſſet, ad bene vivendnm ſola ſufficeret: denique quòd talis ſit, ut ei homo plenè conſentiat, ſi voluerit; quòd autem nolit, ex ejus vitio & pravitate naſcatur.

His, inquam, omnibus ſenſibus rectè excitantem gratiam ſufficientem dici tacitè concedi poteſt. Hæc enim omnia de gratiâ excitante, quæ imperfectam voluntatem largitur, verè dicuntur; ſtent modò illa duo, de quibus nulla cum Thomiſtis contentio eſt. Primò gratiam illam excitantem, quæ imperfectos actus producit, ſemper eum effectum habere ad quem abſolutâ Dei voluntate ordinatur, quod omnes Thomiſtæ unanimi conſenſu docent, ut ait Alvar. diſt. 80. & alibi paſſim.

Alterum eſt, illi gratiæ excitanti, quæ movet hominem ad imperfectum bonum & ad actus imperfectos, neminem unquàm ſine amplioris gratiæ præſidio ad actum perfectum conſenſiſſe, imò repugnare ut re-ipsâ conſentiat, nec illam gratiam complecti omnia ad agendum neceſſaria: quæ pervulgata item eſt omnium Thomiſtarum doctrina. Sic enim Navarretta contr. 24. n. 56. & cont. 19. n. 1. Alvar. diſp. 76. n. 1. & 91. n. 14. Silv. in 1. 2. q. 111. art. 3.

Quibus addi poteſt quod ait Alvares, diſp. 99. n. 2. Gratiam ſufficientem, quâ ſufficiens eſt, & quatenùs tribuit tantùm homini poſſe piè operari ſi velit, non autem facit ut velit, etſi detur ex meritis Chriſti, non eſſe tamen propriam Chriſti gratiam; quia propria Chriſti gratia eſt gratia adjuvans, quâ Deus

facit ut velimus. Ergo in his omnibus, quia de re-ipsâ convenimus, in verborum uſu faciles eſſe poſſumus.

Sed cùm in eo quidam è Cenſoribus præcipuum ſententiæ ſuæ fundamentum locarint, quòd Petro omnem gratiam actualem à me negari dicerent, paulò accuratiùs explananda eſt excitantis illius gratiæ natura, ut ex ejus explicatione clareat, quandò adſit, quandò non adſit.

ARTICULUS XIII.

Quarta quæſtio : Utrùm ſemper adſit gratia excitans, quam Thomiſticè ſufficientem vocant. Accuratiùs explicatur illius gratiæ natura.

IMprimis conſtans eſt Thomiſtarum doctrina, gratiam ſufficientem actualem, & gratiam excitantem, eandem prorsùs eſſe gratiam duobus affectam vocabulis. Sic Alvares, diſp. 76. n. 5. *Gratia excitans, ut complectitur non ſolùm illuminationem externam & internam intellectus, ſed etiam motionem ſupernaturalem receptam in voluntate, idem eſt realiter quod gratia ſufficiens, ita ut omnis gratia prædicto modo excitans ſit gratia ſufficiens comparatione effectus ad quem excitat: ut ſi excitet ad credendum, erit gratia ſufficiens comparatione actus fidei; & ſi excitet ad diligendum Deum ſuper omnia, erit gratia ſufficiens reſpectu actus dilectionis Dei.*

2. Etſi diſputent inter ſe Theologi, utrùm gratia excitans ſive ſufficiens ſit actus intellectus & voluntatis, quatenùs à Deo productus, ut quidam exiſtimant; an verò eorum cauſa, ut Alvares & plerique Thomiſtæ: convenit tamen inter illos nullam eſſe gratiam ſufficientem ſive excitantem, ubi nulla eſt cogitatio, nulla voluntas. Quamobrem excitantem gratiam vel conſtituunt vel ſemper comitantur piæ cogitationes, piæ voluntates; quas ita explicat Alvares, diſp. 73. *Dicendum eſt enim*, inquit, *Deum per gratiam excitantem efficere ut homo evigilet, & attendat ad illa quæ ad amplectendum bonum & reſpuendum malum conducere poſſunt, ut, verbi gratiâ, cùm per peccatum eſt à Deo averſus, gratiâ excitante intellectum ejus Deus illuſtrat, ut videat quàm malum & quàm amarum eſt reliquiſſe Dominum. Per eandem gratiam cauſat Deus quoſdam actus ſupernaturales, licèt imperfectos, quibus remotè diſponit hominem ad juſtificationis gratiam conſequendam; vel ſi eſt juſtificatus, per eoſdem actus imperfectos liberum ejus arbitrium inclinat, ut Deo excitanti & vocanti conſentiat & cooperetur.*

Similiter Leſcotius olim Theologiæ Profeſſor, nunc Carnotenſis Epiſcopus, in ſcriptis ſuis gratiam

tiam excitantem ſufficientem explicat, qu. 2. art. 8. *Excitans*, inquit, *eſt per quam ſæpe rebus humanis, fortè etiam malis occupati, ſentimus nos derepente inſpirari & quaſi de ſomno excitari, partim illuſtratione quâdam & bona cogitatione, quam intellectui noſtro Deus immittit, partim piâ affectione, quam voluntati.*

Notandum porrò, nomine gratiæ ſufficientis & excitantis non contineri ſolùm actus indeliberatos, ſed etiam actus liberos & deliberatos imperfectiores, quatenùs ad perfectiores diſponunt; verbi gratiâ, actus fidei, ſpei, & charitatis imperfectæ, quatenùs per ipſos diſponimur ad obſervationem mandatorum; licèt iſti actus non ſolùm per excitantem, ſed etiam per adjuvantem conferantur, & ſic ſub diversâ conſideratione ad excitantem gratiam pertinent, quia diſponunt & excitant ad perfectiores actus: ad adjuvantem, quia conſenſum deliberatum involvunt, quem Deus in homine efficaciter operatus eſt. Sic Alvares, diſp. 75. n. 4. Imò ex eâdem Thomiſtarum ſcholâ Navarretta contr. 17. in 1. p. qu. 19. art. 8. multis probat, *auxilium excitans, quatenùs denotat actum voluntatis, per ſe loquendo eſſe actum liberum eidem voluntati.*

Sed quoniam ex doctrinâ Apoſtoli non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquàm ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; multò minùs autem deſiderare & piam ullam affectionem habere; ſequitur hæc duo inter ſe retrò commeare, ut quiſquis piam cogitationem habet, piam affectionem, pium conatum, habeat etiam gratiam excitantem; & rurſus, ut quiſquis habet gratiam excitantem, habeat etiam pios motus, pia deſideria, pias cogitationes. Ex quo ſequitur, quicunque piam cogitationem, piam voluntatem, de peccato vitando non habet, non habere gratiam excitantem ſufficientem; & rurſus, quicunque non habet gratiam excitantem ad peccatum vitandum, non habere piam cogitationem, & piam affectionem.

ARTICULUS XIV.

Quando admittenda ſit excitans illa gratia.

Conſtitutâ gratiæ excitantis ſufficientis Thomiſtico ſenſu naturâ, diluceſcere poteſt, an admittenda ſit illa, & quibus & quando concedenda.

Primùm enim certum eſt, illam gratiam repudiari in totum & negari non poſſe. Quàm multi enim experiuntur iſtiuſmodi pias cogitationes, pias affectiones? Quàm multos ſubit nonnunquàm timor inferni, cura & ſollicitudo ſuæ ſalutis? Quàm multos allicit cœleſtis quædam ſua-

vitas, quâ ad amorem rerum cœleſtium quaſi furtim rapiuntur? Quàm multi denique à peccato ſe deterreri, ad bona opera allici ejuſmodi motibus quotidie ſentiunt?

2. Certum eſt, illam excitantem gratiam omnibus piè cogitantibus, volentibus & conantibus, adeſſe. Unde enim piè cogitarent, unde vellent, unde conarentur, niſi per excitantem gratiam illos in animo motus operaretur Deus? Quamobrem nihil verius, quàm juſtis volentibus & conantibus non deeſſe gratiam excitantem ſeu ſufficientem Thomiſtico ſenſu: neque enim ſine illâ gratiâ vellent & conarentur. Nihil verius, quàm illis juſtis volentibus & conantibus adeſſe poſſibilitatem illam in actu primo, quæ non complectitur omnia ad agendum prærequiſita. Habent enim & actualem & habitualem gratiam, quarum alterutra ad id præſtandum ſatis eſſe poſſet. Sed quoniam gratiæ excitanti, quâ volunt & conantur juſti, non ſemper adjungit Deus gratiam efficacem, quâ plenè velint & plenè conentur, nec ullus tamen gratiæ ſufficienti ad illum effectum conſentit, comparatione cujus dicitur ſufficiens, ſine efficacis auxilio; ideò deeſt ſæpe juſtis volentibus & conantibus per gratiam excitantem efficax gratia, quæ una complectitur omnia ad agendum neceſſaria; adeóque illis juſtis gratiam ſufficientem habentibus, ſed non plenè conſentientibus, mandata Dei non ſunt poſſibilia, eâ poſſibilitate quæ complectatur omnia ad agendum neceſſaria; licet alio poſſibilitatis genere, Thomiſtico ſcilicet, poſſibilia ſemper ſint.

Ex his colligi licet, affuiſſe Petro tum cùm præſumſit gratiam illam excitantem ad mortem pro Chriſto ſubeundam. Tunc enim Petrus & volebat & conabatur; *Nec defuit ipſi*, ut ait Aug. de gr. & lib. arb. c. 17. *parva & imperfecta charitas, quando dicebat Domino*: Animam meam pro te ponam; *putabat enim ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Quamvis autem parva illa charitas, quæ Petro non defuit, non eſſet ſufficiens Moliniano ſenſu ad mortem pro Chriſto ſubeundam, quia fieri non potuit ut eum illâ ſolâ mortem pro Chriſto re-ipſâ ſubiret, ac propterea Petrum tunc Auguſtinus infirmum fuiſſe, & mori pro Chriſto non potuiſſe, pronuntiet; nihilominùs tamen rectè ſufficiens dici poteſt Thomiſtico ſenſu. Omnis enim gratia excitans in voluntate recepta, qualis illa fuit, ſufficiens eſt apud illos, ut teſtatur Alvares loco jam citato. Et reverà illa Petri charitas, quamvis infirma, ſatis fuiſſet ad mortem pro Chriſto oppetendam, niſi proprio vitio Petrus vitæ cupidior, timidior, ignavior, ſui amantior fuiſſet, ut ſupra notavimus.

Quòd ſi quis quærat an infirmam

mam illam charitatem cum habuerit Petrus, cùm Chriſtum negavit: reſpondeo id liquidò ſciri non poſſe, cùm nec ex Scripturâ, nec ex Patribus ſatis certa habeamus argumenta, ut præcisè definiamus quid tum in mente Petri ſit actum. Quare nihil abſurdius fieri poteſt iis, qui quod in Epiſtolâ meâ poſt Chryſoſtomum & Auguſtinum dixi, Magnam eſſe veritatem, Scripturarum & Patrum auctoritate ſancitam, Petro juſto defuiſſe gratiam ſine quâ nihil poſſumus, ita contra mentem meam interpretantur, quaſi Petro defuiſſe dixerim omnem omninò actualem gratiam, ſive ſufficientem, ſive efficacem.

Ego-ne magnam eſſe veritatem dicerem, Scripturarum & Patrum auctoritate definitam, Petro omnem gratiam actualem defuiſſe, cùm eo nihil incertius eſſe, nihil in Patribus, in Scripturis obſcurius & ignotius judicem? Affuit planè, ſi voluit & conatus eſt; ſed an voluerit & conatus ſit mihi quidem planè dubium eſt. Dubia verò pro certis affirmare à Theologi officio alienum cenſeo. Quamobrem id de quo mihi non conſtabat non dixi: illud dixi, Petro gratiam ſine quâ nihil poſſumus defuiſſe, quia defuit gratia efficax, de qua verè dicitur, ſine illa nihil boni fieri poſſe, ut Conciliorum & Patrum concinentibus teſtimoniis in priori hujus Diſſertationis Parte oſtendimus.

ARTICULUS XV.

Utrùm adſit in omnibus generatim peccatis gratia excitans, ſive ſufficiens Thomiſtico ſenſu.

CUm quæritur utrùm adſit gratia ſufficiens actualis in omnibus peccatis, id quæritur utrùm adſint in omnibus peccatis mortalibus & venialibus piæ cogitationes quibus peccatum innoteſcat, pia deſideria quibus ad illud fugiendum voluntas excitetur: de quo quid ſentiamus, duabus concluſionibus aperiemus; quarum hæc prima ſit.

Hominibus ignorantibus, errantibus, incogitantibus, nec volentibus, nec conantibus evitare peccatum, non adeſt cognitio, ſcientia, cogitatio de peccato divinitùs immiſſa; non adeſt voluntas & deſiderium fugiendi peccati; non adeſt conatus ad abſtinendum à peccato, id eſt, non adeſt gratia excitans, ſive ſufficiens actualis.

Non arbitror argumentis opus eſſe ad illam concluſionem ſtabiliendam. Quid enim per ſe manifeſtius, quàm non adeſſe cognitionem ignorantibus, ſcientiam errantibus, cogitationem incogitantibus, voluntatem nolentibus, conatum non conantibus?

Hinc habes quàm abſurdè nonnulli

nulli ex ſummi Pontificis Innocentii X. Conſtitutione gratiam actualem in omnibus peccatis ſemper præſentem eliciant. Quid enim? Damnavit ſummus Pontifex hanc propoſitionem: *Quædam Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque gratia quâ poſſibilia fiant.* Quid inde? Ut liberaliſſimi ſimus in adverſarios: ut non urgeamus verbum, juſtis, de omnibus juſtis intelligendum, cùm propoſitiones indefinitæ in materiâ dogmaticâ pro univerſalibus accipiantur; adeóque eam doctrinam à Pontifice eſſe damnatam, quæ legem Dei ita omnibus nunc hominibus impoſſibilem eſſe contendit, ut nulli prorſùs ei obſervandæ pares ſint, utcumque ſpiritu Dei adjuventur. Ut demus gratiæ nomen in hac Própoſitione de actuali, non de habituali, accipi debere. Quamquàm ne cogitavit quidem Pontifex de eo definiendo, utrùm per gratiam habitualem, an per actualem mandata Dei ſint poſſibilia. Quid inde tandem efficient? Nimirùm juſtis volentibus & conantibus adeſſe gratiam actualem. Si hoc unum poſtulant, ultrò concedimus. Sin autem volunt, ut etiam nec volentibus nec conantibus adſit: non vident, primùm quidem propoſitionem à Pontifice damnatam *de volentibus & conantibus* eſſe, adeóque ad nolentes & non conantes ridiculè detorqueri. Deindè pugnantia ſe loqui, & inteſtinum diſſidium in ſummi Pontificis verba intrudere. Ut enim nec volentibus nec conantibus adſit gratia actualis, tam repugnat, quàm adeſſe voluntatem non volentibus, conatum non conantibus. Quid eſt enim gratia actualis, niſi voluntas, niſi conatus? Adeſt ergo volentibus & conantibus; fatemur. Ergo etiam nec volentibus nec conantibus. Quis tam ineptam, tam ſibi adverſantem conſecutionem non irrideat, non aſpernetur, non ſummi Pontificis Conſtitutioni contumelioſam judicet?

Altera concluſio eſt, quoſdam etiam juſtos peccare per ignorantiam, id eſt, carere cognitione peccati quod committunt; peccare per errorem, id eſt, approbare falſa pro veris; peccare per incogitantiam, id eſt, non cogitare de peccato quod admittunt; denique non habere ſemper boni faciendi deſiderium, nec conatum, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat.

Quis enim de ſe ſpondere audeat, nunquàm ullum ſibi ſubrepſiſſe peccatum per improviſas fratrum offenſiones, per tacitas libidinis illecebras, per occultas ſenſuum inſidias, per ignorantiam, per errorem, per ſubitos æſtus, per linguæ intemperantiam, quin præceſſerit in animo per piam cogitationem peccati illius cognitio, infirmitatis ſuæ notitia, excitatio ad orandum, pium deſiderium voluntatem à peccato retrahens?

Quid cauſæ ſupereſſet Sanctis, ut

ut ad Deum aſſiduè clamarent: *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo*, ſi nullum unquàm peccatum occultè ſeſe in animum inſinuaret? Quid cauſæ eſſet, cur ita Dominum deprecarentur: *Et ignorantias meas ne memineris*; ſi nulla per ignorantiam culpa poſſet admitti? Cur vigilarent adverſùs Diaboli inſidias, ſi peccare non poſſent, quin priùs illa pervigili cogitatione excitarentur?

Quis ſibi in mentem poſſit inducere nunquàm ſibi cognitionem peccati defuiſſe, qui præclarum illum Auguſtini locum meminerit, cujus veritatem omnes Sancti ex intimo ſenſu pietatis agnoſcunt. *In multis*, inquit, ille de ſp. & litt. c. 36. *offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere vel non diſplicere quod facimus, & poſteà per Scripturam ejus ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoſcat. Plena humana vita eſt documentis talibus.*

Quî poteſt illa doctrina præviarum cogitationum in omnibus peccatis à peccato retrahentium conſiſtere cum illâ Concilii Palæſtini definitione, quâ proſcribitur propoſitio illa Cæleſtii: *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem?*

Porrò & ignorantiâ ſæpe peccari, & tamen illa peccata voluntate fieri, præclarè explicat Aug. lib. 1. Retr. c. 15. *Nam & qui neſciens peccavit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt, quamvis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec ipſius eſſe potuit ſine voluntate peccatum..... Quia voluit ergo, fecit; etiamſi non quia voluit, peccavit.... Ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum, peccatum fuit: hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit.*

Quamlibet multa hîc conferre poſſem Patrum teſtimonia, quibus diſertè docent, ſæpe ſine præviâ peccati cognitione peccari: ſed in re tam perſpicuâ ſatis erit unumquemque hîc admonere, ut adeat conſcientiam ſuam, ut vitam ſuam vel per unum diem diligenter exploret; nec ullum fore puto, qui affirmare audeat de omnibus culpis venialibus, quæ innumeræ ſubrepunt vel ſanctiſſimis viris, illis ſe cogitationibus ſemper admonitum fuiſſe. Imò verò longè plurima ſunt in quibus omnes delinquimus, quæ nobis nunquàm detegentur, niſi cùm Deus revelabit operta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Quò quiſque puriorem conſcientiam habet, eò plures ejuſmodi detegit nævos, ſicut in ſolis lumine volitantes pulveris minutiæ deprehenduntur. In communi verò vitâ latent hæc omnia, & à neſcientibus ferè committuntur.

Pœnaliter peccare ſe fatetur Auguſtinus, ſi quando plus illum cantantis ſonus, quàm pſalmi ſen-

ſenſus delectaret. Religioni ducebat puriſſimus animus vel lucem ipſam aſpicere alicujus conſectatione voluptatis; itemque oculos in araneam, in leporem tranſeuntem, ſubitâ quâdam curioſitate conjicere, culpam eſſe putabat. Idem ut adversùs Pelagium probaret, non ideò credendum eſſe Abelem omnis peccati expertem fuiſſe, quòd nulla ejus peccata Scriptura commemorat: *Quaſi verò*, inquit lib. de nat. & gr. c. 37. *commemorandum fuerit, ſi Abel, quamvis meritò juſtus appellatus eſt, paulò immoderatiùs aliquando riſit, vel animi remiſſione jocatus eſt, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel aliquando immoderatiùs poma decerpſit, vel pluſculo cibo crudior fuit, vel cum oraret cogitavit aliquid unde ejus in alind avocaretur intentio, & quotiès illi iſta ac ſimilia multa ſubrepſerint.*

Interrogentur nunc plurimi chriſtianæ licèt ac probatæ vitæ, num ex illis multa inter culpas unquàm habuerint; nunquàm vel cogitaſſe reſpondebunt. Quid officioſa vel jocoſa mendacia loquar, quid verba otioſa, otioſas cogitationes, otioſas actiones, quàm multi in peccatis non habent, & per totam ferè vitam in illis levibus culpis ſine ullo conſcientiæ morſu perſeverant? Quis porrò confidat omnia ſe ſuæ profeſſionis officia noſſe, nec ulli ſe unquàm pèr ignorantiam defuiſſe? Magnus ille eſt quiſquis illud de ſe polliceri cum veritate poteſt. Sed metuo, ne qui ſpondeat, ob id-ipſum magnus non ſit; quia iſtud de ſe profiteri audet, nec profundas humanæ mentis tenebras ſatis cognitas habet.

Repugnat igitur Patrum auctoritati, repugnat Chriſtianorum omnium ſenſibus illa præviatum peccati cogitationum in omnibus culpis ſententia; nec minùs abhorret à veritate, ut adſit ſemper pius voluntatis motus, qui nullus eſſe poteſt, ſi deſit cogitatio. Omitto innumera Patrum loca, in quibus aſſerunt, liberum arbitrium ſolum nonnunquàm eſſe cùm peccat, & nullatenùs gratiæ auxilio, cùm peccat, adjutum. Unus ſufficiet in præſens Auguſtini locus, qui extat l. 6. op. ult. cóntra Jul. c. 41. *Nec hujus*, inquit, *concupiſcentiæ reatus niſi in renaſcentibus ſolvitur, ut eo poſt abſolutionem non inquinetur, niſi qui ei ad perpetrandum opus malum ſpiritu adversùs eam vel* NON CONCUPISCENTE, *vel non fortiùs concupiſcente conſentit.*

Nec verò, prævias illas pias cogitationes & pios motus divinitùs immiſſos in omnibus peccatis præſentes à me negari, quiſquam mirari debet, cùm ab adverſariis meis vulgò negentur. Negavit in ſcriptis ſuis Illuſtriſſimus Carnotenſis Epiſcopus, gratiam actualem ſemper adeſſe, cùm ad multas tentationes ſuperandas, ad multa peccata mortalia vitanda, gratiam habitualem ſatis eſſe contendat. Sic enim ille tr. de gr. qu. 4. a. 10. *Ut nunc ſe res habent, ad naturæ totam legem,*

gem, tum diu, tum verò uſque ad finem vitæ, implendam, præter habitualem requiritur actualis. Non tamen auxilia iſta requiruntur ad vincendas ſingulas tentationes (niſi fortè aliqua ſit vehementiſſima) ſed ad multas; quia Concilia & Patres loquuntur de auxiliis ad perſeverandum, ad perſiſtendum & perdurandum neceſſariis. In quo quidem homo juſtus, ETSI FORTE OMNIBUS ACTUALIBUS AUXILIIS DESTITUTUS, *adhuc differret ab eo, qui nullam gratiam haberet, neque actualem, neque habitualem, quòd homo juſtus beneficio gratiæ habitualis poſſet aliquas ſaltem tentationes vincere, etiam graves; alter verò nullas poſſit, niſi fortè leves. Item ſi ſermo ſit de aliquibus ſolùm peccatis venialibus, ad hoc ſufficere poteſt habitualis gratia re-ipsâ per ſe & ſine actuali, ubi nulla eſt vehementior tentatio.*

Hanc doctrinam duo ex Cenſoribus, nimirum P. Nicolai, & Alphonſus *le Moine*, catholicam eſſe & orthodoxam gravi auctoritate pronuntiarunt. Locus Alphonſi habetur in manuſcripto ejus ſuffragio: Nicolaï verò eandem ſententiam ſic expreſſit in ſuo nuper edito: *Dicant hoc ii qui ad aliquos actus habitualem illum ſtatum ſe-ipſo ſufficere ſine concurſu actuali ſentiunt. quia non propterea quidquam putant quod ex parte divinâ requiratur ad id agendum quod occurrit, ut in priſtinis lectionibus à ſe traditum, & præpoſtero ſenſu à quibuſdam detortum, vel incautius intellectum, nitidiſſimè his comitiis explicavit Illuſtriſſimus Carnotenſis.* Ego, quid de ipsâ ſentiendum ſit, hoc loco non dico. Tantùm illud colligo, apud adverſarios meos pro certo non haberi, gratiam actualem in omnibus peccatis etiam mortalibus adeſſe, eamque poſſibilitatem, quâ juſti ſemper poſſunt evitare peccata, ſemper ipſis conferri per gratiam actualem. Quare, ſi ipſis non conſentientibus modò, ſed etiam approbantibus, licet defendere tantam vim eſſe gratiæ habitualis, ut nonnunquàm ejus unius ope habeatur illa Moliniana poteſtas cui nihil deſit ad agendum neceſſarium; quid eſt quod ægrè ferant eidem habituali gratiæ tribui nonnunquàm eam potentiam Thomiſticam, quæ non complectatur omnia neceſſaria ad agendum, & quæ nunquàm in actum prodeat ſine efficacis gratiæ præſidio? Nam ſi hoc contendant, Moliniſticam poteſtatem rectè tribui habituali gratiæ, Thomiſticam non poſſe, quis illos non videat non conſiderare, ſed quaſi ſortiri quid dicant: nec ſic tamen vim iſtius argumenti declinabunt. Conſequens enim ſemper erit, gratiam actualem non ſemper in omnibus peccatis & tentationibus adeſſe.

Negant etiam illas prævias cogitationes quicunque ſufficere dicunt, affuiſſe aliquandò in peccato veniali piam cogitationem & pium motum, cui ſi non conſenſerimus, meritò in aliis actuali gratiâ privemur. Ejus ſententiæ videtur eſſe Nicolaï, qui in Cenſorio Suffragio illa Chryſoſtomi

verba

verba de Petro: *Nullo fruitus eſt auxilio*, ſic explicat: *Quod enim Petrum nullo fruitum auxilio adſtruit Chryſoſtomus ne caderet, ad hoc momentum ſpectat, quo negavit; quia illo ſe privaverat cùm præſumſit.* Negant quicunque prævias illas cogitationes & pios motus tantùm in gravibus tentationibus requirunt, quæ ſententia nunc inter Moliniſtas, prioris opinionis abſurditate commotos, ſerpere incipit. Negant quicunque contendunt iſtiuſmodi motus in iis tantùm culpis ſemper reperiri, quæ neque per errorem, neque per ignorantiam, committuntur; quam ſententiam nonnullis ex i-ſorum numero probari video. Negant denique univerſi Moliniſtæ, qui libenter numero ſuo aggregarunt unum ex doctoribus qui gratiam habitualem ſufficientem eſſe Thomiſtico ſenſu, actualemque gratiam ſæpe dari, non ſemper, publicè profeſſus eſt.

Soli ergo Jeſuitæ nunc urgent illud præviarum cogitationum in omnibus peccatis commentum: verùm illud ipſi peſſimè tuentur. In eas enim anguſtias redacti ſunt, ut gratiam actualem ſitam doceant in cogitationibus de quibus non cogitetur; in piis motibus quos non ſentiamus: quaſi vel fieri poſſit ut aliquis incogitans cogitet, vel ea cogitatione ad non peccandum adjuvetur, quam ipſe non advertat; & ideò reus ſit apud Deum, quia piæ cogitationi quam non advertit non conſenſerit. Quo quidem nihil abſurdius dici poſſe arbitror; & ideò Cardinali Bellarmino meritò illud exploditur l. 2. de gr. & lib. arb. c. 6. *Non poteſt*, inquit, *ullus converti ſine gratiâ præveniente. Gratia verò iſta præveniens non ſemper adeſt, ut vel experientia ipſa teſtatur: non enim ſentimus aſſiduè nos illuminari à Deo, aut immitti bona deſideria quibus excitemur ad converſionem. Non igitur ſemper habemus auxilium ſufficiens ad converſionem. Dicunt aliqui, Deum quidem perpetuò pulſare ad oſtium cordis, & peccatores vocare; ſed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem Dei. Sed hæc reſponſio cum ipſo experimento apertiſſimè pugnat. Nam cùm vocatio, pulſus, tractus, excitatio illa Dei, ſit actio noſtra, quamvis non libera, nempe bona cogitatio bonumque deſiderium repentè ac divinitus immiſſum, quomodo poteſt fieri ut non ſentiatur in nobis, ſi ſit non ſolum in nobis, ſed etiam à nobis.*

Exploditur item ab Illuſtriſſimo Leſcotio tr. de gr. q. 2. a. 11. ubi cùm ſibi objeciſſet, *peccatores non ſentire in ſe-ipſis ſingulis momentis vel horis divinas motiones vel inſpirationes, non ergo eos habere gratiam ſufficientem*: non reſpondet cogitationes illas tales eſſe, ut ſæpe non advertantur; verùm conſequentiam negat. *Nam*, inquit, *ut gratia dicatur ſufficiens, neceſſe non eſt eam dari ſingulis momentis vel horis, ſed ſatis eſt quod detur certis temporibus: ſicut etiam rectè dicimur amicum ſufficienter admonere officii ſui, etſi eum quidem non perpetuò admoneamus.*

Qui-

Quibus ex verbis intelligi licet, primùm ex Leſcotii ſenſu non adeſſe gratiam actualem in ſingulis tentationibus; aliàs ſingulis horis adeſſet, quod ab ipſo negatur: vix enim fieri poteſt ut non ſingulis horis aliquâ peccati tentatione ſollicitemur: deinde ex eodem non adeſſe gratiam actualem, cùm nullæ divinæ motiones vel inſpirationes ſentiuntur.

Nec movere quemquàm debet, quòd nonnumquàm Auguſtinus aſſerit, Deum miris & occultis modis agere ut velimus, & occulto ac ineffabili modo pias cogitationes immittere. Modum enim operationis iſtius arcanum eſſe dicit Auguſtinus, non ipſam operationem. Itaque ſæpe fieri poteſt, ut bonam aliquis cogitationem habeat, & tamen unde habeat neſciat: vel omninò ignoret, aut ſaltem dubitet an bona ſit. Sed illud fieri nullo modo poteſt, ut aliquis cogitet, & ſe tamen cogitare omninò neſciat, ut illud peccatum ignoret de quo per illas cogitationes ſexcenties ſit admonitus.

ARTICULUS XVI.

De peccatis mortalibus accuratiùs.

PLura non dicam ad refellendum nuperum illud Moliniſtarum commentum: unum tantùm admonebo. Cùm hìc dixi audiendos non eſſe qui in omnibus peccatorum tentationibus bonas illas cogitationes & pias affectiones tam liberaliter largiuntur, id me de omnibus generatim peccatis intelligere, quatenùs hoc nomine & venialia & mortalia comprehenduntur.

De venialibus certa res eſt & frequentiſſima; de mortalibus certè longè infrequentior. Non video tamen quibus rationibus adductus quiſquam certò definire poſſit, nemini unquàm, dum in peccatum mortale prolapſus eſt, defuiſſe illius peccati cognitionem, ejuſque vitandi deſiderium divinitus immiſſum. Ecquis enim ſpondeat propter aggeſta multa venialia peccata, propter vitam negligenter actam, propter occultam ſuperbiam, tametſi venialem, divinum lumen non ſe penitùs aliquandò menti in gravi tentatione ſubtrahere? Quis ſpondeat pueris illis baptizatis quidem, ſed apud hæreticos educatis, cùm in primâ ad hæreſim adhæſione peccant mortaliter, ſemper adeſſe illius peccati cognitionem cœlitùs inſpiratam? Quis ſolidâ ratione decernat malè inſtitutos pueros nunquàm baptiſmi innocentiam amittere violatâ lege naturæ, quin illius criminis cognitionem à Deo priùs acceperint?

Quid illi qui Eccleſiæ bona & dignitates vel capeſſunt vel ambiunt, vel ad hæredes & propin-

quos carnali affectu ſæpe tranſmittunt? An illos ſemper hos conſcientiæ morſus experiri, & illius flagitii notitiâ per gratiam illuſtrari pronuntiare velles? Quid porro de illis dicemus, qui falsâ illâ perſuaſione imbuti ſunt, licitum illud & tutum in moribus eſſe, quod alicujus Doctoris Theologi auctoritate nitatur? An quoties illi vel cæcos duces ſequuntur, vel cæcis cæci ducatum præſtant, toties vel ipſi à peccato immunes erunt, vel de eo divinitùs admonebuntur? Quid illi quos Bernardus mirificè deſcribit, ſerm. 2. de Aſſumpt. *Vis videre*, inquit, *mundatam, ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere qui confeſſus eſt & deſeruit manifeſta peccata præcedentia ad judicium, & nunc ſolas movet manus ad opera mandatorum, corde penitùs arido, ductus conſuetudine quâdam, planè quaſi vitula Ephraïm docta diligere trituram: exteriorum videlicet, quæ ad modicum valent, nec unum jota præterit; ſed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim ſervus eſt propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut ſingula intus vitia fovens, & mentitur iniquitas ſibi. Videas enim interdùm ſic palliatum hominem, ut ſeducat etiam ſemet-ipſum, non attendens vermem, qui interiora depaſcitur: manet enim ſuperficies, & ſalva ſibi omnia arbitratur.*

In hunc ſtatum utinam non multi imprudentes prolaberentur! Sed quis illos ſemper de caſu ſuo admonitos aſſeveret, cùm ſe cecidiſſe ad mortem uſque frequenter ignorent? Nonne propter occultos ejuſmodi lapſus, de quibus nemo poteſt eſſe ſecurus, dicebat Apoſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum?* Alioqui, ſi ſemper quiſque dum cadit advertit, quid eſt quod ſe quiſquam cecidiſſe neſciat, aut ſe ſtare certò non confidat? Magis perſpicua ſunt quæ per corpus committuntur peccata; ſed illa quæ in intimis animi receſſibus peraguntur, quàm obſcura nonnunquàm, quàm ſoli ſæpe Deo nota ſunt?

Aliquos ad infernum viventes deſcendere dicit Auguſtinus, quia ſcientes & prudentes peccant. *Cùm ſcis*, inquit Pſal. 54. *malum eſſe quod facis, & tamen facis, nonne vivus deſcendis ad inferos?* Sed ibidem quoſdam eſſe tradit, qui non niſi mortui deſcendant; quia quod agunt malum ignorant.

Definiat ergo qui volet, neminem unquàm lethale flagitium ſine prævia illius cognitione committere; mihi ſatius videtur divinæ juſtitiæ profundum non ſcrutari, ſed pertimeſcere. *Neque enim fruſtra dictum eſt*, inquit, Aug. de pecc. mer. & rem. lib. 1. c. 21. *Judicia tua ſicut abyſſus multa. Cujus abyſſi altitudinem velut expaveſcens exclamat Apoſtolus: O Altitudo &c. Valde ergo parvum ſenſum habemus ad diſcutiendam juſtitiam judiciorum Dei, ad discutiendam gratiam gratuitam, nullis meritis præcedentibus non iniquam, quæ non tam movet cùm præſtatur indignis, quàm cùm æque indignis aliis*

aliis denegatur. Nihil autem in divinis judiciis inſcrutabilius, ut idem ait de dono perſ. c. 9. *quàm cur ex duobus piis illi donetur perſeverantia uſque in finem, huic autem non donetur; quamvis illud fidelibus debeat eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe.*

Ab hac mente non abhorret Holdenus in quâdam ſchedulâ ſatis ſcitâ, quam inſcripſit, *Unionis & conſenſionis media*, etiam cùm à me diſſentire ſe putat. Statuit enim: *Neminem demonſtrare poſſe, juſtum aliquem in quâcunque gravi tentatione poſitum, deſtitutum eſſe omni gratiâ actuali.* Quo ſatis indicat, demonſtrari etiam non poſſe, gratiam actualem in omni gravi tentatione ſemper adeſſe: quod unum tamen hoc loco contendo. Non enim mihi propoſitum eſt, id quaſi pro certo dogmate conſtituere, quibuſdam juſtis, tum cùm in peccatum mortale cadunt, aliquandò gratiam actualem deeſſe; ſed id tantùm declarare, nullam mihi in mentem venire rationem, cur id non aliquandò poſſit contingere: ideòque ſuper eâ re malle me Eccleſiæ definitionem exſpectare, quàm id definire, cujus mihi ratio non conſtet.

Interim tamen totam hanc de peccatis ignorantiæ diſputationem libet egregio Bernardi loco ad Hugonem concludere, quo illa omnia quæ hîc dicimus in ſummam colligit. *Veritatis*, inquit ille adversùs neſcio quem, qui per ignorantiam peccari negabat, *teſtimoniis paucis & manifeſtis manifeſtum mendacium confutetur. Is forſitan, qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, nunquàm pro ſuis ignorantiis deprecatur, ſed potius Prophetam irridet deprecantem & dicentem: Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Forſitan & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ ſatisfactionem. Si ignorantia nunquàm peccatum eſt, cur dictum eſt in Epiſtola ad Hebræos, quia in ſecundo Tabernaculo ſemel in anno ſolus Pontifex intraret, non ſine ſanguine, quem offerret pro ſui & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus, cùm perſecutus eſt Eccleſiam Dei; quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene itaque faciebat quod erat blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus, quòd erat ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini; in hoc quippe abundanter æmulator exiſtens paternarum ſuarum traditionum. Non ergo debuit dicere: Miſericordiam conſecutus ſum, ſed mercedem recepi; quippe quem ignorantia à peccato reddebat immunem, inſuper & æmulatio remunerabilem indicabat? Si, inquam, ignorantiâ nunquam peccatur, quid cauſamur adversùs occiſores Apoſtolorum? Quoniam quidem non ſolùm malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo.*

Verùm quidquid tandem de præviis illis cogitationibus ſtatuatur, nihil hoc prorsùs Epiſtolæ

meæ propoſitionem attingit, quæ omnem actualem gratiam non negat, ſed tantùm efficacem, ut ſupra oſtendimus.

ARTICULUS XVII.

Nullam gratiam neceſſariam eſſe ut homini peccatum imputetur.

EX hoc capite ſequitur alterum, nimirùm gratiam Dei neceſſariam non eſſe, ut ei qui legem Dei violarit, peccatum imputetur. Integrum volumen de hoc uno argumento facilè confici poteſt; quædam hîc tantùm mihi breviter indicaſſe ſatis erit.

1. Ex Auguſtini mente infideles Judæi excæcati, omni prorsùs gratiâ caruerunt; ut innumeris locis probari poteſt, quam non dubiam eſſe S. Auguſtini doctrinam Vaſqueſius agnoſcit; & tamen & infideles, & Judæi, & excæcati, à peccato non excuſantur.

2. Ut vidimus articulo præcedenti, multis ſaltem in peccatis venialibus deeſt pia cogitatio, & pius motus, id eſt, gratia actualis: & tamen iſti venialiter peccant.

3. Pluſquàm vigeſies Auguſtino à Pelagianis objectum eſt, in ipſius ſententiâ injuſtè hominibus peccata imputari, & mandata eſſe impoſſibilia; & tamen nunquàm ideò poſſibilia dixit mandata, ideò juſtè imputari peccata, quia nunquàm deeſt gratia actualis.

4. Negat diſertè Auguſtinus gratiæ defectum à peccato excuſare; ſic Ep. 105. *Sed excuſabunt ſe*, inquit, *homines qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes: Quid nos fecimus, qui malè vivimus; quandoquidem gratiam unde bene viveremus non accepimus?* Et paulò poſt: *Quòd de nobis ſit querela, quòd Deum offendamus malè vivendo, cùm illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obduravit miſericordiam non præſtando?* Quid ad hoc reſpondet Auguſtinus? An illos accepiſſe gratiam actualem & pias cogitationes? *Si ergo*, inquit, *illos non pudet hâc excuſatione non nobis, ſed Apoſtolo contradicere, cur vos pigeat eis quod dixit Apoſtolus idem atque identidem dicere: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Idem verò qu. ſuper Deuteron. q. 50. adhuc luculentiùs: *Simul oſtendit Moyſes, & ſine adjutorio Dei homines intelligere & obedire* NON POSSE *oculis cordis & auribus cordis; & tamen, ſi adjutorium Dei deſit, non ideò excuſabile eſſe hominis vitium: quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen juſta ſunt.* Eodem modo Proſper eam excuſationem refellit in Carm. de Ingr. c. 32.

Non autem rectè nec verè dicitur, illos
Qui ſunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,

Pecca-

Peccati non eſſe reos, quia recta
gerendi
Non data ſit virtus.

Deniqueſic retundit illam excuſationem Fulg. de ver. præd. l. 2. c. 20. *Solent homines in tenebris propriæ cæcitatis exſtantes, cùm audiunt gratiâ Dei præveniri atque immutari hominum voluntates, videntque ſe pro tenebroſi cordis perverſitate culpari, excuſationi ſuæ de juſtâ Dei voluntate injuſtum captare ſuffragium, ut exindè majus recipiant punitionis augmentum. Accuſant enim Deum à quo gratiam non accipiunt; & ſeipſos excuſant, qui Deum juſtum vitio ſuæ iniquitatis offendunt: ipſi ſuis manibus inferunt plagas, & medico non dubitant irrogare calumniam.* Quod toto deindè capite perſequitur, oſtenditque peccatores ideò juſtè culpari, non quia ſemper pias cogitationes & pia deſideria accipiunt, ſed quia ſua voluntate peccant.

5. Si nemo peccaret, niſi qui gratiam actualem à Deo accepiſſet, falſum planè eſſet quod S. Auguſtinus poſt Apoſtolum ſexcenties docuit: *Litteram ſine ſpiritu occidere: Legem ſine gratiâ feciſſe magis reos: Legem apud eos, quos non adjuvat gratia, eſſe virtutem peccati: Legem iis intuliſſe mortem, quos Dei gratia non adjuvit.* Sed contrà dicendum erit: Legem ſine gratiâ reos facere non poſſe, ſed cum gratiâ ſufficienre ſemper facere: Legem ſine gratia neminem occidere, ſed cum gratiâ ſufficiente ſemper occidere: Legem iis, quos non adjuvit gratia, mortem non intuliſſe, ſed illis ſemper inferre mortem, quos gratia ſufficiens adjuvat.

6. Falſum erit quod ait Aug. de ſpir. & lit. c. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.* Sed contrà Auguſtino reponendum erit: Liberum arbitrium nihil ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.

7. Falſum erit quod ait Aug. l. 3. ad Bonif. c. 8. *Liberum arbitrium captivatum, non niſi ad peccatum valet; ad juſtitiam verò, niſi divinitùs liberatum adjutumque, non valet.* Sed contrà adversùs Auguſtinum ſtatuendum erit, liberum arbitrium ad peccandum nihil valere, nec peccare poſſe, niſi divinitùs adjutum.

Denique, ut alia innumera prætermittam, qui gratiam actualem ſufficientem ad peccandum neceſſariam ſtatuunt, in hanc incurrunt horribilem planè conſequentiam, Chriſtum ideò pro reprobis mortuum, ut illis promereretur gratiam, ſine quâ peccare non poſſent, & quâ acceptâ infallibiliter peccant. Verùm ad alienandos ab hàc doctriná Theologos, ſufficit quòd Patrum auribus prorsùs inaudita ſit, nec illius apud ipſos ullum omninò veſtigium reperiatur.

Quæres verò, an hominibus omni prorsùs gratiâ deſtitutis mandata Dei impoſſibilia fuerint? Reſpondeo neutiquàm. Nam ex Auguſtino illud eſt in poteſtate noſtrá quod fit cùm volumus, non fit cum nolumus. Ejuſmodi

ſemper eſt obſervantia mandatorum; ſervat ea quicunque ſervare vult, cùm iſta obſervantia nihil aliud ſit, quàm firma voluntas obſervandi mandata. Quare quæ voluntate conſtant, nunquàm impoſſibilia dici poſſunt: fiunt enim ſemper cùm volumus. Hinc fit ut de hominibus à gratiâ planè deſertis verè dicatur, peccare illos, non quia bene agere non poſſunt, ſed quia nolunt. Poſſent enim non peccare, ſi vellent; totaque illorum impotentia nihil aliud eſt, quàm mala voluntas, mala cupiditas, & animus terrenis rebus conſtanter affixus. Id vidit Cardinalis Bellarminus, l. de gr. & lib. arb. c. 15. qui cùm ſibi objeciſſet, *Converſionem hominis non fore in ipſius poteſtate, ſi ſemper requiratur excitatio præveniens, cùm excitatio illa non ſit in hominis poteſtate*; reſpondet, *Converſionem ſemper eſſe in poteſtate liberi arbitrii, quoniam poteſt ſemper converti quando voluerit. Id enim dicitur eſſe in poteſtate, ut Aug. definit, l. l. de ſp. & litt. c. 31. & l. 5. de civ. Dei c. 10. quod adeſt quando volumus, & quando nolumus non adeſt. Quo ſenſu admittit Auguſtinus ibid. fidem eſſe in poteſtate liberi arbitrii, quia credit homo ſi vult, & ſi vult non credit. Cæterùm ipſum velle credere aut converti non poteſt homo habere, niſi per gratiam prævenientem acceperit ut poſſit.*

Quare Doctores illi, quos ad admittendum in infidelibus ſufficientem gratiam actualem compulit iſtius argumenti quaſi periculum, quod alioquin mandata ipſis forent impoſſibilia, non ſatis diſtinxiſſe videntur duplex impotentiæ genus; quorum alterum excuſat à peccato, alterum adeò non excuſat, ut etiam augeat. Alia eſt enim impotentia à voluntate planè ſejuncta, quæ manet etiamſi nolis, quam pro voluntate non exuas, quam odiſſe, nec tamen deponere, valeas. Ejuſmodi eſt impotentia ambulandi in homine cui fractæ ſint tibiæ, impotentia ſcribendi in homine cui præciſæ ſint manus, denique impotentia non moriendi in homine mortali. Non enim, etiamſi velit homo, non morietur, nec ambulabit ille cui crura confracta ſunt, nec ſcribet ille cui præciſæ manus, etiamſi maximè id optent ac velint. Hæc impotentia planè excuſat à peccato. At verò longè diſſimilis eſt illa impotentia, quâ peccatores ab obſervandis Dei mandatis præpediuntur: in ipsâ enim voluntate poſita eſt, imò nihil aliud eſt quàm conſtans peccandi voluntas; nihil aliud eſt quàm depravatus cordis affectus, terrenis rebus penitùs addictus. Itaque non hæc impotentia eſt, ſed pravitas. Non poteſt in hoc ſtatu homo divinis obſequi mandatis: utique, ſed quia non vult, quia totus ad ſe converſus eſt, quia totus à Deo alienus eſt. Amare Deum non poteſt, ſed quia creaturam amat & amare vult, & in hoc amore ita pertinax eſt, ut ab eo nolit deſiſtere, nolit avelli. Abſurdum autem planè fuerit, ut

ut ideò quis à criminibus ſit immunis, quia toto voluntatis impetu incumbit in crimina.

Poſtremam hanc impotentiam à peccato non excuſare, Bernardus mirabiliter oſtendit. *Nam quod ſurgere*, inquit ille in Cantica Serm. 81. *anima per ſe jam non poteſt, quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt; quæ corrupti corporis vitiato ac vitioſo amore langueſcens & jacens, amorem pariter juſtitiæ non admittit. Ita, neſcio quo pravo & miro modo, ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem.* Et iterum: *Premebatur jugo non alio quàm voluntaria cujuſdam ſervitutis: & erat pro ſervitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Ubinam, quæſo, hanc neceſſitatem ſentis, nonne in voluntate? Non ergo parùm firmiter vis quod & neceſſariò vis. Multùm vis quod nolle nequeas, nec multum obluctans. Porrò ubi voluntas, ibi libertas. Atque utinam prohibitio hæc & hæc compulſio ita eſſet violenta, ut non eſſet voluntaria! Forſitan enim ſic poſſem excuſari; aut certè ita eſſet voluntaria, ut non eſſet violenta. Profectò enim ſic poſſem corrigi. Nunc verò nuſquam exitus miſero patet, quem & voluntas, ut dixi, inexcuſabilem, & incorrigibilem neceſſitas facit.*

Nemo difficile id in Adamo percipiat, poſtquàm ab amore Creatoris in ſui defluxit amorem. Nam ſi in ſuo amore contumaciter hærens, ideò converti non poterat, quia ſe nimis amabat; quis illum ideò à peccato liberet, quis non eam impotentiam ad augendum ejus peccatum, potiùs quàm ad minuendum, valere fateatur? Difficiliùs id in ejus poſteris intelligimus, quia peccatum originale ferè tanquàm ab illis alienum cogitamus. At ſi attenderimus per originis labem ad ipſos pertinacem illum ſui & creaturarum amorem ſimul eſſe tranſmiſſum, juſtoque, licèt arcano Dei judicio etiam in illis pravum & vitioſum eſſe, faciliùs intelligemus, ſi quid ex illo corrupto fonte profluat, non ideò innoxium eſſe, quia aliquo modo neceſſarium; ſed ideò culpandum, quia voluntarium: iſtam enim neceſſitatem nihil aliud efficit, quàm corrupta & depravata voluntas. Atque hæc in præſens de iſto argumento ſufficient, quod uberiùs proſequi non eſt hujus loci.

Hanc Diſſertationem tres tantùm in partes diſtribuere initio nobis propoſitum fuerat, verùm cùm tertia longiùs jam proceſſiſſet quàm putaramus, non alienum viſum eſt reliquas quæſtiones, Scholaſticæ Theologiæ minùs affines, in Quartam potiùs partem rejicere, ne hujus Tertiæ Partis abnormis magnitudo ab aliarum modo nimiùm abhorreret.

DISSERTATIONIS QUARTA PARS.

In quâ variæ quæſtiones de mandatorum poſſibilitate explicantur.

ARTICULUS I.

Quam gratiam intellexerit Auguſtinus, ſufficientem an efficacem, cùm in lib. 2. de pecc. mer. & rem. dicit, voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, poſſe homines in hac vitâ eſſe ſine peccato?

CUm in hanc partem rejecerimus varias de poſſibilitate mandatorum quæſtiones, quæ magis ad Sanctorum Patrum intelligentiam, quàm ad Scholaſticam Theologiam pertinent, commodiſſimè illam ordiemur ab eâ diſputatione, quam doctiſſimus Theologus movit de celeberrimo Auguſtini loco lib. 2. de pecc. mer. & rem. ubi ait: *Voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, hominem in hac vita poſſe eſſe ſine peccato: neminem tamen eſſe, vel fuiſſe, vel futurum eſſe, qui vitam hanc peragat ſine peccato.* Ex quo Vir ille clariſſimus concludi poſſe exiſtimat, duplicem ab Auguſtino gratiam agnoſci; alteram ſufficientem, quæ dat hominibus poſſe vitare peccatum, neque tamen faciat ut re-ipsâ vitent: alteram efficacem, quæ facit ut actu à peccato abſtineant; quæ quia non ſemper datur, hinc fit ut homines non ſint ſine peccato, licèt alterius gratiæ ope, quam ſufficientem appellat, tales eſſe potuerint.

Ego verò multis & graviſſimis, niſi fallor, rationum momentis adducor ut credam, de nullâ aliâ quàm efficaci gratiâ in hoc toto libro Auguſtinum diſputare, & ubicunque ait, homines gratiâ adjuvante divinâ eſſe poſſe ſine peccato, aliam non eſſe illorum verborum ſententiam, quàm illam, fieri quidem poſſe ut ſit homo ſine peccato, ſi illum gratia divina tantùm adjuvet, quantùm neceſſe eſt, *ut nihil eorum quæ pertinent ad juſtitiam eum lateat, & ea ſic delectent animum, ut quidquid aliud voluptas ſive dolor impedit delectatio illa ſuperet*, ſicut loquitur Aug. de ſp. & lit. c. 35. Neminem tamen in hâc vitâ eſſe ſine peccato; quia Deo pro ſummâ ſuâ ſapientiâ viſum non eſt, eam ſemper homini gratiam conferre, quâ adjuvante poſſet actu

& re-ipſâ omni ex parte vitare peccatum. Itaque non loqui Auguſtinum de ſufficienti aliqua gratia quæ ſemper adſit, ſed de efficaci quæ ſemper adeſſe poſſet, ſi Deus vellet; nec ſemper adeſt, quia Deus non vult.

Quâ in re mecum ſentiunt præſtantiſſimi ex ſchola ſancti Thomæ Theologi, qui hunc Auguſtini locum de gratia efficaci interpretantur, ut Alvares de aux. diſp. 102. n. 9. Et Barth. Medina in 1. 2. qu. 109. art. 8. ubi ex hoc loco colligit, *ſecundùm Auguſtinum hominem eſſe poſſe ſine peccato, ſed per gratiam Dei. Nam aliàs*, inquit, *derogaretur evidenter libero arbitrio, & gratiæ Dei* EFFICACI. Hanc ergo ſententiam aliquot argumentis, ut mihi videntur, longè validiſſimis confirmabo & uberiùs paulò proſequar, quod ex eâ pendeat gravioris quæſtionis explicatio, quo ſenſu ſcilicet dixerint Patres gratiæ divinæ adversùs Pelagianos defenſores, mandata Dei non eſſe impoſſibilia, etſi fieri nequeat ut à nobis ſerventur, niſi cùm Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur.

ARTICULUS II.

Auguſtinum hic agere de vitando per totam vitam omni peccato, etiam veniali, quod juſtum omnem poſſe per gratiam ſufficientem ſibi collatam, Tridentina Synodus dici vetat.

PRimum argumentum ex eo repeti poteſt quod in toto libro 2. de pecc. mer. & rem. ſibi tractandum proponit Auguſtinus. Illud enim tale eſt, ut ad gratiam ſufficientem à Deo homini datam & ab homine acceptam nullo modo referri queat. Nemo enim dicat, omnibus etiam juſtis tantam gratiam à Deo collatam eſſe, quanta ſufficit ad vitanda omnia omninò peccata etiam venialia. At de hoc uno agit Auguſtinus, ut ipſe initio libri profitetur: *De baptiſmo*, inquit, *parvulorum, Marcelline chariſſime, priori libro ſatis diſputatum eſt. In hoc autem, vivat-ne aliquis in hoc ſæculo, vel vixerit, victuruſve ſit, ſine ullo omninò peccato.... quantâ ipſe donat diligentiâ vel facilitate differendum enodandumque ſuſcepi.* Ecce totius libri argumentum: An ſit aliquis in hâc vitâ ſine ullo omninò peccato. Unde conſtat, non de ſolis lethalibus culpis, quæ crimina vocant Patres, ſermonem eſſe; ſed præſertim de venialibus: *Multi quippe*, inquit idem Aug. ad Bonif. l. 1. c. 14. *baptizati fideles ſunt ſine crimine*, (hoc eſt, ſine mortali peccato.) *Sine peccato autem in hâc vitâ neminem dixerim, quantâlibet Pelagiani, quia hæc dicimus, adversùm nos inflentur & dirumpantur inſaniâ.*

Hæc igitur quæſtio ab Auguſtino tractanda ſuſcipitur, An ſit ullus juſtus qui vitam hanc agat

ſine ullo omninò peccato, etiam veniali, ſicut ipſe uberiùs, c. 2. his verbis explicat: *Hujus autem*, inquit, *quæſtionis ſolutio, de hominis vitâ ſine ullâ ſubreptione vel præoccupatione peccati, propter quotidianas noſtras orationes maximè neceſſaria eſt, Sunt enim quidam tantùm præſumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum, nec adjuvandos nos divinitùs opinentur, ſemel conceſſo liberæ voluntatis arbitrio: unde fit conſequens, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem, hoc eſt, ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & præoccupat neſcientes, vel cum premit atque urget infirmos.* Hinc etiam cap. 16. *Neque negandum eſt*, inquit, *hoc Deum jubere, ita nos in faciendâ juſtitia eſſe debere perfectos, ut nullum habeamus omninò peccatum: nam neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur ut non ſit.* Cùm igitur in hoc libro Auguſtinus aſſerit, poſſe hominem in hac vitâ eſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ, & dum hoc homini præcepit Deus, *nihil illi præcepiſſe quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati*, non de alicujus ſeorſim peccati fugâ, nec de aliquo particulari præcepto, & in aliquâ tantùm ſingulari occaſione, ſervando agit; ſed de illo generali præcepto, quo jubet Deus ne peccemus, & vitam iſtam agamus ſine ullâ ſubreptione vel præoccupatione peccati. Atqui non ſolùm nemo juſtorum in hâc vita ſine peccato eſt, verùm etiam ſine errore dici non poteſt, tantam cuilibet juſto gratiam à Deo conferri, quanta ſufficit ad vincendum omni ex parte peccatum, & implendam omni ex parte juſtitiam. Id enim præter Chriſtum ſoli B. Virgini conceſſum fuiſſe prædicat Aug. de nat. & gr. c. 36. & Tridentino anathemate percellitur, ſeſſ. 6, c. 23. *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali privilegio, quemadmodùm de B. Virgine tenet Eccleſia.*

Dum ergo ait Auguſtinus, poſſe hominem in hâc vitâ eſſe ſine ullo omninò peccato gratiâ adjuvante divinâ, de eâ gratiâ intelligi nequit quæ detur omnibus juſtis, ita ut per eam ſibi à Deo collatam *poſſint in totâ vitâ peccata omnia etiam venialia vitare*, quod Canon Tridentinus hæreticum eſſe docet; ſed obvius & planus propoſitionis Auguſtinianæ ſenſus eſt quem diximus, poſſe hominem per totam vitam eſſe ſine ullo omninò peccato gratiâ adjuvante divinâ; quia reverâ eſſet homo ſine peccato, ſi gratiâ adjuvante divina, (& eâ quidem efficaci, imò efficaciſſimâ) *nihil unquam eorum quæ pertinent ad juſtitiam eum lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptas, ſive dolor impedit, delectatio illa ſuperaret*, ut inquit Aug. de ſp. & litt. cap. 35.

ARTI-

ARTICULUS III.

Gratiam, quâ adjuvante ait Auguſtinus hominem eſſe poſſe ſine peccato, efficacem eſſe, & quâ non ſemper homines adjuventur.

Alterum argumentum eſt, quod ita Auguſtinus affirmat, hominem eſſe poſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ, ut ſimul doceat & illam gratiam eſſe efficacem, & non ſemper ab illa juſtum adjuvari. Unde fit eatenùs ſolùm verum eſſe, hominem eſſe poſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ, quatenùs reipsâ fieret ut eſſet ſine peccato, ſi ſemper & ubique quantùm ſufficit ad vitandum peccatum à gratia divina juvaretur. Primùm quidem id patet quòd cap. 2. ut jam vidimus, *hujus quæſtionis ſolutionem de hominis vitâ ſine ullâ ſubreptione vel præoccupatione peccati, propter quotidianas etiam noſtras orationes maximè neceſſariam eſſe* dicit: ne ſcilicèt quis opinetur, *nos ad non peccandum divinitùs non adjuvandos; unde fit conſequens, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc eſt, ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & præoccupat neſcientes, vel cùm premit atque urget infirmos.* Et c. 3. ex concupiſcentiâ fieri docet, ut homo in hâc vitâ non ſit ſine peccato. *Ut autem ei*, inquit, *non conſentiamus, deprecamur adjutorium, dicentes: Et ne nos inferas in tentationem; ut ſi fortè tentari cœperimus à concupiſcentiâ noſtrâ, adjutorio ejus non deſeramur, ut in eo poſſimus vincere ne abſtrahamur illecti.*

Quænam autem illa gratia quam Sancti poſtulant ne tentatione vincantur, niſi illa per quam re-ipsâ fiat ut non vincantur, hoc eſt, efficax, ut in primâ hujus Diſſertationis Parte luculenter oſtenſum eſt: niſi illa quâ, ut ait ſanctus Doctor, de ſp. & litt. c. 29. petimus à Deo ut det quod jubet, atque inſpiratâ gratiæ ſuavitate faciat plùs delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit: niſi illa, quâ deprecamur certam ſcientiam, ut aperiat quod latebat; & victricem delectationem, ut ſuave faciat quod non delectabat, ut ait idem de pecc. mer. & rem. c. 17. & c. 19.

Sed longè adhuc luculentiora quæ addit c. 5. *Ad peccandum namque non adjuvamur à Deo; juſta autem agere, vel juſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus, niſi adjuvemur à Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eâdem luce clauſus averſuſque diſcedat; ut autem videat, adjuvatur ab eâ, neque hoc omninò, niſi illa adjuverit, poteſt: ita Deus, qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum, ut non ſecundùm noſtram, ſed ſecundùm ejus juſtitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, noſtrum eſt, & tunc ſecundùm carnem ſapimus; tunc concupiſcentiæ carnis ad illi-*

illicita conſentimus. Converſos ergo Deus adjuvat, averſos deſerit; ſed etiam ut convertamur ipſe adjuvat, quod certè oculis corporis lux iſta non præſtat.

Præclara hic omnia. Primò enim gratia efficax eſt, quâ Deus nos adjuvat ut boni aliquid operemur; quâ Deus nos adjuvat ut ad ipſum convertamur. At ex Auguſt. niſi per illam gratiam adjuvemur, juſta agere vel juſtitiæ præceptum omni ex parte implere non poſſumus. Gratia ergo illa, quâ adjuvante poteſt homo eſſe ſine peccato, & ſine qua non poteſt eſſe ſine peccato, quia non poteſt juſtitiæ præceptum omni ex parte implere, efficax eſt, non ſufficiens. Deindè adjuvamur à Deo cùm ad Deum nos convertimus, cùm boni aliquid operamur; non adjuvamur autem, cùm à Deo nos avertimus, cùm concupiſcentiæ carnis ad illicita conſentimus. Ergo agnoſcit Auguſtinus per gratiam illam, quâ adjuvante poſſunt homines eſſe ſine peccato, non ſemper homines adjuvari: non enim per illam adjuvantur ex Auguſtino, cùm concupiſcentiæ carnis illicita conſentiunt. Jam verò in eodem c. 5. multis Scripturarum teſtimoniis docet, nihil Deum jubere ut faciamus, quin ipſi continuò dicamus: *Da quod jubes*; quòd cùm per ſolam gratiam efficacem præſtetur, per quam Deus dat quod jubet, faciendo ut faciamus, dum *operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, & aptat nos in omni bono, faciens in nobis quod placeat coram ſe*, manifeſtum eſt per illam gratiam, quâ adjuvante poteſt homo eſſe ſine peccato, & ſine qua non poteſt, non aliam ab Auguſtino intelligi quàm efficacem, *per quam Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur*, ut in 2. Synodo Arauſicana c. 9. ex Auguſtino definitum eſt.

Hinc autem manifeſtò ſequitur, divinam illam gratiam adjuvantem & efficacem, ſine quâ juſta, vel juſtitiæ præceptum, implere omni ex parte non poſſumus, ne omnibus quidem juſtis ſemper dari. Neque hoc nobis divinandum reliquit Auguſtinus. Ut enim apertè docet, poſſe juſtum in hac vita eſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ, non poſſe verò niſi adjuvetur: ita non minùs apertè declarat, eum à Deo adjuvari, illum non adjuvari, pro ſolo nutu & arbitrio divinæ voluntatis. *Cur illum*, inquit, *Deus adjuvet, illum non adjuvet; illum tantùm, illum autem non tantùm; iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecreta ratio, & excellentia poteſtatis.*

Denique totum illud opuſculum de peccatorum mer. & rem. ſic concludit, ut non obſcurè ſignificet, ideò juſtos, qui Deo adjuvante ſine peccato eſſe poſſunt, non eſſe tamen in hac vita ſine peccato; quia cœleſtis ille Medicus, qui *ordinem ſanandi non accipit ab ægroto* ad perficiendam juſtitiam in quibuſdam eos non adjuvat, ut gratiarum actionem ſem-

ſemper indulgentiæ ejus debeant, & à tumore ſuperbiæ ſanctâ humilitate ſanentur. *Novit*, inquit lib. 3. Cap. ult. *ille Medicus qui non eſt opus ſanis, ſed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternam ſalutem, qui... & in quibuſdam etiam juſtos ſuos, quoniam adhuc extolli poſſunt*, NON ADJUVAT *ad perficiendam juſtitiam, ut dum non juſtificatur in conſpectu ejus omnis vivens, actionem gratiarum ſemper indulgentiæ ipſius debeamus; & ſic ab illâ prima cauſa omnium vitiorum, hoc eſt, à tumore ſuperbiæ, ſanctâ humilitate ſanemur.* Quis poſt hæc ſibi perſuadere queat, ad gratiam ſufficientem, quæ ſemper omnibus juſtis adſit, pertinere quod ait Auguſtinus, *juſtos eſſe poſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ*; cùm ipſe contrà disertè ſtatuat, poſſe quidem eos eſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ, non tamen eſſe; quia ne in ſuperbiam extollantur, in quibuſdam eos ad perficiendam juſtitiam gratia illa divina non adjuvat?

ARTICULUS IV.

Idem eſſe Auguſtino, Poſſe hominem eſſe ſine peccato, &, Fieri poſſe ut homo ſit ſine peccato; quod poſtremum ad gratiam efficacem ſine dubio pertinet.

TERTIUM argumentum eſt, quo pro eodem ſumit Auguſtinus, Hominem eſſe poſſe ſine peccato, &, Fieri poſſe ut homo ſit ſine peccato. Sic enim ipſe ſe explicat c. 35. l. de ſp. & lit. qui ad illam ſententiam explanandam & confirmandam conſcriptus eſt. *Tu autem*, inquit, *quid mihi propoſueris adverte. Movet te certè quemadmodum dictum fuerit*, FIERI POSSE UT SIT HOMO SINE PECCATO, *ſi voluntas ejus non deſit, ope adjuvante divinâ; quamvis nemo tam perfectæ juſtitiæ in hac vitâ fuerit, vel ſit, vel futurus ſit. Sic enim hoc ipſum in illis priùs ad te conſcriptis libris propoſui. Si à me quæratur, inquam, utrùm* HOMO SINE PECCATO ESSE POSSIT *in hac vita, confitebor poſſe per Dei gratiam & liberum ejus arbitrium, ipſum quoque liberum arbitrium ad Dei dona pertinere non ambigens; nec tantùm ut ſit, verùm ut bonum ſit, id eſt, ad facienda mandata Domini convertatur; atque ita Dei gratia non ſolùm oſtendat quid faciendùm ſit; ſed adjuvet etiam ut fieri poſſit quod oſtenderit. Tibi autem abſurdum viſum eſt ſine exemplo rem eſſe quæ fieri poteſt.* Videmus idem eſſe Auguſtino, *Hominem eſſe poſſe ſine peccato*, &, *Fieri poſſe ut homo ſit ſine peccato*. At iſtud ultimum ad gratiam ſufficientem referri non poteſt, ſed ſolùm ad efficacem: ergo nec primum. Nemo enim, qui gratiam efficacem ad non pec-

peccandum neceſſariam arbitretur, unquàm dixerit, fieri poſſe ut ſit homo ſine peccato per ſolam gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam. Fatentur enim omnes Thomiſtæ, ut videre eſt apud AlvaremReſp. l. 3. c. 5. n. 8. & 10. has propoſitiones: *Nemo poteſt converti ſine auxilio efficaci*: *Nemo poteſt ſalvari ſine dono perſeverantiæ*, veriſſimas eſſe ſi in illo ſenſu accipiantur: *Fieri non poteſt ut quis convertatur, & tamen non habeat auxilium efficax: Fieri non poteſt ut quis ſalvetur, & tamen non habeat donum perſeverantiæ.*

Cùm igitur Auguſtinus hujus ſuæ propoſitionis, *Poteſt homo eſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ*, in libro eâ de re conſcripto hunc ſenſum eſſe ſignificet, *Fieri poteſt ut homo ſit ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ*, manifeſtum eſt de alia gratia quàm efficaci id intelligi non poſſe, cùm ex omnium Thomiſtarum ſententia certiſſimum ſit, fieri non poſſe ut homo ſit ſine peccato cujuſcunque gratiæ ope quæ efficax non ſit. Quare D. Auguſtinus ſatis ſe ipſe de gratia efficaci loqui ſignificat, dum ad illam gratiam, per quam homo poteſt eſſe ſine peccato, pertinere ait, non ſolùm ut ſit liberum arbitrium, verùm etiam ut bonum ſit, id eſt, ad facienda mandata Domini convertatur. Quâ enim, quæſo, gratiâ id efficitur, niſi efficaci?

ARTICULUS V.

Hominem vivere ſine peccato opus eſſe divinum, ideòque poſſibile; quia omnia poſſibilia ſunt Deo.

QUARTUM argumentum eſt, quod Auguſtinus ſæpe ſe ipſe luculenter interpretatur, neque aliter intellexiſſe ſe ſignificat, fieri poſſe ut homo ſit ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ, quàm quia Deo poſſibilitas non deeſt ſic per gratiam ſuam hominem adjuvandi, ut tanta ſemper ab homine voluntas adhibeatur, quanta ſufficit tantæ rei. Omninò id Auguſtinus poſſibile eſſe ſtatuit, ſed poſſibile Deo, non homini, niſi quantùm ei Dominus donare voluerit, quem nemini juſtorum in hac vita tantam gratiam conferre voluiſſe, Scripturarum oraculis diſcimus. Cap. enim 6. l. 2. de pecc. mer. & rem. in quo primum hanc quæſtionem ſibi proponit, utrùm poſſit homo eſſe ſine peccato; poſtquàm conceſſit, fieri id poſſe per illam Dei gratiam *ad quam pertinet ut liberum arbitrium bonum ſit & ad mandata Domini convertatur*, quæ ſine dubio efficax eſt, ut jam diximus, multis Scripturæ teſtimoniis efficacis illius gratiæ, quam juſti ipſi à Deo continuis gemitibus poſtulant, neceſſitatem probat. Tum verò ita concludit: *His atque hujuſmodi aliis innumerabilibus teſtimoniis dubitare non*

non poſſum, nec Deum impoſſibile aliquid homini præcepiſſe, dum ei præcepit ut eſſet ſine ullo omninò peccato, *nec Deo ad opitulandum & adjuvandum quò fiat quod jubetur, impoſſibile aliquid eſſe. Ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo*; hoc eſt, ſi diviná adjuvante gratiâ tantùm velit, quantùm ſufficit & neceſſe eſt, ut volendo ſemper faciat quidquid faciendum eſt, & ſemper vitet quidquid vitandum. En clarè ab Auguſtino explicatum, ideò poſſe eſſe hominem ſine peccato, quia Deo ad opitulandum quò fiat quod jubet (quod gratiæ efficacis eſt) impoſſibile aliquid non eſt.

Sed ne quis de ejus mente dubitaret, librum ipſe integrum de hoc argumento compoſuit; in quo declarat, ideò ſe in libris de pecc. mer. & rem. negare noluiſſe, juſtitiæ perfectionem, per quam homo ſit ſine ullo omninò peccato, in hac vita eſſe poſſibilem, quia omnia poſſibilia ſunt Deo. Is eſt, ut jam diximus, liber de ſpir. & litt. quem in Retract. l. 2. c. 37. ad eam ſententiam explicandam â ſe ſcriptum fuiſſe teſtatur. Reſcripſerat enim Marcellinus eo ſe fuiſſe permotum, quod dixerat Auguſtinus, fieri poſſe ut ſit homo ſine peccato, ſi voluntas ejus non deſit ope adjuvante diviná, quamvis nemo tam perfectæ juſtitiæ in hac vita vel fuerit, vel ſit, vel futurus ſit. Quærebat enim quomodò id diceretur fieri poſſe, cujus rei deeſſet exemplum. *Propter hanc ejus inquiſitionem*, inquit Auguſtinus, *ſcripſi librum, cujus eſt titulus* De ſpiritu & littera.

Cùm ergo Auguſtinus optimus ſit ſui interpres, ipſum ſe in hoc libro interpretantem audiamus: *Abſurdum*, inquit c. 1. *tibi videtur, dici aliquid fieri poſſe, cujus deſit exemplum, cùm, ſicut credo, non dubites nunquàm eſſe factum, ut per foramen acus camelus tranſiret; & tamen ille hoc quoque dixit Deo eſſe poſſibile: legas etiam* 12. *millia legiones Angelorum pro Chriſto, ne pateretur, pugnare potuiſſe, nec tamen factum: legas fieri potuiſſe ut ſemel gentes exterminarentur à terra quæ dabatur filiis Iſraël; Deum tamen id paulatim fieri voluiſſe.* Jam illa exempla ſatis oſtendunt, quo pacto Auguſtinus intellexit quod dixerat, *fieri poſſe ut ſit homo ſine peccato*, quia ſcilicet id Deo poſſibile, & utique fieret ſi Deo ita videretur. Sed quam ipſe ſibi objectionem proponat audiamus, cùm ex ejus ſolutione mira tum huic difficultati explanandæ, tum univerſæ de gratiâ Chriſti doctrinæ lux affulgeat. *Hic fortaſſe reſpondeas*, inquit c. 3. *iſta quæ commemoravi facta non eſſe, & fieri potuiſſe, opera eſſe divina; ut autem ſit homo ſine peccato, ad opus ipſius hominis pertinere, idque opus eſſe optimum, quo fiat plena & perfecta, & ex omni prorſus parte abſoluta juſtitia: & ideò non eſſe credendum, neminem, vel fuiſſe, vel eſſe, vel fore in hac vita, qui hoc opus impleverit, ſi ab homine impleri poteſt. Sed cogitare debes, quamvis ad hominem id*

id agere pertineat, HOC QUOQUE MUNUS ESSE DIVINUM; *atque ideò non dubitare opus eſſe divinum. Deus eſt enim qui operatur in vobis, ait Apoſtolus, & velle & operari pro bona voluntate.* En quâ gratia adjuvante poteſt homo eſſe ſine peccato; eâ ſcilicet quâ Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate, ac proindè efficaci. En quomodò id fieri poteſt, nec tamen fit; quomodo ſcilicet multa à Deo fieri poſſunt quæ non fiunt, quia Deus non vult. En cur de hac re, ſicut de iis quæ Deo nolente non fiunt, licèt à Deo fieri poſſint, judicandum ſit; quia, quamvis ad hominem id agere pertineat, opus tamen divinum eſt, quod in hominis voluntate, & per hominis voluntatem Deus operatur. Unde ſtatim Auguſtinus non errari perniciosè ait, ſi quiſquam ſine peccato vixiſſe exiſtimetur: *ſed illis acerrimè reſiſtendum eſſe, qui putant ſine adjutorio Dei per ſe ipſam vim voluntatis humanæ vel juſtitiam poſſe perficere, vel ad eam tendendo proficere.* Verùm, quia Pelagiani negabant *ſe aſſerere id fieri poſſe ſine ope divina*, ſed opis divinæ nomine, quo ſe occultabant, vel liberum arbitrium, vel legem atque doctrinam intelligebant, quid contrà Auguſtinus adversùs eos intelligendum eſſe dicat per illud adjutorium, cum quo poteſt homo eſſe ſine peccato, & ſine quo non poteſt, egregia illa & planè divina capitis tertii verba demonſtrabunt: *Nos autem dicimus humanam voluntatem ſic divinitùs adjuvari ad faciendam juſtitiam* (notandum hæc dici ab Auguſtino ut explicet qua ratione dixerit, *hominem eſſe poſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ*) *ut præter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam quâ ei præcipitur quemadmodùm vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque ſummi illius atque incommutabilis boni quòd Deus eſt..... Nam neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via; & cùm id quod agendum eſt, & quo nitendum eſt, cœperit non latere, niſi etiam delectet & ametur, non agitur, non ſuſcipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, non per liberum arbitrium, quod ſurgit è nobis, ſed per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

Quid de gratia efficaci, per quam ſolam bene vivitur, manifeſtiùs dici poſſit profectò non video. At illa ipſa gratia eſt quâ adjuvante dixit Auguſtinus, hominem eſſe poſſe ſine peccato. Non ergo de aliâ gratiâ quàm de efficaci id intelligi poteſt; neque alio ſenſu id accipi, quàm quia Deo poſſibile eſt, per gratiam ſuam efficacem ſic in omnibus hominem adjuvare, ut ſit ſine peccato. De quo ſi quis adhuc dubitet, en verba ſole ipſo clariora ex cap. 5. deprompta, quæ omnem ipſi dubitationem eximant. *Cùm apparuerit*, inquit, *bene vivere donum eſſe divinum, vide-*

videlis, ut exiſtimo, fruſtrà dici, illa tantum eſſe poſſibilia ſine exemplo, quæ Dei opera ſunt, ſicut de cameli tranſitu per foramen acus commemoravimus, & quæcunque alia ſunt apud nos impoſſibilia, apud Deum autem facilia. Hoc ergo fruſtrà dici ſatis apparebit, cum & ipſam humanam juſtitiam operationi Dei tribuendam eſſe claruerit, quamvis non fiat ſine hominis voluntate; & ideò ejus perfectionem, etiam in hac vita, eſſe poſſibilem negare non poſſumus, quia omnia poſſibilia ſunt Deo, ſive quæ facit ſolâ ſuâ voluntate, ſive quæ cooperantibus creaturæ ſuæ voluntatibus à ſe fieri poſſe conſtituit. Ac per hoc quidquid eorum non facit, ſine exemplo quidem eſt in operibus factis, ſed apud Deum & in ejus virtute habet cauſam quâ fieri poſſit, & in ejus ſapientia quare non factum ſit; quæ cauſa etiamſi lateat hominem, non ſe oblviſcatur eſſe hominem, nec propterea Deo det inſipientiam, quia non plenè capit ejus ſapientiam.

Si judex in hac controverſia ſederet Auguſtinus, quibus verbis vel clarioribus vel divinioribus litem hanc poſſet dirimere? Dixit ipſe, *hominem poſſe eſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ*; verborum illorum ſenſum quærimus. Eum eſſe nonnulli ſentiunt, nulli non adeſſe gratiam ſufficientem, non per quam fit ut ſit ſine peccato, ſed per quam eſſe poſſit. Ego ſic ſentio, poſſe hominem eſſe ſine peccato gratiâ adjuvante divinâ; quia poſſibile eſt Deo ita hominem per gratiam ſuam adjuvare, ut re-ipsâ ſit ſine peccato; & cur hoc non faciat Deus, penes ipſum eſſe æquitatis tam ſecretæ rationem. Quid verò Auguſtinus pronuntiat, eadem de re à Marcellino interrogatus? Multa à Deo fieri poſſe quæ non fiunt; perfectionem humanæ juſtitiæ inter illa eſſe numerandam, quia & ipſa opus divinum eſt, quamvis non fiat ſine hominis voluntate; negari itaque non debere, eam eſſe poſſibilem, quia omnia poſſibilia ſunt Deo; habere ergo illam, non in homine per gratiam ſufficientem ſibi collatam, ſed apud Deum & in virtute ejus, cauſam quâ fieri poſſit; & in ejus ſapientia, quare factum non ſit. Idem repetit in duobus poſtremis hujus libri capitibus, ubi in ſummam colligit quod univerſo opere tractaverat. *Tibi*, inquit, *abſurdum viſum eſt, ſine exemplo eſſe rem quæ fieri poteſt. Hinc exorta eſt hujus libri quæſtio; ac per hoc ad nos pertinebat oſtendere, fieri poſſe aliquid, quamvis deſit exemplum. Hinc ex Evangelio & ex lege quædam poſuimus in ſermonis hujus exordio... quæ poſſibilia Deo negare non poſſumus, quamvis eorum deſit exemplum, ſed quia dici poteſt illa opera eſſe divina, juſtè autem vivere ad noſtra opera pertinere; ſuſcepi oſtendere etiam hoc opus eſſe divinum; & hoc egi libro iſto loquaciùs fortaſſe quàm ſat eſt; ſed contrà inimicos gratiæ Dei etiam parum dixiſſe mihi videor... Nam ſi propterea non eſt opus Dei quia per nos agitur, vel quia illo donante nos agimus, nec illud eſt opus Dei ut mons transferatur in mare, quia*

eſt

per fidem hominum fieri poſſe Dominus dixit, & hoc ipſorum operi attribuit..... Et tamen hoc nullo modo fu it homo, niſi illo donante & operante. Ecce quemadmodùm ſine exemplo eſt in hominibus perfecta juſtitia, & tamen impoſſibilis non eſt (Deo ſcilicet, ut antè dixerat, atque etiam homini, ſed cùm Deus eam illi donare voluerit.) *Fieret enim, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum quæ pertinent ad juſtitiam nos lateret, & ea ſic delectarent animum ut quidquid aliud voluptas ſive dolor impedit, delectatio illa ſuperaret. Quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad judicium Dei pertinet:* quia ſcilicet, ut jam vidimus in loco ſuprà citato ex cap. ult. lib. 3. de pecc. mer. & rem. conſultius ſupremo illi & juſtiſſimo Judici Medicoque viſum eſt, *etiam ſanctos ſuos, quoniam adhuc extolli poſſunt, in quibuſdam non adjuvare ad perficiendam juſtitiam, ita ut in his eos minùs quàm implendæ omni ex parte juſtitiæ ſufficit, delectet bonum, ſive cùm latet, ſive cùm manifeſtum eſt, ut dum non juſtificatur in conſpectu ejus omnis vivens, actionem gratiarum ſemper indulgentiæ ipſius debeamus, & ſic ab ipsâ primâ causâ omnium vitiorum, hoc eſt, à tumore ſuperbiæ ſanctâ humilitate ſanemur.*

Ni locorum & teſtimoniorum copia odioſus vererer eſſe lectoribus, hîc exſcriberem tria libri ſecundi de pecc. mer. & rem. integra capita planè divina, nimirùm 17. 18. & 19. quibus evolutis & paraphraſticè declaratis perſpici liceret, duabus ex cauſis pendere quòd homo poſſit eſſe ſine peccato, nimirùm voluntate humanâ, & gratiâ divinâ, quarum neutra ſemper adſit. Non adeſt ſemper voluntas, quia *latet aliquandò an juſtum ſit, aliquandò non delectat. Ignorantia verò* quâ fit ut lateat, *& infirmitas* quâ fit ut non delectet, *vitia ſunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum.* Non adeſt gratia, *quia, ut innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates*, qua gratiâ tamen non omnes ne quidem Sancti adjuvantur, licèt *ut non adjuventur, in ipſis cauſa ſit, non in Deo*; quod toto deinceps capite & ſequentibus probat: ſed cui minùs hæc quæ jam attulimus ſufficient, vix quidquam ſatis futurum puto. Hoc unum tamen addam, S. Hieronymum adversùs Pelagianos ſcribentem non alio ſenſu intellexiſſe, *poſſe hominem in hac vita eſſe ſine peccato*, quàm quo, ut oſtendimus, D. Auguſtinus id intellexit; quia ſcilicèt id Deo poſſibile eſt. Sic enim ille l. 1. Dial. *Neque homo poteſt eſſe ſine peccato, quod habet tua ſententia, ſed poteſt,* SI VOLUERIT DEUS, *hominem ſervare ſine peccato, & immaculatum ſuâ miſericordiâ cuſtodire. Hoc & ego dico, quod Deo cuncta poſſibilia ſunt; homini autem non quidquid voluerit poſſibile eſt.* Ubi vides Hieronymum Pelagio non

non concedere quod ipſi non negandum exiſtimavit Auguſtinus, hominem ſcilicèt poſſe eſſe ſine peccato. Neque tamen inter ſe reverà diſſentiunt. Uterque enim agnoſcit *negandum non eſſe quin homo poſſit in hâc vita eſſe ſine peccato, ſi Deus velit, apud quem ſunt omnia poſſibilia*, ut inquit Auguſtinus, de nat. & gr. c. 48.

ARTICULUS VI.

Illuſtrantur varia Auguſtini loca de poſſibilitate præceptorum.

FUſius aliquantò hujus loci expoſitionem perſecuti ſumus, quòd ejus intelligentia latius manet, & ad varias Auguſtini ſententias, quibus nihil homini impoſſibile præcipi docet, explanandas aditum aperiat.

Imprimis dilucèſcit, quo ſenſu in libro de perfectione juſtitiæ Cæleſtio ſæpe concedit Auguſtinus, peccatum non eſſe quod vitari nullo modo poſſit. Ideò enim concedit, quia omne peccatum vitari poteſt per gratiam, non qualemcumque, ſed efficacem. *Reſpondemus*, inquit c. 2. *vitari poſſe peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratiâ Dei. In tantùm enim ſana non eſt, in quantum id quod faciendum eſt aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet.* Hanc gratiam, qua unâ peccatum ait vitari poſſe, qui ſemper in omnibus tentationibus adeſſe velit, contendat oportet omnium naturam ita ſanam eſſe, ut nunquàm contingat aliquem cæcitate non videre quod faciendum ſit, aut infirmitate non implere.

Verùm illam opinionem ſatis refellit, tum illa locutio, *ſi natura ſanetur*, conditionalis, non abſoluta; tum quod paſſim docet, hanc gratiam, quâ impleri poſſunt præcepta, precibus impetrandam eſſe: ex quo invictè conficitur, illam & efficacem eſſe, & nonnunquàm abeſſe. Nemo enim petit, ex Auguſtino, niſi quo deſtituitur. Nemo aliud à Deo petit, niſi *ut det quod jubet, & inſpiratâ gratiæ ſuavitate faciat plùs delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit*: tum denique quia hoc loco & in toto illo opere agit de vitando omni ex parte peccato, quod præceptum quidèm hominibus agnoſcit, impoſſibile autem eſſe negat, non quia ſemper eſt in hominis poteſtate, non quia omnibus datur gratia quâ poſſit impleri (utrumque enim rejicit Auguſtinus) ſed quia Deo ad opitulandum nihil eſt impoſſibile, ut ait idem lib. 2. de peccat. mer. & rem. c. 6.

Dilucèſcit quo ſenſu Auguſtinus in lib. de nat. & grat. c. 43. dicat: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Itemque cap. 69. *Eo quippe ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur &*

& in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.

Non enim ideò dicit, præcepta non eſſe impoſſibilia, quia ſemper adeſt gratia: quem ſenſum manifeſtè excludunt illa verba, *petere quod non poſſis* (nemo enim petit niſi quod abeſt, cùm gratia jam data non precibus evocanda ſit, ſed gratiarum actione in Deum refundenda) ſed quia per illam gratiam quam petere debemus, impleri poſſunt: quam efficacem eſſe paſſim docet, nec omnibus adeſſe, ut cùm paulò ſuperiùs nimirùm c. 42. dicit: *Neque de ipsâ poſſibilitate contendo, cùm ſanatâ & adjutâ hominis voluntate poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in ſanctis proveniat.* Et poſt illum locum c. 69. cùm explicaret, quænam eſſent illa difficilia in quibus opem Dei implorare debeamus: *Omnia*, inquit, *fiunt facilia charitati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt.....ſecundum hoc dictum eſt:* Præcepta ejus gravia non ſunt; *ut cui gravia ſunt, conſideret, non potuiſſe divinitus dici*, gravia non ſunt, *niſi quia poteſt eſſe cordis affectus cui gravia non ſunt, & petat quo deſtituitur, ut impleat quod jubetur.*

Ex quo loco colligas 1. aliquandò homines deſtitui illo cordis affectu cui mandata Dei gravia non ſunt, & quo quod jubetur impletur.

2. Cùm ille cordis affectus ſit magna charitas, efficacem procul dubio eſſe: nihil enim aliud eſt efficax gratia, quàm victrix delectatio, ſeu amor Dei quo fit ut plus delectet quod præcipit Deus, quàm delectat quod impedit.

Omitto dicere, his item locis Auguſtinum agere de vitando omni ex parte peccato, cujus rei poteſtatem nemini unquàm, præter Chriſtum & beatam Virginem, conceſſam eſſe, conſtans eſt ipſius, imò totius Eccleſiæ doctrina.

Diluceſcit etiam quo ſenſu Auguſtinus, lib. de grat. & lib. arb. c. 16. ita loquatur: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quandò dicunt, Non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat?* Videamus quare hoc nemo neſciat, an quia hæc gratia ſemper adeſt: an verò quia adeſſe poteſt. *Sed ideò*, inquit, *jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* Ergo illa poteſtas non ſemper adeſt; aliàs nihil unquàm juberet Deus quod non poſſemus.

Nuſquàm verò illuſtriùs quàm in iſto libro docet Auguſtinus, gratiam illam, quâ præcepta impleri poſſunt, eſſe efficacem. *Certum eſt*, inquit ille cap. 16. *nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt quod paulò ante poſui*: Præparatur voluntas à Domino, *de quo dictum eſt:* A Domino greſſus hominis dirigentur,& viam ejus volet; *de quo dictum eſt:* Deus eſt qui operatur in nobis & velle. *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit:* Faciam

ciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis. *Cum dicit*, Faciam ut faciatis, *quid aliud dicit, niſi*, Auferam à vobis cor lapideum, *unde non faciebatis*; & dabo cor carneum, *unde faciatis? Et hoc quid eſt, niſi, Auferam cor durum unde non faciebatis, & dabo cor obediens unde faciatis?*

Ex illo Auguſtini loco diſcere eſt alium ſenſum, quo ſemper mandata homini poſſibilia ſunt; quia ſcilicet implet ea qui voluerit, quamvis ut velit divinitùs voluntas præparanda ſit. Sufficit autem, ex Auguſtino, ut aliquid eſſe in poteſtate dicatur, quod fiat quando volumus, non fiat quando nolumus. Propterea in libro de ſpir. & litt. fidem, quam non omnium eſſe docet Apoſtolus, quam toties quibuſdam dari, quibuſdam non dari, occulto Dei judicio, aſſerit Auguſtinus, ſemper tamen in poteſtate hominis eſſe docet. Quod ſolerter vidit Cardinalis Bellarminus, ut jam diximus, & hac ratione affirmavit, ſemper in hominis poteſtate eſſe converſionem.

Verùm ne cætera teſtimonia de poſſibilitate mandatorum fruſtrà recenſeam, ut omnia quæ hinc petuntur argumenta ad ſufficientem gratiam aſtruendam ſemel præcidantur, unum monere ſatis fuerit, ſententiam illam Auguſtinianam toties ab ipſo repetitam; *Deus impoſſibilia non jubet*: de omnibus generatim hominibus intelligi, ut ex locis jam ſuprà citatis conſtare poteſt, & ex ipſorum adverſariorum conſenſu. Quare non poteſt inde gratia ſufficiens actualis elici reſpectu juſtorum, quin etiam eadem reſpectu infidelium eliciatur. At verò, ipſorum Cenſorum judicio, non poteſt ex illis locis certò demonſtrari, gratiam actualem ſufficientem infidelibus adeſſe, cùm eam opinionem, quæ negat infidelibus gratias actuales & ſufficientes, problematicam eſſe dixerint. Igitur nec ex illis locis certò elici poteſt, gratiam ſufficientem actualem nunquàm juſtis deeſſe. Sive, ut brevius aſtringam argumentum: Poſſibilitas illa præceptorum, quam his locis tradit Auguſtinus, pertæque ad infideles ac juſtos pertinet: Sed in infidelibus non requirit gratias actuales: Ergo nec in juſtis. Hujus argumenti ſolutionem in ipſis comitiis Facultatis à Cenſoribus flagitarunt eruditiſſimi Doctores, nec tamen impetrare potuerunt.

ARTICULUS VII.

De Gratia orandi. *Explicatur nuperum Alphonſi* le Moyne *ſuper illâ commentum: & ad Propoſitionem controverſam minimè pertinere oſtenditur.*

Ex iis quæ ſuperiùs diſſeruimus manifeſtum eſt, præcepta divina ex Auguſtini doctrinâ impleri non poſſe, niſi per

cam gratiam, quæ *magnis*, ut ait Innocentius, *precibus implorata deſcendit*, adeóque illam non ſemper adeſſe, nec conſequenter proximam illam poteſtatem Molinianam, quæ nihil aliud requirit ad agendum: *Non enim*, ut ait Auguſtinus, *à Deo petimus, niſi quo deſtituimur.*

Non ſum autem neſcius, eſſe quoſdam Theologos, qui ſibi pulcherrimam horum locorum ſolutionem inveniſſe videntur, cùm gratiam agendi ab orandi gratiâ ſecernentes, illam agendi & ſemper efficacem eſſe, & nonnunquàm deeſſe, & ideò precibus impetrandam dixerint: hanc autem orandi & libero arbitrio ſubjici, & ſemper præſto eſſe. Quod ſignificatum ab Auguſtino volunt, dum ait ſæpe, *Deum jubendo monere & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, quaſi Deus nihil unquàm jubeat, quin homini vel ipſam agendi gratiam, quam efficacem eſſe concedunt, largiatur; vel ſaltem orandi gratiam, quâ impetrari poſſit.

Hujus commenti, quo gratia orandi ab agendi gratia hoc duplici diſcrimine ſejungitur, quod illa ſit tantùm ſufficiens, hæc ſemper efficax; illa ſemper adſit ubi præceptum obſervare convenit, hæc autem non ſemper, ſed tantùm cum oratione impetratur, parens & propagator hoc ſæculo fuit Alphonſus *le Moyne*, qui licèt ſub eorum, quæ contra illam de hoc argumento edita ſunt, voluminum mole jacuerit oppreſſus, multi tamen ex ipſis Cenſoribus ad illam diſtinctionem confugerunt, & nihil aliud in propoſitione mea criminati ſunt, niſi quod Petro, non ſolùm agendi, ſed etiam orandi, gratiam ſubtraheret; quod contrarium putant huic Auguſtini ſententiæ à Concilio Tridentino conſecratæ: *Deus jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*: ex quo eliciunt ſemper adeſſe juſtis, ſi non agendi gratiam, ſaltem orandi. Verùm iſtius & criminationis & conſecutionis inanitatem operæ pretium fuerit hic breviter oſtendere.

Primùm, cum fatentur, non adeſſe ſemper gratiam agendi quâ proximè poſſumus implere præceptum, adeóque multa Deum præcipere quæ non poſſumus ſecundùm præſentes vires, cum ampliores nobis impetrandæ ſint; hoc ipſo ſenſum omnem probant quem ſub propoſitione controverſa complexus ſum. Concedunt enim, Petro defuiſſe gratiam efficacem ſine qua proximè præceptum implere & tentationem vincere *non poſſumus*, quod unum illa quam invaſerunt propoſitione continetur. Utrùm autem habuerit gratiam actualem orandi, an non habuerit, alia quæſtio eſt ab Epiſtolæ propoſitione planè diverſa, de qua nihil mihi affirmandum aut negandum fuit, cùm ea res inter Annatum & me non ageretur.

Contendebat ille, utpote Moliniſta merus & ſimplex, nec illâ novâ temperatione mitiga-

tus, *adeſſe ſemper hominibus proximam & expeditam ſervandorum mandatorum poteſtatem:* hoc enim ab Innocentio X. definitum, & fide ab omnibus credendum, aſſerebat *Cavillorum* p. 29.: *Eum qui liberè tranſgreditur præcepta, habere* PROXIMAM *& expeditam potentiam ad ea ſervanda.* Ego adversùs illum proximam poteſtatem agendi & ſervandi mandata non ſemper adeſſe defendi: de gratiâ orandi nihil dixi, quod abhorreret ab ea quæſtione quæ tum inter nos verſabatur. Ne quis igitur aliorsùm propoſitionem Epiſtolæ meæ accipiat, atque ego ſcribens intellexi, iterum hic profiteor, ſolam me efficacem gratiam, non orandi, ſed confitendi Chriſtum, à Petro removiſſe; de gratia illa orandi aut affirmanda aut neganda ne quidem cogitaſſe.

Ne quis tamen ſuſpicetur, aliquid me de illa ſentire quod proferre non audeam, brevibus concluſiunculis ſententiam meam explicabo, ne Cenſoribus neceſſe ſit divinationibus indulgere.

Sic igitur exiſtimo. 1. Gratiam per ſe efficacem, & effectum ſuum infallibiliter ſortientem, non minùs ad orandum neceſſariam eſſe, quàm ad agendum. Ita cum Patribus omnes Thomiſtæ.

2. Quibuſcunque defuit fides, nullam omninò gratiam orandi adfuiſſe. Quomodò enim invocabunt in quem non crediderunt, ut ex Paulo docent Patres & Concilia?

3. Juſtos aliquando in tentationibus carere gratiâ efficaci, ad orandum ſicut oportet neceſſariâ. Aliter enim & orarent ſemper & impetrarent.

4. Omnibus juſtis conantibus & volentibus orare, non deeſſe gratiam actualem ad orandum Thomiſtico ſenſu ſufficientem. Neque enim ſine ea orare vellent & conarentur.

5. Juſtis nec volentibus orare nec conantibus nullam orandi gratiam actualem adeſſe. Nulla enim actualis gratia ſine voluntate quadam atque conatu.

6. Non omnes juſtos in omnibus tentationibus orare velle & conari; quod in peccatis ignorantiæ manifeſtum eſt. Quis enim Deum deprecetur pro vitando illo peccato, quod eſſe peccatum non credat?

7. Etiam illis juſtis qui nec orare volunt neque conantur, adeſſe tamen poteſtatem orandi in actu primo Thomiſtico ſenſu ſufficientem, ſed per gratiam habitualem tantùm, non per actualem.

8. Utrùm Petro affuerit actualis orandi gratia hoc quo dixi ſenſu ſufficiens, id eſt, utrùm habuerit aliquas excitationes internas ad orandum, neſcire me ingenuè fateor. Habuit quidem, ſi voluit & conatus eſt; ſed utrùm voluerit & conatus ſit, id omninò mihi non liquet, malimque ſuper eo aliorum audire ſententias, quàm meam expromere.

Habent Cenſores meam de gratia orandi mentem meis verbis

Bb 3 enun-

enunciatam: invadant illam ſi voluerint, & ſuas illi blaſphemiæ & hæreſeos notas inurant. Quod ſi non audeant, fateantur neceſſe eſt, novum hoc & anteà inauditum genus hæreſeos eſſe, quod claris & diſtinctis verbis expreſſum, catholicũ ſit & orthodoxum; in Auguſtini autem verbis à me allatis nec expreſſum nec intellectum, ſed per vim & calumniam intruſum, hæreticum fiat.

ARTICULUS VIII.

Gratiam orandi omnibus ſemper præſentem malè elici ex illis Auguſtini verbis: Deus jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.

HÆc de criminationis vanitate: conſecutionem nunc expendamus. His, inquiunt, Auguſtini vocibus: *Deus jubendo monet petere quod non poſſis*, ſignificatur adeſſe ſemper gratiam orandi, cùm gratia agendi deeſt. Ita-ne idem eſt *admonere*, quod *gratiam dare*? Idem eſt lex jubens & ſpiritus adjuvans? Si hoc dicere voluit Auguſtinus, non poterat clariùs exprimere? Saltem aliquo loco indicaſſet tam inſolentis metaphoræ ſenſum. Saltem alicubi ſine metaphora apertè elocutus eſſet, ſemper legi adjunctam eſſe orationis gratiam. Quòd ſi nuſquàm feciſſe reperietur, eccui veriſimile fiet tam abſurdum Auguſtinum fuiſſe, ut graviſſimam doctrinæ ſuæ ſententiam tam inuſitata & à communi ſenſu aliena tralatione ſemper efferret?

Quid quod multis locis & ipſe, & ejus diſcipuli Proſper & Fulgentius, poſtquàm admoneri homines legi dixerunt ut petant auxilium, gratiam orandi non ſemper adeſſe, nec minùs efficacem eſſe, quam illam agendi, apertè ſignificant. *Qui ergo*, inquit Auguſtinus de corr. & grat. c. 1. *legitimè lege utitur, diſcit in eâ malum & bonum, & non confidens in virtute ſuâ confugit ad gratiam, quâ præſtante declinet à malo & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, niſi cum à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet; ac per hoc deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt, de quo ille: Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.* Quis dicere auſit, aut illam gratiam *quâ diriguntur greſſus hominum*, & de qua dicitur: *Hæc mutatio dexteræ excelſi*, efficacem non eſſe; aut illam gratiam omnibus dari?

Et apertiùs adhuc ſanctus Proſper cont. Collat. c. 23. non ſemper legi adjunctam eſſe orandi gratiam docet: *Imperantur*, inquit, *iſta homini, ut ex ipſo præcepto Dei, quo et hoc quod a cœpit indicitur, agnoſcat id ſe ſuo vitio perdidiſſe, & non ideò iniquam eſſe exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus non eſt; ſed à Littera occidente confugiat ad Spiritum vivi-*

vivificantem. Quod ſi facit, magna eſt miſericordia Domini: ſi non facit, juſta eſt pœna peccati.

Nec minùs apertè Fulgentius lib. 2. de verit. prædeſt. & grat. c. 4. *Dum præcipitur nobis ut velimus, oſtenditur quid habere debeamus; ſed quia id ex nobis habere non poſſumus, admonemur ut à quo nobis datur præceptum, ab ipſo petamus auxilium; quod tamen* NON POSSUMUS PETERE, *niſi Deus in nobis operetur & velle.*

ARTICULUS IX.

Abſurda quædam Molinianæ iſtius orandi gratiæ conſectaria.

VErſatilem illam & ſe in omnibus tentationibus ingerentem orationis gratiam ita diſturbavit Apologia Patrum, ut illius ruinas nemo adhuc erigere ſit auſus. Quare nihil neceſſe eſt de integro hoc argumentum perſequi, quod in illo quem indicamus libro peroratum videtur: nonnulla tantùm abſurda, quæ ex illo figmento neceſſariò conſequuntur, ad ſpecimen hic afferemus.

Imprimis ingens nobis videtur abſurditas, quòd illius gratiæ ope Auguſtino longè peritiores & intelligentiores Moliniſtæ probantur. Quod enim ille ignoravit, quod neminem ſcire putavit, hoc ipſi & ſciunt & ita dilucidè exponunt, ut nulli nunc non reſeratum ſit, quod Auguſtino clauſum fuit.

Neſcire ſe fatetur Auguſtinus, cur illi detur gratia fidei, illi non detur. *Fides igitur*, inquit ille, de prædeſt. Sanctor. c. 9. *& inchoata & perfecta, donum Dei eſt; & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare..... Cur autem iſtum potiùs, quàm illum liberet (per fidei gratiam) inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Melius enim & hìc audimus, aut dicimus:* O homo! tu quis es, qui reſpondeas Deo, *quàm dicere audeamus, quaſi noverimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid injuſti velle non potuit.*

Verùm quòd Auguſtinus neſcit, novit Alphonſus. *Fides*, inquit, *& inchoata & perfecta in Chriſtum, datur orantibus per fidem in Deum, cujus ſemper adeſt poteſtas; negatur autem non orantibus.* Quid facilius aut promtius, aut quæ tandem Auguſtino cauſa fuit, cur in re perſpicua tot clamores excitaret?

Neſcire ſe fatetur Auguſtinus, imò neminem ſcire aſſerit, cur illi detur perſeverantia; illi non detur. *Ex duobus*, inquit, lib. de dono perſ. c. 9. *parvulis originali peccato pariter obſtrictis cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inſcru-*

ſcrutabilia ſunt judicia Dei : ex duobus autem piis, cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non detur, inſcrutabiliora ſunt judicia Dei. Idem verò, lib. de dono perſ. c. 16. *Deum* ait *alia etiam non orantibus, ſicut initium fidei; alia nonniſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam.*

Certum igitur Auguſtino fuit, perſeverantiam orantibus ſicut oportet concedi, negari non orantibus. Quamobrem ergo inſcrutabile dicit eſſe, cur huic donetur perſeverantia, illi non detur? niſi quia nondùm detexerat arcanum illud hoc demùm ſæculo inventum, ipſam gratiam orationis omnibus adeſſe : quo reſerato patent ſubitò quæ involuta & inacceſſa Auguſtino fuerunt. Quis enim tam iners Alphonſi diſcipulus, qui non facilè videat illis dari perſeverantiam qui gratiâ orandi benè uſi ſunt, illis negari qui malè. Itaque hujus opinionis præſidio non aliter quàm ab evigilantibus ſomnia, ſic illarum difficultatum, quibus impeditus hæſit Auguſtinus, ludibria memento evaneſcunt.

Denique clauſum ipſi Apoſtolo myſterium eſſe docet Auguſtinus, cur ex eâdem maſsâ alii eligantur ad vitam, alii in debitâ ſibi damnatione relinquantur. *Univerſa*, inquit ille, Ep. 105. *iſta maſſa meritò damnata eſt : contumeliam debitam reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogativâ, non fati neceſſitate, non temeritate fortunæ ſed altitudine divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam non aperit, ſed clauſam miratur Apoſtolus*; & ibidem : *Cur autem illum potius quàm illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt judiciorum ejus tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium.*

Irrideri ſe putarent Alphonſi diſcipuli, ſi quis hæc ipſis tacito Auguſtini nomine proponeret. Quodnam enim, dicerent, ibi profundum? quod præcipitium? Omnibus datur orationis gratia. Hâc quidam benè utuntur, quidam malè. Illi eliguntur ad regnum, hi reprobantur ad ſupplicium. Quid magis expeditum & obvium? Nonne qui in rebus ita planis profunda & ſcopulos extimeſcat, illo inſaniæ genere laborare videatur, quod feſtivè poëta Venuſinus ſic expreſſit :

——————— *Eſt genus unum*
Stultitiæ nihilum metuenda timentis, ut ignes
Ut rupes, fluvioſque in campo obſtare queratur.

Ab hoc certè ſtultitiæ genere non aliter vindicari poterit Auguſtinus, niſi repudiatis illis humanæ rationis commentis, rejectâque Molinianâ orandi gratiâ, quam omnibus tam liberaliter largiuntur, id ipſum cur unus oret, alter non oret, ad inſcrutabilia Dei judicia pertinere fateamur. Siquidem, cùm *propter perſeverandum orare oporteat & non deficere*, ut ait Auguſtinus de dono perſev. c. 14. *audiunt hæc & faciunt quibus datum eſt; non autem faciunt, ſive audiant, ſive non*

au-

audiant, quibus non datum eſt.

Id verò luculentius adhuc perſpici licet ex iis libris quibus Adrumetinorum & Maſſilienſium objectis reſpondet Auguſtinus. Nam ſi quis ea ſe opinione imbuat, gratiam orandi omnibus ſemper præſto eſſe, atque ita ſenſiſſe Auguſtinum, affirmanti credat Alphonſo, tantùm ineptiarum in illorum querelis, & in Auguſtini reſponſis, offendet, ut hæc à ſanis profecta arbitrari non poſſit.

Quid enim ſibi volebant Adrumetini illi Monachi, qui ſe corripi ægrè patiebantur. *Apoſtolus*, inquiunt apud Auguſtinum de corr. & grat. c. 6. *ait*, Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? *Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur? Quid facimus qui non accepimus? Et c. 3. Præcipiant tantum nobis quid facere debeamus qui nobis præſunt, & ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant & arguant.*

Objiciat hoc quiſquam Alphonſo. Quàm graviter ille ejuſmodi querelarum retundet inſaniam. Te-ne, homo ignaviſſime, non arguam, non corripiam, qui ſemper auxilium ad orandum in manibus habeas, quo cætera conſequi poſſis? Non potes præcepta ſervare, niſi gratiam efficacem à Deo acceperis: audio; at ut accipias in te ſitum eſt. An non quotieſcunque te titillat concupiſcentia, aut quocunque modo ſubrepit tentatio, toties animum tuum piis cogitationibus illuſtrari, piis affectibus accendi ſentis, toties ad Dei opem implorandam excitari? Quid tu igitur inopiam aut infirmitatem tuam lamentaris? Quaſi verò meritò ille de victûs queratur penuriâ, qui cibum paratum præ ſocordiâ depoſcere gravetur.

Nunquàm aliter reſpondeat Alphonſus, & rectè. Neque enim aliter in ejus ſententiâ reſponderi poteſt. Quid igitur Auguſtino nunquàm in mentem venit tam expedita reſponſio? Cur multis fruſtrà capitibus ſudat, ut eos oſtendat meritò corripi, qui perſeverantiam non acceperint? Cur ad primam parentis culpam omnia revocat? Cur illâ orationis gratiâ non continuò Adrumetinis Monachis os opprimit?

Quam verò in Maſſilienſium querimoniis ſenſus communis venam reperias, ſi quandam orandi gratiam nuſquàm abſentem ab Auguſtino admiſſam putes. Fatum illi ex Auguſtinianâ doctrinâ, & libertatis interitum ſequi queruntur, ignaviam aut deſperationem hominibus per illam afferri, exhortationes & correptiones tolli, orationes extingui, duas maſſas cum Manichæis induci, omnes hominum conatus obtundi, perſonarum acceptione divinam juſtitiam pollui. Quis hoc unquàm objecit Alphonſo? Aut ſi quis fecit, non ille potiùs riſu exploſus, quàm reſponſione repulſus eſt?

At quo pacto hæc objecta diluit Auguſtinus. De orationis gratiâ nuſquam abſente ne verbum

bum quidem: ſufficientis & ex libero arbitrio pendulæ gratiæ meminit quidem; ſed illam ad Adami ſtatum pertinere docet, non ad noſtrum: vocationem ſecundùm propoſitum ubique confirmat. Nuſquàm queritur, malè ſuam doctrinam à Maſſilienſibus intelligi; ad inſcrutabilia Dei judicia ubique confugit. Poſtremò tam inſulsè reſpondet, ſi gratiam orandi ſemper præſentem ab illo admiſſam ſtatuas, ut ille, cui ſanctorum Patrum principatum tota detulit antiquitas, omnium quotquot fuerunt ſcriptorum imperitiſſimus appareat, omniumque minimè dignus qui divina myſteria tractaret; cum in apertis & obviis rebus cæcutiret, nec obſcura ſcriptis illuſtraret, ſed perſpicuis tenebras offunderet.

ARTICULUS X.

Inferuntur alia quædam non minùs abſurda.

SEquitur primò, illis Ethnicis quibus fides non eſt annuntiata, multoties in die Deum ſeſe manifeſtaſſe, non per creaturas, ſed quadam interna revelatione. Illos enim ſæpiùs quoque die peccaſſe, certum eſt. Porrò peccare non potuerunt, niſi ſaltèm impetrare non peccandi poteſtatem potuerint: impetrare autem non potuerunt niſi orando, nec orare niſi credendo: ſed credere nemo poteſt niſi vel divina revelatione, vel humanâ prædicatione, fides proponatur: caruerunt autem externa prædicatione multi gentiles: igitur illis quotidie fides divinitùs revelata eſt; atque ita revelata, ut à Deo ſibi eam revelari cognoſcerent; aliter enim nec credere, nec orare, & ideò nec peccare potuiſſent. Acervatim iſta congeſſimus; ſed ea latè pertractata videre potes in Apologia SS. Patrum, lib. 6. c. 14.

Sequitur, Caligulam, Neronem, Heliogabalum, & alia ejuſmodi hominum monſtra, tum cùm in omnium ſordium & flagitiorum cœno ſe volutarent, ſexcenties in die piis illis cogitationibus & affectionibus ad orandum Deum excitatos eſſe.

Sequitur, Philoſophos illos, qui mundum negabant providentiâ regi, qui pro virtute neminem unquàm Deo ſupplicaſſe ſentiebant, ſæpius tamen de orando pro virtutibus Deo divinitùs admonitos.

Sequitur Pelagianos, qui gratiam divinam ad peccata vitanda neceſſariam non habebant, ſæpius quotidie de eadem gratiâ implorandâ commonitos fuiſſe.

Sequitur Atheos illos, qui in corde dixerunt Deum non eſſe, de illo tamen orando ſæpiùs in die cogitare.

Sequitur bonos Chriſtianos nullum in ſe peccatum ignorantia, cupiditate, ſubreptione, incogitantia ſuſcipere, ad quod caven-

cavendum illâ prævià orandi cogitatione non exſtimulentur : imò ſequitur, neminem jam per ignorantiam peccare ; neque enim illud peccatum ignorari poteſt, de quo vitando & piis cogitationibus, & ejuſmodi orandi deſideriis moneamur ; adeóque planè falſum eſt quod ait Auguſtinus, lib. de pecc. mer. c. 17. cùm omnium peccatorum cauſas enumerat : *Nolle homines facere quod juſtum, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat.* Nullus eſt enim quem lateat, aut quem non delectet, quod juſtum eſt, ſaltem quantùm ſufficit ad fugiendum peccatum. Quare Auguſtinus, dum peccata omnia vel ad ignorantiam revocat, vel ad delectationis defectum, alienas planè, imò falſas, peccatorum cauſas recenſet. Nihil hîc amplius de illâ commentitiâ orandi gratia à me diſputabitur : tantùm dicam, neminem pejùs de Chriſtianâ religione mereri, quàm eos qui ejuſmodi opiniones, Traditionis auctoritate planè nudas, pro fidei dogmatis venditant, quas ipſi nec ab argumentis validiſſimis, quibus impugnantur, imò nec à riſu quo jure excipiuntur, defendere valeant.

ARTICULUS XI.

De Concilii Tridentini circa præceptorum poſſibilitatem mente, non una, ſed triplex Catholicorum Theologorum opinio.

NOn aliud frequentiùs jactaverunt Doctores illi, qui propoſitionem Auguſtini & Chryſoſtomi hæreticam pronunciarunt, quàm illam Concilio Tridentino adverſari, & ab ipſo ſeſſione 6. c. 11. his verbis eſſe damnatam : *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis; & adjuvat ut poſſis :* quàm falsò & immeritò, hîc excutiendum.

Statuendum eſt imprimis, non ferendam in privatis Theologis temeritatem eſſe, aliquam Conciliorum ſanctionem, de cujus ſenſu variæ ſint apud Theologos opiniones, ita ſuo jure ad certum ſenſum alligare, ut hæreticos habeant eos omnes qui illam aliter interpretentur. Poſſunt illi quidem, ſi quo valeant acumine, canonum ſententiam indagare, poſſunt rationibus convincere veram ſe illorum mentem aſſecutos ; at illum ſenſum toti Eccleſiæ fide tenendum imponere ſine manifeſtâ injuriâ & tyrannide non poſſunt.

Hoc poſito, Tridentinam illam ſententiam tripliciter à catholicis Theologis acceptam reperio.

Primò, illam de ſufficiente gratiâ & poſſibilitate Thomiſtica intelligendam eſſe docet Alvares, diſp. 71. n. 6. Ita ex illius Theologi mente, quem plerique ex S. Thomæ Scholâ ſequuntur, hoc definivit Concilium : Juſtis nunquàm deeſſe poſſibilitatem illam ſuffi-

ſufficientem, quæ auxilii uberioris & efficacis neceſſitatem non excludat.

Secunda interpretatio eſt eorum Moliniſtarum, qui gratiam agendi non ſemper adeſſe fatentur, ſive illam efficacem eſſe velint, ſive nolint. Illi Concilium ſic accipiunt quaſi definierit, ſemper in juſtorum eſſe poteſtate (& quidem Moliniana, quæ omnia complectatur ad agendum neceſſaria) ut Dei mandatis pareant: vel enim hoc eos proximè poſſe per gratiam agendi, vel ſaltem remotè per gratiam orandi.

Huic adjungenda eſt alia veterum Moliniſtarum interpretatio, qui gratiam agendi nunquàm deeſſe volunt, idque à Concilio definitum illis verbis: *Et adjuvat ut poſſis.* Quanquàm non video quo pacto illorum ſententia conſiſtere poſſit cum iſtis Concilii verbis: *Et petere quod non poſſis.* Nam ſi ſemper adeſt illa poteſtas, falſum eſt nos à Deo petere quod non poſſumus. Sed tamen quia utraque ſententia in eo convenit, quòd gratiam quandam ſufficientem & Molinianam à Concilio ſignificatam velit, non incommodè ambæ conjungentur, ut conjunctim quoque repellantur.

Tertia interpretatio eſt Bellarmini & Eſtii, qui hoc tantùm definitum à Concilio adversus hæreticos contendunt, præcepta Dei à juſtis obſervari poſſe, imò ſemper obſervari, dum in juſtitia perſeverant, adeóque non eſſe impoſſibilia ſimpliciter. Quod ex adverſo Lutheranorum errori opponitur, qui omnibus juſtis, etiam dùm Spiritu Dei aguntur, Dei mandata impoſſibilia eſſe ſentiebant; quia concupiſcentiæ veneno ſingulas illorum actiones vitiari credebant.

Sic intellectum à Bellarmino Concilium Tridentinum latè in ſecundo Apologetico probavimus. Et quoniam iis quæ protulimus teſtimoniis nullus ex Cenſoribus reſpondere tentavit, nihil hìc attinet vel repetere, vel operoſiùs confirmare, quod invictè jam comprobatum adverſarii, ſi non voce, at certè ſilentio ſuo confeſſi ſunt.

Eodem modo & ſanctos Patres & Concilium Tridentinum interpretatus eſt Eſtius, magnum Duacenſis Academiæ, imò totius Belgii lumen. Is enim in 3. ſent. diſt. 27. §. 6. multis probat nihil homini impoſſibile præcipi. Ac primò hæreticorum errorem ſic exponit: *Quæ quæſtio*, inquit, *eò diligentiùs tractanda eſt, quò magis circa eam hodie à ſectariis erratur, docentibus neminem poſſe in hoc corruptionis ſtatu legem Dei implere, ac neminem operatione virtutum juſtum eſſe coram Deo.*

Quo ſenſu autem nihil homini impoſſibile præcipiat Deus, his verbis explicat: *Dicimus autem impoſſibile, non quod homo propriis naturæ viribus facere nequit, quemodo ſine dubio impoſſibilia ſunt homini præcepta Dei, quemadmodum oſtendimus ad diſt. 26. lib. 2. ſed quòd ſecundùm modum gratiæ,*

quam

quam in hâc vitâ juſtificatis communicat Deus, fieri ab homine non poteſt. Talem enim impoſſibilitatem præceptorum Dei, contra doctrinam catholicam, defendunt hujus temporis hæretici.

At quibus locis hunc hæreticorum errorem revincit Eſtius? Non aliis ferè quàm Auguſtini teſtimoniis, "quibus Calvinia-„nos & Lutheranos tantò antè „damnatos eſſe contendit. Quos „(hæreticos) poſt Scripturam, „inquit ille, maximè refellit au-„ctoritas Auguſtini compluribus „locis. Nam lib. 2. Retr. c. 10. „proferens ex lib. 1. de gen. con-„tra Manich. c. 3. verba quædam, „quibus dixerat *poſſe omnes homi-„nes præcepta Dei impleri ſi velint*, „omninò verum id eſſe confirmat: „*ſed*, inquit, *præparatur voluntas „à Domino, & tantum augetur „munere charitatis ut poſſint*. Et lib. „de grat. & lib. arb. per gratiam „fieri dicit, *ut bona voluntas au-„geatur, & tam magna fiat, ut „poſſit implere divina præcepta*. Un-„de proximo capite approbat il-„lud quod Catholicis objiciebant „Pelagiani: *Non juberet Deus „quod ſciret non poſſe ab homine „fieri*." Deindè percurrit alia vulgatia Auguſtini teſtimonia ex libro de nat. & grat. ex opere in pſal. & ex variis ſermonibus, quibus expoſitis ſubjungit; *Ideò porrò eam ſententiam, quâ dicitur impoſſibile aliquid à Deo præceptum, Pelagiani Catholicis odiosè impingebant, & Catholici ſtudiosè à ſe repellebant, quòd ea ad hæreſim Manichæorum pertineret, ponentium hominem, propter naturam malam ex quâ compoſitus eſſet, non poſſe peccatum vitare. Hoc autem ita damnant Catholici, ut non tantum ex malo principio, cujuſmodi re-verâ nullum eſt, verùm etiam ex corruptione naturæ factâ per Adam negent homini ſimpliciter impoſſibile eſſe ut Dei legem impleat; quod enim naturæ & legi impoſſibile eſt, poſſibile facit*, IMÒ ET PRÆSTAT, *ut proximo capite oſtendetur*, GRATIA DEI *per Chriſtum.*

Illam verò poſſibilitatem præceptorum, cum effectu conjunctam, hæreticis oppoſitam, à Tridentino Concilio definitam vult: *Hujus*, inquit, *dogmatis definitionem & claram explicationem videre licet in Synodo Tridentinâ, ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 18.*

Obiter hîc duo animadvertas velim. Primùm, eodem planè modo ab Eſtio, quàm à nobis, accipi Patrum loca de poſſibilitate præceptorum; ideóque ex ipſo mandata Dei negari à Patribus impoſſibilia, quia non ſunt ſimpliciter impoſſibilia, ſed per gratiam impleri poſſunt, imò & implentur. Propterea autem mandata dici poſſibilia; quia ſemper adeſt gratia ad non peccandum neceſſaria, alieniſſimum eſt ab Eſtii mente, ut vel hoc unô loco ſatis perſpici poteſt: *Objicies*, inquit diſt. 26. §. 41. *auxilium illud* (quo videlicet uno impleri præcepta poſſe ſuperiùs definit) *non eſſe in poteſtate hominis, præſertim ejus qui de gratiâ Dei nihil unquam audivit, ſed tantum ducitur lumine rationis humanæ, &*

proin-

proindè totius legis obſervationem tali homini eſſe ſimpliciter impoſſibilem. Quid ad hoc Eſtius? *Quidam, inquit, reſpondent nullum eſſe hominem, cui non ſemper adſit obvium & paratum à Deo auxilium gratiæ, per quam poſſit totam legem ſervare & vitare peccata, modò velit, ut poteſt, eo auxilio uti per liberum ſuum arbitrium. Sed hæc reſponſio, neque Scripturis ſacris, neque doctrinæ ſanctorum Patrum conſonat, neque cum efficaci operatione Dei conſiſtit: ac neque Auguſtinus, tametſi vehementer hoc argumento preſſus à Pelagianis, unquàm iſtiuſmodi reſponſionem adhibuit, quod ſpecialiter obſervare eſt in toto libro de perfectione juſtitiæ, ut alia ejus loca, quibus contrarium docet, taceamus.*

Secundo loco adverti poteſt, quàm infirmo nitantur argumento, qui nolunt ſententias Patrum de poſſibilitate præceptorum ſumi in ſenſu Calvinianis oppoſito, & hujus rei præclaram illam afferunt rationem: *Quia*, inquiunt, *ſanctus Auguſtinus nihil cogitavit de Calvino.* Quaſi verò damnari error non poſſit, antequàm defenſores habuerit! Quaſi Auguſtinus non omnes penè hæreſes, quæ poſt ipſum exortæ ſunt, in ſcriptis ſuis antè confutarit! Quaſi non ille Calvinum in quæſtione de Eccleſiâ validiſſimè fregerit, quamvis de eo nunquàm cogitarit! Stabilita enim veritas non modò præſentibus erroribus adverſatur, ſed etiam futuris; id agente Spiritu Veritatis, qui Patribus ſcribentibus affuit, ut in illorum ſcriptis exſtet quidquid ad futuras hæreſes coarguendas neceſſe eſt. Verum eſt igitur, Auguſtinum non cogitaſſe de Calvino: falſum eſt tamen, impoſſibilitatem præceptorum non ab eo damnatam in Calviniano ſenſu. Cogitavit ille quidem de ſolis Manichæis, qui præcepta Dei ideò obſervatu impoſſibilia dicebant, quia naturale peccandi principium hominibus inerat; ſed dum hos refelleret, docuit præcepta Dei nulla ex causâ ita eſſe impoſſibilia, ut gratiâ adjuvante impleri non poſſint, adeoque illa ab omnibus poſſe impleri.

Demiror verò eos qui in egregiâ illâ ratione ſibi placent, non animadvertere pugnantia ſe loqui. Nam ſi Calvinianum ſenſum non damnatum eſſe ab Auguſtino volunt, quia de Calvino non cogitavit; quomodò iidem his Auguſtini verbis quorundam hujus temporis Theologorum ſenſum contendunt eſſe damnatum? Non enim magis, credo, de illis Auguſtinus, quàm de Calvino, cogitavit.

ARTICULUS XII.

Alvareſianus ſenſus nihil officit controverſæ propoſitioni: rejicitur tamen ut alienus; Moliniſticus autem, ut falſus.

Quemadmodùm Alvareſiana de Gratiâ ſufficiente doctrina nihil omninò iſtam de quâ nunc agitur propoſitionem labefactat,

factat, ſed potiùs confirmat, ut latè anteà demonſtravimus; ſic illa explicatio, quam Tridentino decreto ſubjicit, omnino cauſæ noſtræ nihil obeſt. Contendit enim, poſſibilitatem præceptorum Thomiſtico ſenſu à Concilio Tridentino definitam; ſed eam nos libenter in juſtis admittimus, adeòque in ipſo Petro, qui juſtus fuit ante caſum. Vult ille quidem, poſſibilitatem illam ſemper conferri per gratiam actualem; nos gratiam actualem tantùm volentibus & conantibus concedimus, nec omnes velle & conari arbitramur. Verum de gratiæ naturâ, quâ poſſibilitas confertur, nihil habet Concilium, nec tam abſurdus fuit Alvares ut id vellet, à Concilio hoc loco ſancitum.

Ergo ſi hujus Theologi explicationem ſequi me profitear, ultrà progredi adverſarii non poterunt; niſi fortè mecum & illum & totam ſancti Thomæ ſcholam hæreſeos ream peragere inſtituant. Verùm diffiteri non poſſum minùs illam mihi arridere: non quòd quidquam falſi contineat, ſed quia à Concilii mente alienior videtur. Nam, cùm hoc loco Tridentini Patres Calvinum & Lutherum damnare propoſuerint, ſi ſolam poſſibilitatem Thomiſticam, quæ ſuo effectu in perpetuum carere poteſt, ſanciverunt, intactum videntur illorum hæreticorum errorem reliquiſſe. Fieri enim poſſet, ut omnes juſti poſſibilitatem Thomiſticam haberent, nec ullus tamen mandatis Dei obtemperaret, ſi nulli eorum gratiâ efficacem à Deo acciperent.

Sequitur Moliniana explicatio, quæ ex Concilio hoc dogma elicit, ſemper juſtis adeſſe gratiam actualem, quâ reipsa & effectivè mandata Dei poſſint obſervare.

Libenter hìc primò ab adverſariis quæſierim, utrum hanc explicationem Concilii Tridentini de fide eſſe cenſeant. Si dixerint, jam apertè Thomiſtas omnes, quibus illa minimè probatur, imo erronea judicatur, hæreticos faciunt. Si negent, quæro quid rationis & æquitatis habeat, propoſitionem Epiſtolæ meæ propterea hæreſeos damnare, quòd Tridentino Concilio adverſetur eo ſenſu accepto quem de fide non eſſe fateantur.

Deindè, vel definitum à Concilio volunt, omnibus juſtis immediatam agendi gratiam ſemper adeſſe; vel disjunctim, aut agendi gratiam aut ſaltèm orandi quâ impetretur. Si primum ſtatuant, manifeſtè repugnant Concilii verbis, quibus monentur juſti petere quod non poſſint. Ex quo invictè probatur, quædam illos non poſſe, ac proindè non ſemper agendi gratiam præſto eſſe: ut quid enim orarent, ut acciperent quod jam accepiſſent? Sin autem a Concilio Tridentino definitum dicant, omnibus juſtis vel agendi gratiam adeſſe, vel ſaltem orandi; cogitent, quæſo, quaniam abſurditatem adſcribant ſacratiſſimæ Synodo, quæ nobis fidem tam obſcuris & alienis metapho-

taphoris expoſuerit? Quis enim ſanæ mentis hanc ſententiam: Deus omnibus juſtis dat, vel gratiam actualem agendi & obſervandi præceptum, vel ſaltèm gratiam orandi, ſic expreſſerit: *Deus jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis?* Illis enim verbis: *adjuvat ut poſſis*, planum eſt ſignificari eam gratiam quæ impetratur orando, id eſt, agendi gratiam. At illa orandi ſemper præſens gratia unde eruetur? Eritne qui contendat, duas illas propoſitiones: *Deus jubendo monet petere quod non poſſis*: &, *Deus jubendo dat gratiam petendi quod non poſſis*, eundem planè ſenſum habere? Quod per ſe abſurdum, ideò omnem abſurditatem ſuperat, quòd qui id exiſtimet, illarum propoſitionum ſynonimiam & æquivalentiam non modò veram eſſe & certam, ſed etiam ad fidem pertinere, contendere debeat: adeóque præclarum illum canonem ſancire: *Si quis dixerit alium eſſe ſenſum iſtius propoſitionis:* DEUS JUBENDO MONET PETERE QUOD NON POSSIS, *quàm illius:* DEUS JUBENDO DAT GRATIAM UT PETAS QUOD NON POSSIS, *anathema ſit.*

Poſtremò, ſi hæc Moliniana Concilii Tridentini explicatio neceſſariò eſſet admittenda, ſequeretur, Concilium Tridentinum à maximâ Eccleſiæ parte rejectum eſſe, imò ne ipſos quidem Tridentinos Patres id ſenſiſſe quod definierunt. Certum eſt enim, ante & poſt exortum Molinam graviſſimos Eccleſiæ Theologos ſancti Thomæ de gratia efficaci doctrinam amplexos, à quibus illam interpretationem improbari neceſſe eſt. Quod argumentum eò gravius videri debet, quòd ex hiſtoriâ conſtat, nunquàm Concilii Tridentini mentem fuiſſe, vigentes hoc tempore inter Catholicos damnare ſententias, imò MarcellumCervinum hæc ipſa de gratia decreta variè ſentientibus Theologis, antequàm confirmarentur, permiſiſſe ut ex iis detraherent quidquid adverſum putarent ſententiæ ſuæ. Sapienter enim ſacro-ſancta Synodus de Catholicorum controverſiis pronunciare, alienum ab his temporibus eſſe judicavit, & antiquam adversùs hæreticos fidem retinere ſatis habuit. Eccui ergo veriſimile fiet, his de gratia decretis, quæ Thomiſtis, qui multi aderant, permiſſa ſunt, ipſam Thomiſtarum doctrinam eſſe damnatam?

ARTICULUS XIII.

Bellarmini & Eſtii interpretatio quatuor rationibus confirmatur.

CONfutatis aliis, Bellarmini & Eſtii interpretatio ſatis confirmata videri poteſt. Ne tamen ſola alienarum explicationum rejectione niti videatur, quibuſdam hîc rationibus oſtendendum eſt, quàm illam meritò & Alvareſianæ & Moliniſticæ ante-tulerimus.

I. Signi-

I. Significat, Tridentinum Concilium damnatam ſe jam à Patribus ſententiam damnare: *Nemo*, inquit, *temerariâ illa & à Patribus damnatâ voce utatur.* Imò decreti ſui verba mutuatur ex Auguſtino: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Non igitur exiſtimandum eſt, aliam præceptorum impoſſibilitatem à Concilio Tridentino damnatam, aliam à Patribus: &, quod gravius eſt, eandem ſententiam & eadem verba, à Concilio ex Auguſtino deſcripta, alium in Auguſtino ſenſum habere, alium in Concilio. Sed, ut oſtendimus, hæc verba in Auguſtino nihil aliud ſignificant, niſi mandata Dei non eſſe abſolutè & ſimpliciter impoſſibilia ſenſu Manichæorum, quia poſſunt impleri per gratiam efficacem: non igitur alia iſtorum verborum mens eſt in Concilio Tridentino.

Hoc ſolùm ſupra Auguſtinum addit Concilium, quod non modò mandata Dei eſſe poſſibilia dicit, ſi detur gratia efficax; ſed illam gratiam affirmat aliquandò conferri: *Et adjuvat*, inquit, *ut poſſis*: dixi, aliquandò, non ſemper, quia patet ex Concilio, gratiam illam quæ his ſignificatur verbis, *Et adjuvat ut poſſis*, non ſemper dari, nec omnibus, ſed tantùm petentibus; quod non omnes facere palàm eſt: *Jubendo*, inquit, *monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

II. Germana illa & vera Concilii explicatio habenda eſt, quæ directè & preciſè illum damnat errorem, de quo in Concilio agebatur, & nihil prætereà. Nam, ut anteà notavimus, non fuit Concilio propoſitum novas movere quæſtiones, nec controverſias Catholicorum diſceptare; ſed tantùm hæreticorum, Lutheranorum, Calviniſtarum, & Pelagianorum, hæreſes à catholicâ fide ſejungere. Sed illa nota tantùm Bellarmini & Eſtii interpretationi convenit, nec in Alvareſianam aut Molinianam cadit. Quid igitur mirùm, ſi huic illæ à nobis poſthabentur?

Non cadit, inquam, in Alvareſianam; quia, ut jam diximus, hæreticorum errorem ne attingit quidem. Nec diſſimili vitio Moliniana explicatio, ſed in contrariam partem, tenetur. Id enim à Concilio ſtatuit definitum, quod in Concilio ne quidem tractatum eſt. Nunquàm enim in Tridentinâ Synodo quæſitum, An alicui juſto gratia nonnunquàm deeſſet; ſive, An mandata Dei impoſſibilia eſſent non habentibus gratiam: ſed illud ſolum, Utrùm juſtis gratiâ inſtructis eſſent impoſſibilia, quod aſſerebant hæretici. Unde in Canone 18. nominatim addit: *Homini juſtificato & ſub gratiâ conſtituto*; quod Eccleſiaſticâ loquendi conſuetudine ſignificat hominem ſub actuali Spiritus Sancti motione conſtitutum. Siquidem, eſſe ſub gratia, & eſſe ſub lege, opponuntur apud Auguſtinum. Eſſe ſub lege, excludit poteſtatem proximam implendæ legis: eſſe ſub gratia, illam

includit ab actuali gratia profectam. Unde de eo qui ſub lege eſt, diſertè ait, ſerm. 18. de diverſ. *Qui ſub lege eſt, legem implere non poteſt. Qui autem ſub gratiâ eſt*, ut ibidem ſubdit, *non ſub lege*, IPSE IMPLET LEGEM *: quia non eſt ei pondus, ſed decus : metuenti tormentum, ſed amanti ornamentum ; Spiritu enim dilectionis accenſus eſt*. Et de ſpir. & litt. c. 19. *Illa lex, ſine adjuvante Spiritu, procul dubio littera eſt occidens. Cum verò adeſt vivificans Spiritus, hoc ipſum intus conſcriptum facit diligi, quod foris poſitum lex faciebat timeri.*

Non igitur veriſimile, imò planè falſum eſt, id definiſſe Concilium, quod ne in diſputationem quidem adductum erat, atque ita definiviſſe, ut omnium Patrum ſententias damnaret. At verò Bellarmini & Eſtii interpretatio hæreticorum errorem, poſſibilitatem præceptorum in hac vitâ cum quâlibet gratiâ negantium, directè petit, & præcisè condemnat, nec alienas ac dubias quæſtiones attingit. Neutro igitur vitio laborat, quo ſuperiores duæ.

III. Quæ Concilii interpretatio certam & conſtantem inter Catholicos omnes ſententiam complectitur, ea meritò præfertur iis quæ dubiam & minimè in totâ Eccleſiâ receptam continent. Alienum enim à Tridentinæ Synodi dignitate eſſe videtur, ut aliquid definiverit, de quo non omnes Catholici inter ſe conſentiant. De Thomiſticâ verò poſſibilitate, quam hoc loco à Concilio definitam contendit Alvares, Moliniſtæ planè diſſentiunt, & eam in ſcriptis ſuis paſſim ineptiæ accuſant. Rurſus Moliniſticam poſſibilitatem, quæ nihil aliud requirit ad agendum, penitùs Thomiſtæ rejiciunt. Neutram igitur hoc loco à Concilio ſancitam dicere præſtat. At illud in Bellarmini interpretatione vitii non eſt; quam enim ſententiam Concilio tribuit, de ea omnes omninò Catholici idem ſentiunt, ſolis hæreticis adverſantibus. Quis enim non profitetur, *mandata Dei per gratiam eſſe poſſibilia?*

IV. Poſtrema ratio, eaque omnium graviſſima, ex illa regula petitur, ad omnium ſcriptorum, maximéque ſacrorum mentem intelligendam opportuniſſimâ, ſcilicet non ex uno quodam loco ſententiam ſcriptoris inveſtigandam, ſed ex omnium locorum ad eam rem pertinentium conſenſione, quod maximè in Conciliorum decretis locum habet, in quibus cùm unum ſpiritum loqui credamus, nullam utique in illa ſenſuum varietatem & diſcrepantiam conferre ſine flagitio poſſumus. Quare verus & legitimus ſenſus hanc habere notam debet, ut cum omnibus Concilii locis conſentiat. Ad cujuſlibet autem ſenſus falſitatem demonſtrandam ſufficit, ut cum aliquo Concilii loco pugnet.

Hoc conſtituto facilè demonſtratur, Moliniſticum ſenſum de gratiâ ſemper præſente adverſari multis Concilii locis. Repugnat enim primùm doctrinæ Concilii de perſeverantiâ. Nam, ſi ea gratia,

tia, quæ nihil aliud requirat, ſemper homini, ut illi volunt, præſto eſt, falſum eſſet quod Concilium ait: *Neminem ſibi quidquam abſolutâ certitudine de perſeverantiâ ſuâ ſibi polliceri poſſe.* Quid enim temeritatis eſt, de eo quod in ſuâ quiſque poteſtate ſemper futurum eſſe fide tenet, aliquid ſibi abſolutâ certitudine polliceri?

Repugnat etiam Canoni 22: *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in acceptâ juſtitiâ perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Nam, cùm auxilium ad non peccandum, idem ſit quod auxilium ad perſeverandum, quia perſeverat ille qui non peccat, ſi auxilium illud Molinianum ad non peccandum omnibus præſto eſt, falsò auxilium perſeverantiæ ſpeciale vocatur: non enim ſpeciale eſt quod omnibus datur.

Deinde, quemadmodùm ex eo quòd Concilium ſtatuit, cum auxilio perſeverantiæ perſeverari poſſe, rectè concluditur, gratiam illam non ſemper abeſſe, ne de ea hypotheſi loquatur Concilium quæ nunquàm contigerit; cur ſimiliter ex eo quod Concilium ſtatuit, ſine perſeverandi auxilio perſeverari non poſſe, non colligatur, illud auxilium non ſemper adeſſe, ne fruſtrà de hypotheſi impoſſibili Concilium ſanctiones ediderit? Nam, ſi nullum eſſe credidit cui deeſſet illud auxilium ad non peccandum, ſive ad perſeverandum, quantò clariùs ita Canonem expreſſiſſet: Si quis dixerit auxilium ad perſeverandum alicui juſtificato deeſſe, anathema ſit.

Repugnat denique rationi, quam ſubjungit Concilium poſt illa verba: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis..... qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus, quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt.* Hâc enim ratione prorsùs ineptè probatur, gratiam ſemper adeſſe. At ex illâ Concilii ratione mirificè confirmatur Bellarmini expoſitio. Nam, ſi Filii Dei Chriſtum diligunt, ſi qui Chriſtum diligunt ſervant mandata, ſi mandata non ſervantur ſine gratiâ, ſequitur falſum & hæreticum eſſe, quod Calviniſtæ docent, Præcepta à nemine obſervari etiam cum gratiâ. Servantur enim ab omnibus qui Chriſtum diligunt: diligunt autem Chriſtum omnes filii Dei, dum filii Dei ſunt.

Ex his omnibus liquidò pernoſci poteſt, quàm immeritò Cenſores hunc Concilii Tridentini locum propoſitioni controverſæ adversâ fronte oppoſitum paſſim venditaverint. Oſtendimus enim, illum quem afferunt ſenſum, etiam ipſorum judicio nonniſi probabilem eſſe, cùm à Thomiſtis improbetur, & erroneus judicetur, quos illi non damnant. Oſtendimus ne probabilem quidem eſſe, quia planè falſus, & à mente Concilii alienus eſt.

Denique, etiamſi verus eſſet, ſua tamen propoſitioni veritas

maneret, quæ nihil aliud aſſerit, niſi gratiam vincendæ tentationis ſive agendi aliquandò deeſſe: de gratiâ orandi nihil affirmat aut negat. At verò, quidquid tandem de gratiâ illâ orandi ineptis conſecutionibus ex Concilii verbis eliciant, plurimi certè ex ipſis non negabunt, ſemper præſentem agendi gratiam his verbis damnatam eſſe: *Jubet Deus petere quod non poſſis*: ex quo ſequitur aliqua non poſſe homines cùm jubentur, ac proindè falſum eſſe quod pro fidei articulo toti Eccleſiæ obtrudit Annatus: *Eum qui liberè tranſgreditur præceptum, habere ſemper proximam & expeditam ejus obſervandi poteſtatem*: non enim habet illam quam precibus impetrare neglexit. Et contrà, verum eſſe, quod unum docet Epiſtolæ propoſitio, *Gratiam illam, quâ immediatè tentationes vinci poſſunt, quibuſdam juſtis aliquandò deeſſe.*

Hactenùs de Concilii ſenſu, ex quo Conſtitutionis Innocentii X. intelligentia pendet, ipſis adverſariis fatentibus, qui illa ipſius verba (*antè damnatam declaramus*) ad Concilium Tridentinum referunt. Sed, quoniam de hoc argumento plura in Apologeticis jam diximus, ea hoc loco iterare ſuperfluum eſt. Tantùm monebo, quod alibi dictum eſt, quocunque demum modo exponatur illa Conſtitutio, non poſſe ex eâ elici niſi gratiam ſufficientem Thomiſticam, idque reſpectu volentium & conantium, quibus eam libenter concedimus. Ut verò nec volentibus nec conantibus tribuatur, manifeſta in re pugna eſt. Nec ineptius quidquam cogitari poteſt, quàm ſi quis ex eâ propoſitione: *Juſtis volentibus & conantibus non deeſt gratia ſufficiens Thomiſtico ſenſu*; duas illas derivet planè diverſas & alienas: *Juſtis nec volentibus nec conantibus adeſt gratia ſufficiens*; quod contradictione implicatur: vel, *Juſti omnes volunt atque conantur*, quod à ſenſu communi, imò à fide penitùs abhorret.

Falſum eſt ergo hominibus juſtis volentibus & conantibus aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia ſecundùm præſentes vires, & deeſſe illis gratiam excitantem & ſufficientem Thomiſtico ſenſu, quâ poſſibilia fiant eâ poteſtate, quæ non complectatur omnia ad agendum neceſſaria. Et qui hoc damnatum à ſummo Pontifice velit, adversùs illum minimè pugnabimus.

Falſum eſt item, juſtis volentibus & conantibus deeſſe gratiam actualem: ſed nihilominùs verum, catholicum & orthodoxum eſt, omnibuſque generatim Thomiſtis probatum, quoſdam juſtos per gratiam excitantem & ſufficientem conantes & volentes imperfectè, id eſt, ei non plenè conſentientes, non habere eam poteſtatem implendi mandata, quæ complectatur omnia ad agendum neceſſaria, & carere efficaci gratiâ, quæ una talem poſſibilitatem affert.

Verum eſt item ignorantibus, nec volentibus, nec conantibus implere mandata, deeſſe cogni-

tionem, voluntatem, conatum, id eſt, gratiam actualem. In quibus duobus capitibus, quamvis tota quæſtio reſideat, nemo tamen Cenſorum audeat alterutrum erroris arguere.

ARTICULUS XIV.

Totius operis concluſio, in qua turbarum iſtarum origo, & intoleranda Cenſuræ iniquitas paucis aperitur.

HAbent eruditi Theologi, quorum ſcripta ad me perlata ſunt, meam de tota hac controverſia ſententiam ſincerè & ideò enucleatè explicatam: verùm non ſatis ipſe totum illis animum meum aperirem, niſi de miſerrimâ horum temporum conditione apud ipſos liberè conquererer.

Diu eſt, cùm Molinæ ſequacibus Auguſtini doctrinam invadentibus neceſſariò reſiſtimus. Sed quamquàm odioſa illa pugnandi neceſſitas eſſet adversùs homines factione validos, erat tamen ideò tolerabilis, quòd interim ex ipsâ contentione graviſſimis quæſtionibus lux afferebatur. Nunc verò eorum fautores, alio poſt aliud munimento depulſi, eò rem redegerunt, ut planè neſciam quæ res agatur. Incredibile videatur, & tamen verum eſt, penitùs mihi ignotum eſſe, quid in eâ propoſitione, quam tot horrendis notis inuſſerunt, communi eorum judicio reprehenſum ſit. Sed illud adhuc incredibilius, nec minùs tamen certum, ipſos accuſatores meos, ipſos Cenſores, ipſos totius factionis duces, quid in commune accuſaverint, quid damnaverint, penitùs neſcire; ut hæc mira planè & ante hunc diem inaudita judicii forma fuerit, in quâ accuſatores quid ipſi objecerint neſciant, reus quid ſibi objectum ſit ignoret; denique quid judicatum ſit à judicibus, à reo, ab omnibus pariter ignoretur. Id, quoniam ad oſtendendam Cenſuræ iniquitatem mirificè pertinet, paucis hoc loco declarandum.

Animadvertendum eſt enim adverſarios meos, etſi in odio mei & malevolentiâ conſentiant, non minùs tamen à ſe invicem quàm à me diſſidere, non modò in aliis quæſtionibus, ſed in eâ ipsâ quæ nunc agitur controverſiâ, & in ipſo controverſæ propoſitionis ſenſu. Quidam illorum, & quidem præcipui duces, Moliniſticis partibus jamdiu conjuncti, id unum in propoſitione meâ reprehendunt, quòd gratiam ſufficientem Molinianam ſemper adeſſe omnibus juſtis in tentatione poſitis neget, ſive ad agendum, ſive ſaltem ad orandum: omnia enim ſua conſilia conferunt ad gratiæ efficacis neceſſitatem evertendam. Puduit tamen illos hoc præ ſe ferre; & ideò ad putidam de præceptorum impoſſibilitate calumniam in ſententiâ ſuâ confugerunt.

Alii verò, qui Thomiſtæ haberi volunt, gratiam Molinianam omninò repudiant; aliam aſtruunt,

actualem quidem, ſed quæ illo ſemper careat effectu, comparatione cujus dicitur ſufficiens, niſi Deus illi gratiam efficacem adjungat. Hâc tamen ſufficiente gratiâ conferri volunt proximam & completam agendi poteſtatem, in quo ſe putant à me diverſos. Verùm ipſis primùm de gratiâ actuali ſemper præſente multi reſiſtunt, qui ad certos pietatis actus ſolam gratiam habitualem ſufficere arbitrantur; repugnant alii, qui ſufficere aiunt, gratiam actualem aliquandò in aliquo veniali peccato multò ante commiſſo præſtò fuiſſe.

De potentiâ proximâ ipſi Moliniſtæ, non illi veteres & horridi, ſed hi novi & temperati, cum Thomiſtis illis non conſentiunt; nam ſine efficaci gratiâ, quam ad operandum neceſſariam ſtatuunt, negant proximam operandi potentiam haberi, licet ex ipſorum ſententia per gratiam ſufficientem habeatur orandi integra & plena facultas.

Ergò, cùm de ſenſu damnando convenire non poſſent, licèt de damnatione præcipiti factionis impetu conſenſiſſent, illa fuit neceſſariò incunda via quam ingreſſi ſunt, ut propoſitionem nullo expreſſo ſenſu damnarent; ut ſic ſuam quiſque ſententiam intactam eſſe privatim contenderet, in me unum fucatæ conſenſionis obtentu impetum univerſi facerent. Neceſſarium quidem ipſis iſtud conſilium fuit, miſerum tamen illud, ne dicam ridiculum. Quid enim magis Cenſuram in omnium contemtum, atque ludibrium poſſit adducere, quàm ſi illud percrebreſcat, de damnatæ propoſitionis ſenſu inter ipſos Cenſores non conſtare, nullumque proferri poſſe, qui non vel mihi per ſummam calumniam affingatur, vel ipſis Cenſoribus probetur, aut in ſuis ſodalibus omnis erroris expers judicetur.

Omnis error, omnis falſitas, ideò falſitas & error eſt, quia veritati adverſatur; nec certa falſitas aut error eſſe poteſt, ubi de veritate oppoſitâ errori non conſtat. Universè id in omnibus verum, multóque magis in ipſâ fide. Neque enim hæreticum aliquid judicari poteſt, niſi veritatem aliquam oppugnet quam fide teneamus; & quia in fidei capitibus debent omnes Catholici convenire, debent etiam de iis ſententiis conſentire, quibus hæreſes adverſantur. Divinitatem Filii oppugnavit Arius; de divinitate Filii tota Eccleſia conſentit. Negat in Euchariſtiâ verum Chriſti Corpus adeſſe Calvinus; in Euhariſtia Chriſtum totum verè, realiter & ſubſtantialiter, contineri, tota Eccleſia confitetur. Dicant nunc, quæſo, noſtri Cenſores, quænam ſit illa catholica veritas propoſitioni meæ oppoſita, quam ipſe negem, de quâ tamen, non dicam univerſi Catholici, ſed ipſi inter ſe Cenſores univerſi conveniant.

An illam afferent: Poſſibilia eſſe ſemper omnibus juſtis mandata? Quaſi verò hoc à me negatum ſit. De poſſibilitatis naturâ

turâ quæſtio eſt. Molinianam illam, quæ nihil aliud requirit ut in actum prodeat, nunquàm admittam, ſed plurimi ex ipſis non admittunt. Thomiſticam alii ex ipſis irrident, alii probant; ipſe & probo & admitto, nec unquàm fateri recuſabo, ſic omnes juſtos mandata ſemper obſervare poſſe, etiam cùm deeſt gratia efficax, quemadmodùm homines viſu præditi in tenebris videre poſſunt ob internam videndi potentiam. Id verò vel ipſis fatentibus ſufficit; & quidam ex illis, quos deoſculantur & probant, quia Cenſuræ ſubſcripſerunt, ita poſſibilitatem præceptorum etiam poſt Cenſuram, gratulantibus aut certè ferentibus Moliniſtis, explicarunt.

An illud cauſabuntur, gratiam ſufficientem actualem, quæ ſemper in omnibus tentationibus præſtò ſit, eſſe de fide? At illud multi ex ipſis non credunt, qui ſufficere aiunt gratiam habitualem ad certos pietatis actus; multi etiam irrident, nec illud unquàm pro fidei capite haberi ſinent, in omnibus peccatis & venialibus & mortalibus adeſſe ſemper in animo cognitionem peccati, & deſiderium vitandi illius divinitùs immiſſum, ut nullum jam peccatum ex ignorantiâ, ex errore, ex ſubita cupiditate, fieri poſſit. Deindè, ut jam dixi, nihil hoc ad propoſitionem meam. Non enim omnem gratiam actualem ſufficientem Thomiſtico ſenſu à Petro amovi, ſed tantùm efficacem.

An confugient ad ſuum illud tantoperè jactatum potentiæ proximæ nomen; ſed priùs illius æquivocationem tollant. Molinianam enim ejus verbi ſignificationem repudiamus quidèm, ſed cum multis ex ipſis Cenſoribus. Thomiſticam non aſpernamur; incommodiùs hoc vocabulo expreſſam contendimus.

An illud fidei caput in ſufficientis gratiæ nomine locabunt, quod excitanti gratiæ tribuendum præfractè quidam obtinere nituntur? Primùm ridiculum, in nomine quod nulla Scripturæ auctoritas, nullum Eccleſiæ decretum conſecravit, fidem eſſe poſitam. Deindè, ſufficientis gratiæ vocem uſurpent quantùm volent, non repugnabimus, dum ne nobis ſub illo nomine Molinianum fermentum obtrudatur.

Ita novi planè generis eſt illa hæreſis, illa blaſphemia, quam in me inſectantur: nulli enim catholicæ veritati adverſatur. Patientur enim, credo, illud me nec hæreticum nec blaſphemum habere, quod ipſi judices in ſuis ut orthodoxum probant. Et tamèn his ſepoſitis, non jam levis, ſed planè nulla de propoſitionis meæ ſenſu controverſia eſſe poteſt.

Omninò enim ſic exiſtimo, unam in hâc totâ materiâ ſolidam eſſe controverſiam de gratiæ efficacis neceſſitate. De hac qui conveniunt, vix aliter quàm verbis diſſentire poſſunt; cæteræ de actu primo & ſecundo, de potentiâ propinquâ & remotâ, de

de nomine ac naturâ gratiæ ſufficientis, & leves per ſe, & maximam partem non de re, ſed de nomine ſunt, quas vel omittere omninò conſultiſſimum ſit, aut, ſi non omittantur, intra ſcholarum anguſtias placidè diſceptare. Nihil verò indignius fieri poteſt, quàm ut ad illas quæſtiunculas fidei majeſtas detrudatur, & propter illas ſollicitetur Eccleſia, fideliumque concordia dirimatur. Victrix multis in locis volitat hæreſis; magnâ Europæ parte ſævit & regnat; bellis, ſeditionibus, omnium vitiorum eluvione, catholicus orbis premitur: nos, cùm maximè decebat omnes vires ad communes hoſtes propulſandos convertere, vel precibus ad flectendam Dei miſericordiam incumbere, de actu primo & ſecundo digladiari cogimur. Dum vitalia periclitantur, de unguibus laboramus. Dum tota Religio ab externis & domeſticis hoſtibus oppugnatur, ad metaphyſicas diſputationes pertrahimur.

In me certè nemo iſtorum malorum culpam meritò conferat. Difficultates illas, ad quas nunc adverſarii mei confugiunt, nunquàm tractavi, nunquàm commovi. Cum Patribus ſenſi & locutus ſum; & me in iſtas ſubtilitates immittere à ſimplicitate chriſtiana ſemper alienum duxi. Sexcenties legi apud Patres, Sine gratiâ, quâ Deus in nobis & velle & perficere operatur, nihil fieri poſſe: id innoxiè affirmare poſſe credidi poſt tot auctores. Incidentium quæſtionum ſpinas nec attigi, nec attingendas omninò putavi. Hæc ars, hoc conſilium fuit eorum qui non aliud labantis exiſtimationis ſuæ præſidium invenerunt, quàm ut controverſiam in ſcholaſticarum contentionum dumeta compellerent, ne ſuam in graviſſimis rebus infirmitatem detegere cogerentur. Hoc conſilio illud ſolertiſſimi homines aſſequi volunt, ut illarum controverſiarum ſpecie tota Auguſtini doctrina ejiciatur ex Academiis Chriſtianis, imò ex Orbe Chriſtiano. Id agunt, id moliuntur, illarum turbarum incentores Jeſuitæ, & ipſorum gregales, quibus ita reſiſtendum eſt, ut non priùs de illis inanibus controverſiis litigare ſinantur, quàm de ipſius gratiæ efficacis neceſſitate cum Eccleſiâ conſenſerint. Poſt, ſi libeat, de actu primo & ſecundo diſputabitur. Quare quòd illas difficultates tractare ſum aggreſſus, nemo ſic accipiat, quaſi in illis poſitam propoſitionis meæ defenſionem putem. Illius enim veritas prorsùs ab iſtis quæſtionibus ſejuncta eſt: ſed cùm paſſim dictitent, aliquid me in animo recondere, hanc ipſis calumniandi anſam eripere ſtudeo; ſimul illud in clariſſimos Theologos obſequium plenius fore ſum arbitratus, ſi non modò meam ipſis de gratiâ fidem, ſed omnes etiam opiniones, expromerem.

XVII.

XVII.

FRATRIS JOANNIS NICOLAI

DOCTORIS THEOLOGI

PARISIENSIS,

ET

APUD PRÆDICATORES

PRIMARII REGENTIS,

MOLINISTICÆ THESES

THOMISTICIS NOTIS

EXPUNCTÆ.

1656.

DE
FRATRE JOANNE NICOLAI
JUDICIUM
DD. HALLIER, JOISEL ET LAGAULT
Doctorum Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis:

Ex Epiſtola Gallica ejuſdem DOM. LAGAULT *ſcripta ad* D. MARTINUM GRANDIN *Doctorem ac Profeſſorem Sorbonicum, Romæ 26. Maii 1652.*

JE vous prie de faire nos recommandations à ••••• tous nos bons Meſſieurs les Camarades Moliniſtes, dont je ne vous repete pas les noms. J'avois oublié par mes précédentes de vous dire, que nous avons trouvé le P. Nicolaï à Lyon, & que je l'avois fort entretenu. Nous avons jugé, que quoi qu'il ſoit fort habile homme, nous euſſions eu de la peine à nous accommoder avec lui, s'il eût été de notre partie, parce qu'il eſt un peu arrêté à ſes ſentimens, & ainſi il eût été capable de rompre la bonne intelligence, que graces à Dieu nous avons conſervée juſqu'à préſent. C'eſt pourquoi je vous prie, ſous ſecret, que ſi vous voiez quelque diſpoſition pour l'envoier à l'Automne, de tâcher de détourner adroitement cela, ſans que vous diſiez ces raiſons-là comme de moi. Nous ne jugeons pas même qu'il puiſſe beaucoup ſervir dans ſon Ordre, parce qu'il y eſt fort ſuſpect, & qu'on le croit contraire à la doctrine des Thomiſtes.

A Rome le 26. May 1652.

FRA-

FRATRIS JOANNIS NICOLAI
DOCTORIS THEOLOGI PARISIENSIS, ET APUD PRÆDICATORES PRIMARII REGENTIS,
MOLINISTICÆ THESES
THOMISTICIS NOTIS EXPUNCTÆ.

Qui Theſim nuper arbitro JOANNE NICOLAI *defenſam, & ab ipſo, ut norunt omnes, ſcriptam legerit, liquidò comperiet nihil aliud ei fuiſſe propoſitum, niſi ut rudiores quibuſdam præſtigiis ludificaretur. Unum id ſecutus eſt, ſed duplici viâ, Primò Molinianis ſenſibus Thomiſticarum vocum larvâ veſtiendis; deinde adverſariorum placitis ſubdolè recenſendis, vel palàm adulterandis. Hoc conſilio ſic verba ſua concinnavit, ut ſub vario ſenſu dum Thomiſticum oſtentant, Molinianum occultent. Sic adverſarios impetit, ut Calvinum ſpecie, reverâ Auguſtinum petat. Nemo hoc in* JOANNE NICOLAI *miretur. Non enim novum illud, ſed ſolemne ipſius inſtitutum eſt. Sic variis ante locis, ſic in Facultatis Comitiis, ſic in Suffragio Cenſorio Latinè & Gallicè, ut utrâque linguâ notior eſſet ejus temeritas, evulgato; poſtremò, ſic in Theſibus iſtis ſe geſſit, ubique veteratorem egit, & vultus mutantem Prothea, quem neſcias quo modo poſſis aſtringere. At ipſum tamen, quamvis lubricum & volubilem, alii tenebunt, & quæ Patribus, quæ S. Thomæ, quæ adverſariis affinxit proferent & coarguent. Ego verò illum in ſuis tantùm Theſibus inſequar: & falſa quidem in Auguſtini diſcipulos crimina conferentem refellam; tergiverſantem verò, & Molinam occultè foventem, apertè detrectantem, in lucem extraham, ne diutiùs utroque pede claudicet, & ancipiti perſonâ incautis lectoribus Thomiſta Molinianus illudat. Nihil hic in Janſenii defenſionem de quinque propoſitionibus exſpecta. Auguſtini diſcipulos, quos ille ſub Janſeniani nominis invidiâ inſectatur, ab ipſius calumniis defendi, nulla invidia eſt.*

I. NICOLAI.

PRiorem (gratiam) Janſenius à charitate non diſtinguens, & gratiam adoptionis vocans, rationali creaturæ cuilibet innocenti debitam dicit.

CONFUTATIO.

Debitam dicit, non creaturæ merito, ſed ſapientiæ & juſtitiæ divinæ, quæ id exigit. At tu, qui hæc in Janſenio carpis, etiam homini lapſo deberi gratiam dicis eodem modo quo innocenti Janſenius. *Etſi*, inquis in Suffragio cenſorio, *non debet nobis quòd ab illo juvamur, debet ſibi nihilominus quòd nos juvat.* In quo alterum judicas, teipſum condemnas.

II. NICOLAI.

Poſteriorem ille (Janſenius) velut cœleſtem quamdam atque ineffabilem ſuavitatem in ſola ſpiritali delectatione reponit, quâ flectatur voluntas; iſte (S. Thomas) in vera motione prævenientе voluntatem.

CONFUTATIO.

Dupliciter fallis aut falleris. Qui gratiam cœleſtem eſſe ſuavitatem volunt, non negant, imò aſſerunt, eſſe etiam phyſicam præmotionem. Tu, qui multùm in præmotionis voce tibi places, nullam præmotionem niſi Molinianam admittere videris. Præmotionis & prædeterminationis voces bifariam accipi poſſunt. Primò ita ut phyſicam motionem ſignificent, quæ phyſicè quidem præveniat, phyſicè influat in conſenſum, niſi voluntas reſiſtat; non tamen conſenſum infallibiliter eliciat. Hanc præmotionem Suarez, hanc Molina non gravatè concedunt. Et ipſe Annatus in Informatione de 5. Propoſitionibus præf. p. 55. *Motionem quippe ſeu præmotionem phyſicam ad actus bonos & ſalutares non negamus; prædeterminationem ablegamus eo ſenſu quo jam dixi, & qui ferè ſenſus eſt adverſariorum.* Alio ſenſu præmotio accipitur pro eâ quæ conſenſum infallibiliter elicit per modum cauſæ efficientis. Et hæc iterum apud Thomiſtas duplex; una, quæ præmovet tantùm ad actus imperfectos, & dicitur gratia ſufficiens, & ſecundùm quid efficax, quia hos motus infallibiliter elicit: alia, quæ ad actus perfectos impellit; & hæc vulgò apud ipſos ſimpliciter & abſolutè efficax. Sic Alvares diſp. 84. n. 9. *Quando actus ſupernaturales ſunt imperfecti, & ex naturâ ſuâ ordinantur ad alios actus, ſicut cogitare, deſiderare, & petere, tunc auxilium quod dicitur efficax comparatione horum actuum, non debet dici efficax ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ut diſp. 80. dictum eſt. Ceterùm quando actus ſunt perfecti in ſuo genere, ſicut ſunt actus fidei & charitatis, tunc auxilium quod eſt efficax comparatione horum actuum, debet ſimpliciter & abſolutè dici efficax.* Utrumque etiam præmotionis genus agnoſcunt Auguſtini diſcipuli; ſed utrumque gratiæ efficacis nomine complectuntur, quæ modò perfectos, modò imperfectos actus, prout Deo viſum eſt, elicit. Tu, quam admittas, Molinianam an Thomiſticam, nihil affirmas, ut quocumque

cumque favor inclinarit facilè te flectas.

III. NICOLAI.

Sive præmotionis, ſive prædeterminationis nomenclaturam ferat, liberam planè ſemper & indifferentem voluntatem relinquit, ut agat vel non agat, ut hoc aut illud agat, ut contrarium ei agat ad quod præmota & prædeterminata ſupponitur, non in ſenſu diviſo qualem nobis affingis, ſed in ſenſu compoſito.

CONFUTATIO.

Quid nos æquivocis, quid flexibus detines & illudis? Aut nobiſcum ſentis, & falsò criminaris; aut cum Moliniſtis, & te omnes inſectari Thomiſtæ debent. Nil in hoc negotio à recentiorum Thomiſtarum doctrinâ Auguſtiniani diſſident. Gratia quælibet indifferentem voluntatem relinquit in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito. Hoc tibi affingi ſi quereris, quereris etiam Thomiſtarum ſenſus affingi. Hanc enim Alvares omnium S. Thomæ diſcipulorum tam antiquorum quàm modernorum ſententiam eſſe aſſerit diſp. 92. ubi cum Moliniſtarum doctrinam his verbis retuliſſet: *Quidam dixerunt, quòd ſtante in homine quocumque auxilio prævenient gratiæ ſecundùm omnem realem virtutem & perfectionem quam habet ut venit à Deo, poſſit etiam in ſenſu compoſito diſſentire & non converti:* tum n. 4. ſubdit: *Contraria ſententia vera eſt, & de mente S. Thomæ omniumque Doctorum quos diſp. 25. adduximus.* Et num. 11. *Poſt S. Thomam ſecuti ſunt eamdem doctrinam omnes ejus diſcipuli tam antiqui quàm moderni.* Et diſp. 74. num. 6. *Quia liberum arbitrium motum à Deo auxilio efficaci, non poteſt illi diſſentire in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo, ut inferius patebit, ideò eſſet magnum inconveniens ſi hoc poſſibile poneretur in eſſe. Sequeretur enim quòd voluntas Dei eſſet ineſſicax & impedibilis per hominis voluntatem; quod, ut Auguſtinus dicit, & nos ſupra oſtendimus, eſt impoſſibile.*

Aliâ tamen ratione gratia quælibet indifferentem voluntatem relinquit etiam in ſenſu compoſito, quia cum actu quem elicit gratia efficax componitur & pacificè conſiſtit poteſtas ad contrarium. Sic Alvares diſp. 115. n. 3. & 4. *Potentia ad unum actum non repugnat potentiæ ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario. Actus autem contrarii repugnant inter ſe in eodem ſubjecto.* Et paulò poſt: *Notandum ſecundò, quòd cum dicitur potentiam liberam eſſe, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari & non operari etiam in ſenſu compoſito, hoc dupliciter intelligi poteſt, primò ita ut compoſitio fiat inter prærequiſita ad operandum, & potentiam ipſam operandi & non operandi; & tunc ſenſus eſt, quòd potentia ad operandum & non operandum ſtat ſimul in eodem ſubjecto cum antecedenter prærequiſitis ad talem operationem Et hic ſenſus veriſſimus eſt, ut poſtea explicabimus. Secundo modo poteſt intelligi ita ut compoſitio fiat inter*

inter antecedenter prærequiſita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, ſeu actum ipſum contrarium. Et tunc ſenſus eſt, quòd omnia prærequiſita etiam ex parte Dei ad operandum talem actum particularem, & carentia ejuſdem actus ſeu actus contrarius poſſint eſſe aut aliquando ſint ſimul in eodem ſubjecto. In hoc ergo ſenſu intendimus prædictam definitionem impugnare.

Gratia tamen quæ imperfectos actus producit, quam illi ſufficientem vocant, etiam cum oppoſito actu componitur, quia validior ei concupiſcentia reſiſtit, & effectum impedit quem habere poſſet, ſi plenè voluntas conſentiret. Duo tamen ex Thomiſtarum doctrinâ notanda ſunt. 1. Gratiam illam quæ imperfectos actus producit, cùm ſit ſufficiens reſpectu perfectioris actus, eſſe ſimul efficacem reſpectu actus imperfecti ad quem ordinatur divinâ voluntate: & hoc ſenſu aſſerunt omnes & S. Auguſtini & S. Thomæ diſcipuli, gratiam numquam eo effectu carere ad quem ordinatur ex Dei voluntate. Sic paſſim Thomiſtæ, ſic inter alios Alvares diſp. 80. in qua quærit, *Utrum omne auxilium ſufficiens ſecundùm aliquam rationem ſit efficax*, & ſic reſpondet: *His tamen non obſtantibus dicendum eſt, omne auxilium ſufficiens comparatione unius actus, ſemper eſſe efficax reſpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ voluntatis deſtinatur.* Hanc ſententiam docent communiter recentiores Thomiſtæ.

Secundò ut quis gratiæ ſufficienti conſentiat, gratiam efficacem neceſſariam eſſe, imò repugnare ut ipſi ſine gratiâ efficaci conſentiatur. Sic Navarretus tom. 2. cont. 24. 56. *Implicat hominem facere auxilium ſufficiens efficax; vel quòd Deus tribuens auxilium ſufficiens expectet hominem tribuentem efficacitatem. Præterea nota, tantum abeſſe ut opinio illorum, qui tenent hunc modum dicendi quem deſtruere conamur, ſit vera, ut de potentia abſoluta Dei non poſſit fieri, ut homo recipiens auxilium illud ſufficiens, reddat illud efficax.* Age igitur & larvam exue. Placetne tibi gratiam efficacem propriè dictam, ſuum effectum infallibiliter operari? Nobiſcum ſentis. Placetne tibi gratiam ſufficientem ſemper effectum illum habere, ad quem refertur ex Dei voluntate? Nil aliud volumus, cùm gratiam ſemper habere dicimus eum effectum quem vult Deus. Placet ne tibi gratiæ ſufficienti numquam plenè conſentiri ſine gratiâ efficaci? Non video quid à nobis diffideas. Hoc enim ſolùm volumus; Sine gratiâ efficaci neminem reipsâ & effectivè bene agere.

Supererit levior contentio de naturâ gratiæ ſufficientis. Hanc Alvares ſemper actualem eſſe vult; nos verò, quamquam juſtis actualem illam gratiam quam ipſe ſufficientem vocat, ſæpè dari fateamur, tamen ad illam poteſtatem, quam largitur ex illis Thomiſtis gratia actualis ſufficiens, habitualem gratiam ſatis

eſſe contendimus. De hoc ſi certare volueris, licet; habebis enim adverſarios qui reſiſtant. Sed vana illa crimina de ſenſu compoſito & diviſo mitte. Nam aut illam quam expoſui doctrinam probas, & nos pariter probas: aut improbas, & Alvarem alioſque Thomiſtas ſimul improbas, ex quibus illam exſcripſi.

IV. NICOLAI.

Non aliud gratiæ tribuere, niſi quòd illuminet intellectum, vel afficiat piâ quâdam affectione voluntatem, minus eſt quàm ratio poſtulet, non tamen tale quod rejiciat fides, etſi hoc ſolùm dicas.

CONFUTATIO.

Somniare mihi videor cùm Dominicanum audio ſic loquentem. Siccine tam parvi eſtimari præcipuam clariſſimi Ordinis gloriam, ut eam unus ex alumnis ſuis verbulo abjiciat! Quam ſententiam hic refers, præcipuum Molinianæ adverſus efficacem gratiam novitatis caput eſſe norunt omnes. Atqui, ſi te audimus, in hoc ipſo capite rationi adverſatur Molina, non fidei. Ergo qui hæreſeos Molinam accuſat, calumniator eſt. Age nunc, egregie diſcipule S. Thomæ, agnoſce quos tu inter calumniatores adſcribas. Calumniator eſt inſigne Dominicanæ familiæ decus Thomas Lemos, qui inter illa duo, quæ totius Ordinis ſui cauſam apud Summos Pontifices agens, contra Pelagianos tenuiſſe dicit Eccleſiam, hoc ſecundo loco refert, *ipſam prævenientem gratiam efficacem eſſe ex Deo, non autem ex effectu, & cooperatione liberi arbitrii.* In hoc totum Pelagii dogma reponit, quod *admiſerit internum donum adjuvare ut poſſimus, non autem ut velimus.* Calumniatrix fuit tota Congregatio de auxiliis; quæ illum ipſum Molinæ errorem, quem tu fidei repugnare negas, ſic proſcripſit An. 1601. 22. Julii. *Cum Molina præter gratiam prævenientem, ſive excitantem, non requirat aliam potentiorem gratiam ad eliciendos actus ſupernaturales fidei, ſpei, & pænitentiæ, non videtur diſcedere à ſemitis Pelagii.* Ut paucis abſolvam, calumniator eſt Clemens VIII. Paulus V. & tota Thomiſtarum Schola, & qui ſuis temporibus Catholicæ fidei vindices habiti ſint, Fr. NICOLAI judicio, graviſſimi criminis rei tanto poſt peraguntur. At illud quis patienter ferre poſſit? Gratiæ per ſe efficaci detrahis Patrum Præſidia, Scripturæ oracula, quibus ſe adhuc tutata eſt; rationem relinquis, quâ premitur potiùs quàm ſublevetur. Quid hoc aliud eſt quàm inermem & nudam Molinæ prodere? Nam ſi ſola ratio humana diſceptet, ferè actum eſt de cauſâ gratiæ quæ divinâ autoritate tota nititur, tota defenditur.

V. NICOLAI.

Neceſſitatem abſolutam gratiæ prævenientis agnoſce.

CONFUTATIO.

Cujus gratiæ? Si Molinianæ, nihil a Molina recedis. Si efficacis & Catholicæ, cur apertè non eloque-

eloqueris? Cur Evangelium erubeſcis? Pudetne te eam profiteri gratiam, quam totus Ordo tuus jamdiu defendit? Suſpecta diſſimulatio eſt, quam non aliter effugies, niſi reipsa fatearis ad omnem pietatis actum & ad ipſam orationem, neceſſariam eſſe gratiam efficacem, non quâ fiat homo agendi potens, ſed quæ conſenſum voluntatis infallibiliter operetur per modum cauſæ phyſicæ efficientis & prædeterminantis. Id ſi recuſas, quin Molinianus audias ne recuſa.

VI. NICOLAI.

Quòd ad initium fidei neceſſariam eam eſſe Semipelagiani agnoverint, Janſenianum figmentum eſt ac mendacium, quod Innocentius Decreto ſuo confutavit. Quod hæretici tantùm eſſent, quia talem gratiam agnoverint cui reſiſtere voluntas vel etiam obtemperare poſſet, Janſeniana hæreſis eſt, quam eodem Decreto idem Pontifex confutavit.

CONFUTATIO.

Ad omnia breviter accipe. Semipelagianos gratiam ſufficientem Thomiſticam admiſiſſe nemo dixit: an interiorem Molinianam admiſerint, quæſtio facti eſt, ex antiquitatis monumentis dijudicanda. Hæreticos fuiſſe quia talem agnoverint gratiam cui reſiſtere voluntas poſſet, vel etiam obtemperare, nemo ſentit. Propterea hæreticos fuiſſe, quia gratiam efficacem ad initium fidei neceſſariam negaverunt, ſentiunt quicumque gratiam efficacem ad omnes pietatis actus neceſſariam ſtatuunt. Hoc qui negat, Molinianus eſt, non Thomiſta: ad quos te conferas delibera & tandem elige, ne ſemper fluctues.

VII. NICOLAI.

Poſſe gratiæ actuali non exteriùs tantùm ſuadenti, ſed interiùs excitanti reſiſti; qui abnuunt, reſiſtunt Spiritui ſancto..... Reſiſtunt Spiritui qui per Innocentium Pontificem X. in decreto Apoſtolico idem elocutus eſt.

CONFUTATIO.

Quin tu aſtutias, quin calumnias mittis? Nemo Spiritui ſancto, nemo Innocentio reſiſtit, quia gratiæ reſiſti nemo abnuit. Hunc errorem ſi nulli tribuis, nugaris: ſi cuiquam ex Auguſtini diſcipulis, calumniaris.

VIII. NICOLAI.

Otioſum & vanum foret quod Stephanus loquitur, ſi de Spiritu tantùm exteriùs monente loqueretur.

CONFUTATIO.

Otioſa & vana Stephani verba dicere, ſi de Spiritu exteriùs monente loquatur, non otioſum & vanum, ſed planè impium eſt. Sic enim vana foret ipſius Dei vox Cain admonentis, quam Greg. Magnus de ſolo Spiritu exteriùs monente intelligit lib. 11. Mor. cap. 3. *Plerumque fit ut cum audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis gratiâ non repletur, incaſſum exteriùs à prædicatore moneatur; quia mutum eſt os omne quod loquitur, ſi ille interiùs in corde non clamet, qui aſpirat verba quæ audiantur. Hinc eſt etiam quod Cain*

&

& divinâ voce admoneri potuit, & mutari non potuit; quia, exigente culpâ malitiæ, jam intùs Deus cor reliquerat, cui foris ad teſtimonium verba faciebat.

IX. NICOLAI.

Ineptum ac frivolum, ſi ſenſu tantùm Janſeniano explicaret Stephanus reſiſtentiam quam exprobrat; quaſi nempe gratiæ reluctetur concupiſcentia, ſed per gratiam tandem infallibiliter ſuperetur.

CONFUTATIO.

Janſenium adeat qui ſenſum ipſius explorare velit. De Auguſtinianis Theologis hoc repono, neminem ex illis id ſentire quod tu illis adſcribis. Reſiſti enim gratiæ iis omnibus modis agnoſcunt, quibus Thomiſtæ, etiam recentiores, ut ſupra explicatum eſt.

X. NICOLAI.

Sic reſiſti gratiæ, ut illius effectus aliquando per voluntatem diſſentientem impediatur, Thomiſticum eſt, Catholicum eſt.

CONFUTATIO.

Semperne latebras, ſemper effugia captabis? Cui gratiæ reſiſtatur & quomodo, non apertè dices? Si efficacis effectum per voluntatem diſſentientem impediri ais, erras & omnes Thomiſtas adverſarios habes. Audi Alvarem diſp. 72. n. 4. *Liberum noſtrum arbitrium excitatum & motum à Deo liberè conſentit, & conſequenter poteſt diſſentire ſi velit: tamen quando motio Dei eſt efficax, infallibiliter conſentiet. Etenim hoc operatur gratia in libero arbitrio fortiter & ſuaviter, quòd cùm poſſit diſſentire non diſſentiat. Cujus ratio eſt quam aſſignat S. Thomas 1. 2. qu. 112. a. 3. in corp. Nam intentio Dei deficere non poteſt. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt quòd homo cujus cor movet, conſentiat & conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſequitur, & neceſſariò neceſſitate infallibilitatis, non autem ex neceſſitate abſolutâ.* Si autem de ſufficiente tantùm loqueris, quis neſcit eam effectu aliquando carere? Illud tamen fatearis oportet, ipſam gratiam ſufficientem, etiamſi eo careat effectu ad quem ex naturâ ſuâ tendit, & quem habere poſſet, tamen, ut ſupra vidimus ex Thomiſtarum ſententia, numquam eo carere quem vult Deus.

XI. NICOLAI.

Reſiſti eo ſenſu cuilibet gratiæ poteſt, non cuilibet reſiſtitur.

CONFUTATIO.

Necdum ab æquivocis locutionibus recedis. Hæc enim facilè detorqueri poſſunt in Molinianos ſenſus, quamobrem ut hanc ſuſpicionem vites, de his duobus capitibus iterum quærò quid ſentias. Sentiſne eum Thomiſtis ſufficienti gratiæ, ſi non adſit efficax, numquam ad actum perfectum voluntatem conſentire? Sic enim Alvares diſp. 58. n. 3. *Obſervandum eſt bonum uſum auxilii ſufficientis non eſſe à ſolo auxilio ſufficienti, ſed ab efficaci. Et ne quis exiſtimet, poſtquam Deus ſua miſericordia nullis noſtris præcedentibus bonis meritis vocavit peccatorem per gratiam ſufficientem, prius*

eſſe in ſigno rationis, quòd liberum arbitrium ejuſdem peccatoris motum à Deo gratiâ excitante & ſufficiente ſe determinet ad conſenſum, quàm quòd Deus det illi gratiam adjuvantem ſeu efficacem. Id ipſum ſibi objicit Alvares & his verbis refellit. *Ad quartum reſpondetur priùs eſſe in genere cauſæ efficientis, quòd Deus conferat homini auxilium efficax & cum determinet ad conſentiendum gratiæ excitanti, quàm quòd homo ſe determinet per liberum arbitrium & velit eidem gratiæ conſentire, ut ex ſupradictis patet. Nec admittendum eſt, gratiam efficacem pendere etiam, tanquam à conditione ſine quâ non, ex liberâ cooperatione arbitrii, ut diſp. 73. & 90. perſpicuum fiet. Ad confirmationem reſpondetur, illam cauſalem eſſe falſam; quia homo excitatus à Deo vult conſentire & cooperari Deo vocanti, ideò adjuvatur à Deo; hanc autem cauſalem eſſe veram; quia homo excitatus gratia ſufficiente adjuvatur à Deo auxilio efficaci, ideò cooperatur, ut diſp. 99. patebit.*

Sentiſne cum iiſdem, gratiam efficacem, conſenſum infallibiliter operantem, ad omnem pietatis actum, etiam fidei & orationis neceſſariam eſſe, ut cum aliis omnibus Thomiſtis docet Alvares diſp. 55. num. 6. *Secunda concluſio: Nulla diſpoſitio remota ad gratiam haberi poteſt ex ſolâ facultate naturæ, ſive ſit petere, ſive deſiderare ipſam gratiam, ſive quodlibet aliud; ſed ad illam neceſſariò requiritur ſpeciale auxilium præmoventis gratiæ. Hæc concluſio eſt certiſſima.* Per illud autem ſpeciale auxilium præmoventis gratiæ, gratiam efficacem intelligendam eſſe paſſim in hac diſp. declarat, ut cum ait n. 13. *Præter vocationem ſufficientem quæ tribuit voluntati poſſe conſentire, requiri etiam (ut actualiter conſentiat) vocationem efficacem, quâ fiat conſentiens.* De his ſi tibi mecum conveniat, nullum de præceptorum poſſibilitate certamen inter nos ſupereſſe reipſa convincam. Si non convenit, tecum ſcilicet, ſed conjunctis nobiſcum omnium Thomiſtarum copiis certabimus. Cur id urgeam ne mirare. Multis enim ſignis indicaſti te in gratiæ efficacis voce ludere, & eam hoc nomine afficere, quæ conſenſum non infallibiliter operetur, ut ex ſequenti concluſione patebit.

XII. NICOLAI.

Sic efficacem per ſe dici, quia vim omnem voluntati conferat ex qua fiat agendi potens, Thomiſticum eſt & Catholicum.

CONFUTATIO.

Non facilè reperias Molinianum ullum qui exitialem magis gratiæ vocem emiſerit, eâ quam Dominicanæ familiæ alumnus, non furtim & uno loco, ſed paſſim in Suffragio Cenſoriò inculcas, ſcilicet gratiam efficacem dici, non quia dat agere, ſed quia dat poſſe agere; *ut efficax, inquis, per internam efficaciam intelligatur illo etiam caſu quæ non ſemper externa per effectus poſitionem conſequitur.* Itane tam credulos, tam ſupinos fore lectores tuos credis, ut tam apertam fallaciam non deprehendant? Hoccine

eine ſenſu gratiam efficacem dicit Alvares cum ait diſp. 23. n. 23. *Sexta concluſio. Hæc duo ſimul ſunt incompoſſibilia, quod ſcilicet hujuſmodi auxilium prædeterminans ſit in libero arbitrio, & liberum arbitrium non operetur actum illum ad quem movet; quamvis ſemper poſſit eumdem actum non operari, ſi velit. Prima pars hujus concluſionis probatur teſtimoniis apertiſſimis S. Proſperi & S. Thomæ adductis diſp. 18. n. 23. quæ iterum repetenda ſunt diſp. 115. num. 4. & diſp. 122. num. 19. Præterea probatur: Aliàs voluntas Dei abſoluta eſſet inefficax, & impediretur per voluntatem humanam ne fieret id quod omnipotens per eam voluit fieri; quod tamen repugnat verbis illis Scripturæ:* Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra; *ut oſtendit S. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium c. 95. & 96. & lib. de Correpi. & Grat. cap. 14.*

Hoccine ſenſu Auguſtinus, cum ait de Correpr. & Gr. c. 12. *Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. Et ideò quamvis infirma non deficeret, nec adverſitate aliqua frangeretur.* Ex quo loco ibidem infert Alvares.. *Ergo ſecundùm S. Auguſtinum hæc duo ſunt incompoſſibilia, quod ſcilicet Deus auxilio efficaci moveat liberum arbitrium ad conſenſum, & nihilominus liberum arbitrium diſſentiat. Aliàs enim non ageretur à gratiâ efficaci indeclinabiliter & inſuperabiliter.*] Vin ſcire quis hoc ſenſu admiſerit gratias efficaces? Admittunt Moliniani, qui non ita deſipiunt, ut gratiam ſufficientem agendi poteſtatem largiri negent. Admittunt Pelagiani, qui paſſim illud adjutorium poſſibilitatis oſtentant; qui *poſſe* à Deo, *velle* ab homine eſſe dicebant, neque refugiebant illud *poſſe* interiori gratiæ adſcribere, ut docet Alvares diſp. 99. num. 4. *Pelagius in ultimo ſtatu ſuæ hæreſis auxilium gratiæ interioris ad poſſe conceſſit; negavit autem adjutorium gratiæ per quam Deus efficiat ut velimus.* Et paulò poſt: *Potiſſima controverſia ſancti Auguſtini cum Pelagio non fuit de gratia excitante, ſed de adjuvante, quâ Deus verè efficienter facit nos velle.* Fruſtra tu, hoc poſſe plenius à gratia quàm Pelagiani dicerent, pendere dixeris. Niſi enim ipſum velle, ipſum conſentire per gratiam efficacem infallibiliter à Deo donari conceſſeris, numquam cum Thomiſtis, numquam cum Auguſtino, numquam cum Eccleſia ſenties. Attende enim cujus gratiæ confeſſionem Auguſtinus à Pelagio depoſcat de Grat. Chriſti cap. 10. *Sed nos eam gratiam volumus iſte aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur; nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm etiam & amatur; nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur... Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus.* De quâ eâdem gratiâ paulò poſt ait cap. 13. *Qui autem novit quid eſt quod fieri*

debeat & non facit, nondum à Deo didicit ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm legem; non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm litteram.

Hoc cum animadverteret Alvares, rectiſſimè dicit diſp. 99. n. 2. *Principalem inter Catholicos & Pelagianos controverſiam non fuiſſe de gratiâ præveniente excitante; nec de gratia quæ noliſcum operatur ſi volumus, ſed de adjutorio gratiæ, per quod Deus verè efficienter facit ut velimus*, hoc eſt, ut idem ait diſp. 122. n. 8. & 17. *De illa gratia adjuvante quæ efficit ut liberè & infallibiliter homo conſentiat: ita ut hæc duo ſint incompoſſibilia, quod illa gratia efficax ponatur in homine & homo actu diſſentiat.* Ex quibus manifeſtum eſt, neutiquam ad fidem ſufficere eam gratiæ confeſſionem, quam his verbis proponis in Suffragio Cenſorio p. 39. *Quantumvis*, inquis, *illa tantis litibus agitata vocabulorum diſtinctio, nihil ad fidem pertinere arbitranda ſit, modo ſit unus apud omnes de ſenſu ipſo ac fundamentali veritate conſenſus, ut gratiæ omnia tribuantur, ut ejus virtus ac neceſſitas agnoſcatur, ut per illam voluntas ad agendum fieri potens aſtruatur, ut voluntatis non agentis negligentiæ vel defectui adſcribatur quod habuerit unde agere poſſet & non egit*: hæc, inquam, nullo modo ſufficiunt, niſi illud adjungas Pelagianæ & Catholicæ gratiæ capitale diſcrimen, *Ipſum velle, ipſum operari Deum indeclinabiliter & inſuperabiliter operari.* Hoc quia negare videris, iiſdem compellandus es verbis, quibus Julianus ab Auguſtino Op. Imperf. l. 3. c. 166. *Cur ergo non confiteris ſine ullâ forinſecus ſonante juſſione Deum occulto inſtinctu ad quod voluerit efficaciſſimè implendum præparare atque excitare hominum voluntates, qui liberum non defendis intelligendum, ſed præcipitandum extollis arbitrium?*

XIII. NICOLAI.

Sic efficacem per ſe præſupponi ut voluntatem neceſſitate quâdam abripiat, Janſenianum iterum eſt & hæreticum.

CONFUTATIO.

Neceſſitatem hîc nullam diſtinguis, quia involvere veritatem ſtudes; ego diſtinguere neceſſe habeo, ut tuas calumnias evolvam. Neceſſitas triplex eſt, coactionis, naturæ, infallibilitatis: priores duas gratiæ nemo tribuit; tertiam omnes Thomiſtæ tribuunt. Hanc tu ultimam neceſſitatem ſi neges, quæ in eo præcisè ſita ſit ut effectum ſuum infallibiliter gratia conſequatur, non ex aliquâ ſcientiâ mediâ, ſed ex efficacitate virtutis moventis, Thomiſtis omnibus contradicis, è quibus unus adducendus qui tibi iſtum eripiat errorem: is erit Alvares diſp. 72. n. 4. p. 611. *Poteſt ſemper liberum arbitrium diſſentire, ſi velit; tamen quando motio Dei eſt efficax, infallibiliter conſentiet. Cujus ratio eſt quam aſſignat S. Tho. 1. 2. qu. 112. a. 3. in corp. Nam intentio Dei deficere non poteſt. Unde, ſi ex intentione Dei moventis eſt quòd homo cujus cor movet conſentiat & conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſe-*

conſequitur, & neceſſariò NECESSITATE INFALLIBILITATIS, *non autem ex neceſſitate abſolutâ.*

XIV. NICOLAI.

Sic efficacem per ſe non admitti ut per conſenſum voluntatis efficax fiat; Molinianum, & vel minùs conſentaneum rationi, vel ambiguo ſenſu dictum.

CONFUTATIO.

Quid exquiſitas verborum ambages tanto ſtudio quæris, ne molles Moliniſtarum auriculas perſtingas? quid ſibi volunt illæ *μειώσεις*? Non conſentaneum eſt Molinæ dogma rationi, durius eſt; lenienda vocis aſperitas, *minùs eſt conſentaneum.* Etiam ſic durius; addendum aliquid ad mitigandam offenſionem; *vel ambiguo ſenſu dictum.* Bene eſt, patet enim janua Jeſuitis, ut non nihil deflexam Molinæ ſententiam ab errore penitus vindicent. Quis tam ignavam diſſimulationem ferat? Ferrem tamen, ſi vel iſto modo ſincerè tandem Molinæ renunciares. At nihil te minùs velle nullo evidentiùs loco declaras. Non enim cùm efficacem fieri gratiam per conſenſum negas, id intelligis quod cæteri omnes ante te ſcriptores; nempe quòd effectum ſuum gratia ſortiatur, ex liberi arbitrii nutu non pendere, ſed ex vi ipſa gratiæ liberum infallibiliter moventis arbitrium. Verùm cùm apud te gratiæ efficacis nomen nihil aliud ſignificet, niſi gratiam agendi potentem; cùm illam per conſenſum fieri efficacem negas, hoc dicis illam à voluntate agendi vim non mutuari; etſi quòd effectum actu habeat, voluntatis conſenſu fiat. Affingi tibi omnes hunc ſenſum crederent, niſi ſedulò caviſſes ne tibi falsò adſcriptus videretur. Sic enim loqueris in Cenſorio Suffragio p. 14. *Eam explodat* (Navaretta) *quæ per conſenſum voluntatis efficax fiat, id eſt vim quemdam partialem à voluntate mutuetur aut recipiat, explodimus.* Ecce quid ſit apud te efficacem fieri per conſenſum. Igitur omnes tuæ artes eò denique redeunt, ut ſenſus Molinianos admittas, verba aſperneris; è contrario verba Thomiſtica retineas, ſenſus & dogmata penitus abjicias. Efficacem gratiam admittis, Thomiſticum eſt; ſed ſenſum Molinianum occultas. Eam enim intelligis quâ fit quiſque agendi potens, non quâ infallibiliter ad agendum movetur. *Præmotionis, prædeterminationis* voces ſedulò ſervas; at illæ nec præmovent apud te, nec prædeterminant voluntatem; ſed Moliniſticè tantùm ipſi blandiuntur. Conſenſu fieri gratiam efficacem, meritò negas. Repudiatum Molinam crederes. At ille neſcio quomodo perverſæ interpretationis quaſi poſtico admittitur. Efficacem enim gratiam per conſenſum fieri negas, quia ſcilicet vim agendi à conſenſu non mutuatur; etſi nuſquam neges, quòd gratia illa quam efficacem vocas effectum habeat, à conſenſu pendere. Imò id apertè inſinuas Suffragii Cenſorii p. 39. *Nec aliter*, inquis, *de gratia loquitur S. Thomas, vel cum*

eſt per auxilium ſufficiens verè poſſe hominem operari actum illum, comparatione cujus dicitur ſufficiens, etiamſi numquam ſit operaturus, niſi Deus auxilio efficaci efficiat, ut illud poſſe reducatur ad actum ſecundum. Secundo modo id poteſt intelligi de principio ſive auxilio, quo poteſt completè operari, ita videlicet ut non ſolùm habeat quis principium quo verè poſſit operari; ſed etiam habeat complementum, quo in ipſo exercitio operetur & velit.

His poſitis planiſſima eſt Auguſtini diſcipulorum ſententia. Contendunt enim primùm, non ſemper adeſſe hominibus etiam juſtis prius illud poſſibilitatis genus, quod Molinianum dici poteſt, cui nihil deeſt omnino ad ipſam actionem neceſſariò prærequiſitum, quodque ſine novo auxilio in actum prodit; in quo Thomiſtas omnes ſibi adjunctos habent. Conſtans enim eſt omnium Thomiſtarum doctrina, ſufficientem gratiam quâ ſolùm poſſe tribuitur, *non complecti omnia ad agendum neceſſariò prærequiſita*, adeóque *non eſſe omnibus modis ſufficientem*, ſeu *ex ſe ſolâ non ſufficere. Quidam exiſtimant*, inquit Alvares diſp. 79. num. 1. *quòd ut aliquod auxilium gratiæ dicatur verè ſufficiens, quo poſſit credere, diligere, aut perſeverare, neceſſarium eſt quòd ſit ita ſufficiens, ut ex parte principii activi, ſive ex parte prævenientis auxilii, nullum aliud auxilium ſit neceſſariò prærequiſitum ut actualiter credat, diligat, aut perſeveret.* En Moliniſtarum ſententia. Mox verò num. 2. ſuam ſuorumque ſententiam exprimit his verbis: *Contrariam ſententiam docent omnes Doctores, qui ſentiunt, præter auxilium ſufficiens quod tribuit homini poſſe credere, poſſe diligere, aut poſſe perſeverare, neceſſarium eſſe aliud auxilium efficax prævenientis gratiæ, quo Deus efficit ut homo actualiter credat, diligat, aut perſeveret.* Et diſp. 91. n. 14. *Ad ſextum reſpondetur, hoc auxilium efficax eſſe neceſſarium per modum principii, ſeu ultimi complementi actus primi, ut ſupra dictum eſt. Unde ſine illo datur quidem auxilium ſimpliciter ſufficiens ad converſionem vel piam operationem*, NON TAMEN OMNIBUS MODIS SUFFICIENS.

Navarretta tom. 2. cont. 19. §. 1. *Quod Suares dicit, auxilium ſufficiens includere in ſe omnia quæ ſunt neceſſaria ad operationem, falſum eſt, & contra D. Auguſtinum.* Et paulò infra: *Impoſſibile eſt quòd tale principium exiſtens in potentia ad operationem* (per gratiam ſcilicet ſufficientem de qua loquitur) *contineat omnia quæ neceſſaria ſunt ut ſequatur operatio. Nam impoſſibile eſt quòd tale principium ſe reducat in actum ad operandum: atque adeò, ut ſequatur operatio, neceſſarium eſt, etiam per modum principii operationis, illud quod facit dictam reductionem*; nempe gratia efficax, quam non omnibus dari certum eſt. Et ibid. *Specialis gratia divina conceditur ei qui operatur: quæ gratia non eſt ipſa operatio, ſed ſpeciale τολυr ad eliciendam operationem, & conſequenter non continet auxilium ſufficiens quicquid per modum principii eſt neceſſarium*

ceſſarium ad illam operationem. Idem etiam docet Sylvius in 1.2.q.111, a.3.qu.3. & alii vulgò.

Poſterius autem illud poſſibilitatis genus, quo ita quis dicitur poſſe ut non habeat omnia prærequiſita ad actionem, quo ſic juſtus dicitur poſſe bene operari, ſicut oculus dicitur poſſe videre etiam cùm eſt in tenebris, quod ita ſufficiens eſt ad bene agendum, ſicut oculus ſanus ad videndum ſine lumine: (his enim & verbis & comparationibus utitur Alvares eadem diſp. 79. n. 2. & 5.) illud, inquam, poſſibilitatis genus omnes & Auguſtini & Thomæ diſcipuli libenter juſtis ſemper adeſſe profitentur & agnoſcunt. Si igitur hoc ſolum poſtulas, ultrò concedimus. Si Molinianum; non concedemus quidem, ſed nec Thomiſtæ, nec veritas umquam tibi concedet.

Neque verò hàc elabêris, quòd nonnulli recentiores Thomiſtæ, etiam cùm juſtis deeſt gratia efficax, illos tamen habere volunt poſſibilitatem perfectam in actu primo; deeſſe verò illis tantùm poſſibilitatem in actu ſecundo. Primùm enim non hæc conſtans eſt omnium Thomiſtarum etiam recentiorum ſententia, inter quos plurimi ſentiunt gratiam efficacem ſe tenere ex parte actus primi; & ſine illâ non haberi potentiam perfectam in actu primo. Ita Zumel tom. 3. diſp. 5. ſect. 1. *Auxilium ſufficiens non dicitur ſufficiens, ut nomen grammaticale ſonat, quaſi ſe ipſo ſolùm & omni alio repulſo non ſolùm habeat vim agendi & operandi, ſed eam exerceat. Nam id videtur terminus ille, ſufficiens, importare grammaticaliter. Sed ſolùm dicitur ſufficiens Theologicè, quia dat homini ut poſſit agere, tribuitque ei vim ad volendum, ſed non completè omnino; quia eſt neceſſaria gratia efficax intrinſeca, & determinans voluntatem per modum actus primi; & tunc eſt homo completè potens.*

Quin & ipſe Alvarez, qui pro illâ potentiâ omnino proximâ per gratiam ſufficientem collatâ adduci ſolet, non ita illam tuetur ut vulgò exiſtimant. Diſertè enim docet per gratiam efficacem & *poſſe* & *agere* ſimul donari. En verba ſole clariora diſp. 71. nu. 14. *Gratia,* inquit, *ſufficiens eminenter includitur in gratiâ efficaci, non autem formaliter. Nam gratia ſufficiens formaliter loquendo ut ab efficaci diſtinguitur, eſt illa quæ ſolùm tribuit poſſe operari illum actum, comparatione cujus dicitur ſufficiens. Gratia autem efficax, quàmvis tribuat poſſe operari, non tamen confert ſolùm poſſe, ſed etiam actualiter operari.* Undè manifeſtè ſequitur, juſtum qui gratiam efficacem ad piam aliquam operationem neceſſariam à Deo non accepit, etſi non careat interiori etiam per gratiam potentiâ ad rectè operandum, non habere tamen, ex ipſius Alvaris ſententiâ, omne *poſſe*, ut ita dicam, ad piè operandum; quandoquidem illo *poſſe* caret quod gratia efficax, ex illo autore, confert ſimul cum *ipſo operari*; & quod nemo

negare

negare poteſt propinquius & expeditius eſſe ad rectè agendum, quàm illud *poſſe*, qualecumque ſit, quod conferri dicitur per gratiam ſufficientem, qualiſcumque etiam illa ſtatuatur, ſive habitualis, ſive actualis.

Deinde quod eòdem redit, idem Alvarez agnoſcit per gratiam efficacem conferri voluntati ultimum complementum actus primi. Sic enim ille diſp. 18. n. 18. *Motio actualis Dei confert voluntati & omnibus cauſis ſecundis ultimum complementum actus primi, ut docet S. Thomas. Et cum arguitur: Nam talis concurſus ſupponit in voluntate quicquid ad agendum neceſſarium eſt ex parte actus primi; Reſpondetur ſupponere quidem quicquid eſt neceſſarium ex parte actus primi per modum potentiæ vel operativæ virtutis, non tamen ſupponit applicationem ſeu ultimum complementum actus primi; ſed illud tribuit voluntati.* Non ergo ex Alvare habet quicquid neceſſarium eſt, etiam ex parte actus primi, qui gratiâ efficaci caret. Rectè ergo dicitur aliquo ſenſu non poſſe, quantumcumque aliâ ratione rectè etiam dicatur poſſe.

Deinde, quicquid ſit de quæſtione illâ philoſophicâ potiùs quàm Theologicâ, ſufficit Auguſtinianis, fatentibus omnibus Thomiſtis, gratiam efficacem, quæ ſingulare Dei donum eſt non omnibus datum, ita juſtis omnibus ad omnem pietatis actum neceſſariam eſſe, ut ſine hac nihil poſſint in actu ſecundo, effectivè, & re-ipsâ, licet verè poſſint quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis in actu primo: ſive fieri non poſſe, &, quod duriùs etiam exprimit Navarreta, *impoſſibile eſſe* ut juſtus piè quicquam re-ipsâ agat niſi à Deo efficaciter motus. Id ſi negas, Molinianus es, non Thomiſta: ſi concedis, fruſtra nobiſcum de poſſibilitate certas; fruſtra nobis Conſtitutionem Apoſtolicam objicis, quam eò ſinceriùs amplectimur, quò magis laboramus ne pravâ intentione eò detorqueatur, ut poſſibilitatem Molinianam, quæ efficacis gratiæ neceſſitatem excludit, adſtruxiſſe videatur: quod omnium Thomiſtarum judicio intoleranda eſt in Apoſtolicam ſedem contumelia, & error in fide graviſſimus.

XVI. NICOLAI.

Et interim tu magnam vocas & Catholicam veritatem, quod hæreticus error eſt, error magnus.

Confutatio.

Juſtis aliquando deeſſe gratiam quâ immediatè, proximè, & effectivè poſſint tentationes ſuperare, id eſt, efficacem quæ largitur poſſe cum effectu, poſſe in actu ſecundo, dixit ille quem tam invidioſè accuſas. Hoc ſenſu accipi voluit ſententiam ſuam; imò non ſuam, ſed Auguſtini, ſed Chryſoſtomi. Ergo alterutrum tibi probandum, vel illam ſententiam ſic acceptam eſſe falſam & hæreticam: & tunc apertè Moliniſtam & infenſiſſimum tuæ ſcholæ adverſarium te ipſe profiteberis; vel ipſum malè verba ſua interpretatum eſſe. Neutrum

aggre-

aggrederis infirmitate; animoſitate tamen obtrectare non deſinis, cùm meminiſſe debuiſſes illius præcepti: *Criminis magnitudinem contra accuſatorem eſſe, priuſquàm probetur.*

XVII. NICOLAI.

Nulli gratiam ſic deeſſe, ut non ex parte Dei ſufficienter adſit, quoties non agnoſcit Sanctus Thomas.

CONFUTATIO.

Nuſquam id agnoſcit S. Thomas, ſed illud ſolùm de quo omnes Catholici conſentiunt: Deum homini ſuâ ſponte paratum eſſe gratiam conferre, niſi ipſe impedimentum præſtaret. Sed cùm poſt peccatum primi hominis nullus ſit qui impedimentum non præſtet, hoc Deus in quibuſdam gratuitâ miſericordiâ ſuperat, in aliis juſtitiâ non ſuperat. Ut docet idem Sanctus lib. 3. cont. Gent. cap. 161. Latiùs iſta exponere non eſt hujus loci.

XVIII. NICOLAI.

Nullos ab iis (infidelibus) actus innoxios ac moraliter bonos fieri poſſe, præter fidem eſt.

CONFUTATIO.

Non ſatis eſt tibi Moliniſtarum audaciam æquare; etiam ſuperare inſtituis. Plerique eorum, ab ipſa veritate convicti, ultrò agnoſcunt exploratam eſſe Auguſtini ſententiam, nulla eſſe in infidelibus opera omni ex parte innoxia. Tu verò, ut ſingularem pervicaciam tuam probes, ſententiam iſtam etiam erroris & hæreſeos accuſare non dubitas. Confidentiam tuam hoc loco deſpicere ſatius quàm refellere. Quare, ne hîc iterentur quæ alibi fusè à variis tractata ſunt, duo tantùm hîc afferam, alterum Auguſtini, alterum Eccleſiæ, quibus res tota breviter conficitur. *Veræ virtutes*, inquit Aug. l. 4. in Jul. c. 3. *Deo ſerviunt in hominibus à quo donantur hominibus; Deo ſerviunt in angelis, à quo donantur & angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Ipſa verè Eccleſia, ab infidelibus ſpiritu gratiæ deſtitutis nihil innoxium fieri, ſatis teſtatur, dum ita canit: *Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Nihil tamen obſtat quin multa infidelium opera, quod ad objectum & finem proximum pertinet, quod officium Auguſtinus appellat, moraliter bona dici poſſint: *Multa enim bona fiunt, non benefacientibus à quibus fiunt*, ut inquit ibid. S. Doctor.

XIX. NICOLAI.

Quid quòd nec ullis olim eam gratiam defuiſſe S. Thomas inculcat, & Judæis in lege affuiſſe, tametſi non ex lege collatam? Impedientem vocas. Qualis gratia iſta Janſeniana, niſi monſtrum eſt?

CONFUTATIO.

Putidam de gratiâ impediente calumniam refricaſſe te mirarer, niſi hunc noſſem omnium Moliniſtarum morem eſſe, obtritas & eliſas penitùs cavillationes de integro objicere, tanquam nihil ad-

adverſùs eas ante dictum ſit. De ſufficiente & actuali gratiâ legis comite graviter erras; quod ut clareat, paucis tota res aperienda.

In primis illud ſtatuendum: Cùm Judæis gratia ſufficiens adfuiſſe negatur, non agi de omnibus qui veteris legis tempore vixerunt, ſed tantùm de iis qui ſub lege, id eſt ſub jugo legis. Certum eſt enim illis temporibus fuiſſe nonnullos qui anticipatâ Chriſti venturi fide cœlitùs illuſtrati, gratiam non modò ſufficientem, ſed efficacem acceperunt. Sed illi acceptis Spiritus Sancti primitiis, non jam ſub lege, ſed ſub gratiâ; non ancillæ filii, ſed liberæ; non ſynagogæ, ſed Eccleſiæ; nec veteris, ſed novi Teſtamenti hæredes erant. In hoc numero habendi ſunt Patriarchæ, Prophetæ, aliique perpauci, qui Chriſti venturi ac morituri fide à maledicto legis ad Evangelii gratiam transferebantur. *In illo populo*, inquit Auguſtinus l. 15. contra Fauſtum c. 2. *Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur, in novo Teſtamento habebant iſtam ſpem ſalutis æternæ. Ad illud enim pertinebant quod intelligebant & diligebant. Quia etſi nondum revelabatur, jam tamen figurabatur.* Ex quo intelligere eſt quàm ſolidâ ratione nitantur, qui ut Judæis ſub lege viventibus gratiam aſſerant, utuntur exemplo Patriarcharum & Prophetarum, quos nec ſub lege fuiſſe, nec ad illam pertinuiſſe, nec propriè Judæos, ſed *Chriſtianos re, licet nondum nomine*, fuiſſe Auguſtinus affirmat. Verùm illis ſepoſitis, quos idem non multos fuiſſe paſſim docet, qui reliquæ Judæorum multitudini ſub lege conſtitutæ gratiam ſufficientem actualem largiuntur, nec S. Auguſtini, nec S. Thomæ doctrinam, nec Dei in dandâ lege conſilium intelligunt; imò Chriſtianam fidem à Paulo traditam manifeſto errore violant; quod hîc facilè demonſtrarem, niſi fusè probatum aliis locis eſſet. De Auguſtino item nihil hîc dicam, cujus hâc in parte ita plana ſententia, ut de ejus mente ambigi non poſſit, niſi ab eis qui ipſum non legerint. Sed quoniam cum eo mihi res eſt qui ſe Thomiſtam haberi vult, quid de lege ſentiat S. Thomas, quid ad ea quæ ex ipſo proferuntur reſpondeat Nicolaï, hujus loci eſt expendere.

Imprimis iſtud affirmare non vereor, nullum ex S. Thoma locum afferri poſſe, in quo legi ſemper adjunctam gratiam ſufficientem fuiſſe dicat. Argumento eſſe poteſt, quòd tu ipſe cùm ea loca S. Thomæ, quibus crederes imponi poſſe lectoribus, ſtudiosè colligeres, nullum protuliſti ex quo gratiam ſemper legi adjunctam fuiſſe probares. Illa verò loca quæ ex ipſo attulit autor Epiſtolæ, ita clara & manifeſta ſunt, ut nullâ cavillatione poſſint obſcurari. Duo tantùm hîc repræſentabo, ut palàm fiat quàm abſurdâ reſponſione vim illorum eludere volueris. *Triplex*, inquit S. Tho-

S. Thomas 1. 2. q. 106. a. 3. *ratio poteſt aſſignari, quare lex nova non debuit dari à principio mundi..... Tertia ratio ſumitur ex hoc quod lex nova eſt lex gratiæ. Et ideò primò oportuit quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo, ſuam infirmitatem cognoſcens recognoſceret ſe gratiâ indigere. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Rom. 5. dicens:* Lex ſubintravit, ut abundaret delictum. *Et in Ep. ad Gal. c. 3. lect. 7.* Lex data eſt ad infirmitatem manifeſtandam. *Homines enim de duobus præſumebant, primò quidem de ſcientiâ, 2. de potentiâ. Et ideò Deus reliquit homines abſque doctrinâ legis, tempore legis naturæ. In quo, dum in errores inciderunt, convicta eſt eorum ſuperbia de defectu ſcientiæ: Sed adhuc reſtabat præſumtio de potentiâ. Dicebant enim: Non deeſt qui impleat, ſed deeſt qui jubeat; & ideò data eſt lex, quæ cognitionem peccati faceret, quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitandum peccatum; ut ſic homo ſub lege conſtitutus vires ſuas experiretur, & infirmitatem ſuam recognoſceret, inveniens ſe ſine gratia peccatum vitare non poſſe, & ſic avidiùs quæreret gratiam.*

Hæc tu teſtimonia verbulo repellere tibi videris, cùm ais in Cenſorio Suffragio: *Ea S. Thomæ teſtimonia magno apparatu congerit* (Autor Epiſtolæ) *quæ nihil minùs quàm inſtitutum probent, quæ Judæis gratiam ex vi legis conceſſam non fuiſſe, ad juſtitiam conſequendam & exercendam inſinuent; ſed aliunde ſufficienter datam ad futuri mediatoris fidem, per quam juſtificari poſſent, concipiendam & profitendam non excludant.*

Hanc ſolutionem ſi plauſus ſequatur & confuſus circumſtantium clamor, bene habet, viciſti, aut certè non victus es: at ſi maturo judicio ab eruditis expendatur, nil inanius, nil abſurdius confingi potuiſſe patebit. Datam legem aſſerit S. Thomas, ut hominem ſuæ infirmitatis admoneret; quia vires ipſi ad ea quæ imperabat præſtanda non dabat. At ſi vires aliunde homini ſuppetebant, quo pacto hominem admonuiſſet infirmitatis ſuæ? Nonne robur potiùs ejus ac potentiam oſtendiſſet? An hominis imbecillitatem probet baculus arundineus quo niti non poſſit, ſi alium ad manum ſcipionem habeat quo nitatur? An hominem imbecillum aliquò pervenire non poſſe probabis, currum ipſi ſine equis offerendo; ſi ille quocumque modo equos habeat quibus currui junctis ad eum locum pervehi poſſit? Abſurda hæc & ridicula ſentis? Intellige ergo quàm ſit abſurdum, legem datam eſſe ut admoneret hominem infirmitatis, quia ex ſe non conferebat gratiam, ſi hominibus ſub lege conſtitutis gratia aliunde ſemper præſto fuit, nempe ex meritis Chriſti. Quaſi verò hoc infirmiores fuerint, quòd non à lege & à ſervo, ſed ab Evangelio & à Domino gratiam acceperint. Quocumque modo habeas gratiam, perinde firmus es ſi eandem habes: à quo illam habeas

&

& quomodò, nihil ad firmitatem vel infirmitatem intereſt. Diſcernis tu quidem gratiæ accipiendæ modum in ſtatu veteris & novæ legis; ſed hominum in utroque ſtatu vires non diſcernis. Quibus enim eamdem attribuis gratiam, parem quoque potentiam concedas neceſſe eſt.

Quid quòd in ſtatu veteris legis hominem *fili relictum* aſſerit S. Thomas? An tu hominem qui gratia ſufficienti ſit inſtructus ſibi relictum dices? Quid quòd ideò legem datam fuiſſe dicit, *ut homo infirmitatem ſuam experiretur, inveniens ſe ſine gratiâ peccatum vitare non poſſe*? Sed quomodò experiretur infirmitatem ſuam, ſi ſemper affuit unde firmus eſſet? Quomodò inveniret ſe ſine gratiâ peccatum non poſſe vitare, ſi ſemper ei affuit gratia, per quam peccatum vitare poſſet? Quid quod 1. 2. q. 98. a. 1. *legem ex Apoſtolo occidiſſe* dicit, *non quidem effectivè, ſed occaſionaliter ex ſuâ imperfectione, in quantum ſcilicet gratiam non conferebat per quam homines implere poſſent quod mandabat, vel vitare quod vetabat*? At ſi ſemper hominibus, licet aliunde quàm ex lege, affuit gratia, per quam implere poſſent quod lex mandabat, vel vitare quod vetabat, quomodò lex illos occidit, quandoquidem neminem occidit, niſi quos gratia non adjuvat? At ſi tibi credimus, neminem umquam gratia non adjuvit.

XX. NICOLAI.

Quòd ſalvos omnes fieri Deus velit, non voluntate ſigni ſolùm, ſed voluntate beneplaciti, nihil in S. Thomæ ſenſu manifeſtius, nihil in verbis expreſſius; non eâ quidem quam conſequentem vocat, & quæ ſingulas rei circumſtantias præſupponit, ſed eâ quam appellat antecedentem, & quam cum voluntate ſigni parum cautè confundunt, qui non attendunt quid loquantur.

CONFUTATIO.

Obiter hìc te monitum volo, confidentiùs te loqui de præſtantiſſimis ſcholæ tuæ Doctoribus, è quibus Bañez & Zumel ab Alvare citati voluntatem antecedentem in Deo formaliter eſſe negant. Alvares verò qui voluntatem antecedentem in Deo ponit formaliter, illam tamen voluntatem ſigni dicit eſſe diſp. 34. n. 5. *Reſpondetur*, inquit, *Deum voluntate antecedente, quæ eſt voluntas ſigni, ſeu voluntas ſecundùm quid, velle ut omnes univerſaliter obſervent præcepta ejus.* En qui, te autore, *incautè ſentiunt, & non attendunt quid loquantur.*

Adverſarios autem tuos ne vellicat quidem iſta ſententia, quam hìc adſtruis. Sit enim in Deo voluntas antecedens, quod tibi non gravatè concedent; non ſit voluntas ſigni, de quo itidem non litigabunt; ſit etiam voluntas beneplaciti, de nomine enim contendere non amant; duo tamen certa ſunt.

Primum, non eſſe voluntatem ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Disertè enim ſanctus Thomas negat 1. p. qu. 19. art. 6. *ea quæ antecedenter volumus, nos ſim-*

ſimpliciter velle; ſed tantùm ſecundùm quid: quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſeipſis ſunt; in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter volumus aliquid ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus: quod eſt conſequenter velle. Unde poteſt dici, quòd judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi; ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantum eſt homo. Unde magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas.

Deinde ex voluntate antecedenti nullam gratiæ præparationem derivari. Nam gratia non datur niſi circumſpectis circumſtantiis, quod abhorret à voluntate antecedenti, ut tu ipſe fateris. Id ipſum probant exempla voluntatis antecedentis à S. Thoma prolata. Similem enim eam dicit voluntati judicis de ſalute latronis in quantum homo eſt. At iſta voluntas judicis nullam præparationem mediorum involvit, quibus latro morti eximatur.

Fatemur ergo voluntatem antecedentem ad voluntatem beneplaciti à S. Thoma ſæpe revocari. Sed ſicut illa tantùm eſt voluntas ſecundùm quid, ſic eſt tantùm ſecundùm quid voluntas beneplaciti. Propтereà cùm voluntas beneplaciti ſtrictè ſumitur pro voluntate ſimpliciter dictâ, eo ſenſu rectè negari poteſt voluntatem antecedentem eſſe voluntatem beneplaciti.

Non malè ergo Alvares diſp. 33. negat, Deum velle voluntate beneplaciti ut omnes ſalventur, adeóque graviter caſtigat eorum temeritatem, qui Auguſtinum Apoſtoli verba de ſolis electis interpretantem rejicere auſi ſunt. *Illorum*, inquit, *argumenta nedum non convincunt, ſed nec probabiliter ſuadent, tres hasce Auguſtini interpretationes non eſſe admittendas. Nam S. Thomas, & alii plures Doctores eas admittunt; & in materiâ de gratiâ & prædeſtinatione, circa quam ſummi Pontifices hanc hujus viri ſanctiſſimi doctrinam receperunt, ut diſp. 5. oſtenſum eſt, nullus debet ab eâ diſcedere. Sed ex eorum argumentorum ſolutione non obſcurè patebit, quàm ſine causâ S. Auguſtinum impugnent. Et præterea id conſtare poteſt; nam* VOLUNTAS BENEPLACITI DEI SEMPER IMPLETUR, *ut communiter docent Theologi, præſertim S. Thomas 1.p.q. 19.a. 6. Cajet. ſup. 1. Ep. ad Timoth. Scotus in 1. diſt. 46. q. unâ ad 1. Bonau ead. diſt. a. 1. q. 1. Sed non omnes ſalvantur. Ergo* DEUS NON VULT VOLUNTATE BENEPLACITI UT OMNES SALVENTUR. *Ac per conſequens explicationes illæ S. Auguſtini & S. Thomæ*, quibus ad omnes & ſolos electos verba Apoſtoli referunt, *neceſſariò ſunt admittendæ.* Verùm tota quæſtio nominis eſt, in quâ difficilis eſſe nemo debet, dummodò maneat illud, voluntate antecedente nullam gratiam hominibus præparatam: in quo antiquos omnes Theologos video convenire.

Voluntatem conſequentem rectè explicas, dummodò inter illas

las circumſtantias, quas attendit Deus, non numeres propriorum cujuſque perſonæ meritorum prævisionem. Sed tu nunquam tibi exitus præcludes, quibus ad ſodales tuos Moliniſtas poſſis transfugere.

Notari porrò debet ipſos Thomiſtas, qui voluntatem antecedentem in Deo formaliter reponunt, & actum conditionatum eſſe volunt, illam ex duarum tantùm conditionum alterutrâ ſuſpendere. Prima, quæ placet Alvari, ejuſmodi eſt: *Vellem ſalutem omnium, niſi ex hoc impediretur pulchritudo univerſi*, & bonum univerſale juſtitiæ & miſericordiæ. Secunda, quæ magis ad mentem Auguſtini, talis eſt ex ipſo Petavio Theolog. Dogm. to. 1. l. 9. c. 7. *Vellem omnes ſalvare, niſi eos primi parentis culpa odioſos feciſſet.* Utrique verò tam Auguſtiniani, quàm Thomiſtæ, hanc conditionem tanquam Pelagianam explodunt: *Vellem omnes ſalvare, ſi modo ipſi velint: Multi*, inquit Aug. l. 4. in Jul. c. 8. *ſalvi non fiunt; non quia ipſi nolunt, ſed quia ipſe non vult. Ergo*, inquit Alvares diſput. 34. num. 5. *conditio quæ includitur in voluntate antecedente, non eſt iſta: Si* ipſi voluerint, & per eos non ſteterit. Hæc ſi ſentis, nobiſcum ſentis: ſi non, ſentis cum Moliniſtis.

XXI. NICOLAI.

Quòd pro omnibus quoque ita paſſus dicatur Chriſtus, ut non pro generibus ſingulorum dumtaxat, ſed aliquo modo pro ſingulis generum intelligi debeat, nihil rurſum notius inter placita S. Thomæ; etſi non quoad efficientiam redemtionis, quia pereunt multi; ſed quoad ſufficientiam intentionis, quia pati voluit ne perirent.

CONFUTATIO.

Nemo ambigit ſæpiùs dictum à S. Thoma, *Chriſtum pro omnibus ſufficienter mortuum eſſe: ſed pro multis tantùm, efficienter.* De illorum verborum ſenſu diſputatio eſt, de quo quid exiſtimes, vellem clariùs oſtendiſſes. Ac primùm quidem quid per illud *efficienter* apud S. Thomam intelligi debeat, non ſatis explicas. *Etſi*, inquis, *non quoad efficientiam redemtionis, quia pereunt multi.* Verum id quidem. Quî enim dici poſſet, omnes omnino efficienter à Chriſto redemtos, cùm tam multi pereant, & à redemtione ſint alieni? Sed plus aliquid per illam vocem indicat S. Thomas, quod à te diſſimulari non debuit: non enim ſolùm ab effectu & eventu repeti debet quod ait, Chriſtum non eſſe pro omnibus efficaciter mortuum; ſed quia Chriſtus quoſdam tantùm (eos ſcilicet quos ſæpe in Evangelio teſtatur ſibi à Patre datos ut non perirent) efficaciter voluit per mortem ſuam ab æternâ morte redimere, & ea ipſis ſuo ſanguine *beneficia* comparare, *quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Eam eſſe vim hujus vocis, *efficienter* vel *efficaciter*, apud S. Thomam ſi tu neges, & ad Moliniſtarum ſenſum id detorqueas,

qui

qui eatenus tantùm Chriſtum pro omnibus efficaciter mortuum eſſe negant, quia non omnes reipsâ & effectivè per mortem Chriſti ſalvantur, etſi neceſſaria ad ſalutem interioris gratiæ præſidia omnibus prorſus hominibus per mortem Chriſti ita conferantur, ut ſalventur qui iis uti voluerint, non ſalventur qui noluerint: ſi tu, inquam, id ſentias, non ſolùm tibi Auguſtiniani impugnandi ſunt, ſed omnes planè ſcholæ Thomiſticæ Doctores, quos in hac parte non minùs infenſos adverſarios habebis, quàm Auguſtini diſcipulos.

Alterum hujus diviſionis membrum nihilo liquidiùs explicas. *Chriſtus*, inquis, *ex S. Thoma pro omnibus paſſus eſt quoad ſufficientiam intentionis, quia pati voluit ne perirent.* Sed dic, ſodes, quænam ſit illa *intentio* ſecundùm quam Chriſtus pati voluit, ne ulli homines perirent. Duplex enim ex S. Thoma voluntas eſt. Alia quam naturalem appellat, quâ non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid; ideóque velleitas potiùs quàm voluntas dicenda eſt. Alia voluntas abſoluta & rationis, quâ abſolutè & ſimpliciter volumus: unde cùm ſimpliciter dicimur aliquid velle, de eâ voluntate id intelligendum. Ex te igitur quæro, quam voluntatem intelligas, cùm dicis Chriſtum pati voluiſſe ne ulli homines perirent: ſi priorem, quæ non ſimpliciter voluntas eſt, ſed ſecundùm quid, & quæ velleitas potiùs quàm voluntas, nemo hîc à te diſſentit. Quis enim inficietur, Chriſtum ſic affectum fuiſſe, ut omnium hominum ſalutem vellet, ſi ita Patri videretur? Si autem abſolutam, & ſecundùm quam ſimpliciter & abſolutè dicimur velle (ut tu etiam ſimpliciter & abſolutè dicis, Chriſtum pati voluiſſe ne ulli homines perirent) vide quàm turpiter S. Thomæ imponas. Non negabis, opinor, eamdem fuiſſe Chriſti voluntatem circa ſalutem hominum, cùm pro illorum ſalute oravit, & cùm pro illorum ſalute paſſus eſt. Imò verò magis in *oratione* voluntas oſtenditur, quàm *in paſſione*, cùm ea ſit ipſius orationis natura ex S. Thoma, *quod ſit interpretativa voluntatis humanæ.* Nihil autem certius apud Doctorem Angelicum, quàm Chriſtum, cùm pro hominum ſalute oravit, non voluiſſe (de voluntate ſimpliciter & abſolutè ſumtâ hîc loquor) ut per ſuam orationem omnes omninò ſalvarentur. Eadem igitur *paſſionis* ratio. Sed audiamus S. Thomam 3. part. qu. 21. art. 4. in quo probat orationem Chriſti ſemper fuiſſe exauditam. *Oratio eſt*, inquit, *quodammodo interpretativa voluntatis humanæ. Tunc ergo alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas adimpletur. Voluntas autem ſimpliciter hominis, eſt rationis voluntas: hoc enim abſolutè volumus, quod ſecundùm deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus ſecundùm motum ſenſualitatis, vel etiam ſecundùm motum voluntatis ſimplicis, qua*

quæ conſideratur ut natura; non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid, ſcilicet ſi aliud non obſiſtat, quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis eſt dicenda velleitas, quàm abſoluta voluntas: quia ſcilicet homo hoc vellet, ſi aliud non obſiſteret. Secundùm autem voluntatem rationis Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod ſcivit Deum velle. Et ideò omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana; fuit impleta; quia fuit Deo conformis: & per conſequens omnis ejus oratio fuit exaudita.

Jam ſatis patet Chriſtum non voluiſſe, ſive cum oravit, ſive cùm paſſus eſt; voluntate rationis & ſimpliciter dictâ, ut omnes omninò ſalvarentur; alioquin nullus ſalutis exſors eſſet, cùm ea Chriſti voluntas ex S. Thoma ſemper impleta fuerit. Verùm id magis patebit ex eorum argumentorum ſolutione, quæ ſibi objicit S. Doctor, ubi disertè docet, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis oraſſe, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.

Primùm enim ſibi objicit, Chriſtum petiiſſe à ſe removeri calicem paſſionis, qui tamen ab eo translatus non fuit. Sed reſpondet, *quòd Chriſtus hoc petiit quaſi homo naturali voluntate mortem recuſans; & ideò non eſſe factum quod petiit: quia ratio quæ petitionem propoſuit,* NOLEBAT *ut hoc impleretur; ſed ad inſtructionem noſtram volebat demonſtrare nobis ſuam voluntatem naturalem; & motum ſenſualitatis; quemſicut homo habebat.*

Deinde ſibi opponit, quod magis ad rem facit, *Chriſtum oraſſe ut peccatum crucifixoribus ſuis ignoſceretur, neque tamen omnibus peccatum illud fuiſſe dimiſſum: itemque Chriſtum oraſſe pro his qui erant in ipſum credituri, ut omnes in eo unum eſſent, & ut pervenirent ad hoc quòd eſſent cum ipſo* in gloria cœleſti; *neque tamen omnes ad hoc pervenire: non ergo omnem Chriſti orationem fuiſſe exauditam.*

Quid verò ad hæc ſanctus Doctor? An Chriſtum oraſſe quidem pro omnibus crucifixoribus, ſed per multos ſtetiſſe quominus peccatum ſibi dimitteretur: oraſſe pro omnium ſalute qui erant credituri, ſed per multos ſtare quominus ſalventur? Id profectò reſpondere debuit; ſi exiſtimaſſet, quod eum ſenſiſſe videri vis, abſolutè & ſimpliciter loquendo *Chriſtum pati voluiſſe*; ac proinde, quod minus eſt, oraſſe *ne ulli hominum periret.* Quia verò ab illâ Moliniſticâ opinione, quam tu illi affingis; omnino alienus fuit; ideò illam breviter his verbis elidit: *Dicendum*, inquit, *quòd Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum; ſed pro his ſolùm qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.*

Vides igitur quale ſit illud quod pro magno venditas, Chriſtum ex S. Thoma pro omnibus eſſe paſſum *quoad ſufficientiam intentionis, quia pati voluit ne perirent.* Non enim id de abſolutâ, propriâ, rationali, deliberatâ

& ſimpliciter dictâ voluntate intelligere potes ſine manifeſtâ in S. Thomam calumniâ, cùm apertè doceat, abſolutè & ſimpliciter loquendo, Chriſtum *non voluiſſe, ut alii quàm prædeſtinati vitam per ipſum conſequerentur æternam*, etſi voluerit ut aliis quàm prædeſtinatis gratiâ conferretur. Ad aliam ergo voluntatem, quæ non tam voluntas eſt quàm *velleitas*, confugias oportet. Illa verò ex S. Thoma non ſufficit ut ſimpliciter dicatur Chriſtum aliquid voluiſſe. Præterea certiſſimum eſt, quæ in ſingulos homines ex morte Chriſti beneficia profluxerunt, non ex illa *velleitate*, quæ res in particulari non reſpicit, ſed ex abſolutâ & ſimpliciter dictâ voluntate fluxiſſe. Quid ergo tibi prodeſſe poteſt illa *velleitas*, niſi ad illos homines quibus gratificari voluiſti inanibus verbis ludificandos, qui cùm te aſſerentem audiunt *Chriſtum pati voluiſſe ne ulli homines perirent*, numquam in animum inducunt ſuum id de aliquâ tantùm *velleitate* eſſe intelligendum, ſed de propriè dictâ voluntate, quâ Chriſtus voluerit omnibus & ſingulis hominibus vera & interiora per mortem ſuam gratiæ beneficia præſtari, quibus ad ſalutem perducantur qui voluerint, non perducantur qui noluerint; quod exploſum eſt à Synodo Tridentinâ, quæ ita *pro omnibus Chriſtum eſſe mortuum* cum Paulo teſtatur, ut *tamen non omnes mortis ejus beneficium recipere* ſanciat.

XXII. NICOLAI.

Rectiùs gratuita illorum electio contra Molinianos aſſeritur; quia magis conſentaneum rationi.

CONFUTATIO.

Itane rationi tantum? Non igitur Scripturæ, non Patribus, non univerſæ Eccleſiæ, & præſertim Romanæ Traditioni, cujus tanta eſt in hoc doctrinæ capite conſenſio, ut Cardinalis Bellarminus pronuntiare non vereatur, gratuitæ prædeſtinationis ſententiam, non quorumvis Doctorum opinionem, ſed fidem Eccleſiæ Catholicæ dici debere? Hoccine gratuitam prædeſtinationem defendere eſt, an prodere? Hoccine munire eſt, an exarmare? Rationi tantùm magis conſentaneam gratuitam prædeſtinationem dicis: ſed Apoſtolus illam ſupra rationem agnoſcit; aliàs numquam exclamaſſet in illius myſterii contemplatione: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Ita etiam in veritate aſſerendâ falſum dicis, & turpiter, etiam cum rectè ſentis, prævaricaris.

XXIII. NICOLAI.

Veriùs poſitiva iſtorum rejectio, vel damnatio poſitiva, peccatis aſcribitur, contra Janſenianos.

CONFUTATIO.

Quâ fide, quâ audaciâ verſeris in hac totâ controverſiâ, hinc maximè perſpici poteſt. In te enim omnibus notâ adverſario tuo falſum crimen objicere non dubitas, nec ullius Lectoris oculos

los & conſcientiam reformidas. Duplex reprobatio apud Theologos; poſitiva, & negativa. Negativa nihil aliud dicit quàm prædeſtinationis negationem, ſive non prædeſtinari. Poſitiva dupliciter accipitur: 1. Negativè, non ex parte Dei, quo ſenſu poſitiva eſt (ut optimè explicat Jeſuita Tiphanius in lib. de Ordine c. 52.) ſed ex parte objecti: & ſic ſignificat actum Dei, quo quoſdam non adjuvare, non diſcernere à maſsâ perditionis decernit. 2. Poſitivè ex parte objecti; & ſignificat actum Dei quo quoſdam ad certum ſupplicium deſtinat.

His ita conſtitutis in cauſâ reprobationis aſſignandâ variant Theologi. Plerique Thomiſtæ, in quibus Eſtius, & multi alii apud ipſum, & Jeſuita Tiphanius, ita ſentiunt, reprobationem etiam poſitivam ex parte Dei, non autem ex parte objecti, id eſt, eam quâ Deus quoſdam non adjuvare efficaciter decernit, ex nullâ fieri peccati vel originalis vel actualis præviſione. Contrà verò, reprobationem poſitivam non niſi ex præviſione peccati originalis fieri, certam eſſe in Auguſtino doctrinam contendit Janſenius: ſed per reprobationem illam poſitivam, intelligit eam quæ ex parte Dei poſitiva eſt, quòd verum actum divinæ voluntatis includat; etſi ex parte objecti tantùm negativa ſit; & nihil aliud dicat, niſi voluntatem non adjuvandi, non liberandi, non ſervandi. Sic ille luculentiſſimè ſuam mentem explicat tom. 3. l. 1. c. 2. *Porrò*, inquit, *illa poſitiva reprobatio non ſic intelligenda eſt, quaſi Deus hoc ipſo quo quoſdam liberandos ad æternam vitam eligit, cæteros poſitivè ad pœnas omnes ſenſus quas in inferno reipsâ pro peccatis omnibus paſſuri ſunt, reprobando damnaverit. Hoc enim decretum ſine dubio poſterius eſt, & omnium futurorum peccatorum ipſiuſque mortis præſupponit præſcientiam: ſed ita potiùs ut hoc ipſo cæteros præteritos poſitivè voluerit excludere dumtaxat ab æternâ vitâ quæ eſt in regno ſuo; ſeu quod idem eſt, poſitivè noluerit eos à toto ſtatu perditionis, in quo eos jacere videt, hoc eſt finaliter à perditione liberare.* Hunc verò non dubium eſſe Auguſtini ſenſum ac mentem, agnoſcit & latè probat infenſiſſimus Janſenii hoſtis Jeſuita Petavius Theol. dogm. tom. 1. l. 9. c. 9.

Reprobationem autem poſitivam, quæ certi ſupplicii deſtinationem includit, non niſi ex peccatorum actualium præviſione in adultis fieri integro capite docet Janſenius. Sic ergo infelix es etiam in confingendis calumniis, ut ea crimina & probra quæ in adverſarium tuum congeris, in ipſo non hæreant, at in familiam tuam tota redundent. Multi enim ex illâ verè ſentiunt, reprobationem poſitivam, quâ homines excluduntur à regno cœlorum, ex nullâ fieri actualis vel originalis peccati præviſione: quod tu illum ſenſiſſe falsò criminaris.

XXIV. NICOLAI.

Peccata ex defectu gratiæ excuſare quis non audeat, vel non poſſit, ſi committuntur quia Deus homini per ſe deeſt, adeóque neceſſariò committuntur.

CONFUTATIO.

Gratiæ defectus neminem excuſat à peccato; quia quòd deficiat, ex peccato eſt. Excuſaſſet quidem, ſi homini innocenti defuiſſet. Audi quid ſentiat Aug. l. de Corrept. & Grat. c. 11. *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum.* Hanc item doctrinam ſæpiùs ex Auguſtino refert & probat S. Thomas. Qui verò in ſtatu naturæ corruptæ defectu gratiæ quemquam à peccato excuſari poſſe dixerit, à gravi errore excuſari non poteſt. Sic enim debitam dicit gratiam, & ideò deſtruit. *Gratia enim*, ut ait Aug. de pec. origin. c. 24. *non erit gratia ullo modo, niſi fuerit gratuita omni modo.* Sic omnium ſcelerum veniam & excuſationem infidelibus indulget, quos omni gratiâ caruiſſe certiſſimum eſt.

Nec tamen inde conſequens eſt, quod tu malè colligis, Deum homini per ſe deeſſe. *Quod enim homines gratiâ non adjuvantur, in ipſis cauſa eſt, non in Deo*; ut ait Aug. l. 2. de pec. mer. 17. Ignorare tamen non debuiſti, vulgarem hanc ſcholæ tuæ doctrinam eſſe, Deum Angelis & primo homini gratiam efficacem ad vitandum peccatum neceſſariam ſine ullo merito denegaſſe. Ergo cum illis Thomiſtis, ſi volueris, certa: nobis ea quæ non ſentimus, objicere deſine.

Nec minùs illud vitioſè concludis, ſi peccata ex defectu gratiæ committuntur, neceſſariò committi. Semper enim ab omnibus peccatis, etiam deficiente gratiâ, abeſt neceſſitas coactionis, abeſt neceſſitas naturalis, abeſt ea neceſſitas quâ voluntas ad certum peccatum determinatur; remanet ſolùm peccandi in genere neceſſitas, ſed tantùm infallibilitatis. Hanc ſi tu horreas aut neges, quanto in errore verſeris admonebit Auguſtinus lib. 1. Op. ultimi in Jul. his verbis. *Erras graviter ſi nullam neceſſitatem putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nullâ neceſſitate commiſſum eſt.*

XXV. NICOLAI.

Quid ad meritum vel demeritum nihil obeſſe neceſſitatem putas, modò coactionem excluſeris.

CONFUTATIO.

Quam neceſſitatem? Si naturæ, vel coactionis, quis hoc putat? Si neceſſitatem infallibilitatis, quis Thomiſta non putat? cùm gratiam efficacem infallibiliter flectere voluntatem, omnes

ad unum exiſtiment. Si tu aliud genus neceſſitatis noſti, cedo illud.

XXVI. NICOLAI.

Neceſſitas igitur gratiæ tanta eſt, ut ſine illâ nihil boni meritorii ad ſalutem æternam pertinentis agatur, nihil omnino agi poſſit. Non talis illa tamen, ut vel bene agendi neceſſitatem ullam cùm adeſt ferat, vel peccandi neceſſitatem ullam inferat cùm non adeſt: nempe quia liberam voluntatem relinquit cùm præſens eſt; negligentem arguit, cùm eſt abſens: ut & voluntas poſſit non operari cùm eam habet, & impetrare poſſit cum eam non habet; quia Deus petentem non repellit.

CONFUTATIO.

Multa hìc animadvertenda, multa reprehendenda. Primum eſt, eam propoſitionem quam tu in Cenſorio ſuffragio hæreſeos damnaſti, hìc à te defendi etiam durioribus verbis expreſſam, quàm ab autore Epiſtolæ vel expreſſa vel defenſa ſit. Ille enim ſolùm dixit, poſt Auguſtinum & Chryſoſtomum, Juſtis gratiam ſine quâ nihil fieri poteſt, aliquando deeſſe; ſed illud verbum, *nihil*, ita interpretabatur, ut negaret omnem ſe potentiam & omnes actus hâc voce comprehendiſſe. At tu, qui propoſitionem illam Auguſtinianam tam acerbis notis inuſſiſti, eamdem in theſim tuam, quaſi tui oblitus, inſeris. Eam enim gratiam ſine qua, ut ais, nihil boni ad ſalutem pertinentis agitur, nihil omninò agi poteſt, quibuſdam deeſſe dicis, quod multò durius, & ad malam interpretationem propenſius.

Secundum eſt, ſi verba tua ſpectentur, Semipelagianum errorem in iis apertè contineri. Hominem enim *eâ gratiâ ſine quâ nihil boni ad ſalutem pertinentis agitur, nihil omnino agi poteſt*, id eſt ex tuâ mente, & ſufficiente & efficaci deſtitutum; poſſe tamen impetrare oratione gratiam ſtatuis; & ſic gratiam ad orandum neceſſariam non agnoſcis, quod Semipelagianum eſſe nullus dubitat. Ita te ſentire, non auſim dicere: id verba tua ſignificare, fidenter affirmo.

Tertium eſt, vix ullum dubitandi locum ſupereſſe, quin gratiam efficacem ad omnia pietatis opera neceſſariam non arbitreris. Nam ſi ita ſentires, id certè apertè profeſſus eſſes in eâ concluſione, ubi de neceſſitate gratiæ agitur, præſertim cùm doctrinam Thomiſtarum explicare inſtituiſſes, cujus præcipuum caput caſu, non conſultò, à te omiſſum, nemini veriſimile fiet. Ita ſenſus animi tui, non modò verba, ſed tuum quoque ſilentium prodit. Quid enim cauſæ afferes, cur in ea Theſi quâ Thomiſtarum doctrinam complecti voluiſti, nullum dogma ex ſequentibus expreſſeris.

1. Gratiam efficacem conſenſum infallibiliter operantem, ad omnia pietatis opera, & ad ipſam etiam orationem neceſſariam eſſe.

2. Sufficientem gratiam non omnibus modis ſufficientem eſſe, ſive non complecti omnia ad agendum neceſſaria.

3. Gratiæ ſufficienti neminem umquam ſine efficacis auxilio conſenſiſſe; neminem cum efficacis auxilio non conſenſiſſe.

4. Cur uni potiùs quàm alteri gratia efficax detur, ex inſcrutabilibus Dei judiciis pendere.

5. Eam gratiam quæ conſenſum non infallibiliter elicit, ſed ſine alio auxilio modò efficax eſt, modò inefficax, Pelagianam & Semipelagianam eſſe.

6. Mandata Dei non eſſe ſemper poſſibilia poſſibilitate Molinianâ, quæ complectitur omnia neceſſaria ad agendum, ſed aliâ poſſibilitate cui deeſt aliquando neceſſarium aliquid ad agendum, quod Deus aliî dat, alii non dat, pro ſuæ voluntatis liberrimo nutu.

Hæc fatere, nec ulla ſupererit tibi cum Auguſtinianis pugnandi cauſa. Nam illam reliquam de gratiâ actuali controverſiam tibi ipſe præcidiſti, cùm in Cenſorio Suffragio dixeris, eorum opinionem qui ſolius gratiæ habitualis ope certos actus aſſerunt, non modò poſſe fieri, ſed & re-ipsâ interdum fieri, in fide eſſe penitus innoxiam. Nam ſi ex te gratiæ tum ſufficientis tum efficacis poteſtas gratiæ habituali tribui poteſt, cur illud ægrè feras ſufficientis tantùm vim illi concedi, quod S. Thomæ placitis omnino conſentaneum eſſe alibi demonſtrabitur.

CONCLUSIO,

Longè plura potueram ex Joannis Nicolaï Theſibus excerpere, ad Molinianum ejus animum, Molinianos illius ſenſus revincendos. Sed hæc lectoribus ad ſpecimen ſatis erunt; utinam ipſi ad emendationem. Auguſtini enim diſcipulis nihil in votis magis fuerit, quàm ſanctiſſimi Ordinis non modò univerſum Corpus, quod ſemper fecerunt & faciunt, ſed ſingula etiam membra pari obſervantiâ complecti; nec ullum ipſis vel præter ſpem magis, vel præter voluntatem certamen accidit, quàm illud in quo cum Joanne Nicolaï ipſos crudeliſſimè laceſſente confligere coguntur. In hâc tamen acerbiſſimâ pugnæ conditione illud ſolatio eſt, quòd ut adversùs illius familiæ degenerem filium, ita pro totius familiæ gloria certant. Nullius enim magis intereſt, quàm Dominicanorum Ordinis, illatas divinæ gratiæ & S. Thomæ injurias ipſorum violatori impunè non eſſe. Tradita jam olim huic Ordini divinæ gratiæ defenſio; hæc ipſius hæreditas, hæc corona, quam diſſipari, quam abjici quis ipſo graviùs ferre debeat? Non terræ illa, ſed patriæ ac cœli felicitas eſt, nullum in magno numero reperiri, qui à familiæ ſuæ moribus inſtitutiſque deſciſſat. At cujuſvis rectè inſtitutæ Societatis eſt non fovere ſuorum flagitia, omnéſque labes non in alienis modò, ſed

in ſuis maximè coërcere. Quamobrem mihi Joannis Nicolai effugia erroreſque detegenti, gratulabuntur, credo, quibus ſui Ordinis gloria, quibus S. Thomæ doctrina, quibus Chriſtiana fides & veritas cordi eſt. Non potuit ille in Auguſtinum inſurgere, quin pariter in S. Thomam, in ſuæ familiæ doctrinam inſurgeret; non poteſt ab illius petitionibus Auguſtinus defendi, quin pariter S. Thomas, ac totus Dominicanorum Ordo defendatur. Conjuncta cauſa eſt, conjuncta injuria, conjuncta defenſio. Illa verò non neceſſaria ſolùm, ſed etiam expedita eſt. Nihil enim aliud opus eſt quàm adverſarium latebras fugamque captantem in lucem apertumque campum educere. Hoc confecto, profligata cauſa eſt, & ad exitum perducta quæſtio. Hæc omnium gratiæ inimicorum ars fuit, ſenſus ſuos quibuſdam verborum ambagibus occultare. Hæc Pelagii, hæc Fauſti præſertim verſutia, ex quo Iſidorus de S. Fulgentio loquens; *Obnititur*, inquit, *ejus* (Fauſti) *profundam deſtruere calliditatem.* Et ſcriptor Vitæ S. Fulgentii: *Duobus*, inquit, *libris quos Fauſtus Galliarum ſubdolo ſermone compoſuit, favens occultè Pelagianis, ſed Catholicus tamen videri volens, ne occultum ſerperet virus, ſeptem libris ipſe reſpondit, plus laborans exponere, quam convincere; quia dubios ejus ſermones exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere.*

Similis mihi cum Nicolai conflictatio eſt, ut errores ſic artes Fauſti referente. Unum hoc diſcrimen eſt, quòd novus ille gratiæ adverſarius, cùm animo, ut apparet, commotiore ſcripſerit, magis apertè ſe prodidit. Si quid tamen ille cauſæ ſuæ confidit, omiſſis illis cavillationibus in certamen prodeat, Moliniſmum ipſi falsò objectum convincat, ſincerè ſe Thomiſtam doceat, Thomiſtas ab Auguſtinianis non fictis calumniis, ſed certo limite diſſociet. At ſi maledictis, ſi fraudibus certare perrexerit, illi homini jam antè denuntio, non defuturos qui technas ejus & aſtutias ſolerter aperiant, ferociam verò non molli brachio contundant.

APPENDIX,
SEU
F. JOANNIS NICOLAI
CALUMNIARUM SPECIMEN
EX LIBELLO CUI TITULUS,
CENSORIUM SUFFRAGIUM.

HUic confutationi Theſium NICOLAÏ *breve ſpecimen addere viſum eſt earum calumniarum, quibus Suffragium ejus totum ſcatet. Specimen appello, quia fœcis illius & luti minima pars; tale tamen ut eo tota Cenſura nitatur, & cum eo tota corruat. Arnaldi propoſitionem, quâ Petro gratiam ſine quâ nihil poterat defuiſſe dixit, hæreticam, impiam, blaſphemam pronuntiat graviſſimus & æquiſſimus Judex* JOANNES NICOLAÏ. *Quamobrem? Quinque de cauſis.*

1. *Quia Autor Epiſtolæ Petrum præſumtione non peccaſſe dixit.*
2. *Quia Petro gratiam Dei ſpontaneo nutu & ſine ullâ, ex parte Petri, cauſâ ſubtractam ſentit.*
3. *Quia negat propter præſumtionem ſubtractam.*
4. *Quia impoſſibilia Dei mandata dicit eſſe.*
5. *Quia Petrum timore, ignaviâ, ſocordiâ cecidiſſe negat.*

At illæ quinque cauſæ totidem mendacia ſunt, totidem calumniæ, ut jam declarabo. Quid inde aliud ſequitur, niſi mendaciis ſolùm & calumniis cenſuram niti?

CALUMNIA I.

In præſumtione Petri nullum ab Arnaldo peccatum, ne veniale quidem admitti.

NICOLAI, pag. 9.

„HÆc illa tria quæ Chyſoſtomus ita in Petro reprehendit, ut ſubſequentis cauſam deſertionis hinc repetat, ne Deo tribuatur, non Petro. Sed Arnaldus excuſat quoad poteſt, ne deſertio illa Petro tribuenda ſit, & non Deo. Excuſat autem quia τὰ ἐγκλήματα, quæ crimina latinè reddita ſunt, reddi mitiùs debuerunt, ut materia repre-

„reprehenſionis eſſent : quia fer-
„ventiores exceſſus erant, ſed
„PECCATA NON ESSENT, quia ex
„charitate procedebant.]

CONFUTATIO.

„ In præſumtione Petri pec-
„catum & culpam, licet tantùm
„venialem, diſertis verbis agnovit
„Arnaldus in Apolog. 1. pag. 10.
„(v. ſup. p. 41.) PECCASSE igi-
„tur aliquid Petrum, quòd viri-
„bus ſuis nimiùm tribuerit, &
„ſe cæteris prætulerit, cum
„Auguſtino & Chryſoſtomo non
„nego.] Item p. 9. Neque me
„fugit Chryſoſtomum tria etiam
„peccata Petro adſcribere ; ſed
„TRIA PECCATA &c.]

CALUMNIA II.

Deſertionis cauſam ex Arnaldi ſententiâ non Petro, ſed Deo adſcribendam.

NICOLAI pag. 9.

„SEd Arnaldus (Petrum) ex-
„cuſat quoad poteſt, ne de-
„ſertio illa Petro tribuenda ſit,
„& non Deo. Item expendite
„quid Arnaldus ex Chryſoſtomo
„dicat ; Deum intelligetis deſe-
„rentem quia vult, quicquid
„aliud velit Petrus &c. ... Exhi-
„bet ex Chryſoſtomo non frigi-
„dum nec negligentem, id eſt
„volentem & conantem, ut ex
„parte Dei ſtet quod ſic ab eo
„deſertus eſt.] Et ſupra. Cùm
„ei gratia nudè dicitur defuiſſe,
„non omnimoda tantùm & ab-
„ſoluta defectio, ſed ſpontanea
„ex parte Dei abdicatio indica-
„tur, quia juvare planè nolit,
„conantem licet & volentem ;
„qui manifeſtus Janſenii ſenſus
„eſt, expreſſus è Janſenio per
„Arnaldum.]

CONFUTATIO.

Deſertionis cauſam in Apolog. 1. diſertis verbis culpæ Petri adſcripſit Arnaldus. p. 17. (v. ſup. p. 76.)
„Non negat Epiſtola, quod autor
„Epiſtolæ lubentiſſimè agnoſcit,
„ideò Petro gratiam defuiſſe,
„quia de ſuis viribus nimiùm
„præſumſerit.] Adeò verò non
„illam culpam in gratiæ defe-
„ctum referunt Auguſtini diſci-
„puli, ut quòd gratia deſit, ſem-
„per in homine cauſam eſſe ve-
„lint. Didicerunt enim ex Au-
„guſtino lib. 2. de Pecc. Merit.
„& remiſſ. c. 17. *quòd homines*
„*gratiâ non adjuventur, in ipſis*
„*cauſam eſſe, non in Deo.* Nemi-
„ni verò ex Auguſtino gratia
„deeſt, ſpontaneâ ex parte Dei
„abdicatione. Numquam id do-
cuit, numquam id ſenſit Arnaldus : ſentiunt tamen quidam Thomiſtæ, qui gratiam efficacem Angelis & primo homini defuiſſe ſine peccato tradunt, quia defuit in primo peccato.

CALUMNIA III.

Non propter præſumtionem Petrum à Deo deſertum eſſe.

HOc modo ex omnibus locis Patrum quos Arnaldus protulit ſeſe expedit Nicolai, quòd illi Patres deſertum Petrum ob præſumtionem dicant, Arnaldus non dicat. Hoc nomine criminatur Patrum loca ab Arnaldo corrupta, detruncata, quòd non ſemper mentionem præſumtionis addiderit. Sic enim Nicolai p. 17. "Cur ergo hæc in „Petro Arnaldus non expreſſit, „ut in vitium Petri, non in de-„ſertionem ac defectum gratiæ „Dei, offenſa Petri refundatur? „Niſi quòd ita paſſim ille credu-„lis lectoribus abuti ſolet.] Et „ſuprà: Ecce quæ vera cauſa Pe-„tro negationis fuerit, non de-„ſertio Dei, ſed præſumtio „Petri, ob quam deſeri ex Au-„guſtini ſenſu dignus fuit.] Id variis locis quaſi ab Arnaldo negatum inculcat.

CONFUTATIO.

Propter præſumtionem Petrum à Deo derelictum expreſſis verbis docuit Arnaldus in loco ſuperiùs relato, & adhuc ubetiùs ibidem, ubi cujuſdam Doctoris reſponſioni his verbis occurrit. „RESPONDEBIT ille; Sat ſcio Pe-„trum reverâ à Deo derelictum „tentationem ſuperare non po-„tuiſſe; verùm id ei accidiſſe in „præſumtionis ſuæ pœnam, ut „ipſi à me laudati reſtantur Pa-„tres. Fateor id quidem; ſed „quid ad Epiſtolam? Contendit „autor Epiſtolæ, poſt Chryſoſto-„mum & Auguſtinum, Petro gra-„tiam ſine quâ nihil poſſumus, „id eſt, ſine quâ tentationem „ſuperare non poterat, defuiſſe: „quæritur, an hæc propoſitio hæ-„retica ſit, an verò orthodoxa. „Quis verò ita mente captus eſt, „ut non videat propoſitionis hu-„jus veritatem non infirmare, „ſed contrà magis ſtatuere, qui „non modò Petro gratiam de-„fuiſſe agnoſcit, ſed quare de-„fuerit exponit? Eò enim verius „eſt & certius, illam Petro de-„fuiſſe, quò magis oſtenditur non „ſine causâ illam ei defuiſſe: ut „ſi quis multos etiam baptizatos „damnatum iri contenderet, non-„ne ineptiter prorſus qui hoc ar-„gueret erroris, eò quòd baptiza-„tus nullus damnandus ſit, niſi „qui ob peccata damnari meruе-„rit? Neque enim tum baptiza-„tos multos damnari negaret, „ſed cauſam cur damnarentur „afferret.]

CALUMNIA IV.

Petro impoſſibile fuiſſe ut non caderet : nullam habuiſſe poteſtatem ad vitandum peccatum.

NICOLAI. Pag. 15.

„CUr ergo iſta ex Hilario „tam faſtuosè inculcan-„tur..... niſi ut fingatur im-„poſſibile quod poſſibile fuit.] „& p.14. Alioqui cur culpam tre-„pidationis recolens amariſſimè „flevit, ſi vitare omnino non po-„tuit? An flevit factum quod non „facere impoſſibile illi fuit?... An „flendam porrò, niſi quia vitare „illam impoſſibile non fuerit?] Quibus locis ita Arnaldum arguit, quaſi diceret Petro impoſſibile fuiſſe ut vitaret peccatum.

CONFUTATIO.

Petro impoſſibile fuiſſe præceptum, nunquam dixit Arnaldus, ſed contrarium planiſſimis verbis expreſſit 2. Apolog. p.31. ſup. 91. „Non eâ tantùm ratione præcep-„ta Dei juſto poſſibilia ſunt, quia „poteſt ea ſervare, ſi vult, juxta „doctrinam S. Auguſtini, de eo „quod in poteſtate noſtrâ eſſe di-„citur; verùm etiam quia per „Spiritum gratiæ & charitatis ſi-„bi in juſtificatione infuſum, ve-„ram & interiorem habet ad ea „ſervanda potentiam; etſi ex do-„ctrinâ SS. Patrum & Concilio-„rum ulteriùs indigeat eâ gratiâ „quæ ad ſingulos actus datur, ſi-„ve efficaci illo Dei interiùs ani-„mam moventis auxilio, ſine „quo, ut expreſsè ait S. Tho-„mas, mandata ſervare, & in ac-„ceptâ juſtitiâ perſeverare non „poteſt. Hinc fit ut de juſto au-„xilio efficaci in aliquâ tentatio-„ne deſtituto rectè dicatur, & „potuiſſe cum illam tentationem „ſuperare, & non potuiſſe. Po-„tuit enim quantùm ad poten-„tiam illam quam gratia in ju-„ſtificatione accepta cuivis juſto „ſuppeditat: non potuit verò, „quia non habuit ea omnia qui-„bus indigebat, ut hæc potentia „in actum ſuum exiret, ſicut lo-„quuntur Theologi.] Hoc ſolùm igitur contendit Arnaldus, Phraſim illam Auguſtini & omnium Patrum, quâ negant juſtos interdum poſſe implere mandata, hoc ſenſu veram eſſe, quia deeſt multis gratia efficax ad implendum præceptum neceſſaria, vel quia deeſt illa poſſibilitas quæ ſemper cum effectu conjungitur, quâ reipsâ & actu impletur præceptum; quàmvis juſtis ſemper adſit alia poſſibilitas, quâ verè poſſunt implere præcepta, quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis, etſi ulteriùs indigeant auxilio Dei moventis ex S. Thoma.

CALUMNIA V.

Petri caſum ex infirmitate, ex vitio, ex timore non accidiſſe.

Sic hoc multis locis ſtudioſè aſtruit Nicolaï, quaſi neget Arnaldus, aut à quoquam negetur. p. 14. "An proinde, cùm Pe„trus aſſeritur trepidationis cul„pam nec admonitum potuiſſe „vitare, indicatur impotentia „Petri, non ignavia de quâ mo„nitus erat? aut non feciſſe re„prehenditur, quod ei factu im„poſſibile ſupponitur fuiſſe, non „quòd ſatis puſillanimis fuit ut „non faceret?] Item p. 15. Quid „eſt, non potuiſti? An ut impoſ„ſibile illi fuerit, quæ inepta ex„probratio eſſet? An ut non vi„gilarit, quia tam ſegnis & tam „ſocors poſt ardorem tam vehe„mentem oſtentatum evaſit?] „Item p. 16. Quid in Joannem „tract. 92. Non potuiſſe Petrum, „quando ancillæ interrogatione „perterritus eſt, verum teſtimo„nium perhibere..... An ex ejus „defectu factum eſſe omnino „quòd negaverit Petrus, non ex „timore magno, quò contra ſuam „pollicitationem compulſus eſt „negare, ut ab Arnaldo præter„miſſum ſubjungit rurſus Augu„ſtinus.]

CONFUTATIO.

Petrum timore, ignaviâ, ſocordiâ, puſillanimitate, vitio, culpâ ſuâ Chriſtum negaſſe, omnes Catholici confitentur; hoc ab Arnaldo negatum velle, mera calumnia eſt. Non habuiſſe verò Petrum gratiam efficacem ad vincendum timorem, ad ignaviam ſuperandam, ad fugiendum peccatum neceſſariam, qui negat Molinianus eſt, non Thomiſta & Auguſtinianus.

Hæc pauca de multis ex ſolo Joannis Nicolaï Cenſorio Suffragio decerpta ſunt, talia tamen ut illis totam Cenſuram inniti fateatur neceſſe ſit. His enim ſolùm quas retuli calumniis Patrum doctrinam ab Arnaldi ſententiâ, veritatem à fictitio errore ſecernit. Sed iſta fortaſſe uberiùs ab aliis explicabuntur, inſignisque ejus in laudandis S. Thomæ teſtimoniis fraus & inſcitia ad oculum demonſtrabitur.

XVIII.

VINDICIÆ
SANCTI THOMÆ
CIRCA GRATIAM SUFFICIENTEM.

ADVERSUS

P. JOANNEM NICOLAI
ORDINIS FR. PRÆDICATORUM,

ET DOCTOREM PARISIENSEM.

Ubi omnia S. Thomæ teſtimonia in Suffragio Cenſorio ejuſdem P. Nicolaï de propoſitione ANTONII ARNALDI *Doctoris & Socii Sorbonici contenta exponuntur, & à perverſo ſenſu illis affiсto vindicantur: ac ejuſdem Arnaldi propoſitio & ſententia Sancto Thomæ omninò conformis oſtenditur.*

JOANNIS LAUNOII
CONSTANTIENSIS
THEOLOGI PARISIENSIS
JUDICIUM

De P. Joannis Nicolai Suffragio Cenſorio adversùs Clariſſimum Arnaldūm.

H*Anc neceſſitatem (exponendi rationum momenta; quibus quæ Arnaldi Propoſitionibus Notæ inuruntur, meritò inuri probaretur) impoſitam ſibi ſenſit unus ex iis Magiſtris quos Arnaldus recuſare voluit. Is eſt Joannes Nicolai, Dominicani Ordinis Profeſſor, qui ſuum de Propoſitione Juris Judicium ſeu Cenſorium Suffragium publicavit. Involutus eſt ac ſalebroſus Commentarius, in quo probra & contumeliæ paſſim occupant ſedem Theologicarum rationum. Pretioſi nihil è Scripturis, è Traditione acerſiti nihil habet, quo Cenſorium Suffragium confirmetur. Aliud eſt, judicare propoſitionem hæreticam eſſe; aliud, afferre momenta quibus hæretica probetur. Quare ſi quis Commentarium hunc legat & intelligat, non eſt enim intellectu facilis, nunquam perſuadebitur Aſſertionem, quæ ab illo hæretica cenſetur, hæreticam jure cenſendam eſſe. Ad me quod attinet, ſi quem ad Cenſuræ odium & contemtum excitare vellem, ei duntaxat conſulerem, ut horas aliquot in perlegendo tali Commentario collocaret. Propoſitionem Facti intactam reliquit, ratus fortaſſe eam non eſſe dignam quæ inuſtas ab aliis notas ſuſciperet.* Ex Joann. Launoii Notationibus in Cenſuram Pariſienſem Notat. IX. ſup. pag. 168.

PRÆ-

PRÆFATIO
IN QUA QUÆDAM GENERALITER DE TOTO
P. JOANNIS NICOLAI SCRIPTO PRÆMONENTUR:

Atque hujus Operis argumentum & partitio exponuntur.

HABENT S. Auguſtini diſcipuli in Suffragio Cenſorio Patris Nicolaï typis edito, quod ſibi gratulentur potiùs quàm quod illi ſuccenſeant: quia in eo habent unde bonis & eruditis omnibus Arnaldum innocentem probent, S. Thomam totum ſuum vindicent, omneſque Arnaldi Cenſores à S. Thomæ doctrinâ quàm longiſſimè aberrare convincant.

Quis enim Cenſuram propoſitionis Arnaldi, ſeu potiùs Auguſtinianæ propoſitionis ab Arnaldo exſcriptæ, iniquiſſimè factam non judicet, qui Patris Nicolaï, ejuſdem Cenſuræ velut interpretis ac defenſoris, inter cæteros examinatores ad ſcribendum delecti, ſuffragium nonniſi calumniis niti intellexerit; nec potuiſſe Arnaldum ab uno judice qui ſententiam ſuam ſcripſit, violatæ fidei reum peragi, niſi quinque erroneis ſenſibus illi ab eodem judice per ſummam calumniam impoſitis?

Habent etiam unde S. Thomam totum à ſe ſtare doceant: quia cùm P. Nicolaï ex ejus operibus, omnia quæ ad aſtruendam gratiam ſufficientem omnibus datam facere videbantur, magno labore corraſerit; poſtquàm nihil ab eo niſi perverſo & alieno ſenſu è S. Thomâ allatum eſſe probatum fuerit, tùm certiſſimè conſtabit nihil eſſe in S. Thomâ quod adverſariorum ſententiæ ſuffragetur, nihil quod noſtræ refragetur.

Habent denique unde omnes Arnaldi Cenſores (ſi quid in eo damnaverint) à S. Thomæ doctrinâ quam longiſſimè aberrare redarguant. Omnes quippe Inquiſitores non aliis argumentis ac teſtimoniis S. Thomam ſuum eſſe profeſſi ſunt, quàm his quæ P. Nicolaï in ſuffragium conjecit. Intenti in illum unum Cenſorum omnium oculi, quoties de S. Thomæ

doctrinâ in Sorbonæ Comitiis dictum eſt. Hoc ipſe *ſibi quaſi propriè ex induſtriâ* ab examinatoribus *reſervatum* præmonet p.3., *potiſſimumque expectatum eſſe ut de S. Thomâ diceret, quia ſpecialiùs eum ſpectabat.* Omnibus ergo Arnaldi Inquiſitoribus S. Thomam adimit, qui hunc Patri Nicolaï adimit; horum omnium in S. Thomæ doctrinâ inſcitiam, aut malam fidem arguit, qui unius Patris Nicolai in referendis S. Thomæ teſtimoniis ſeu fallaciam ſeu imperitiam demonſtrat.

Atque utinam, quod in Facultatis Comitiis omnium Doctorum Arnaldi defenſorum votis enixè poſtulatum eſt, cæteri Inquiſitores induci potuiſſent, ut ſuffragium ſuum cenſorium de Arnaldi propoſitione publicæ luci exponerent. Utinam id & nunc ad tam neceſſariam Cenſuræ ſuæ defenſionem præſtarent, quia ex eorum refutatione univerſæ Eccleſiæ notum fieret, talem eſſe Cenſuram, ut (ſi Arnaldi propoſitionem feriat) nulla Sanctorum Patrum, Conciliorum, Sedis Apoſtolicæ Decretorum, ac S. Thomæ, Scholaſticorum principis, autoritate fulciri poſſit, nullo idoneo argumento firmari, nullâ ratione defendi. Hos tamen omnes in his quæ S. Thomæ doctrinam & ſenſum ſpectant, hac ſuffragii Patris Nicolaï confutatione refellam; quia ille hac in parte omnium illorum lingua fuit.

Quàm falsò ergo Doctor ille, Dominicani licet Ordinis, & in Studio S. Jacobi apud Fratres Prædicatores Primarius Regens, ſancto Thomæ gratiæ ſufficientis, omnibus etiam infidelibus communis, doctrinam imponat, quàm fallaciter omnia ejuſdem Sancti teſtimonia pervertat, iſto opere probare aggredior. Atque id, Deo duce & Angelico Doctore auſpice, invictæ veritatis robore ſuffultus, me facilè præſtiturum confido: ſed aliqua priùs de toto Patris Nicolaï Scripto generaliter præmonenda ſunt.

OBSERVATIO PRIMA.

In totum Patris Joannis Nicolaï Scriptum.

PAter Joannes Nicolaï toto ſuo Scripto, id de quo ſolùm in Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici propoſitione quæſtio eſt, non attingit. Dixit enim Arnaldus ex SS. Auguſtino & Chryſoſtomo, *gratiam, ſine quâ nihil poſſumus, Petro juſto in tentatione defuiſſe.* Id hoc ſenſu à ſe accipi in Apologeticis aſſeruit ac probavit: Aliquibus juſtis aliquando deeſſe gratiam quâ proximè poſſint tentationes ſuperare, hoc eſt, efficacem

quæ

quæ poſſe proximum, ſeu poſſe cum effectu conjunctum tribuit, vel, quod clarius eſt, aliquando deeſſe poteſtatem illam quæ complectitur omnia ad agendum neceſſaria. Ergo Patri Nicolai alterutrum probandum fuit, aut D. Arnaldum malè Epiſtolæ ſuæ verba interpretatum eſſe, aut illam propoſitionem hoc ſenſu acceptam S. Thomæ doctrinæ repugnare: Cenſor ille toto Suffragio cenſorio neutrum præſtat.

Atque hinc intelligitur à me hoc opere multa ex S. Thomâ circa gratiam ſufficientem contra Joannis Nicolaï Suffragium expendi, quæ ad Arnaldi propoſitionem minimè pertineant, ſiquidem illa gratiæ ſufficientis quæſtionem non attingit. Hanc enim Arnaldus Thomiſtico ſenſu omnibus juſtis volentibus & conantibus haud gravatè concedit, atque adeò Petro, ſiquidem voluit & conatus eſt bonâ voluntate, parvâ licet & invalidâ, nec tantâ quanta ſufficiebat ut volendo faceret: quod in ipſo limine ſignificatum volo, ne quis me gratiam ſufficientem funditùs abjicere, ac juſtis volentibus & conantibus abjudicare, contra mentem meam criminetur

OBSERVATIO II.

TOtum Suffragium Patris Nicolaï his quinque calumniis potiſſimum nititur.

1. Calumnia. In præſumtione Petri nullum ab Arnaldo peccatum, ne veniale quidem, admitti.
2. Deſertionis cauſam ex Arnaldi ſententiâ non Petro, ſed Deo, adſcribendam.
3. Non propter præſumtionem Petrum à Deo deſertum eſſe.
4. Petro impoſſibile fuiſſe ut non caderet, & nullam habuiſſe poteſtatem ad vitandum peccatum.
5. Petri caſum ex infirmitate, ex vitio, ex timore non acciſſe.

Vide has calumnias in Appendice Confutationi Theſium Patris Nicolaï ſubjunctâ. *Sup. pag.* 438.

OBSERVATIO III.

EXplicationes illas quibus Joannes Nicolaï Sanctos Patres ab Arnaldo abducere nititur, ſtudioſè hîc refellere alienum putavi. Nam cum illæ iſtis quinque calumniis alibi confutatis ſuperſtructæ ſint, his demonſtratis, utique ſuâ ſponte corruunt. Obiter tamen cuidam iſtius Patris loco (1. *Parte n.* 1. *p.* 7.) occurram, in quo ingentes clamores tollit, & Arnal-

dum calumniæ inſimulat, ob hæreſim Calvinianam circa deſertionem juſtorum ſibi ab ipſo exprobratam. Operæ enim pretium erit illo exemplo Patrem Nicolaï commonere, ut præfidentiam ſuam ac tumorem, quo fit ut de rebus obſcuris tam temerè pronuntiet, nonnihil inpoſterùm dejiciat, poſtquam ſe in re planiſſimâ turpiſſimè lapſum eſſe perſpexerit. Audiat igitur inteſtinam Scriptorum ſuorum diſſentionem, ac ſecum priùs in concordiam redeat, quàm tam acerbè in alios invehatur.

Monuerat illum Arnaldus in 2. Apologetico, ut caveret ne ſententia ſua ad Calvinianorum accederet errorem, qui nunquam juſtos ita à Deo deſeri aiunt, quin tandem aliquando ad eum ſint reverſuri.

In gravem contumeliam hoc Arnaldi dictum accipit Joannes Nicolaï, criminationem illam purgare aggreditur, nec ſolùm *illam inutilem & nugacem*, ſed etiam *fraudulentam & mendacem* appellat. Denique & tam alienam dicit, ac ſi quis cum inferos nominat, cœlum indicare diceretur. Et tamen ille tam confidens, tam ſui juris ſecurus hoc ipſum crimen ita ſuſcipit, ita ſe in illud induit & illaqueat, ut non illud diluere, ſed potiùs confirmare voluiſſe videri poſſit.

Quod ut ipſe fateri cogatur, recogitet quæſo quæ principia poſuerit eâdem illâ paginâ 7. ſub initium, dum dictorum ipſe ſuorum ſeriem refert.

Meminiſtis, inquit, *ut eâ ipsâ occaſione notaverim, alios quidem juſtos eſſe qui deſerantur ad interitum ſempiternum, quia poſt caſum non reſurgunt, ſed in peccato perſeverant: alios autem qui nonniſi ad tempus deſerantur, quia cadere permittuntur, ut cautiores eos firmioreſque caſus reddat ubi reſurrexerint, nec tam peccant ut peccent, quàm ut aliquod majus bonum (ſic indulgente Deo) ex peccato reportent.*

Ecce duplex deſertionis genus, unum ad interitum, alterum ad vitam: unum in quo nunquam reſurgitur, alterum in quo ſemper. Jam verò ſi poſtremum illud deſertionis genus omnibus juſtis cadentibus conveniat, nec unquam primo modo deſeri poſſint, planum erit nullum juſtum deſeri poſſe ad interitum, qui error Calvini eſt, ac proinde priùs illud membrum eſſe prorſus inutile.

Videamus igitur quo pacto mentem ſuam explicet Nicolaï. *Meminiſtis*, inquit, *ut illos quidem primos nunquam ſine gravi negligentiâ vel contemtu deſeri addiderim, quia indignum Deo eſſet, ut ab amicitiâ ſuâ perpetuò excluſos vellet, qui nec illam graviter violaſſent. Nihil obſtare verò quin ad poſteriores deſerendos*

(eos

(eos ſcilicet qui deſeruntur ut reſurgant) *præſumtionis culpa ſufficere intelligatur, etſi duntaxat venialis.*

Ex his verbis manifeſtè colligitur primum deſertionis genus ſupponere debere peccatum mortale. Nam gravem illam negligentiam opponit veniali, & dignam eſſe vult excluſione à regno Dei; ex quo conſequens eſt juſtum, dum juſtus eſt, eo modo non poſſe deſeri, quia dum juſtus eſt, adhuc nullum admiſit mortale peccatum.

Certum eſt autem omnes juſtos, dum in peccatum mortale prolabuntur, ex ipſo Patre Nicolaï, deſeri. Carent enim gratiâ efficaci, quæ ſola ex ſententia Patris Nicolaï Petro defuit, quem tamen deſertum fatetur.

Quæro igitur ex Patre Nicolaï, quâ deſertione deſeruntur illi juſti, dum primum peccatum mortale admittunt? An primâ quæ eſt ad interitum? Quî poſſunt, cùm hæc peccatum mortale ſemper ſupponat, quod nullum adhuc admiſerunt? An ſecundâ? Utique, non enim alia reſtat: ſed ex Patre Nicolaï quicumque ſecundâ illâ deſertione deſeruntur, ita deſeruntur ut redeant, ut reſurgant, ut cautiores fiant. Ergo ex ipſo omnes juſti qui peccato gratiam amittunt, eamdem recuperant, quæ Calviniſtarum eſt hæreſis.

Huic argumento reſpondeat quæſo P. Nicolaï, antequàm tantopere vociferetur: ſed tamen ut meam in ipſum æquitatem demonſtrem, fateor me illius mentem ab hoc errore prorſus liberam putare, ſed impetu & animi impotentiâ elatum, quæ diceret, quid ex verbis ſuis conſequeretur, minùs arbitror advertiſſe. Diſcat ex hoc lapſu in aliis eſſe cautior, & minùs contumelioſus adverſus viros, ut in explorandis verborum conſecutionibus ſagaciores quàm ipſe ſit, ita in aliorum mente & conſilio interpretando benigniores.

OBSERVATIO IV.

QUi hoc Suffragium, ſicut & Theſes nuper à P. Nicolaï concinnatas & eo Præſide defenſas, paulò attentiùs legerit, intelliget, ut jam ex Theſium confutatione oſtenſum eſt, nihil aliud illi propoſitum fuiſſe, quàm ut ſenſus Molinianos ſub Thomiſticis verbis occultet, ſub ambiguo gratiæ ſufficientis nomine Molinianam aſtruat, & aliquam gratiam libero arbitrio quo ad uſum relictam ſtabiliat, ſaltem ad actus imperfectos, quibus ad gratiam operandi efficacem conſequendam præparamur, ut ſemper liberum arbitrium, ſaltem in juſtis, ſine ullo gratiæ efficacis adjumento impedimentum gratiæ pro-

nutu ſuo ponat, vel non ponat, atque orando impetret ne auxilium in gravi tentatione neceſſarium unquam deſit. Hæc certiſſima eſt Patris Nicolaï ſententia, nec alia eſſe poteſt, ut ex multis ejus ratiocinationibus oſtendam: hæc una antiquæ ejus cum Moliniſtis confœderationis & inveterati in S. Auguſtini diſcipulos odii cauſa eſt: hoc unum dogma S. Thomæ auctoritate aſtruere nititur.

Eodem anteà conſilio ſuſceptam à Petro à S. Joſeph famoſo Moliniſtâ S. Thomæ defenſionem vidimus in libro quem inſcripſit, *Defenſio S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici adverſùs recentiores quoſdam Theologos, qui prædeterminationem Phyſicam ad actus liberos illi falsò affingunt. Authore Fr. Petro à S. Joſeph ex Congregatione Fulienſi.* Hoc unum inter utrumque diſcrimen eſt, quod hic apertè, iſte occultè, quia Dominicana Profeſſio vetat, prædeterminantis gratiæ ad ſingulos actus neceſſitatem ex S. Thomâ evertere nititur. Pleraque ergo teſtimonia quibus ille utitur ad prædeterminationis phyſicæ neceſſitatem impugnandam, à P. Nicolaï eodem ſenſu ad ſufficientem aſtruendam referuntur. Tanta eſt in exponendis S. Thomæ teſtimoniis Thomiſtam inter & Moliniſtam concordia.

Sed quantumvis P. Nicolaï tergiverſetur, ac ſub verborum ambagibus latere ſtudeat, ut lectoribus incautis ſub Thomiſtæ ſpecie Moliniana principia ac dogmata inſtillet, ſic omnium ferè S. Thomæ teſtimoniorum ſenſum pervertit, ut ſi ejuſdem Patris commentarii ac ratiocinationes admittantur, gratiæ per ſe efficacis ac prædeterminantis ad ſingulos pios actus neceſſariæ dogma S. Thomæ principiis capitaliter adverſari concludendum ſit. Hic ſcilicet ille eſt verus Thomiſta, & Cathedræ S. Thomæ in Studio Pariſienſi Regens meritò Primarius, *qui Thomiſticæ ſcholæ, adeóque totius Inſtituti Prædicatorum, cujus obſervantiam profeſſus eſt, prærogativam præcipuam & ſingularem* ſtrenuè & gloriosè tutatur, qui *S. Thomæ deſertor ac transfuga, corruptor & proditor, ac Moliniſtarum fautor* per ſummam injuriam vocatus eſt, *pag.* 46. Hic ille eſt æquiſſimo judicio ſelectus Arnaldi propoſitionis Inquiſitor, ad videndum ut in ejus examine S. Thomæ doctrina extra omnem aleam poneretur: huic verò uni partes à cæteris Inquiſitoribus juſtiſſimè reſervatæ ſunt, ut S. Thomæ ac Thomiſtarum ſenſum dicendo ſcribendoque exponeret, *ſenſum integrum, innoxium vindicaret, eorum animum quibus S. Thomæ veritas placet, in tam tuto dogmate confirmaret, ut os iniquitati obſtrueret, calumniam iniquè loquentium chamo illo ac fræno compeſceret, & inconſultam aliquorum meticuloſorum timiditatem à terrore Punico liberaret, qui S*

Thomam

Thomam incautiùs damnari reformidabant, ſi Arnaldi propoſitio damnaretur: pag. 5. Has certè partes feliciſſimè pro ſui Ordinis dignitate, ac Facultatis Pariſienſis in S. Thomam alumnum ſuum ac principem reverentiâ, P. Nicolaï in Suffragio ſuo cenſorio exſecutus eſt, ſi S. Thomas Molinæ principiis adhæreat, & gratiæ per ſe efficacis, ſeu phyſicè prædeterminantis, ad ſingulos pios actus neceſſitatem rejiciat.

OBSERVATIO V.

GRatiæ per ſe efficacis ac phyſicè prædeterminantis ad ſingulos actus neceſſitatem à S. Thomâ aſſertam eſſe non probo, ſed ſuppono: quia omnis ejus ſchola hâc de re conſentit: ac licet eam P. Nicolaï Suffragio ſuo ac totis Theſibus confiteri ſemper refugiat, quia eam rejicit, licet etiam ſuis argumentis eam reverâ impugnet; eam tamen apertè & expreſſè negare non audet.

Ut autem Patris Nicolaï æquivocationibus occurram, gratiæ per ſe efficacis ac prædeterminantis nomine eam cum universâ S. Thomæ ſcholâ intelligo, quâ voluntas non ſolùm fit agendi potens; ſed quâ etiam ad volendum aut operandum infallibiliter & indeclinabiliter propter efficaciam virtutis moventis determinatur. Infallibiliter & indeclinabiliter dico, ſed tamen ſine neceſſitate, vel naturali, vel cogente. Nullam enim aliam neceſſitatem admitto, quàm eam quæ ab Alvare dicitur neceſſitas infallibilitatis: quod admonere non abs re fuit propter ſtolidam quorumdam cavillationem, qui cum gratiæ efficacis doctrinam totius orbis conſenſu Catholicam haberi, ipsâ veritate convicti, negare non audeant, tamen interdum muſcitare audent eam quam Auguſtini diſcipuli tuentur, aliuſmodi eſſe atque eam quam Thomiſtica ſchola profitetur: quorum calumniis ut occurram teſtor, eamdem planè gratiæ efficientiam à me tribui, quam ipſi communiter omnes S. Thomæ diſcipuli attribuunt.

OBSERVATIO VI.

PAter Nicolaï graviſſimè 2. *Parte pag.* 28. in Arnaldum & alios S. Auguſtini Diſcipulos invehitur, quos ſub falſo Janſenianorum nomine invidiosè deſignat, *quòd fraudulenter, infidè, veritate diminutâ, S. Doctoris loca ſine pudore ad fallendum protulerint, quædam detruncarint, alia diſſimulaverint, ſuppreſſerint, ablegaverint, id multis argumentis exploratum hactenus conſtare.*

ſare. Auctorem libri, *De gratiâ Victrice*, ejuſdem criminis reum agit *pag.* 29., nullum tamen ex iſto libro, nec ex alio, teſtimonium profert, nec unquam protulit, quod detruncatum fraudulenterque ac infidè citatum oſtendat, ad fingenda ſcilicet crimina quàm ad probanda ſolertior. Quàm fraudulenter ipſe, quàm infidè ſuo Suffragio ea retulerit, non verbis exprobrabo, ſed argumentis convincam. Unum hoc lectorem veritatis & ſinceritatis amantem vehementer rogo, ne quid ex hoc opere legat, niſi ſimul Patris Nicolaï Suffragium legat, & è S. Thomæ libris, quidquid ex his refero, diligenti collatione & æquâ lance perpendat.

OBSERVATIO VII.

PAter Nicolaï prædicat *pag.* 29. à ſe S. Auguſtini Diſcipulos, *ut impoſtores, ut falſarios, ut S. Thomæ depravatores, ad quodcumque tribunal vellent, non ſemel provocatos*: Auctorem libri, *De gratiâ Victrice*, quem Lalanio adſcribit, interpellat, *ut huic ſuæ compellationi planâ & integrâ locorum, quæ producit cum illis quæ producet, collatione reſpondeat.* Sed quis neſcit quanto ſemper ſtudio ab Auguſtini Diſcipulis cum Moliniſtis collatio expetita ſit? Illius interpellationi in Facultatis Comitiis annuit Lalanius, quamquam ſe libri, *De gratiâ Victrice* auctorem non profiteretur. Sed quorſum hæ thraſonicæ oſtentationes? Cur anteà ſi diſputando non poſſet, ſcribendo non convincebat, truncata & depravata ab Auguſtini Diſcipulis S. Thomæ teſtimonia? Cur cùm Inquiſitores in Arnaldi Epiſtolam à Facultate nominati ſunt, non poſtulavit, non effecit ut, quod æquiſſimum erat, etiam aliqui ex Auguſtini Diſcipulis, quos Janſenianos vocat, ad examinandum ſeligerentur, quibuſcum de S. Thomæ doctrinâ circa ea quæ ad Arnaldi propoſitionem pertinebant conferret? Certè ſat multi erant aliis nec ætate, nec ingenio, nec doctrinâ impares. Cur cùm poſtulatum eſt inter deliberandum de Semihorâ, ut à Doctoribus ex utraque parte ſelectis publica in Facultate de Arnaldi propoſitione collatio ante judicium inſtitueretur, huic tam juſtæ poſtulationi ipſe non ſuffragatus eſt? Obtineat ille cum ſuis ab Eccleſiæ judicibus, ſeu Summo Pontifice, ſeu Epiſcopis, ut ad finiendam omnem controverſiam, collationem voce & ſcripto coram ſe fieri jubeant, ſicut coram fel. mem. Clemente VIII. & Paulo V. inſtituta eſt: ſiſtat ſe ille cum ſuæ ſententiæ patronis, quicumque illi ſint, habebit Auguſtini Diſcipulos ad defendendum, & viciſſim etiam ad accuſandum prom-

promtiſſimos. Non negabit fortè Summus Pontifex quod ambæ partes communibus votis ad veritatem pacemque firmandam poſtulaverint.

Verùm cùm renuentibus & obſtantibus Moliniſtis, nullam cum illis legitimam collationem inſtitui poſſe compertum ſit, alia ad diſputandum via, longior licet, quærenda eſt: hanc ſibi Pater Nicolaï ſcribendo patefecit. Jam ſcilicet habet campum ad diſputationem apertum. Suffragium Cenſorium de propoſitione Antonii Arnaldi Doctoris & Socii Sorbonici ad quæſtionem juris pertinente publicavit; hoc Opere refellitur: Theſes edidit; confutatæ ſunt: Arnaldi propoſitionem S. Thomæ auctoritate damnavit; hanc Arnaldus S. Thomæ doctrinæ penitùs conſentaneam eſſe Scripto in lucem edito comprobavit: Pater Nicolaï his tribus Operibus adversùs ſuam ſententiam vulgatis ſatisfaciat. Verum ſicut nullum S. Thomæ teſtimonium, ac nullum Patris Nicolaï argumentum à nobis omiſſum eſt, ita eâdem fide omnibus S. Thomæ teſtimoniis, argumentis omnibus hoc Opere propoſitis reſpondeat. Non varias ejus Interpretum opiniones exquirens, quia de his hoc Opere non agimus; ſed ejus mentem ac ſenſum genuinum ex ipſiuſmet Operibus ac ſententiis eruens, quod unum indagamus. Ante omnia verò declaret, *non tergiverſans, non in diverticula ſe conjiciens, non ſub foliis & ſub umbra ut lucifuga ſe occultans*, pag. 29. nec ut præſtigiator per ambiguas gratiæ ſufficientis voces lectoribus illudens, quid de gratiæ per ſe efficacis & phyſicè prædeterminantis ad ſingulos actus neceſſitate ſentiat: An credat gratiam per quam voluntas non ſolùm fit agendi potens, ſed per quam etiam infallibiliter & indeclinabiliter, non propter ſcientiam divinam quam mediam vocant, ſed propter efficaciam virtutis moventis, ad volendum aut operandum determinatur, ad ſingulos pios actus & perfectos & imperfectos neceſſariam eſſe: An credat eam neceſſariam eſſe etiam fidelibus ac juſtis omnibus ad orandum & vigilandum, ad præparandum ſe, ad impedimentum gratiæ non ponendum, & ad omnem uſum gratiæ excitantis, quæ à Thomiſtis ſufficiens vocatur! Id ſe credere cùm ſincerè profeſſus fuerit, tum illum compellemus ad agnoſcendum, nullum inter nos circa S. Thomæ doctrinam controverſiæ locum relinqui, Arnaldi propoſitionem ab eo iniquiſſimè damnatam eſſe, & S. Thomæ auctoritates quotquot retulit, inutili labore adversùm nos congeſtas. Id verò apertè confiteri ſi refugiat, jam non nobis, ſed univerſæ ſuæ ſcholæ cum illo, ut cum hoſte publico & manifeſto S. Thomæ Thomiſtarumque om-

nium doctrinæ deſertore ac proditore, configendum erit. Ergo ſi Joannes Nicolaï quod Opus adversùs iſtud noſtrum, non quidem tuendæ veritatis, ſed Moliniſtarum famæ qualicumque reſponſione apud vulgus ſuſtentandæ causâ, in lucem edat, nullam à nobis reſponſionem exſpectet, niſi in ipſo limine ſe ejuſdem gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſariæ defenſorem profiteatur, vel ſaltem, eâ penitus illæsâ, S. Thomæ teſtimonia & argumenta hoc Libro adversùs ipſum propoſita diluat ac enodet.

OBSERVATIO VIII.

Pater Nicolaï ſe, & in S. Thomæ operibus, & in Thomiſtarum libris admodum rudem profitetur, cum dicit 2. Parte pag. 30. S. Auguſtini Diſcipulos *illuſoriam S. Thomæ reverentiam exhibere*, quia prædicant eumdem ſanctum aliter de gratiâ juvenem, quàm ſenem ſenſiſſe, & multa in Sententiarum libris ſcripſiſſe, quæ poſteà maturâ ætate in Summâ & aliis Operibus emendavit & revocavit. Verùm quid Profeſſor Dominicanus S. Auguſtini Diſcipulis objicit, quod eorum nullus, niſi poſt Thomiſtas ex Ordine Prædicatorum & antiquos & recentes obſervavit? Ita Capreolus in 2. diſt. 28. q. 1. art. 3. in fine reſponſionum ad object. contra 4. concl. *Ad 2. dicitur quod de concordantiâ dictorum S. Thomæ in hac materiâ, quoad Scripta & Summam, non oportet quempiam ſollicitari, quia inter ea plana contradictio eſt. Nam in Scriptis ſecutus eſt viam magiſtrorum tunc currentium; in Summâ verò tenuit viam oppoſitam, tanquam ſecuriorem & dictis Sanctorum concordiorem & à Pelagiano errore remotiorem.* Idem inſinuat Alvares diſp. 56. n. 21. & citat huic ſuæ ſententiæ ſuffragantes Driedonem, De concordiâ fol. 56. pag. 2. Ruardum Tapperum Art. 3. contra Lutherum pag. 220. & Cardinalem Cajetanum in 1. 2. q. 109. art. 6. §. Nec obſtat. Si quæ ergo eſt in hâc obſervatione temeritas, & in S. Thomam irreverentia, hanc P. Nicolaï non S. Auguſtini Diſcipulis, ſed celeberrimis ſui Ordinis Doctoribus objiciat.

Verùm nec Thomiſtas nec S. Thomam diligenter unquam legit Primarius iſte Angelicæ doctrinæ in Pariſienſi Prædicatorum Studio Profeſſor. Quid enim certius & evidentius, quàm S. Thomam Caſſiani Semipelagiani lectioni aſſuetum, (a) ut in Breviario Romano refertur, multa in Sententias de præparatione ad gratiam, ſeu de ſalutis ac juſtificationis initio aſſeruiſſe, quæ poſteà in Summâ & aliis Operibus velut Pelagianum

(a) *Collationes Patrum aſſiduè pervolutabat.* In Feſto S. Thomæ lect. 6.

num ſeu Semipelagianum errorem refutavit? In 2. diſt. 28 q. 1. art. 4. Probat toto articulo hominem poſſe ſe ad gratiam præparare ſine aliquâ gratiâ actuali intrinſecâ, ſolamque motionem excitantem externam, puta admonitionem, ægritudinem corporis, vel aliquid hujuſmodi requiri; & hæc vocat, cum Caſſiano & aliis Semipelagianis, OCCASIONES SALUTIS. *Mutatio voluntatis*, inquit, *effici non poteſt ſine aliquo movente per modum excitantis. Omne enim motum neceſſe eſt ab alio moveri, nec differt quidquid ſit illud quod hujuſmodi variationis* OCCASIONEM *præbeat, quaſi voluntatem excitando, ſive ſit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquid hujuſmodi; quæ omnia conſtat divinæ providentiæ ſubjecta eſſe, & in bonum electorum ordinata. Unde quidquid illud fuerit quod hominem excitaverit ad convertendum ſe, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data dici poteſt; & ſic ſine gratiâ gratis datâ homo ſe ad gratiam non præparat.*

Deinde probat neceſſe non eſſe ut talis excitatio, ſeu admonitio, ſeu occaſio, ſit intrinſeca. *Quidam enim*, inquit, *dicunt quod nullus poteſt ſe ad gratiam gratum facientem præparare, niſi per aliquod lumen menti infuſum, quod eſt donum gratiæ gratis datæ: iſtud autem non videtur conveniens, & præterea ſecundùm hoc eſſet abire in infinitum, quia etiam illud lumen gratiæ gratis datæ non daretur alicui, niſi qui ad illud recipiendum ſe præparavit, &c. Et ideò aliis conſentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam, ex ſolo libero arbitrio ſe homo poteſt præparare. Faciendo enim quod in ſe eſt, gratiam à Deo conſequitur: hoc autem ſolùm in nobis eſt, quod in poteſtate liberi arbitrii conſtitutum eſt.* Ibid. art. 3. dicit S. Paulum, cùm ad Chriſtum ſe convertit, divinâ gratiâ intùs motum non fuiſſe, ſed ſolùm exteriùs.

Item in 2. diſt. 5. q. 2. art. 1. *Quidam dicunt quod ad converſionem meritoriam exigitur duplex gratia: una gratum faciens, quæ informat converſionis actum & meritorium reddit: alia gratis data, à quâ elicitur ſubſtantia actus, & quæ liberum arbitrium inclinat ad volendum. Sed iſtam gratiam ponere non videtur neceſſarium, niſi ipſa libertas arbitrii gratia dicatur, quæ procul dubio nobis à Deo eſt, vel aliquæ* OCCASIONES, *quæ quandoque dantur hominibus à Deo ad converſionem, ut inſtructio legis & caſtigatio ad humilitatem, & alia hujuſmodi; ſine quibus tamen poſſibile eſt gratiam conſequi, quia ſi homo facit quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam: ad hoc autem faciendum non exigitur aliquid aliud. Illud enim ad quod non poteſt per ſe liberum arbitrium, non eſt in homine ut faciat illud. Illud enim in nobis eſſe dicitur, cujus nos Domini ſumus*

ſumus. Unde poſitio iſta implicat contradictionem, dum poſuit quod ad faciendum illud quod in nobis eſt, liberum arbitrium non ſufficit.

S. Thomas iſtam à Caſſiano, cujus Collationes, ut in Breviario refertur, aſſiduè pervolutabat, doctrinam procul dubio hauſerat. Sic enim Caſſianus & alii Semipelagiani externa illa excitantia, & primos voluntatis conatus, OCCASIONES SALUTIS vocare conſueverant. *Annuntiatur*, inquiunt illi in Epiſtola Hilarii ad S. Auguſtinum, *obtinendæ ſalutis* OCCASIO; *eo merito quo voluerint & crediderint à ſuo morbo ſe poſſe ſanari.* Et in Epiſtola S. Proſperi ad eumdem S. Auguſtinum aſſerunt, *omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis inſtitutionibus* ADMONERI, *ut de apprehendenda vitâ æternâ nemo deſperet, cùm voluntariæ devotioni remuneratio ſit parata.... Ab his vitam æternam apprehendi qui Deo ſponte crediderint & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Ita Caſſianus Collatione 13. c. 13. *Deus ab homine quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigit, vel exſpectat, ne penitùs dormienti aut inerti otio diſſoluto ſua dona conferre videatur*: OCCASIONES *quodam modo quærens, quibus humanæ ſegnitiei torpore diſcuſſo, non irrationabilis munificentiæ ſuæ largitas videatur.* Et c. 8. OCCASIONES *præſtruit vitæ & opportunitatem boni effectus, ac ſalutaris viæ directionem demonſtrat errantibus.* Et c. 18. *Nunc autem* OCCASIONES *& opportunitates ſalutis ingerere.*

Certum ergo eſt & evidens S. Thomam juvenem in Sententias ea docuiſſe quæ Semipelagianum errorem continent: ea autem maturiori ætate in Summâ & aliis Operibus emendavit ac expreſsè revocavit, ut ad Pelagianum errorem pertinentia, hoc eſt, ad Semipelagianum: nam S. Thomas Pelagianum errorem à Semipelagiano diſtinguere non ſolet.

1. 2. q. 109. art. 6. & q. 112. art. 2. oſtendit præparationem ad gratiam eſſe non poſſe ſine auxilio Dei interiùs moventis. *Unde patet*, inquit, *quòd homo non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ ſuſcipiendum, niſi per auxilium gratuitum Dei interiùs moventis.* Item 1. p. q. 23. art. 5. *Quidquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, totum comprehenditur ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit, niſi per auxilium divinum, ſcilicet interiùs movens, ſecundùm illud Thren. ult. Converte nos Domine ad te & convertemur.* Dicit autem in Pelagii errorem incidere, qui hujus auxilii interiùs moventis neceſſitatem ad incipiendum, ſeu ad præparandum ſe negaverit. *Poſuerunt enim Pelagiani*, inquit hoc eod. art. 5. *quòd initium benefaciendi ſit ex nobis, conſummatio autem à Deo.* Et in 12. ad Hebr. lect. 3. oſtendit, præparare ſe ad gratiam, ſeu non ponere obſta-

obſtaculum gratiæ, eſſe ex gratiâ & electione Dei, aliàs induci errorem Pelagii. *Sed contra*, inquit, *quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc quod aliquis non ponat obſtaculum: ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagii.*

Et Quodlib. 1. art. 7. expreſsè refutat & ut Pelagii errorem cavendum docet, quod dixerat in Sent. de exterioribus moventibus ac de occaſionibus ſalutis. *Cavendu eſt*, inquit, *error Pelagii, qui poſuit quòd per liberum arbitrium, &c. Indiget autem divino auxilio, non ſolùm quantùm ad exteriora moventia, prout ſcilicet ex divinâ providentiâ procurantur homini* OCCASIONES *ſalutis, puta prædicationes, exempla, & interdùm ægritudines & flagella: ſed etiam quantùm ad interiorem motum, prout Deus cor hominis interiùs movet ad bonum.*

Item 1. 2. q. 109. art. 6. ad 3. refutat quod dixerat in Sententias; Si gratia requireretur ad præparationem gratiæ habitualis, daretur proceſſus in infinitum, ſic loquitur. *Sed hoc quod homo moveatur à Deo non præexigit aliquam aliam motionem, cùm Deus ſit primum movens: unde non oportet abire in infinitum.* Et 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. Et q. 113. art. 10. in Corp. Et de Verit. q. 28. art. 3. ad 13. refutat quod dixerat in Sent. S. Paulum in ſuâ converſione interiùs non fuiſſe divino auxilio motum.

Item multis in locis refutat, ſeu ad Catholicum ſenſum revocat quod dixerat, Homini facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam 1. 2. q. 112. art. 3. Et 1. 2. q. 109. art. 6. ad 2. *Cum dicitur homo facere quod in ſe eſt, dicitur hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quod eſt motus à Deo.* Et in 10. ad Rom. lect. 3. *Si qui tamen eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundùm ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis Prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16. ſed tamen hoc ipſum, quòd aliqui faciunt quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum. Thren. 5. Converte nos Domine ad te, & convertemur.*

Item in 7. ad Rom. lect. 3. in hæc verba, *Velle adjacet mihi* (quibus Caſſianus utebatur, *ut per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia* oſtenderet, ut patet ex ejus verbis cap. 8. S. Proſperi contra Collatorem) ſic, inquam, loquitur S. Thomas. *Hoc autem verbum patrocinari videtur Pelagianis* (id eſt Semipelagianis) *qui dicebant, quòd initium boni operis eſt ex nobis, in quantùm bonum volumus: & hoc eſt quod videtur Apoſtolus dicere, Perficere autem bonum non invenio: ſed hunc ſenſum excludit Apoſtolus Philipp. 2. dicens: Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*

cere. Quod, in hæc Apoſtoli verba, de Deo interiùs movente intelligendum eſſe docet: *Quia interiùs*, inquit, *per inſtinctum movet voluntatem ad bene operandum.* Ubi & ſimiliter docet his verbis excludi *falſam exiſtimationem Pelagianorum dicentium electiones eſſe in nobis, ſed proſecutiones operum à Deo: quia velle eſt à nobis, ſed perficere à Deo. Et hoc*, inquit, *excludit dicens, Et velle & perficere. Rom. 9. Non eſt volentis, ſcilicet velle, ſine auxilio Dei, neque currentis, ſcilicet currere, ſed miſerentis eſt Dei.* Cum ergo S. Thomas anteà falſæ Caſſiani exiſtimationi juvenis adhæſiſſet, jam maturiori ætate S. Proſperi contra eumdem doctrinam amplectitur. Similiter enim S. Proſper Caſſianum refutat contra Collatorem c. 8. his verbis. *Dixit quidem B. Apoſtolus: Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio; ſed idem dixit: Non quod idonei ſimus cogitare aliquid ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Et idem dixit: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.*

Itaque cum negari non poſſit, S. Thomam aliter juvenem de gratiâ ſenſiſſe & ſcripſiſſe, aliter ſenem; & in Summâ atque aliis Operibus multa circa gratiam ad initium juſtificationis requiſitam emendaſſe & retractaſſe, quæ in Sententias aſſeruerat, id ſine ullo contemtu & irreverentiâ de S. Thomâ dici poteſt, à quocumque dicatur, quia veraciter dicitur: ſicut qui dicit S. Auguſtinum in libris ante Epiſcopatum Semipelagianum errorem tradidiſſe, quem poſteà correxit ac revocavit, Sanctum hunc Doctorem nullo modo contemnit, nec illuſoriam ei reverentiam exhibet. Hoc autem non obſervavi, quaſi quæ P. Nicolaï ex Operibus S. Thomæ in Sententias teſtimonia refert non admittam. Nihil enim citat ex Sententiis aut ex aliis Operibus in quibus Sanctus ille Doctor rectè non ſenſerit, & ejuſdem Patris Nicolaï de gratiâ actuali interiori ſufficiente opinionem non rejecerit; ſed Profeſſoris hujus in S. Thomæ doctrinâ & Thomiſtarum Operibus imperitiam, præpoſterumque in S. Thomam ſtudium, & in S. Auguſtini Diſcipulos odium, hâc in re demonſtrare tantùm volui.

ARGUMENTUM ET PARTITIO OPERIS.

Pater Nicolaï ſecundâ Suffragii ſui parte multas S. Thomæ auctoritates pro gratiâ ſufficiente aſtruendâ refert, ac eas in quinque claſſes diſtribuit, & claſſes numeris diſtinguit; nos hoc Opere ſingula S. Thomæ teſtimonia quæ his in claſſibus retulit

retulit exponemus, & à perverſo ſenſu illis per eum affićto vindicabimus: atque ut ex his potiſſimùm concludit juxta S. Thomam gratiam actualem interiorem ſufficientem omnibus hominibus ſemper dari, ac præſertim fidelibus & juſtis; nos hoc Opere oſtendere nitemur, nihil eſſe in S. Thomæ doctrinâ certiùs, quàm gratiam actualem ſufficientem omnibus hominibus ſemper non dari, ac nullum à Patre Nicolaï teſtimonium proferri, ex quo concludi poſſit eam aut omnibus hominibus, aut etiam omnibus fidelibus ac juſtis ſemper & in omnis peccati occaſione dari. Ut verò S. Thomæ circa gratiam ſufficientem doctrina pleniùs & fructuoſiùs exponatur, non ſolùm confutabimus quæ à Patre Nicolaï objecta ſunt; ſed etiam certis teſtimoniis S. Thomæ ſententiam confirmabimus. Quæ P. Nicolaï quinque claſſibus, nos quinque ſectionibus complectemur, ac ſingulas ſectiones dividemus in articulos.

In primâ Sectione explicabimus eą teſtimonia in quibus S. Thomas dicit Deum, quantùm in ſe eſt, gratiam ſuam omnibus dare, ac quidquid P. Nicolaï in 1. & 2. claſſe retulit explanabimus.

In ſecundâ Sectione referemus omnia quæ ad poſſibilitatem præceptorum ſpectant, tertiâ claſſe Patris Nicolaï contenta.

Verùm quia alia ſunt è S Thoma argumenta, ex quibus Moliniſtæ gratiam ſufficientem communem aſtruere ſolent, quæque P. Nicolaï prætermiſit, ſcilicet imputatio peccati, voluntas Dei pro omnium ſalute, & mors Chriſti pro omnibus quoad ſufficientiam pretii, ne quid deſit plenæ S. Thomæ hac de quæſtione elucidationi, Tertiâ Sectione de his agemus.

Quarta Sectio continebit eorum teſtimoniorum expoſitionem, quibus probatur auxilium Dei moventis ſemper efficax eſſe ad actum ad quem ex Dei intentione & abſolutâ voluntate ordinatur, & eorum quæ à P. Nicolaï quartâ claſſe objecta ſunt confutationem. Hujus claſſis exordium ille duxit à gratiæ ſufficientis & efficacis nomine & ſignificatione: ita & nos primò inveſtigabimus quæ ſit propria apud S. Thomam cauſæ ſufficientis & gratiæ ſufficientis ſignificatio: deinde oſtendemus quantùm ille Doctor & à S. Thomâ, & à recentioribus Thomiſtis hâc in re aberraverit.

Denique Sectione quintâ dicemus de causâ defectus gratiæ, ad explicanda S Thomæ teſtimonia quintâ claſſe relata. Quia verò germanam S. Thomæ doctrinam, potiùs quàm ejus Interpretum, inveſtigare & exhibere nobis propoſitum eſt, eam ex ipſis S. Thomæ Operibus & ſententiis, non verò ex Thomiſtarum opinionibus, eruemus.

Ne

Ne autem actum agamus, quantùm fieri poterit, nihil ex iis quæ Arnaldus in ſuo Scripto circa S. Thomæ de gratiâ ſufficiente & efficace doctrinam dixit, repetemus. In eo potiſſimum oſtendit juxta S. Thomam hominem ſine auxilio efficaci Dei moventis non poſſe id velle aut agere ad quod neceſſarium eſt; expoſuit quodnam poſſe gratiæ habituali S. Thomas tribuat; luculenter etiam multis S. Thomæ teſtimoniis probavit auxilium Dei moventis ſemper eſſe efficax, quantùm ad effectum ſeu ad actum piæ voluntatis, ad quem ex Dei intentione & abſolutâ voluntate ordinatur, quæ ad ejus propoſitionem S. Thomæ auctoritate aſtruendam explicari oportuit. Igitur hæc nos prætermittemus, niſi quòd aliqua S. Thomæ teſtimonia circa gratiam ſemper efficacem ab Arnaldo rectiſſimè expoſita iterum tractabimus, ut ea à perverſis ſenſibus Patris Nicolaï vindicemus, cujus Suffragium confutare Arnaldo propoſitum non fuit.

VIN-

VINDICIÆ SANCTI THOMÆ CIRCA GRATIAM SUFFICIENTEM.

Adversùs P. JOANNEM NICOLAI, Ordinis Fr. Prædicatorum & Doctorem Pariſienſem.

SECTIO PRIMA.

In quâ ex iis locis in quibus S. Thomas docet, Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare, gratiam actualem, ſufficientem dictam, omnibus non dari oſtenditur; & omnia ejuſdem Sancti teſtimonia à P. Nicolai 1. & 2. Claſſe relata exponuntur, & à pravo ſenſu illis per eum affictо vindicantur.

PATER Nicolai primum argumenti genus ad gratiam actualem ſufficientem communem S. Thomæ auctoritate aſtruendam ex iis teſtimoniis repetit, in quibus idem Sanctus Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare aſſerit. Indiſcriminatim autem ea teſtimonia refert, ex quibus modò gratiam actualem ſufficientem omnibus ſemper dari contendit, modò fidelibus omnibus & juſtis. Nos, quibus non ſolùm Patris Nicolaï ſententiam confutare, ſed etiam noſtram illi contrariam S. Thomæ auctoritate confirmare propoſitum eſt, ex iiſdem etiam locis primò probabimus, juxta S. Thomam gratiam actualem ſufficientem dictam omnibus non dari; deinde oſtendemus omnia ejuſdem Sancti hâc de re teſtimonia, quæ P. Nicolai 1. & 2. claſſe ad ſuam ſententiam confirmandam refert, perverſo & alieno penitùs ſenſu ab eo uſurpata eſſe, nec eſſe ullum ex quo ſequatur gratiam actualem ſufficientem, aut omnibus hominibus, aut omnibus fidelibus ac juſtis, ſemper & pro omni actu dari.

ARTICULUS I.

In quo exponitur illud S. Thomæ teſtimonium in 12. *ad Hebræos à P. Nicolai* 1. *Claſſe relatum* : Gratia nulli deeſt; ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat, &c. *Oſtenditurque eo in loco S. Thomam expreſſè docere, gratiam actualem ſufficientem omnibus non dari.*

SAnctus Thomas in caput 12. ad Hebr. lect. 3. hæc Apoſtoli verba exponens: *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*; ſic loquitur. *Gratia etſi non habeatur ex meritis, alioquin gratia non eſſet gratia: tamen oportet quòd homo faciat quod in ſe eſt, Deus autem voluntate ſuâ liberaliſſimâ dat eam omni præparanti ſe. Apocalypſ.* 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.* 1. *Tim.* 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri. Et ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat: ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis.* (P. Nicolai hæc verba retulit, ſed fraudulenter omiſit ſequentia, quia ipſi penitùs adverſa.) *Dicit ergo, Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei. Sed contra, quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc quod aliquis non ponit obſtaculum, ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagii. Reſpondeo: Dicendum eſt, quòd hoc ipſum, quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratiâ procedit. Unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam: Gal.* 1. *Cum autem placuit ei qui me ſegregavit ex utero matris meæ & vocavit per gratiam ſuam*, &c. *Hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens:* QUOD ERGO A QUIBUSDAM REMOVETUR ISTUD OBSTACULUM, HOC EST EX MISERICORDIA DEI; QUOD AUTEM NON REMOVETUR, HOC EST EX JUSTITIA EJUS.

Hæc S. Thomæ doctrina adeò Patris Nicolai ſententiæ repugnat, ut vel his ſolis verbis quidquid in Suffragio cenſorio retulit confutetur: quòd ut clarè pateat aliqua apud S. Th. certa & indubitata ſupponenda ſunt.

1. Certum eſt gratiam Dei dari omnibus ſe ad eam præparantibus; atque id de gratiâ habituali à S. Thomâ vulgò intelligi, ut fatetur P. Nicolai: *Nec intereſt*, inquit 1. claſſe pag. 32. *gratiam ibi habitualem indicari, quæ ſe ad illam præparanti non deſit.* Sed de gratiâ actuali ex ſe efficaci ad tentationem vincendam, peccatum fugiendum, ac præceptum implendum neceſſariâ, ſimiliter id verum eſt; ſiquidem Deus omni homini ſe præparanti, dignè ſcilicet & ut oportet, gratiam ad vincendam tentationem, peccatum fugiendum, & præceptum implendum neceſſariam nunquam denegat.

2. Cert-

2. Certum eſt apud S. Thomam, ex omnium Thomiſtarum conſenſu, gratiam actualem ex ſe efficacem neceſſariam eſſe homini ut ſe ad gratiam habendam præparet; ſiquidem gratia ex ſe efficax neceſſaria eſt ad ſingulos pios actus, ſeu perfectos, ſeu imperfectos.

3. Certum eſt, ex loco citato, idem eſſe apud S. Thomam, Se præparare ad gratiam, & Non ponere obſtaculum gratiæ. Quamvis enim præciſè & formaliter idem non ſint, &, Præparare ſe ad gratiam, plus dicat, quàm, Non ponere obſtaculum gratiæ; ſiquidem hoc ſolùm ſignificat remotionem impedimenti, illud verò ſuperaddit ordinem poſitivum ad gratiam: tamen quia utrumque ponitur à S. Thomâ eſſe effectus ejuſdem gratiæ actualis, ideò pro eodem uſurpatur. Atque adeò in doctrinâ S. Thomæ, ſicut datur gratia ſe ad gratiam præparanti, ita & obſtaculum non ponenti; & ſicut, Præparare ſe ad grátiam, aliquem pium actum ſemper includit, ita &, Non ponere obſtaculū gratiæ, aliquem etiam pium actum ſemper includit.

Itaque cùm conſtet ex S. Thomâ gratiam ſemper dari iis qui ſe ad eam habendam præparant, ſeu qui ei obſtaculum non ponunt, & gratia actualis neceſſaria ſit, etiam ad præparandum ſe & ad obſtaculum non ponendum, nec de iſtis ulla ſit inter nos contentio; de hoc uno quæſtio eſſe poteſt, An ex S. Thomâ gratia actualis omnibus ſemper detur ut ſe ad gratiam habendam præparent, ſeu ut gratiæ obſtaculum non ponant. Ita eſſe affirmat P. Nicolai, idque citato S. Thomæ teſtimonio probare aggreditur; ſed ita perversè, ut ibidem ſanctus ille Doctor disertè aſſerat gratiam ad ſe præparandum, ſeu ad obſtaculum removendum, omnibus non dari.

Ex hoc enim S. Thomæ teſtimonio gratia actualis ad removendum obſtaculum omnibus non datur, ſeu cor omnium non movetur ex dono gratiæ ad removendum illud: *Dicendum eſt*, inquit, *quod hoc ipſum quod aliquis non ponit obſtaculum, ex gratiâ procedit: unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam. Quòd ergo à quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordiâ Dei*: QUOD AUTEM NON REMOVETUR, HOC EST EX JUSTITIA EJUS.

Hanc autem doctrinam, quâ S. Thomas gratiam actualem ad removendum obſtaculum, ſeu ad præparandum ſe, omnibus non dari affirmat, tantâ tum certitudine proponit, ut ſententiam contrariam ad errorem Pelagii revocet: *Sed contra*, inquit, *quia ſi gratia non datur ex operibus, ſed tantùm ex hoc quod aliquis non ponit obſtaculum: ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagii.* Cui objectioni reſpondet: *Quòd aliquis non ponat obſtaculum,*

culum, ex gratiâ Dei per miſericordiam ſuam vocantis procedere.

Unde concludit, ex miſericordiâ Dei eſſe, quòd à quibuſdam removeatur; & ex ejus juſtitiâ, quòd à quibuſdam non removeatur. Ergo ut caveatur error Pelagii & catholica veritas aſtruatur, dicendum eſt quòd non ponere obſtaculum gratiæ, ſeu præparare ſe ad gratiam, procedit ex gratiâ & electione Dei, quâ Deus ex miſericordiâ aliquorum cor movet ad removendum obſtaculum, & aliquorum ex juſtitiâ non movet: ſeu dicendum eſt, quòd non ponere obſtaculum gratiæ procedit ex gratiâ quam Deus aliquibus dat, & aliquibus non dat. Id negans P. Nicolaï in errorem Pelagii juxta S. Thomam incidit, & veritatem Catholicam impugnat, adeò perversè egregius ille S. Thomæ interpres ejus doctrinam adulterat, ut quod ſanctus ille Doctor velut errorem Pelagianum confutat, iſte velut propriam ſancti Thomæ ſententiam uſurpet.

Quid ergo, inquies, hæc S. Thomæ verba ſignificant? *Gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat: ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis.* Hic eſt horum verborum ſenſus: Gratia nulli deeſt ſe ad illam præparanti, omnibus, quantùm in ſe eſt, hoc eſt, omnibus illi obſtaculum non ponentibus, ſe communicat. Hæc ipſa eſt S. Thomæ ratiocinatio. *Deus*, inquit, *voluntate ſuâ liberaliſſimâ dat gratiam omni præparanti ſe... Et ideò gratia nulli deeſt,* ſcilicet præparanti ſe: gratiam autem ad ſe præparandum, ſeu ad removendum obſtaculum, omnibus non dari, confeſtim docet. Hæc itaque verba, ſi ſequentia non omittantur, difficultatem nullam movent. Eorumdem verborum (quantùm in ſe eſt) ſenſum pleniùs exponemus ac confirmabimus art. 4. poſtquàm ſimilem omninò ſententiam ex l. 3. contra gentes c. 159. deſumtam retulerimus.

Hinc verò patet quàm parùm Patri Nicolaï ſuffragetur hoc S. Thomæ teſtimonium q. 14. de verit. art. 11. ad 1. ubi ait: *Hoc ad divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, ſummodò ex ejus parte non impediatur.* Nam quæſtio non eſt an Deus, quantùm in ſe eſt, det neceſſaria ad ſalutem non ponentibus impedimentum: ſed an det omnibus gratiam ad removendum impedimentum. In doctrinâ S. Thomæ omnibus non ponentibus impedimentum, ac ſe ad gratiam præparantibus gratiam dari concedimus; ſed omnibus ad impedimentum non ponendum & ad præparandum ſe gratiam dari pernegamus, nunquam à S. Thomâ aſſertum dicimus, imò ab eo in 12. ad Hebr. expreſsè negatum demonſtramus. Cùm ergo P. Nicolaï pronuntiat, nihil eſſe hoc teſtimonio ad gratiam communem probandam expreſſius, teſtatur quàm parùm intelligat quæ ex S. Thomâ refert, & quàm parùm ſciat quæ S. Thomas docet.

A R-

ARTICULUS II.

In quo exponitur illud teſtimonium l. 3. contra gentes c. 159. Deus, quantùm in ſe eſt paratus eſt omnibus gratiam dare, *&c. Pariterque oſtenditur, S. Thomam hoc loco expreſſè docere, gratiam ſufficientem omnibus non dari.*

EST aliud S. Thomæ teſtimonium l. 3. contra gentes c. 159. præcedenti penitùs ſimile, à P. Nicolaï 1. claſſe ad gratiam communem aſtruendam pariter, nec minùs infeliciter uſurpatum; cùm hoc loco S. Thomas gratiam omnibus non dari diſertè pronuntiet, ac multis capitibus confirmet. Ita S. Thomas.

Cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii, impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. Vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Tim. 2. Sed illi ſoli gratiâ privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut, ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licet videre non poſſit, niſi lumine ſolis præveniatur.

Certum eſt, ut fatetur P. Nicolaï, gratiam habitualem ibi indicari, quæ ſe ad illam præparanti non deſit: de hoc ergo nulla eſt inter nos controverſia. Sed quæritur; an omnibus detur gratia quâ ſe ad illam præparent, ſeu quâ illius receptioni impedimentum non præſtent? Id autem ex hoc loco P. Nicolaï nequaquam probat, niſi per falſam conſequentiam infra à nobis refutandam, poſtquam ex hoc ipſo loco gratiam omnibus communem à S. Thomâ non doceri, imò negari & impugnari, conſtiterit.

Dicit ergo S. Thomas, eſſe in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, atque ita non immeritò in culpam imputari ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Hinc Moliniſtæ concludunt, ſemper dari auxilium Dei moventis iis qui peccant, cùm non aliter ſit in poteſtate liberi arbitrii non impedire gratiæ receptionem, quàm per Dei moventis auxilium. Hinc Petrus à S. Joſeph inſignis Moliniſta concludit in ſuâ Defenſione S. Thomæ *diſp.* 1. *Sect.* 10. §. 2. in doctrinâ S. Thomæ non dari auxilium phyſicè prædeterminans: *Cum ergo*, inquit, *per hominem non ſtet quin phyſicè prædeterminetur, ſed per Deum ſolum qui ex merâ ſuâ libertate ſtatuit illi prædeterminationem non immittere, homini imputari non poteſt ſi non convertitur; aut ſi hoc illi imputatur, ut ſit, dici non poteſt, quòd ad converſionem*

verſionem motione prædeterminante indigeat. Verùm iſta argumentatio per verba S. Thomæ immediatè ſequentia refellitur. Sic enim S. Doctor c. 160. ſeipſum interpretatur.

Quod autem dictum eſt in poteſtate liberi arbitrii eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his in quibus naturalis potentia integra fuerit, hoc eſt, his qui ſunt in ſtatu naturæ integræ; qualis fuit in primo parente ante peccatum, non verò his qui ſunt in ſtatu naturæ corruptæ.

Certum eſt enim S. Thomam per integritatem naturæ ſemper intellexiſſe ſtatum hominis, antequàm liberum arbitrium Adæ peccato vulneratum eſſet, ut patet ex 1. 2. q. 109. per multos articulos, & hanc ſuam doctrinam iiſdem ferè verbis confirmat in illud Joan. 6. *Nemo poteſt venire*, &c. *Aliter autem*, inquit, *quantùm ad hoc pertinet, poſſumus loqui de hominibus in ſtatu naturæ integræ, & aliter in ſtatu naturæ corruptæ. Nam in naturâ integrâ non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac tractione.* Illud rectè adnotavit Franciſcus Ferrarienſis in hunc locum. *Per naturalem potentiam*, inquit, *intelligit S. Thomas liberi arbitrii potentiam, quæ etiam voluntas dicitur, nullo peccato nullâque inordinatione vitiatam, ſicut erat in primo parente antequàm peccaret.*

Itaque S. Thomas hoc loco gratiam omnibus dari non ſolùm non aſſerit, ſed potiùs docet eam omnibus non dari. Cur enim quod generaliter ſtatuiſſe videbatur hac exceptione limitat, ut de ſtatu hominis ante peccatum intelligi velit, niſi quia nunc ob naturæ corruptionem *non eſt in poteſtate liberi arbitrii impedimentum gratiæ non præſtare.* Ex quo ſequitur, hoc in ſtatu non dari ſemper omnibus gratiam quæ tribuit libero arbitrio poteſtatem impedimentum gratiæ non præſtandi; ſicut in loco anteà citato in 12. ad Hebr. expreſsè affirmat.

Atque etiam in capitibus ſequentibus illud ipſum tam diſertis verbis docet, ſcilicet omnibus gratiam non dari quâ impedimentum gratiæ non præſtent, ut ea omnia P. Nicolai reticere coactus ſit: quibus ejus in exponendâ S. Thomæ mente fallacia tam apertè convincitur. Hæc enim habet S. Doctor c. 160. 161. & 162.

Quamvis autem illi qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, ut oſtenſum eſt, niſi auxilio gratiæ præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam: quia hic defectus ex culpâ præcedente in eis relinquitur: ſicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſuâ culpâ incurrit. Prætereà licet ille qui eſt in peccato, non habeat hoc in propriâ poteſtate, quòd omninò vitet peccatum; habet tamen poteſtatem nunc vitare hoc vel illud peccatum, ut dictum eſt: unde quodcumque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò ei imputatur ad cul-

culpam. Licet autem ille qui peccat impedimentum gratię prętet, & in quantùm ordo rerum exigit, gratiam non deberet recipere; tamen quia Deus prater ordinem rebus inditum operari poteſt, ſicut cùm cęcum illuminat, vel mortuum reſuſcitat, interdum ex abundantiâ bonitatis ſuę, etiam eos qui impedimentum gratia pręſtant, auxilio ſuo prævenit, avertens eos à malo & convertens ad bonum: & ſicut non omnes cęcos illuminat, nec omnes languidos ſanat, ut in illis quos curat opus virtutis ejus appareat, & in aliis ordo naturę ſervetur; ita non omnes qui gratiam impediunt auxilio ſuo prævenit, ut avertantur ad malum & convertantur ad bonum, ſed aliquos in quibus vult ſuam miſericordiam apparere, ita quòd in aliis juſtitię ordo manifeſtetur. Hinc eſt quod Apoſtolus dicit ad Rom. 9. Volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa irę, apta in interitum, ut oſtenderet divitias glorię ſuę in vaſa miſericordię, quę preparavit in gloriam. Cum autem Deus hominum qui in eiſdem peccatis detinentur, hos quidem prævenıens convertat, illos autem ſuſtineat, ſive permittat ſecundùm ordinem rerum procedere, non eſt ratio inquirenda, quare hos convertat, & non illos. Hoc enim ex ſimplici ejus voluntate dependet, ſicut ex ſimplici ejus voluntate proceſſit, quòd cùm omnia fierent ex nihilo, quędam facta ſunt aliis digniora; & ſicut ex ſimplici voluntate procedit artificis, ut ex eâdem materiâ ſimiliter diſpoſitâ quędam vaſa formet ad nobiles uſus, & quędam ad ignobiles. Hinc eſt quod Apoſtolus dicit ad Rom. 9. An non habet poteſtatem figulus luti.... Quamvis autem quoſdam peccatores Deus ad ſe non convertat, ſed in peccatis, ſecundùm eorum merita, eos relinquat: non tamen eos ad peccandum inducit. Homines enim peccant per hoc quod deviant ab ipſo qui eſt ultimus finis..... Inveniuntur tamen quędam in Scripturis, ex quibus videtur quòd Deus ſit aliquibus cauſa peccandi. Dicitur enim Exod. 10. Ego induravi cor Pharaonis &c. Quę omnia ſecundùm hoc intelligenda ſunt, quod Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibuſdam confert. Hoc autem auxilium eſt, non ſolùm infuſio gratię, ſed etiam exterior cuſtodia, per quam occaſiones peccandi ei homini ex divinâ providentiâ tolluntur, & provocantia ad peccatum comprimuntur.

Ex his omnibus evidentiſſimè colligitur, gratiam actualem interiorem, ſufficientem omnibus hominibus hoc in ſtatu communem, à S. Thoma admiſſam non eſſe, cùm doceat quòd Deus omnes auxilio ad vitandum peccatum neceſſario non prævenit; quòd non eſt in poteſtate liberi arbitrii impedimentum gratiæ non præſtare, niſi in naturâ integrâ ante peccatum primi parentis; quòd licet gratiam habitualem omnibus ſe ad eam præparantibus det, & illi ſoli eá priventur qui in ſeipſis illi impedimentum præſtant; omnibus tamen non dat gratiam quâ ſe præ-

parent, & impedimentum non præſtent, cùm tamen omnes impedimentum gratiæ præſtent, niſi Deus gratia ſuâ eos misericorditer præveniat; quòd gratiam hanc prævenientem, ad removendum impedimentum neceſſariam, Deus nemini debet, & ad ſuæ juſtitiæ oſtenſionem quibuſdam non largitur, & quibuſdam ex gratiâ & ex abundantiâ bonitatis, & præter rerum ordinem agens largitur; quòd aliquibus ad vitandum peccatum non confert auxilium, non ſolùm gratiæ interioris ſeu infuſæ, ſed etiam cuſtodiæ exterioris; quòd peccatum homini juſtè à Deo imputatur, etſi gratia neceſſaria deſit; quòd Deus homines ſibi ipſis derelinquens non eſt cauſa peccati, ſed homines: quia per hoc peccant quòd deviant ab ultimo fine; quòd denique ex ſimplici Dei voluntate pendet, ſi unum & non alium prævenit & convertit. Quæ omnia cùm numquam per gratiæ interioris communis doctrinam, ſed per alia principia exponant, quantùm ab hac gratiæ ſufficientis omnibus, cùm præceptum urget, ſemper datæ ſententiâ abhorreat, luce clariùs innoteſcit.

Quantùm verò tota hæc S. Thomæ doctrina Joannis Nicolaï cæterorumque Moliniſtarum ſenſui ac principiis ſit contraria, legenti per ſe patet: cùm è contra doceant, Deum omnes ſuâ gratiâ ſemper prævenire; ſemper eſſe in poteſtate liberi arbitrii per gratiam actualem ſemper præſentem præparare ſe ad gratiam recipiendam, & illi impedimentum non præſtare; non imputari peccatum, ſi gratia ad illud vitandum neceſſaria deſit; gratiam omnibus, cùm præceptum urget, ex juſtitia deberi; eam ſecundùm ordinem rerum, puta ſecundùm ordinem bonitatis & juſtitiæ Dei, omnibus in peccato exiſtentibus dari; nunquam homines ſibi à Deo relinqui, aliàs eum fore cauſam peccati; Denique ex ſimplici Dei voluntate non pendere quòd hos convertat, & non illos.

ARTICULUS III.

In quo ſolvuntur argumenta, quibus P. Nicolaï probare nititur S. Thomæ teſtimoniis ſupra allatis gratiam ſufficientem aſtrui.

FRuſtrà verò P. Nicolaï Moliniſticis argumentis corroborare nititur quod S. Thomas apertiſſimè impugnat: fruſtrà gratiam ſufficientem communem, quam ex S. Thomæ verbis & doctrinâ aſtruere non poteſt, per fallaces conſequentias deducit. De S. Thomæ ſententiâ agitur: illa verò ex ipſiuſmet doctrinâ inquirenda, vel per conſequentias apud eum poſitas & penitùs exploratas eruenda.

Nec intereſt, inquit P. Nicolaï, *gratiam ibi habitualem indicari, quæ ſe ad illam præparanti non*

non deſit; quia cùm ei cui gratia talis deeſt, defectus ipſe præparationis imputetur ad culpam, nec ad eam interim conſequendam ſine gratiâ interiori actuali movente præparare ſe poſſit, numquid hoc ipſo conſequens eſt, interiorem illam actualem gratiam ei etiam non deeſſe qui ſe per illam non præparat; aut quid aliud inſinuat 1. 2. q. 76. a. 2. *ad* 2. *cùm ait quod* [*etſi privatio gratiæ ſecundùm ſe non ſit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi ſe ad gratiam poteſt habere rationem peccati?*] *Nam quæ hominis eſſe negligentia poteſt, quòd ad gratiam conſequendam ſe non præparet, ſi auxilium deeſt quo ſe præparet, nempe ſi actualis interior gratia deeſt*, &c.

Defectus præparationis ad culpam imputatur, negligentia præparandi ſe ad gratiam peccatum eſt, ad gratiam conſequendam ſine gratiâ interiori actuali movente præparare ſe homo non poteſt: veriſſima hæc eſt S. Thomæ doctrina. At dicere cum Patre Nicolaï, *Quòd hoc ipſo conſequens eſt interiorem illam actualem gratiam ei etiam non deeſſe qui ſe per illam non præparat. Nam quæ hominis negligentia eſſe poteſt, quod ad gratiam conſequendam ſe non præparet, ſi auxilium deeſt quo ſe præparet; nempe ſi actualis interior gratia deeſt?* falſiſſima eſt hæc Joannis Nicolaï conſequentia, Molinianis principiis ad efficacis gratiæ neceſſitatem evertendam tota ſubnixa, & à S. Thomæ mente non modò aliena, ſed etiam apertè ab ipſo his ipſis locis de quibus agitur impugnata.

Hoc ſcilicet Patris Nicolaï argumento, ſi quid valeret, gratiam per ſe efficacem ad præparandum ſe non eſſe neceſſariam, ſeu gratiam actualem interiorem, quâ homo ad præparandum ſe indiget, libero arbitrio ſubjectam eſſe, neceſſariò concluderetur. Nam certum eſt gratiam per ſe efficacem deeſſe homini ſe non præparanti: ſi ergo illa, inquiunt Moliniſtæ, ſimpliciter neceſſaria eſt ad ſe præparandum, quæ hominis negligentia eſſe poteſt, quod ad gratiam conſequendam non ſe præparet, quando auxilium neceſſarium deeſt quo ſe præparet? Si defectus præparationis imputatur ad culpam, ſi negligentia præparandi ſe rationem peccati habet, ut S. Thomas docet, numquid hoc ipſo conſequens eſt juxta Patris Nicolaï argumentationem, actualem interiorem gratiam, ad præparandum ſe abſolutè neceſſariam, ei etiam non deeſſe, qui ſe per illam non præparat: efficax autem deeſt ei qui ſe non præparat. Ergo hac P. Nicolaï argumentatione poſitâ, per evidentem conſequentiam ex certâ S. Thomæ doctrinâ deductam, gratia per ſe efficax ad ſe præparandum non eſt abſolutè neceſſaria. Atque ita hæc falſa Nicolaï collectio Molinianis principiis ſuperſtructa, gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitatem evertit. Id adeò certum eſt, ut Petrus à S. Joſeph Moliniſta inſignis, in ſuâ Defenſione S. Thomæ diſp. 1. Sect. 8. §. 1. hoc eodem argumento

gumento oſtendere nitatur, S. Thomæ doctrinam cohærere non poſſe cum ſententiâ quæ prædeterminationem phyſicam ad omnes actus requirit. Igitur P. Joannes Nicolai, vel ſe Petro à S. Joſeph & aliis Moliniſtis, qui S. Thomæ Moliniſmum affingunt, contra Scholam ſuam publicè adjungat, vel ab hujuſcemodi argumentationibus, cum Molinistico errore neceſſariò connexis, abſtineat,

Deinde hæc Patris Nicolaï conſequentia nunquam S. Thomæ in mentem venit. Ubi enim unquam apud Sanctum illum Doctorem legit, negligentiam ſe præparandi nullam eſſe, peccatum non eſſe, & ad culpam non imputari, niſi ei qui ſe non præparat adſit gratia actualis interior quâ ſe præparet? Contra docet quòd cum aliqui gratiæ auxilio non præventi impedimentum gratiæ ponunt, nihilominus hoc eis imputatur ad culpam; primùm quidem quia hic defectus ex culpâ præcedente in eis relinquitur; deinde verò quia habent poteſtatem, non quòd omnino vitent peccatum, ſed quòd nunc vitent hoc vel illud: denique *quamvis*, ut ait idem Sanctus, *quoſdam peccatores Deus ad ſe non convertat, ſed in peccatis ſecundùm eorum merita eos relinquat, non tamen eos ad peccandum inducit. Homines enim peccant per hoc quòd deviant ab ipſo qui eſt ultimus finis.* Conſequentias è S. Thomæ doctrinâ non deducimus, ſed ipſa ejus verba peccati imputationem in homine cui gratia ad ſe præparandum deeſt exponentis referimus.

Demùm hæc Patris Nicolaï conſequentia his ipſis locis de quibus agitur à S. Thomâ apertè impugnatur; ſiquidem Sanctus ille aſſerit gratiam ad ſe præparandum & ad removendum obſtaculum neceſſariam, & ſine quâ obſtaculum non removetur, quibuſdam non dari, à quibus non removetur iſtud obſtaculum: hi tamen obſtaculum ponendo peccant, illiſque negligentia præparandi ſe, ſeu removendi obſtaculum, ad culpam imputatur, ut expreſsè docet.

ARTICULUS IV.

In quo pleniùs exponitur & confirmatur horum verborum ſenſus, Gratia, quantùm in ſe eſt, omnibus ſe communicat; ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis; *ac*, Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.

ETſi articulis præcedentibus ſatis oſtenſum fuerit ex his S. Thomæ verbis, *Gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat*; &, *Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare*, gratiam communem aſtrui non poſſe; ſiquidem eadem

dem verba nihil aliud in locis allegatis ſignificant, quàm gratiam habitualem omnibus ad eam ſe præparantibus, & illi impedimentum non ponentibus à Deo ſemper dari: quia tamen hæc verba, etiam ad gratiam actualem indicandam accommodari poſſent, & de eâ affirmari, ut eorum argumentis occurram, qui ex his de gratiâ actuali expoſitis colligunt Deum gratiam actualem ad præparandum ſe, & ad peccatū vitandum neceſſariam, omnibus dare, oſtendendum eſt ex eiſdem verbis etiam de gratiâ actuali intellectis, gratiam actualem omnibus hoc in ſtatu naturæ corruptæ communem aſtrui non poſſe.

Ad hujus verò doctrinæ elucidationem obſervandum eſt, quod S. Thomas aliquando hominem in particulari, ut eſt in ſeipſo, & ſecundùm naturam per peccatum corruptam, ſicut nunc eſt, conſiderat; aliquando verò generaliter, ſecundùm naturam ut in ſe eſt, non habitâ ratione ſtatus in quem per peccatum incidit, ſeu peccati naturæ per hominem adjuncti.

Itaque juxta hanc variam conſiderationem de auxilio divino ad non peccandum neceſſario diverſimodè loquitur: quia cùm de homine, ut eſt in ſeipſo & habitâ ratione ſtatus in quo jam eſt per peccatum, loquitur, gratiam omnibus hominibus à Deo dari nunquam docet: contra verò eam aliquibus aliquando non dari ſæpiſſimè pronunciat, ut locis anteà citatis in 12. ad Hebr. ubi ait gratiam ad removendum obſtaculum aliquibus à Deo ex juſtitiâ denegari. Et 3. contra gentes c. 160. 161. & 162. ubi idem diſertiſſimè aſſerit. Item 1. 2. q. 79. art. 1. in c. *Contingit quòd Deus non præbet aliquibus auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet non peccarent.* Item 1. 2. q. 106. art. 3. ad. 1. *Humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideò quibuſcumque non datur; hoc eſt ex juſtitiâ: quibuſcumque autem datur, hoc eſt ex gratiâ, ut Auguſtinus dicit in lib. De perfect. juſtit.* Item 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. *Quod quidem auxilium (ſine quo homo non poteſt Deum & proximum diligere, nec credere articulos fidei) quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur: quibus autem non datur, ex juſtitiâ non datur in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.* Item & aliis paſſim locis infra referendis.

Cùm verò hominem ſecundùm naturam ut in ſe eſt, generaliter conſiderat, non habitâ ratione ſtatus in quem per peccatum incidit, ſeu peccati quo homo naturam corrupit, dicit Deum, quantùm in ſe eſt, gratiam ſuam omnibus hominibus dare, ſeu quantùm in ſe eſt, paratum eſſe eam omnibus dare. Atque ita hæc verba, *quantùm in ſe eſt*, denotant naturam quam Deus condidit, non habitâ ratione peccati quod homo fecit; indicant naturam, ut eſt à Deo creata, non ut eſt ab homine per peccatum vitiata; ſignificant quod merè

Dei

Dei eſt in homine per bonitatem Creatoris, ſine intuitu illius quod hominis eſt in homine per vitium & corruptionem peccati. Deus ergo, quantùm in ſe eſt, omnibus hominibus gratiam actualem ſemper dat, ſeu dare paratus eſt; quia eam nulli unquam niſi ex conſideratione & merito præcedentis peccati, vel actualis, vel ſaltem originalis, denegat; nunquam eam ex ſe, ſed ſemper ex aliquo hominis merito denegat; nunquam denique eam denegat, niſi conſiderans peccatum quo homo naturam corrupit. Quid jam inde pro gratiâ actuali, ad non peccandum ſufficiente & neceſſariâ omnibus hominibus ſecundùm naturæ corruptæ ſtatum in quo nunc ſunt, ſeu ſecundùm omnes circumſtantias particulares conſideratis communi, colligi poteſt? Nihil prorsùs. Simul enim verum eſt quòd Deus, quantùm in ſe eſt, omnibus hominibus gratiam dat, ſeu dare paratus eſt: & quòd eam aliquibus denegat; quia ſcilicet nemini eam ex ſe, & ſine alicujus peccati conſideratione & merito denegat, & ſimul eam aliquibus poſt conſiderationem & ob meritum alicujus peccati, ſeu aliquibus conſideratis in particulari, & ut ſunt in ſeipſis, juſtè denegat: porrò cauſam defectus gratiæ, juxta S. Thomam, ſemper ab homine repeti debere Sect. 5. uberrimè probabimus.

Hanc eſſe S. Thomæ mentem, hanc hujus ſententiæ expoſitionem, hunc horum verborum, *quantùm in ſe eſt*, de gratiâ actuali intellectorum ſenſum, ita certum evidenſque eſt, ut nec alius eſſe poſſit: cùm, ut articulis præcedentibus oſtenſum eſt, eodem loco, ſcilicet in 12. ad Hebr. in quo docet *gratiam omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicare*; ſimul doceat, gratiam ad removendum impedimentum aliquibus à Deo ex juſtitiâ non dari: & eodem loco, ſcilicet l. 3. contra gentes cap. 159. in quo docet, *Deum, quantùm in ſe eſt, paratum eſſe omnibus gratiam dare*, ſimul etiam doceat cap. 160. 161. & 162. Deum aliquibus non conferre auxilium ad vitandum peccatum; ex iis qui gratiam impediunt, aliquos auxilio ſuo non prævenire, ut in iis juſtitiæ ordo manifeſtetur; ac demùm quod dixerat in poteſtate liberi arbitrii eſſe ne impedimentum gratiæ præſtet, competere his in quibus naturalis potentia integra fuerit, hoc eſt, competere homini in ſtatu naturæ integræ, non verò in ſtatu naturæ corruptæ.

Eadem expoſitio iterum evidentiùs ex S. Thomæ verbis ſic confirmari poteſt. Sanctus ille Doctor & in 12. ad Hebr. & lib. 3. cont. gent. c. 159. ex hoc Apoſtoli teſtimonio, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, probat Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare. Sic enim loquitur in 12. ad Hebr. *qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ideò gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat.* Et c. 159. l. 3. cont.

cont. gent. *Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: Vult enim omnes homines ſalvos fieri.*

Ergo S. Thomas non vult alio modo & alio ſenſu Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare, quàm eo quo docet Deum velle omnes homines ſalvos fieri. Atqui ubi exponit hoc Apoſtoli teſtimonium, iſtam generalem Dei pro omnium ſalute voluntatem ad ſingulos homines non extendit, niſi in quantùm voluntas illa eſt antecedens: hanc autem voluntatem antecedentem reponit in velleitate quâdam, quæ ſolùm naturam humanam ſecundùm rationem generalem naturæ, & ut à Deo ad ſalutem condita eſt, reſpicit, ſine ullâ peccati naturæ adjuncti conſideratione; quæque hominibus, ut ſunt in ſe ipſis, nullas ad ſalutem gratias præparat, ſicut ſect. 3. art. 3. & 4. luculenter oſtendemus. Ergo juxta S. Thomam Deum paratum eſſe, quantùm in ſe eſt, omnibus & ſingulis hominibus gratiam dare, nihil aliud ſignificat, quàm Deum eâdem voluntate antecedente paratum eſſe, quantùm de ſe eſt, omnibus ſecundùm naturam, ut eſt ab ipſo condita, conſideratis gratiam dare: nequaquàm verò ſignificat, Deum paratum eſſe voluntate conſequente, quæ ſola ſalutis media præparat ac decernit, eam dare omnibus & ſingulis in particulari, ſecundùm corruptionem peccati cui ſubjacent conſideratis. Atque ita, ſicut juxta S. Thomam Deus omnes & ſingulos homines ſalvos fieri non vult aliâ voluntate, quâm antecedente, ex quâ juxtà eumdem Sanctum nullæ ad ſalutem gratiæ in homines derivantur; ita omnibus & ſingulis hominibus gratiam, quantùm in ſe eſt, non communicat, nec dare paratus eſt, niſi eâdem voluntate antecedente. En totius hujus ratiocinationis vis hoc argumento breviter collecta, quo facillimè demonſtratur his S. Thomæ verbis, *quantùm in ſe eſt*, gratiam actualem omnibus hominibus hoc in ſtatu communem aſtrui non poſſe.

Juxta S. Thomam Deus omnibus & ſingulis hominibus gratiam, quantùm in ſe eſt, non communicat, ſeu dare paratus non eſt, niſi eo modo quo vult omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, ut probatum eſt. Atqui juxta S. Thomam Deum velle omnes & ſingulos homines ſalvos fieri, non eſt Deum omnibus & ſingulis hominibus gratiam aliquam actualem dare, ut ſect. 3. probabitur. Ergo ſimiliter juxta S. Thomam Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus & ſingulis hominibus gratiam communicare, ſeu dare paratum eſſe, non eſt Deum omnibus & ſingulis hominibus gratiam aliquam actualem dare.

Sed quid, inquiet aliquis, ſignificat iſta gratiæ divinæ cum ſole comparatio, *Sicut nec ſol deeſt oculis cæcis*, ut ait in 12. ad Hebr. & lib. 3. contra gentes cap. 160.

Sicut

Sicut, ſole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit? Quid, inquam, ſignificat, niſi perpetuam & intimam divinæ gratiæ in omnes homines etiam ſecundùm peccati corruptionem, ſeu ut ſunt in ſeipſis conſideratos, diffuſionem? Imò verò contrarium indicat & expoſitionem à nobis allatam mirificè confirmat.

Sicut enim ſol, quanquam lumen ſuum omnibus rebus ad illud recipiendum diſpoſitis communicet, tamen cæcorum oculos actu non illuminat propter impedimentum cæcitatis, nec illis deeſſe dicitur, etſi eorum cæcitatem non auferat, nec oculos illorum qui hos clauſerint aperiat: ſic licet Deus gratiæ ſuæ lumen omnibus hominibus ad illud recipiendum diſpoſitis communicet, tamen excæcatorum mentes actu non illuminat propter impedimentum cæcitatis, nec illis, quantùm de ſe eſt, deeſſe dici poteſt, etſi eorum cæcitatem gratiæ ſuæ lumine non ſanet, nec eos qui oculos claudunt, ac ſe ab ejus lumine avertunt, ad ſe convertat. Deus igitur omnes homines, quantùm de ſe eſt, illuminat; quia nemini gratiæ ſuæ lumen denegat, niſi homo ipſe illi impedimentum apponat. Verùm omnes homines poſt peccatum gratiæ divinæ impedimentum præſtant: illud autem removere ex gratiâ procedit: illud ergo Deus in aliquibus per gratiam removet ex miſericordiâ, & illud in aliquibus non removet ex juſtitiâ, ut ait idem Sanctus in 12. ad Hebr. Atque ut docet l. 3. contra gentes c. 160. eidem gratiæ impedimentum non præſtare in poteſtate quidem liberi arbitrii eſt, ſi natura integra fuerit, ſecùs ſi per peccatum corrupta. Denique ut loquitur ibidem c. 161. *ſicut Deus non omnes cæcos illuminat, nec omnes languidos ſanat, ut in illis quos curat opus virtutis ejus appareat, & in aliis ordo naturæ ſervetur: ita non omnes qui gratiam impediunt auxilio ſuo prævenit, ut avertantur à malo & convertantur ad bonum: ſed aliquos in quibus vult ſuam miſericordiam apparere, ita quod in aliis juſtitiæ ordo manifeſtetur.* Et tamen, ut ibidem docet, his omnibus quos ex juſtitiâ gratiæ ſuæ auxilio non prævenit, quantùm in ſe eſt, paratus eſt gratiam dare; & his omnibus in quibus ex juſtitiâ impedimentum non removet, gratia, quantùm in ſe eſt, ſe communicat: ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis. Ex quibus omnibus ſole clariùs innoteſcit hæc S. Thomæ verba, *quantùm in ſe eſt,* nihil aliud ſignificare quàm naturam hominis ut in ſe eſt, & ut eſt à Deo condita, non habitâ ratione peccati per quod eſt ab homine corrupta, ſeu non conſideratis circumſtantiis particularibus eidem naturæ adjunctis.

Nec omittendum eſt diſcrimen illud, quod S. Thomas obſervat inter ſolem qui lumen interiùs non immittit ubi obſtaculum invenit, & Deum qui gratiæ ſuæ lumen non apponit his in quibus obſtaculum invenit; quia ſol agit neceſ-

neceſſitate naturæ, Deus verò proprio ſuo judicio, voluntariè, ac ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ. Unde concludit ſolum hominem qui feneſtram claudit cauſam eſſe, ne ſol domum illuminet; cauſam autem ſubtractionis gratiæ non eſſe ſolùm illum qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deum qui ſuo judicio gratiam non apponit, mentis excæcationem non ſanat, & cordis obdurationem non aufert. Solis quidem eſt omnia corpora, quantùm de ſe eſt, illuminare, & lumen interiùs ubicumque obſtaculum non invenit immittere: & in hoc ſolùm ſtat ſolis cum Deo gratiam omnibus, quantùm de ſe eſt, communicantis comparatio ac convenientia. Sed ſolis non eſt obſtaculum removere, nec cæcitatem auferre, nec eorum oculos qui hos claudunt & à ſole avertunt aperire & ad ſe convertere: verùm Dei eſt obſtaculum quod homines gratiæ lumini apponunt removere, cæcitatem auferre & eorum oculos qui hos claudunt, & à ſole juſtitiæ avertunt, aperire, & ad ſe convertere: Deus verò voluntariè agens ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ, ac nemini quidquam debens, in aliis hoc facit ex miſericordiâ, in aliis non facit ex juſtitiâ, & in quantùm hoc in aliquibus ſuo judicio non facit, dicitur hoc modo cauſa eorum excæcationis & obdurationis. Ex quo patet, quàm longè à S. Thomæ doctrinâ aberrent qui ex hac ſolis comparatione, & ex hac ſententiâ quâ Deus dicitur, quantùm in ſe eſt, paratus eſſe omnibus gratiam dare, omnibus hominibus ſub peccato conſideratis gratiam actualem ad removendum impedimentum, ad ſanandam mentis excæcationem, & ad auferendam cordis obdurationem, à Deo intus ſemper immitti concludunt: hæc ſunt S. Thomæ verba 1. 2. q. 79. art. 3. in c.

Reſpondeo dicendum, quòd excæcatio & obduratio duo important, quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo & averſi à divino lumine: & quantùm ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex quâ ſequitur, quòd mens divinitùs non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum: & quantùm ad hoc Deus eſt cauſa excæcationis & obdurationis. Eſt autem conſiderandum, quòd Deus eſt cauſa univerſalis illuminationis animorum, ſecundùm illud Joannis: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum; *ſicut ſol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum; aliter tamen & aliter. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ; Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licet, quantùm eſt de ſe, omnia corpora illuminet, ſi quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, derelinquit illud tenebroſum, ſicut patet de domo cujus feneſtræ ſunt clauſæ: ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol. Non enim ſuo judicio agit ut lumen interiùs non immittat, ſed cauſa ejus eſt*

eſt ſolùm ille qui claudit feneſtram: Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis in quibus obſtaculum invenit. Unde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt non ſolùm ille qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus qui ſuo judicio gratiam non apponit; & per hunc modum Deus eſt cauſa excæcationis, & aggravationis aurium, & obdurationis cordis.

ARTICULUS V.

In quo exponitur illud teſtimonium, Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem; *& oſtenditur, ex S. Thomæ circa id doctrina, gratiam ſufficientem omnibus non dari.*

PAter Nicolaï gratiam actualem interiorem ad præparandum ſe neceſſariam nunquam deeſſe, hoc alio S. Thomæ teſtimonio confirmat: *Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem.* Hæc ſunt Patris Nicolaï verba 1. claſſe pag. 32.

Sit unus tamen vice omnium locus, unum teſtimonium S. Thomæ, una quâ nulla inſignior (etſi compendioſa) expreſſio ex q. 49. 1. p. art. 2. ubi quærit [An ſummum bonum, quod eſt Deus, ſit cauſa mali?] Et eam ſibi objectionem formans, quòd in 2. phyſ. dicatur idem eſſe cauſa ſalutis navis & periculi ejus; adeóque cùm Deus cauſa ſit boni vel ſalutis, debeat quoque damnationis & mali cauſa eſſe. Reſpondet ad 3. quòd [ſubmerſio navis attribuitur nautæ ut cauſa, ex eo quòd non agit quod requiritur ad ſalutem navis; ſed Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem.] Sic pergit P. Nicolaï.

Neque verò quiſquam objiciat quod Cajetanus ibi addit, ſic intelligi hoc debere, ut ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem Deus non deficiat, cùm id agere debet: imò quod ipſe S. Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. eam ob cauſam probat inter cæteras, Deum peccati cauſam etiam indirectè dici non poſſe, nec debere: quia tametſi [aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata (quod ſi præberet non peccarent) hoc totum facit ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cùm ipſe ſit ſapientia & juſtitia: unde non imputatur ei quod alius peccet (ſicut cauſæ peccati) ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex hoc quòd non gubernat navim, niſi quando ſubtrahit gubernationem POTENS ET DEBENS *gubernare.*]

Rectiſſimè profectò, & Cajetani in hunc S. Thomæ locum expoſitio, & hoc alterum S. Thomæ teſtimonium adversùs Patrem Nicolaï objiciuntur. Sic enim loquitur Cajetanus in reſp. ad 3. *Adverte quod tunc tantùm abſentia cauſæ agentis dicitur cauſa defectus, quando* DEBEBATUR *præſentia: & propterea, quia nunquam, cùm rebus debetur, Deus ſubtrahit influxum, ideò non ſequitur propriè loquendo quòd Deus ſit cauſa defectuum, ex*

hoc

hoc ſolo quod non facit, quamvis quandoque Scriptura ipſum tali modo cauſam appellet, ut patet circa induratione Pharaonis.

Rectè etiam hoc aliud teſtimonium adversùs Patrem Nicolaï objicitur, ubi S. Thomas docet, *Deum aliquibus non præbere auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet non peccarent*, &c.

Hinc enim ſequitur horum S. Thomæ verborum, *Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem*, alium non eſſe ſenſum quàm iſtum, Deus non deficit, hoc eſt, ſemper agit quando debet. Si enim aliquid non debet, id non tribuendo ſeu denegando non deficit; ſicut, ut ipſe docet, ſubmerſio navis non attribuitur nautæ ut cauſæ, ex hoc quòd non gubernat navim, *niſi quando ſubtrahit gubernationem potens & DEBENS gubernare.* Quare Deus auxilium neceſſarium non præbendo nunquam deficit, quia illud, quoties denegat, nunquam debet. Ergo ut P. Nicolaï aliquid ex hoc loco pro gratiâ omnibus communi concluderet, probandum illi eſſet ex S. Thoma, quòd Deus hoc in ſtatu debet omnibus auxilium quod eſt neceſſarium ad evitandum peccatum, & quòd omnibus dat ac debet gratiam ad impedimentum gratiæ non ponendum. Hoc autem à S. Thomæ doctrinâ ita alienum eſt, ut in loco citato ex 1. 2. doceat Deum ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ non præbere aliquibus auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet non peccarent: illud idem, gratiam ſcilicet ad præparandum ſe, & ad impedimentum non ponendum neceſſariam, aliquibus juſtè non conferri, tam expreſsè docet in iis quæ anteà ex libro 3. contra gentes & in 12. ad Hebr. retulimus, ut iſta ab iis quibus ſinceritatis aliquid ineſt, non legi neceſſe ſit, qui S. Thomæ auctoritate gratiæ actualis interioris omnibus communis, & ad peccati imputationem neceſſariæ doctrinam propugnant. Hoc ita certum eſt, ut id diffiteri non poſſit P. Nicolaï, cùm objectioni à ſeipſo propoſitæ reſpondet. Hæc ejus verba ſunt.

Nemo id (inquam) *objiciat, quaſi ex eo ſit conſequens Deum interdum ſponte ab hoc agendo deficere quod eſt neceſſarium ad ſalutem, quia nemini quidquam debet. Nam etſi Deus non debet nobis quòd ab illo juvamur, debet ſibi nihilominus quod nos juvat: quia pertinet ad illius providentiam ut nos juvet, niſi culpâ noſtra ſit quòd non juvet aut quod juvare ceſſet, ut poſteà pleniùs oſtendetur. Et hoc ipſum præ ſe fert Cajetanus. Cur enim ait*, Cum id agere debet, *ſi non utique aliquando ſic debet, quando nihil noſtrum eſt, quod eum juſtè ab hoc agendo impediat?*

Sed expreſſiùs multò id S. Thomæ verba præ ſe ferunt. Cur enim ait quòd cùm Deus non præbet auxilium ad vitanda peccata, hoc totum fiat ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ: niſi quia ob culpam tantùm noſtram id præbere omittit ut in pœnam? Non quia ſic ſponte vult, aut ſic ſponte deficit ab agendo quod eſt neceſ-

neceſſarium ad ſalutem. Hoc nimirum eſt quod ad 1. ibid. addit [eum in malum inclinare hominum voluntates, in quantum non prohibet: ſed hoc tamen etiam contingere ex merito præcedentis peccati.] Ubi ergo peccatum non præcedit (qualecumque tandem ſit) numquid intelligitur id præbere quo quis deinceps prohibeatur à peccando? Numquid ſibi debere ut præbeat? Numquid non deficere à præbēdo, quamdiu homo al officio non deficit; & juſto deſit, niſi & ei juſtus antecedenter defuerit; aut Petro defuiſſe dicatur, niſi quia defuit ei Petrus? Aut defecerit ab agendo quod erat Petro neceſſarium ad ſalutem, niſi quia in eo defecit Petrus quod erat ſibi neceſſarium ad cautelam? Aut velit & intendat aliud S. Thomas quaſi Arnaldo ſuffragetur.

P. Nicolaï tria hic inſinuat quibus Suffragium ejus Cenſorium omni ex parte deſtruitur. 1. Calumniam Arnaldo impingit, quæ præcipuum illius Suffragii fundamentum eſt. 2. Gratiam ſufficientem omnibus communem, quam eodem Suffragio aſtruere aggreditur, à S. Thomá negatam fuiſſe oſtendit. 3. Demùm Arnaldi propoſitionem quam hæreſeos damnat, S. Thomæ probari, & ab omni Cenſura immunem eſſe docet.

1. Arnaldo Calumniam impingit, cùm oſtendit Deum juxta S. Thomam ultrò ac ſponte nunquam ulli deeſſe, & hoc præcipuè fundamento Arnaldi propoſitionem, tanquam S. Thomæ omninò contrariam, hæreſeos damnat; quaſi Arnaldus unquam dixerit, Deum ſponte ac ultrò aliquibus deeſſe. Id nec Arnaldus unquam dixit, nec quiſquam alius S. Auguſtini Diſcipulus: cum Sanctis Patribus & S. Thomâ conſtanter tenent, quòd homines gratiá non adjuventur, in ipſis cauſam ſemper eſſe, non in Deo.

2. Gratiam ſufficientem omnibus communem à S. Thoma negatam fuiſſe, oſtendit P. Nicolaï: ſi quidem, ut ipſe loquitur, juxta S. Thomam, ubi eſt aliquod peccatum præcedens, Deus juſtè negat auxilium ad vitandum peccatum & impedimentum gratiæ non ponendum neceſſarium: ac proinde peccatum juſtè tunc imputatur, etſi gratia interior ad illud vitandum neceſſaria deſit. Fateatur ergo P. Nicolaï juxta S. Thomæ doctrinam, omnibus hominibus libero arbitrio utentibus gratiam actualem interiorem ſufficientem ad vitandum peccatum, ad præparandum ſe, & ad impedimentum gratiæ non ponendum neceſſariam, non ſemper dari, eam aliquibus ex peccati præcedentis merito juſtè denegari, quibus tamen, & præcepti non impleti culpa, & negligentia præparandi ſe, imputatur. Fateatur de ſolis juſtis revocari poſſe in controverſiam, an juxta S. Thomam gratia actualis ſufficiens ſemper illis detur: de quo mox agemus.

Denique P. Nicolaï Arnaldi propoſitionem quam hæreſeos damnat, S. Thomæ probari, & ab omni Cenſurá immunem eſſe docet. Nam inſinuat, *ubi peccatum præ-*

præcedit, qualecumque tandem ſit, hoc eſt, ſeu mortale, ſeu veniale, rectè intelligi Deum id non præbere quo quis deinceps prohibetur à peccato: poſtquàm Petrus in eo defecit ab agendo quod erat ſibi neceſſarium ad cautelam, rectè dici poſſe quòd Deus Petro defuit in eo quod neceſſarium illi erat ad tentationem vincendam. Hoc idem primâ ſui Suffragii parte n. 5. his verbis expreſſit. *Quod enim Chryſoſtomus Petrum nullo fruitum auxilio aſtruit ne caderet, ad hoc momentum ſpectat quo negavit, quia ille ſe privaverat cum præſumſit.* Atqui id ſolùm dixit Arnaldus, defuiſſe Petro in tentatione gratiam ad eam vincendam neceſſariam, ſeu ſine quâ illam vincere non potuit: concedit verò gratiam illi defuiſſe peccati præcedentis, quod veniale ſolùm fuit, merito; concedit Petrum de ſuis viribus nimiùm præſumendo defeciſſe ab agendo quod erat ſibi neceſſarium ad cautelam, & ideò Deum illi poſteà defuiſſe in eo quod erat illi neceſſarium ad tentationem vincendam. Ergo Patris Nicolaï judicio S. Thomas, qui aliud non vult nec intendit, Arnaldo ſuffragatur: atque ita damnatâ per Patrem Nicolaï Arnaldi propoſitione, S. Thomæ doctrina hæreſeos, impietatis & blaſphemiæ damnatur; ſeu potiùs probatâ per Patrem Nicolaï S. Thomæ doctrinâ, Arnaldi propoſitio ab omni Cenſurâ immunis declaratur.

Verùm cùm conſtet, annuente Patre Nicolaï, Deum peccati venialis merito poſſe juſto non præbere auxilium, quo prohibeatur à peccando, objiciet juſto adfuiſſe auxilium ſaltem ad peccatum veniale vitandum, cujus merito poſteà gratiâ deſtituitur, adeóque adfuiſſe Petro gratiam ad non præſumendum, ad ſibi cavendum, & ad humiliter orandum. Sed quid ad Arnaldi propoſitionem, quâ nihil aliud aſſeritur, quàm gratiam Petro juſto ad tentationem vincendam neceſſariam defuiſſe; an verò habuerit, necne, gratiam ad vincendum præcedens præſumtionis peccatum, cujus merito poſteà deſertus eſt, nullo modo attingit. Tamen Patris Nicolaï quæſtioni ſatisfacere non detrecto; ſed videat ille ne eam ſcrutando profundiùs, ad damnandam gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitatem, vel ad abſolvendam Arnaldi propoſitionem compellatur.

Quæro enim à Patre Nicolaï, An iſtud auxilium actuale ſufficiens, quod contendit Petro juſto adfuiſſe, ſaltem ad cavendum ſibi, ad non præſumendum, & ad gratiam in tentatione, humilitatis & orationis merito conſequendam, tale ſit ut illud quod eſt ex ſe efficax ac prædeterminans ad hoc non requiratur, ac ſit in liberi arbitrii nutu, ſine ope gratiæ prædeterminantis hoc auxilio ſufficiente uti, gratiæ impedimentum non ponere, & præparare ſe ad gratiam efficacem in tentatione conſequendam? Si reſpondeat illud auxilium non eſſe neceſſarium: ergo Molinianæ gra-

tiæ adhæret, & gratiæ prædeterminantis ad ſingulos actus neceſſitati, adverſùs omnem ſuam ſcholam, renuntiat. Si reſpondeat illud eſſe neceſſarium, quæro ab illo, cujus actualis peccati merito hoc auxilium Petro ad non præſumendum denegatum fuerit, ubi nullum præcedere ſupponitur? Nos verò quam ob cauſam auxilium efficax aliquibus juſtis aliquando denegetur, quintâ Sectione pleniſſimè exponemus.

Præterea ſi peccati venialis merito, Deus aliquibus juſtis gratiam in gravi tentatione neceſſariam juſtè denegare poſſit, ut ipſe fateri cogitur, cùm, juxta Tridentini Concilii doctrinam, nulli juſto, ſi Beata Virgo excipiatur, tanta gratia conferatur, ut abſque omni peccato vivat, & juſti omnes quotidie neceſſe habeant veniam pro innumerabilibus peccatis & offenſionibus & negligentiis ſuis à Deo poſtulare, ut Sacerdotes in altaris Sacramento profitentur, agnoſcendum eſt nullum eſſe juſtum qui quotidie à Deo pro alicujus peccati actualis merito juſto Dei judicio deſeri non poſſit.

Ergo admiſsâ gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitate, tota controverſia ſecundùm Patrem Nicolaï in hoc tandem recidet; An Auxilium actuale ſufficiens, ſeu excitans, prætèr quod aliud ex ſe efficax ad quemlibet pietatis actum, etiam imperfectum exercendum neceſſarium eſt, juſtis ſemper detur in omnis peccati venialis occaſione, hoc eſt, An nullus juſtus nullum unquam peccatum veniale admiſerit ac admittat ſubreptionis, inadvertentiæ, teporis, præſumtionis, negligentiæ, commiſſionis, omiſſionis, ex ignorantiâ, ex infirmitate, ex habitu vitioſo per actus præcedentes comparato, nec per habitualem gratiam ſublato, circa voluptates, honores, divitias, in ſomni, potus, vel cibi exceſſu, in cogitatione, verbo & opere, quin actualiter motu aliquo divinitùs immiſſo de hoc peccato non admittendo cogitaverit; quin & voluntas ſe, ut ab illo abſtineret, divinâ inſpiratione motam & excitatam ſenſerit? Nam ſecundùm & Moliniſtas & Thomiſtas gratia actualis ſufficiens conſiſtit in piâ cogitatione intellectus & piâ inſpiratione voluntatis, quæ ſemper percipitur ab habente, ut oſtendit Bellarminus; ſcilicet id non agnoſcere impium erit & hæreticum, totaque tam deteſtanda hæreſis, impietas, ac blaſphemia, in Antonii Arnaldi propoſitione deprehenſa, in hoc conſiſtet, quòd Arnaldus judicatus fuerit non credere quòd omnes juſti in omni actu cujuſlibet peccati venialis, ſẽper in ſe divinam aliquam ejus non admittendi cogitationem & inſpirationem ſentiant. O doctrinam peſtilentem! ô luem exitioſam! quæ ne longiùs ſerpat & plurium animos occupet, quotquot Doctores hanc ſententiam tenere aûſi fuerint, æquiſſimo Patris Nicolaï

colaï & ſimilium Cenſorum judicio à Facultate Theologiæ Pariſienſis prorsùs repellendi, & etiam à fidelium communione, ſi hoc in horum Cenſorum arbitrio fuerit, meritò reſecandi erunt.

ARTICULUS VI.

In quo exponuntur tria S. Thomæ in Scripturam teſtimonia, & à perverſo Patris Nicolaï ſenſu vindicantur.

PAter Nicolaï tribus S. Thomæ in Scripturam teſtimoniis, ſuam de gratiâ ſufficiente, fidelibus omnibus communi, ſententiam confirmat.

Quid expreſſius, inquit 1. claſſe pag. 31. *quàm quod in illud* 1. *ad Cor.* 1. [*Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus, &c.*] *Inde infert omnibus miniſtrari à Deo quæ ſunt neceſſaria, ut ad illamSocietatem poſſint, ſi velint, pervenire. Sic enim poſt prædicta ſubjungit:* [*Non autem videretur fidelis eſſe, ſi nos vocaret in ſocietatem Filii ſui, & nobis denegaret (quantùm in ipſo eſt) ea per quæ pervenire ad eum poſſemus.*] *An diceret, quod (quantùm in ipſo eſt) ea vocatis non denegat, per quæ pervenire ad illum poſſint, niſi aliqui deſint vocationi ejus, quia non præſtant quod in ipſis eſt, cùm ille præſtet quod ex illius parte requiritur, ſeu quantùm in ipſo eſt neceſſaria ſubminiſtret?*

Jam integrum S. Thomæ teſtimonium referamus, ut vel ſolâ lectione pateat, quantùm ab illius ſenſu P. Nicolaï aberret.

Hæc ſunt Apoſtoli verba 1. Cor. 1. *Expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti, fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ita S. Thomas in hæc verba: *Secundò oſtendit, quòd hæc expectatio non eſt vana ex auxilio divinæ gratiæ. Unde ſubdit: Qui (ſcilicet Chriſtus, qui ſpem dedit vobis hujuſmodi revelationis) etiam confirmabit vos in gratiâ acceptâ.* 1. *Petri ult. Modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque, & hoc, Uſque in finem, ſcilicet vitæ noſtræ; Matt.* 10. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Et infra: *Tertiò rationem ſuæ promiſſionis aſſignat dicens, quòd Deus vos confirmabit, quòd debetis ſperare, quia Deus eſt fidelis. Deut.* 32. *Deus fidelis & abſque ullâ iniquitate. Per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri, ut ſcilicet habeatis ſocietatem ad Chriſtum, & in præſenti per ſimilitudinem gratiæ, & in futuro per participationem gloriæ. Non autem videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret, quantùm in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſimus: unde Joſue* 1. *dicit: Non te deſeram, neque derelinquam.*

Ex his verbis manifeſtum eſt

S. Thomam loqui cum Apoſtolo de ſanctis ſecundùm propoſitum ad gratiam & gloriam vocatis, ſeu *vocatis*, ut ipſe ait, *in ſocietatem filii in præſenti per gratiam, & in futuro per gloriam*, & à Chriſto uſque in finem in gratiâ acceptâ, ſeu ſine crimine confirmandis. *Rationem*, inquit, *ſuæ promiſſionis aſſignat dicens, quòd Deus vos* CONFIRMABIT, *quod debetis ſperare, quia Deus eſt fidelis*; loquitur de iis de quibus Joſue 1. dicitur, *Non te deſeram, neque derelinquam*, hoc eſt, quibus daturus eſt perſeverantiam in gratiâ. Fidelis autem Deus iis qui ſic vocati ſunt, hoc eſt, electis non denegat, quantùm in ipſo eſt, ea per quæ pervenire ad eum poſſint; eos non deſerit dando illis, non ſolùm gratiam, ſed etiam in gratiâ perſeverantiam, quam aliis non dat qui non ſunt ſecundùm propoſitum vocati. *Multis enim*, inquit 1.2.q.109. art. 10. *datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratiâ*. Alius non eſt horum S. Thomæ verborum ſenſus, quæ ſi integra P. Nicolai retuliſſet, iis ad gratiam ſufficientem omnibus fidelibus communem aſtruendam uti nunquam auſus eſſet.

Nec etiam P. Nicolaï hoc aliud teſtimonium in cap. 10. 1. Cor. referre potuit, niſi dimidiatum exhibendo. Ibid. enim S. Thomas de perſeveraturis etiam loquitur. Hæc ejus verba ſunt: *Deinde cum dicit, Fidelis Deus, oſtendit paratum adjutorium in tentatione. Ubi commendat Deum adjutorem, quia dat nobis reſiſtendi potentiam, quod notatur ibi, Sed faciet cum tentatione, &c. Perſeverantiam, quod notatur ibi, Ut poſſitis ſuſtinere. Verè fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, conſtantiam ut vincamus.* Cum ergo S. Thomas de iis ſolùm loquatur quibus Deus daturus eſt in tentatione victoriam, & in gratiâ perſeverantiam, de quibus ſolùm, ut monet Auguſtinus, Apoſtolus loquitur; fruſtra P. Nicolai hoc S. Thomæ teſtimonium ad gratiam ſufficientem aſtruendam commemorat.

Tertium teſtimonium ſic refert, ut & Scripturæ ac S. Thomæ verba corrumpat, eiſque ſenſum affingat, cujus fundamentum nullum eſſe comperiet, quiſquis locum integrum legerit: ſic loquitur P. Nicolai.

Quid expreſſius quàm quod in Iſaiæ c. 5. ad illa verba commentatur: Quid potui facere vineæ meæ & non feci? Cum ſcilicet præter alias interpretationes quæ ad locum præſentem non pertinent, id ad animam fidelem refert cui juſtè à Deo exprobretur, quod cùm ab eâ exſpectaret uvas, fecit labruſcas, id eſt, loco judicii & juſtitiæ fecit iniquitatem, non obſtante quòd, quantùm eſt ex parte ſuâ, nihil facere Deus omiſerit, per quod ad juſtitiam & fructus bonos eam ſuis beneficiis præpararet, &c.

1. Nec in Scriptura, nec in S. Thomæ in hunc locum commentario ita legitur: *Quid potui facere vineæ meæ & non feci?* Sed ita,

ait, *Quid eſt quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod exſpectavi ut faceret uvas; & fecit labruſcas?*

2. S. Thomas toto hoc in iſtud caput commentario, gratiæ interioris nullomodo meminit, ſed ſolùm loquitur de variis Dei in Judæum populum beneficiis per diligentiam cultus vineæ figuratis, quibus eos ad ſui cultum provocaret, quæ ad tria præſertim revocat, ad bonitatem terræ Judæis datæ, ad cuſtodiam Angelorum & bonorum virorum, & ad regiam dignitatem.

3. S. Thomas id omne de Judæis exponit: *Hic arguit ergo*, inquit, *peccatum duarum Tribuum, quod committebant in abuſu rerum, ſub quâdam metaphorâ.* Equidem exponens quotuplex vinea ſit, dicit eſſe vineam fidelis animæ; ſed hinc non ſequitur, quòd quidquid hoc capite dicitur, fideli animæ accommodari poſſit. Nam pariter dicit eſſe vineam cæleſtis patriæ, nec tamen beatis convenire poſſunt hæc omnia, nec de iis dici poteſt, *Exſpectavi ut facet uvas, & fecit labruſcas:* imò nec fideli animæ, qualem eam deſcribit, tribui iſta poſſunt; quia dicit hujus vineæ vinum eſſe 1. pœnitentiam. 2. corporalem munditiam. 3. ſpiritalem lætitiam. Ergo fidelem animam & juſtè viventem intelligit, de quâ dici non poteſt, *Exſpectavi ut faceret uvas, fecit autem labruſcas.* Hic ergo S. Thomas occaſione hujus verbi, *vineæ*, varias vineas refert. *Nota* (inquit ſuper illo verbo, *Vinea facta eſt dilecto*) quòd *eſt vinea multiplex 1. carnalis concupiſcentiæ. 2. eſt vinea fidelis animæ. 3 eſt vinea militantis Eccleſiæ. 4. eſt vinea cæleſtis Patriæ.*

4. Denique etſi S. Thomas hæc verba, *Quid debui facere*, ad animam fidelem transferret, quid aliud ſequeretur, quàm Deum erga fideles & juſtos ſemper facere quod illis debet? Sed an S. Thomas hic vel alibi dicit, quòd Deus juſtis omnibus ſemper gratiam debeat ad bonos fructus ſemper faciendos? Minimè verò. Quoties ergo eam aliquibus juſtis non dat, eam non debet; & quoties eam dat, gratis dat, & ſine debito. *Quomodo enim eſt gratia* (ut ait S. Auguſtinus De gratiâ Chriſti cap. 23.) *ſi non gratis datur? Quomodo eſt gratia ſi ex debito redditur?* Ubi loquitur de gratiâ quæ neceſſaria eſt, non ſolùm arbori malæ ut bona fiat, ſed etiam arbori bonæ ut bonos fructus faciat. *Nec tantùm* (inquit c. 19.) *ut arbor ſit bona, ſed etiam ut faciat fructus bonos, eâdem gratiâ neceſſarium eſt ut adjuvetur, ſine quâ boni aliquid facere non poteſt. Ipſe quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinſecus rigat atque excolit per quemlibet miniſtrum, & per ſe dat intrinſecùs incrementum.*

ARTICULUS VII.

In quo exponitur hoc teſtimonium; Lex nova, quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum; *ac ſatisfit argumentis omnibus, quibus P. Nicolai probare nititur his verbis auxilium actuale, non verò habituale deſignari.*

Pater Nicolaï in 2. claſſe auctoritatum hoc ſolum teſtimonium objicit ex 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. *Lex nova quantùm eſt de ſe, &c.*

Etſi, inquit, *jam ſatis porrò ex ante dictis compertum eſt, quàm ſufficiens ad peccata vitanda præbeatur homini auxilium ex parte Dei, nec juſto ſaltem denegetur per quod in juſtitiâ ſtare poſſit, eò ampliùs tamen & apertiùs id patebit ex eo loco, ubi expreſſè ipſum nomen ſufficientis auxilii præfato ſenſu S. Thomas uſurpat. Expendamus. En quod loquitur S. Thomas 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. [Gratia novi Teſtamenti etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ità confirmat in bono, ut peccare non poſſit: & ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœnâ eſt dignus tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens: nec tamen propter hoc dicitur quod lex nova iram operatur: quia, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.] Ubi oculi qui non vident gratiam quamdam ſufficientem iis datam qui peccant?*

Hoc vident omnium oculi; ſed ubi oculi qui vident hanc gratiam ſufficientem actualem eſſe, de quâ ſola quæſtio eſt? Vident legentium & intelligentium omnium oculi, his verbis auxilium gratiæ habitualis & juſtificantis deſignari, ſicut ex toto articulo tam luculenter oſtendit Arnaldus in ſuo Scripto de doctrina S. Thomæ art. 4. ut id probare ſupervacaneum ſit, ſed ſolùm Patris Nicolaï conjecturæ omnes diluendæ ſint.

Verùm, inquit Pater Nicolaï, *S. Thomas gratiam habitualem auxilii nomine appellare non ſolet, ſed potiùs intelligere actualem.* Fateor frequentiùs apud S. Thomam auxilii nomine gratiam actualem deſignari; ſed ſatis etiam communiter, ſicut ipſe fatetur Nicolaï, auxilii nomen habituali S. Thomas tribuit, ut hoc loco habitualem intelligere cenſeatur, nullumque ex auxilii appellatione adverſùm nos argumentum peti poſſit: ſcilicet apud S. Thomam auxilium eſt velut generale nomen, quod & gratiæ habituali quâ ſanamur, & actuali quâ movemur tribuitur, ut patet 1. 2. q. 109. art. 9. *Reſpondeo dicendum quòd, ſicut ſupra dictum eſt, homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget, uno modo quantùm ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta ſanetur, & etiam ſanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ;*

turæ : alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut à Deo moveatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo in gratiâ exiſtens non indiget auxilio gratiæ, quaſi alio habitu infuſo; indiget tamen auxilio gratiæ ſecundum alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum. Ita & art. 3. gratiam habitualem deſignat nomine *auxilii naturam ſanantis.* Et art. 5. ad 3. nomine *auxilii gratiæ.* Sic l. 3. cont. gent. c. 150. dicit quòd *divinum auxilium convenienter gratiæ nomen accepit, tùm quia gratis datur, tùm quia habentem Deo gratum & dilectum facit.*

Præterea, inquit P. Nicolaï, *niſi etiam adſit actualis ad voluntatem adjuvandam, habitualis non ſufficit ad hunc effectum ex ſe ſolâ: apud S. Thomam auxilium habituale non ſufficit, præter quàm quòd ad potentiam informandam, non ad actum reipſa exſequendum.*

Ex quo concludit quod S. Thomas per auxilium ſufficiens ad non peccandum, non intelligit ſolùm habitualem gratiam, ſed etiam actualem.

Sed quò tendit argumentum iſtud, niſi ad gratiam Molinæ aſtruendam, & ad auxilii ex ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitatem evertendam? Siquidem juxta Patrem Nicolaï, S. Thomas per auxilium ſufficiens ad non peccandum, illud intelligit præter quod aliud non requiritur ad actum reipſa exſequendum, quale eſt actuale; S. Thomas autem non loquitur de actuali quod ſit efficax, quia loquitur de eo quod datur iis qui peccant: ergo loquitur de actuali quod eſt ſolùm ſufficiens: atqui auxilium actuale ſufficiens præter quod aliud non requiritur ad actum reipſa exſequendum, eſt auxilium Molinianum, libero arbitrio ſubjectum, & quod alterius auxilii ex ſeipſo efficacis ad piè agendum neceſſitatem excludit: ergo hoc Patris Nicolaï argumento gratia Molinæ aſtruitur, prædeterminantiſque auxilii neceſſitas evertitur.

Non reſpondebit, puto, P. Nicolaï, *Non excludo neceſſitatem gratiæ efficacis, etſi loquar de actuali ſufficienti; quia loquor ſolùm de actuali quæ dat poſſe, qualis eſt ſufficiens, non verò de actuali quæ dat operari, qualis eſt efficax.* Exponat enim quî fieri poſſit, ut aliquod auxilium actuale ex ſe ſolo ſufficiat ad actum reipſa exſequendum & tamen aliud auxilium actuale requiratur ad actum reipſa exſequendum. Prætereà ſi juxta Patrem Nicolaï auxilium actuale ſufficiens rectè nuncupatur ſufficiens quia dat poſſe, etſi ad actu velle & operari ex ſe ſolo non ſufficiat, ſed aliud prætereà requiratur, quare ſimiliter gratia habitualis non rectè vocabitur ſufficiens, quia dat poſſe, ac potentiam informat, etſi ad actu velle & operari ex ſe ſolâ non ſufficiat, ſed alia prætereà requiratur? Itaque vel Patris Nicolaï argumentatio penitùs inanis eſt, vel tendit ad Molinæ gratiam ab univerſâ Thomiſtarum Scholâ

Semipelagianiſmi damnatam, S. Thomæ auctoritate aſtruendam.

Subjungit P. Nicolai: *Nec intereſt aut quidquam juvat juſtificandi verbum quod in titulo præfigitur, cùm inquiritur utrum lex nova vivificet, ut ad gratiam habitualem, per quam reddimur juſti, ſequentium omnium ſcopus & ſenſus referatur, ſicut prædicti explicatores urgent. Non intelligunt vulgari uſu ſenſum duplicem pati poſſe, vel effectivum nempe, vel formalem, nec eâtenus tantùm dici juſtificare legem novam, quòd gratiam habitualem contineat quæ hominibus infundatur, ut juſtos reddat, ſed quòd præbeat actualem quæ juſtitiæ infuſionem cauſet*, &c.

Imò verò maximè intereſt, & multùm juvat juſtificandi verbum quod in titulo præfigitur. Multùm etiam juvat quod & hoc & præcedenti articulo per gratiam, quam dicit per legem novam dari, aliam quàm habitualem non deſignat. *Principaliter*, inquit articulo præcedente, *lex nova eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus per fidem Chriſti*: at quænam hæc eſt niſi habitualis? Et de hâc eâdem gratiâ paulò poſt: *Habet*, inquit, *lex nova quædam ſicut diſpoſitiva ad gratiam Spiritus ſancti* (ſcilicet habitualem) *& ad uſum hujus gratiæ pertinentia*. En de cujus gratiæ uſu loquitur, & hoc articulo vocatur, *gratia Spiritus ſancti interiùs data, gratia fidei ſanans, lex in corde ſcripta*, quæ habitualem gratiam denotant. Ad gratiam ergo habitualem ſequentium omnium ſcopum & ſenſum referri prædicti explicatores rectiſſimè urgent. Satis verò intelligunt juſtificandi verbum ſenſum duplicem pati poſſe, vel effectivum nempe, vel formalem, ſed pernegant hoc loco alium pati poſſe quàm formalem. Legat P. Nicolai Conradum Koëllin in hunc articulum. Illius enim teſtimonium repudiare non poteſt, cùm hunc poſtcà claſſe 4. n. 6. nobis tanto faſtu objiciat. *Nota etiam* (inquit interpres ille) *quòd nova lex modo dicto juſtificat, ſcilicet ratione principalis, non effectivè, ſed formaliter: Deus autem principaliter effectivè juſtificat, & Sacramenta novæ legis inſtrumentaliter effectivè, diſpoſitivè*. Antea verò dixerat, *Et intelligitur iſta concluſio de juſtificatione pro adeptione* HABITUS *juſtitiæ apud Deum: quia cum gratiâ gratum faciente infunduntur omnes virtutes, etiam juſtitia propriè dicta.*

Multùm etiam juvat verbum, UTENDI: *Auxilio*, inquit, *ſibi dato non utens*. Nam apud S. Thomam habitibus propriè utimur. Definitur enim habitus 1. 2. q. 78. art. 2. *Quo quis utitur cùm voluerit*. Ibid. *Uti habitu non eſt neceſſarium, ſed ſubjacet voluntati habentis*. Gratiâ autem actuali propriè non utimur: uti enim eſt applicare; at gratiam actualem non applicamus, ſed potiùs ipſa nos ad agendum applicat; & ideò vulgò dicitur in Schola Thomiſtarum, quòd gratia actualis non ſubjacet voluntati quoad uſum, ut Alvares docet diſp. 87. *Non*

utitur,

utitur, inquit, *voluntas auxilio* (ſcilicet actuali) *propriè loquendo, cùm non applicet aut determinet illud ad operandum.* Ergo S. Thomas gratiam habitualem, quâ propriè utimur, deſignat; non verò actualem, quâ propriè non utimur. Sic articulo præcedenti de gratiâ habituali loquens dixit, *Legem novam habere multa ad uſum hujus gratiæ pertinentia.* De gratiæ uſu plura dicemus Sect. 4. art. 9.

Auxilium autem habituale ſufficiens dicitur ad non peccandum vel *quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis*, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. & ut exponit Conradus Koëllin in art. 9. qui eſt de juſtis. *Gratia gratum faciens*, inquit, *eſt principium operandi opera gratuita habitualia per modum actus primi ſufficiens.* Ibidem. *Homo primò indiget ipſâ gratiâ habituali, quæ faciat eum potentem ad operandum meritoriè, quæ eſt actus primus conſtituens hominem in potentiâ activâ ſufficienti ad operandum meritoriè. Quia autem ſupra art. 1. dictum eſt quòd quantumcumque res habeat principium operandi ſufficiens, indigeat auxilio & motione divinâ, ideò habitâ gratiâ, adhuc opus eſt motione Dei, & ut patebit ſpeciali, actuali ſcilicet.* Quamquàm verò auctor ille doceat per gratiam habitualem eſſe principium ſufficiens in actu primo operandi bonum; tamen ibidem aſſerit, juxta S. Thomam, juſtum ſine motione, ſeu auxilio actuali, non poſſe operari bonum & vitare peccatum; quia ſcilicet iſto auxilio ad bonum operandum indiget. *Arguitur ergo ſic*, inquit: *Ex illâ ratione nulla res creata poteſt in quemcumque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ: ergo habens gratiam non poteſt operari bonum & vitare peccatum abſque auxilio, quod eſt motio divina.* Et infra: *Dico enim quod gratia datur ut ſanet mentem hominis, & ut habeat principium & formam operativam meritoriè: ſed non poteſt ſemper operari meritoriè, nec in gratiâ permanere, niſi per auxilium divinum.*

Vel auxilium habituale ſufficiens dicitur ſecundùm quid, ſeu in genere ſuo, in genere ſcilicet gratiæ habitualis, ut ait Silvius mox citandus, quia ut docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 9. *Homo in gratiâ exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ, quaſi aliquo alio habitu infuſo.* In quantùm autem aliquid ſufficiens ad agendum ſumitur pro eo præter quod aliud ad agendum non requiritur, ſeu quod complectitur omnia ad agendum neceſſaria, hoc ſenſu juxta S. Thomam gratia habitualis non eſt ſufficiens, ſeu non ſufficit ad rectè agendum: quia homo in gratiâ exiſtens indiget auxilio gratiæ ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum. Hoc ipſum expreſsè dicit l. 3. contra gentes c. 155. *Sciendum tamen eſt*, inquit, *quòd cùm ille qui gratiam habet, petat à Deo ut perſeveret in bono, ſicut liberum arbitrium non ſufficit ad iſtum effectum, qui eſt perſeverare in bono, ſine exteriori Dei auxilio, ita nec ad hoc ſufficit aliquis habitus nobis infuſus*; ſic 1. p. q. 83. art. 1. ad

ad 2. dicit liberum arbitrium non eſſe ſufficiens, niſi moveatur, hoc eſt, non habere quod requiritur ut benè velit & currat, niſi à Deo moveatur & adjuvetur. *Ad ſecundum dicendum*, inquit, *quod verbum illud Apoſtoli* (ſcilicet, *Non eſt volentis neque currentis*) *non eſt ſic intelligendum, quaſi homo non velit & non currat libero arbitrio; ſed quia liberum arbitrium ad hoc non eſt ſufficiens, niſi moveatur & adjuvetur à Deo.* De his plura dicemus Sect. 4. art. 1. ubi exponemus quæ ſit propria apud S. Thomam hujus vocis (ſufficiens, & gratia ſufficiens) ſignificatio.

Nec iſta quam tradimus hujus S. Thomæ teſtimonii de gratiâ habituali expoſitio nova eſt: hanc ipſam inter veteres Thomiſtas probat Conradus Koellin, ut anteà oſtenſum eſt, inter recentiores verò eruditiſſimus S. Thomæ interpres Silvius in hunc articulum eam multis argumentis urget, & confirmat in 1. 2. q. 106. art. 2.

Pro ſolutione ſecundi argumenti, inquit, *dicendum eſt, quod etiamſi majori pœnâ dignus ſit qui poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccat, tanquàm majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens, non idcirco lex nova vel iram operatur, vel prævaricationem addit: quia lex nova, quantùm eſt de ſe, dat auxilium ſufficiens ad non peccandum.*

Ex his porrò verbis, *Auxilio ſibi dato non utens*, *non ſequitur S. Thomam agnoſcere auxilium abſolutè & ſimpliciter ſufficiens, quod non ſit efficax. Auxilium enim quo non utitur is qui poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccat, non eſt ſimpliciter & abſolutè ſufficiens ad non peccandum, ita ut præter illud nihil aliud ex parte Dei requiratur, ſed eſt tantùm ſufficiens ſecundùm quid, ſeu in ſuo genere, in genere ſcilicet gratiæ habitualis. Eſt enim gratia & charitas quam hoc ipſo quo Filius novi Teſtamenti conſtitutus eſt accepit, & quâ non utitur dum peccat.*

Dices: B. Thomas abſolutè loquitur de diviño auxilio, & lex nova etiam præbet auxilium actuale, illudque auxilii divini nomine B. Thomas & alii ſolent intelligere: ergo non oportet verba allegata, Auxilio ſibi dato non utens, reſtringere ad habitus infuſos. Reſpondeo negando conſequentiam. Quamvis enim nomine auxilii frequenter intelligatur actuale, hoc tamen non eſt perpetuum, ut apparet ex q. 109. ſequenti. art. 9. Deinde ratio reſtringendi eſt, quòd B. Thomas doceat, ut jam audivimus, auxilium actuale, ſeu actualem Dei motionem eſſe efficacem.

Ex eo quòd in eadem reſponſione ait, Legem novam, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dare ad non peccandum; hinc ſequitur ſanctum Doctorem agnoviſſe quod lex nova, quantùm eſt de ſe, ſeu de naturâ & conditione ſuâ, det ſuis filiis auxilium ſufficiens; non tamen ſequitur quod agnoverit dare auxilium ſufficiens, quod non ſit efficax ad effectum ad quem proximè confertur. Nam habitus infuſi, quos omnibus filiis ſuis confert, ſicut ſufficientes, ita etiam efficaces ſunt ad animam ejuſ-

que

quæ potentias exornandas & ad reddendas eas promtas ad benè operandum. Actuale etiam auxilium quod confert, efficax eſt ad movendam voluntatem in illud ad quod proximè datur, juxta id quod ex quæſt. 6. de potentiâ & ex hujus partis quæſt. 10. ſuperiùs attulimus conformiter iſti ſententiæ S. Auguſtini de Prædeſt. SS. c. 8. *Gratia quæ occultè*, &c.

Ergo, ſi quid vident eorum oculi, qui hoc S. Thomæ teſtimonium legunt, vident in eo per gratiam ſufficientem non deſignari actualem, ſed ſolùm habitualem. Qui verò hoc unum videri demonſtrant, *urgent* inſtantque gratiam actualem ſufficientem ab efficace diſtinctam ſibi *quovis in loco S. Thomæ quoad nomen oſtendi*: Illis etiam ſatis erit, ſi P. Nicolaï auxilii actualis ſufficientis nomen oſtenderit. Nec enim, ut nugatur ille, de gratiæ vel auxilii nomine litigant. S. Thomæ de hoc nomine, & ejus ſignificatione ſententiam accuratè expendemus Sect. 4. art. 1.

Poſtquàm hâc primâ Sectione expoſuimus omnia S. Thomæ teſtimonia, in quibus dicit Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare, & ex his gratiam actualem omnibus hoc in ſtatu, de quo ſolùm inter nos agitur, communem aſtrui non poſſe, imò deſtrui oſtendimus; jam ſancti Thomæ doctrina circa Dei pro omnium ſalute voluntatem referenda eſſet, cùm ſanctus ille Doctor præſertim hâc Apoſtoli Sententiâ, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, confirmet Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare. Sed cùm P. Nicolaï hoc argumento uſus non fuerit, ac ſecundum argumenti genus ad gratiam ſufficientem communem aſtruendam è poſſibilitate præceptorum repetat, ideò ut ſimul & non interruptè quidquid de gratiâ ſufficiente communi dixit refutemus, teſtimonia quæ ad poſſibilitatem præceptorum pertinent ſequenti Sectione exponimus: cætera verò argumenta quæ ſpecialiter non attigit, ex imputatione peccati, ex voluntate Dei & morte Chriſti peti ſolita, tertiâ Sectione tractabimus.

SECTIO SECUNDA.

In quâ oſtenditur ex iis quæ S. Thomas de poſſibilitate præceptorum docet, gratiam ſufficientem omnibus communem non ſolùm non aſtrui, ſed etiam rejici; ac teſtimonia à Patre Nicolaï tertiâ Claſſe allata exponuntur.

PAter Nicolaï aliud argumenti genus ad gratiam ſufficientem aſtruendam è poſſibilitate præceptorum repetit, *Ut vel hoc unum*, inquit 3. claſſe pag. 35. *quod S. Thomas tam frequenter inculcat circa obſervantiam præceptorum, ad gratiæ ſufficientis convictionem*

nem ſufficere poſſit; quia juxta S. Thomam præcepta ſic ſunt poſſibilia, ut nunquam hominibus deſit gratia per quam illa obſervare poſſint, aut obſervandi vires impetrare, nec obligent ſi illa deſit. Ego verò ad hujus argumenti confutationem ſufficere poſſe contendo, quod anteà ex S. Thoma allatum eſt de gratiâ actuali ſufficiente quibuſdam ad præparandum ſe, aut impedimentum gratiæ removendum non datâ, qui tamen præcepto tenentur, & quibus illorum tranſgreſſio ad culpam imputatur: quam doctrinam non solùm non læduſit, ſed confirmant, quæ S. Thomas de poſſibilitate præceptorum docuit. 1. Itaque oſtendemus poſſibilitatem præceptorum nunquam à S. Thoma per gratiam ſufficientem expoſitam fuiſſe. Deinde teſtimoniis omnibus à Patre Nicolai laudatis ſatisfaciemus. Notandum eſt autem nos de præceptis divinis loqui, non quantùm ad ſubſtantiam operis, ſed quantùm ad modum, ſeu finem præcepti, qui eſt charitas.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo oſtenditur S. Thomam ad poſſibilitatem præceptorum exponendam nunquam ad aliquam gratiam actualem ſufficientem communem recurrere.

SAnctus Thomas ſæpè de poſſibilitate præceptorum agit, ſæpè objectiones ex præcepti ſervandi & peccati vitandi impoſſibilitate petitas proponit, nec unquam ad gratiam aliquam interiorem ſufficientem, iis omnibus qui præcepta tranſgrediuntur à Deo datam, recurrit, ut præcepta nulli eſſe impoſſibilia oſtendat, nec aliter unquam poſſibilia eſſe docet, quàm quia cum divino auxilio ſervari poſſunt, quod quibuſdam datur ex miſericordiâ, & quibuſdam ex juſtitiâ non datur.

1. 2. q. 109. art. 4. argumentum 2. ſic proponit. *Præterea Hieronymus dicit in Expoſitione catholicæ fidei, illos eſſe maledicendos qui Deum præcepiſſe homini aliquod impoſſibile dicunt: ſed impoſſibile eſt homini quod per ſeipſum implere non poteſt: ergo homo poteſt implere omnia præcepta legis per ſeipſum.* Sic reſpondet.

Ad 2. dicendum, quòd illud quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omninò impoſſibile, ſecundùm illud Philoſophi in 3. Ethicorum: Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter nos poſſumus.

Item 2. 2. q. 156. art. 2. 1. argumentum ſic proponit. *Videtur quòd incontinentia non ſit peccatum, quia, ut Auguſtinus dicit in libro de libero arbitrio, nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: Sed incontinentiam nullus poteſt ex ſeipſo vitare, ſecundum illud Sapientiæ 8. Scio quòd non poſſum eſſe continens niſi Deus det; Ergo incontinentia non*

non eſt peccatum. Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd homo poteſt vitare peccatum & facere bonum, non tamen ſine divino auxilio, ſecundùm illud Joannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. Unde per hoc quod homo indiget divino auxilio ad hoc quod ſit continens, non excluditur quin incontinentia ſit peccatum; quia, ut dicitur in 3. Ethicorum, Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter per nos poſſumus.

Sed P. Nicolaï contendit conſequi ex his verbis divinum auxilium nobis adeſſe, quo poſſimus. *An non autem,* (inquit n. 2.) *id illuſoriè dicat, ſi auxilium quoque divinum nobis deeſt? Sicut & illud quod in exemplum affert, aliquatenus nos id poſſe quod poſſumus per amicos, illuſoriè diceretur, ſi deeſſent nobis amici, vel ope ſuâ indigentibus non adeſſent.*

Hæc eſt Patris Nicolaï ratiocinatio, non S. Thomæ doctrina de quâ ſolùm agitur. Oſtendat ergo P. Nicolaï quòd juxta S. Thomam illuſoriè dicitur, impoſſibile nobis non eſſe quod cum auxilio divino poſſumus, niſi quoque divinum adſit auxilium. Oſtendat quod S. Thomas unquam dixerit, ideò impoſſibile nobis non eſſe, quia nunquam nobis deeſt divinum auxilium per quod poſſimus.

Hæc eſt Patris Nicolaï à ſuis Moliniſtis accepta ratiocinatio, quâ gratiæ prædeterminantis neceſſitas evertitur. Nonne enim ſimiliter inculcant illuſoriè dici, non eſſe nobis impoſſibile quod cum auxilio divino poſſumus, niſi ſemper quoque nobis adſit auxilium tale, ut præter illud aliud non requiratur ad præceptum ſervandum, aut ſaltem ad orandum. Nam, ut ait Alphonſus le Moyne diſp. 1. de gratia ſufficienti art. 2. aſſert. 1. *Per gratiam ſufficientem* (quæ dat poſſe, & præter quam alia requiritur ad orandum & operandum) *mandatum Dei non fit poſſibile.* Sic P. Nicolaï ſuis ratiocinationibus Moliniſmum S. Thomæ affingit.

Quantùm ad id quod dicit P. Nicolaï, illuſoriè dici nos poſſe per amicos, ſi deeſſent nobis amici, vel ope ſuâ indigentibus non adeſſent: in memoriam quæſo revocet quod anteà docuit, ſcilicet, juxta S. Thomam, Deum in pœnam peccati actualis præcedentis juſtè negare poſſe auxilium ſufficiens & neceſſarium ad peccatum vitandum, ſicut oſtendimus Sect. 1. art. 5. Quæro enim utrùm hac in hypotheſi Deus peccatori impoſſibilia præcipiat, cui auxilium neceſſarium & ſufficiens in peccati pœnam denegat? Et num juxta S. Thomam dicendum non ſit præceptum illi eſſe poſſibile, quia illud cum auxilio Divino implere poteſt, etſi Deus illi ope ſuâ indigenti per auxilium ſuum in pœnam præcedentis peccati non adſit.

Sed diſcat P. Nicolaï ex Silvio iſtam comparationem non per omnia poſſe accommodari. Ita Silvius: *Illud ait hic B. Thomas ad 2. Quod poſſumus cum auxilio divino non eſt nobis omninò impoſſibile, ſecundùm illud Philoſophi in 3. Ethicorum,*

corum: Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter poſſumus. Ubi tamen obſervandum eſt iſtam comparationem non per omnia poſſe accommodari. Cùm enim aliqua poſſumus per amicos, diſtinctè deſignari poſſunt quædam quæ ſunt tantùm in noſtrâ poteſtate & non amici, poſſuntque à nobis ſine ipſo præſtari, antequàm ipſe nos adjuvet, ut ad amicum ire, vel ab eo velle adjuvari, ab eo petere auxilium, & interdum incipere opus noſtrum, & uti auxilio quod ipſe dedit: cùm tamen, quantùm ab ea quæ per Deum agimus, vel poſſumus, nihil omninò ſit noſtrum & non Dei, dicente Apoſtolo: Quis te diſcernit? &c. Et infrà gratiam ſufficientem omnibus non dari docet; licet verum ſit homines viatores ſemper poſſe divina mandata ſervare. Unde concludit quòd *ea ſecundùm rei veritatem eſt impertinens ad ſalvandum quòd homo poſſit divina mandata ſervare.*

Atque ut ex ipsâ S. Thomæ doctrinâ confutentur Patris Nicolaï commenta, hoc unum teſtimonium referendum eſt, quo expreſsè docet auxilium ſine quo non poſſumus fidei & charitatis præcepta ſervare, aliquibus non dari, qui tamen præcepto tenentur, & quibus impoſſibile præceptum dici non poteſt; quia ſcilicet hoc poſſunt cum auxilio gratiæ, ut agnoſcat P. Nicolai etiam de iis, quibus deeſt auxilium Dei, ſine quo non poſſunt, dici juxta S. Thomam, quòd præceptum illis impoſſibile non eſt; quia illud cum Dei auxilio ſervare poſſunt: & cùm dicitur, nullum teneri ad id quod non eſt in ejus poteſtate, & nullum peccare in eo quod vitare non poteſt; non eſſe hunc ſenſum; quòd peccatum non ſit, niſi adſit gratia ſine quâ non poſſumus; ſed eſſe iſtum ſenſum, quòd peccatum non ſit, niſi exteriora omnia quæ requiruntur adſint, ſicut auditus ad fidem, adeò ut faciamus cùm volumus, ſeu ſi volumus, & ſit in arbitrio voluntatis facere vel non facere. En expreſſum hâc de re S. Thomæ teſtimonium.

2. 2. q. 2. art. 5. 1. Argumentum ſic proponit. *Videtur quod non teneatur homo ad credendum aliquid explicitè. Nullus enim tenetur ad id quod non eſt in ejus poteſtate. Sed credere aliquid explicitè, non eſt in hominis poteſtate. Dicitur enim Rom. 10. Quomodo credent in illum quem non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi mittantur?* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio gratiæ, SIC AD MULTA TENETUR HOMO, AD QUÆ NON POTEST SINE GRATIA PRÆPARANTE, *ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei: Sed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur;* QUIBUS AUTEM NON DATUR, EX JUSTITIA NON DATUR, IN PŒNAM PRÆCEDENTIS AUT SALTEM ORIGINALIS PECCATI, UT AUGUSTINUS DICIT LIB. DE CORREPTIONE ET GRATIA. Ergo aliquibus in

pœnam

pœnam peccati non datur gratia ſine quâ non poſſunt fidei ac dilectionis præcepta implere, quibus tamen hæc præcepta impoſſibilia non ſunt.

Idem Sanctus 1. 2. q. 109. art. 6. 1. argumentum ſic proponit. *Videtur quòd homo poſſit ſeipſum ad gratiam præparare per ſeipſum abſque exteriori auxilio gratiæ. Nihil enim imponitur homini quod ſit ei impoſſibile, ut ſupra dictum eſt. Sed Zachar. 1. dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: nihil autem eſt aliud ſe ad gratiam præparare, quàm ad Deum converti. Ergo videtur quòd homo per ſeipſum poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ.* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd converſio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium: & ſecundùm hoc homini præcipitur quòd ſe ad Deum convertat. Sed liberum arbitrium ad Deum converti non poteſt, niſi Deo ipſum ad ſe convertente, ſecundùm illud Jer. 31. 18. Converte me & convertar, quia tu Dominus Deus meus: & Thren. ult. Converte nos Domine ad te & convertemur.

Non recurrit ad gratiam aliquam ſufficientem datam omnibus quibus præcipitur quòd ad Deum ſe convertant, ut explicet quomodò præceptum ſe convertendi ad Deum, ſeu ſe præparandi ad gratiam, homini impoſſibile non ſit: ſed id præcipi à Deo dicit, quia converſio fit per liberum arbitrium, licet illud ad Deum actu converti non poſſit, niſi Deo ipſum ad ſe convertente; quo ſignificatur gratia Dei efficax; ſiquidem fieri non poteſt ut is ad Deum non convertatur, quem Deus ad ſe convertit, ſicut ipſa Scripturæ verba declarant: *Converte nos & convertemur.* Quare 1. p. q. 62. art. 2. ad. 3. dicit quòd hæc gratia per quam aliquis præparat ſe ad gratiam habendam eſt *operatio Dei ad ſe animam convertentis: quæ exigitur ad hoc ut aliquis ſe præparet*; & ſine hac efficaci gratiâ Dei ad ſe convertentis non ſolùm homo non ſe præparat, ſed nec ſe præparare poteſt, cùm ſine hâc ad Deum converti non poſſit, & juxta S. Thomam præparare ſe ad gratiam ſit ad Deum converti. *Et ideò*, inquit hoc eod. art. 6. in c. *quòd homo convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe niſi Deo ipſum convertente: hoc autem eſt præparare ſe ad gratiam, quaſi ad Deum converti.*

Dicet-ne jam P. Nicolaï, quòd ſecundùm S. Thomæ doctrinam gratia quæ exigitur, ut aliquis ſe ad gratiam præparet, & ſine quâ ſe præparare non poteſt, omnibus datur quibus Deus præcipit quod ſe ad gratiam præparent? Verùm omnibus præcipi ut ſe ad gratiam ſeu habendam ſeu ſervandam præparent non negabit. Atqui juxta S. Thomam gratia quæ exigitur ut quis ſe præparet, & ſine quâ non poteſt ſe præparare, eſt Deus hominem ad ſe convertens, ſeu eſt operatio Dei ad ſe animam convertentis. Conſequens ergo eſt, ut P. Nicolaï dicat, quòd in doctrinâ S. Tho-

mæ

mæ Deus omnes homines ad ſe ſemper convertit, quodque illi ad Deum ſemper convertuntur: quod quàm falſum abſurdumque ſit, per ſe ſatis patet.

Idem Sanctus 1. 2. ead. q. 109. art. 8. 1. argumentum ſic proponit. *Videtur quòd homo ſine gratiâ non poſſit peccare. Nullus enim peccat in eo quod vitare non poteſt, ut Auguſtinus dicit in lib. de duabus animabus & de libero arbitrio. Si ergo homo exiſtens in peccato mortali non poſſit vitare peccatum, videtur quod peccando non peccat, quod eſt inconveniens.* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd homo poteſt vitare actus ſingulos peccati, non tamen omnes, niſi per gratiam, ut dictum eſt; & tamen quia ex ejus defectu eſt, quòd homo ſe ad gratiam (ſcilicet habitualem) *habendam non præparet, propter hoc à peccato non excuſatur, quòd ſine gratiâ peccatum vitare non poteſt.*

Non reſpondet S. Thomas ideò hominem non excuſari à peccato, quia ſemper habet gratiam ſufficientem, quâ ſe poteſt ad gratiam habendam præparare; ſed quia ex ejus defectu eſt, quòd ſe non præparet. Quòd autem P. Nicolai ſecundùm Moliniana principia comminiſcitur, non fore hominis defectum, niſi gratiam habeat, ſatis ſuperque confutatum eſt.

S. Thomas multis aliis in locis hoc idem ſibi ex S. Auguſtino objicit: *Nullus peccat in eo quod vitare non poteſt*; nec unquam per gratiam ſufficientem, omnibus qui peccant datam, illud ſolvit & exponit, ut videre eſt 1. 2. q. 74. art. 3. 2. 2. q. 10. art. 1. 1. arg. 2. q. 148. art. 1. arg. 2. q. 158. art. 2. arg. 3. ſed illud ita ſemper intelligit, ut nullus peccet, niſi in eo quod in poteſtate ſic habet, ut cùm vult faciat vel non faciat: ſicut qui non credit non peccat contra fidem, niſi audierit, peccat autem ſi audierit, etſi auxilium Dei ſine quo credere non poteſt, non habeat, ut evidens eſt ex iis quæ docet 2. 2. q. 2. art. 5. arg. 1. & ad 1. & q. 10 art. 1. in c. & arg. 2.

ARTICULUS II.

In quo oſtenditur, cur juxta S. Thomam nunquam dici debeat, præceptum eſſe impoſſibile; etſi gratia ſufficiens omnibus ſemper non detur.

S. Thomæ cum S. Auguſtino, in explicandâ præceptorum poſſibilitate, concordia.

QUanquam autem juxta S. Thomam, auxilium ſine quo homo præceptum credendi & Deum diligendi implere non poteſt, aliquibus non detur: inde tamen non ſequitur præceptum credendi vel diligendi Deum aliquibus eſſe impoſſibile. Vox enim illa, impoſſibile, abſolutè uſurpata id ex S. Thomâ ſignificat, quod

quod nullo modo facere poſſumus, nequidem alterius auxilio adjuti. Quare juxta S. Thomæ doctrinam impoſſibile dici nunquam debet, quod cum Dei auxilio facere poſſumus, ut ſemper reſpondet, ſive illud auxilium nobis adſit, ſive non adſit.

Egregius eſt in eam rem locus 1. p. quæſt. 62. art. 2. ad 2. *Difficile eſt quod tranſcendit potentiam: ſed hoc contingit eſſe dupliciter. Uno modo, quia tranſcendit potentiam ſecundum ſuum naturalem ordinem: & tunc ſi ad hoc poſſit pervenire aliquo auxilio, dicitur difficile; ſi autem nullo modo, dicitur impoſſibile, ſicut impoſſibile eſt hominem volare. Alio modo tranſcendit aliquid potentiam, non ſecundùm ordinem naturalem potentiæ, ſed propter aliquod impedimentum potentiæ adjunctum....; Converti autem ad beatitudinem ultimam, homini quidem eſt difficile, & quia eſt ſupra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis & infectione peccati; ſed Angelo eſt difficile propter hoc ſolum, quòd eſt ſupernaturale.*

Sed juxta hanc S. Thomæ doctrinam quæret aliquis: ſicut dicimus, ſimpliciter loquendo, eſſe impoſſibile cæcum videre, vel mortuum, reſurgere, quanquàm Dei auxilio & operatione fieri poſſit ut cæcus videat & mortuus reſurgat, cur pari modo non dicemus ſimpliciter eſſe impoſſibile, aliquem præceptum fidei ſeu dilectionis implere, quanquàm Dei auxilio & operatione fieri poſſit ut credat ac diligat?

Illud etiam S. Thomas rectiſſimè exponit & illuſtrat. Docet enim ampliùs, licet ſimpliciter loquendo dici poſſit eſſe impoſſibile cæcum videre, ſimpliciter tamen dici non poſſe aliquod præceptum alicui eſſe impoſſibile: quia licet præceptum impleri non poſſit, niſi operatione divinâ; ad hoc tamen implendum cooperatur liberum hominis arbitrium, & ideò non dicitur eſſe impoſſibile ſimpliciter: ſanandæ autem cæcitati & mortuo ſuſcitando non cooperatur liberum arbitrium, ſeu natura inferior. Unde ſimpliciter loquendo impoſſibile eſt cæcum videre & mortuum reſurgere, licet operatione divinâ id fieri poſſit. En expreſſum hâc de re S. Thomæ teſtimonium.

In quæſt. diſputatis q. 24. de veritate (quæ eſt de libero arbitrio) art. 11. 5. argumentum ſic proponit: *Sed dices, quod quamvis talis ſit impœnitabilis ex viribus propriis, poteſt tamen reduci ad pœnitentiam ex munere divinæ gratiæ. Sed contrà, quando aliquid eſt impoſſibile ſecundùm cauſas inferiores, licet divinâ operatione fieri poſſit, dicimus ſimpliciter loquendo illud eſſe impoſſibile, ſicut cæcum videre, vel mortuum reſurgere. Si ergo ex viribus propriis aliquis non ſit capax pœnitentiæ, ſimpliciter debet dici quòd eſt obſtinatus in malo, quamvis divinâ virtute poſſit reduci ad pœnitentiam.* Huic argumento ſic reſpondet. *Ad 5. dicendum, quòd quando natura inferior poteſt aliquid diſponere, vel qualitercumque operari, non dicitur impoſſibile ſimpliciter, quamvis non poſſit perfici niſi divinâ*

operatione; ſicut non dicimus eſſe impoſſibile ſimpliciter prolem in materno utero animâ rationali animari: & ſimiliter quamvis liberatio à peccato fiat operatione divinâ; quia tamen ad hoc liberum arbitrium cooperatur, non dicitur eſſe impoſſibile ſimpliciter.

Tota hæc S. Thomæ de poſſibilitate præceptorum doctrina, iſto & præcedenti teſtimonio contenta, cum S. Auguſtino mirificè conſonat, qui duobus modis ſimiliter exponit ac docet præceptum non debere dici impoſſibile. 1. Quia illud cum divino auxilio implere poſſumus: *Poteſt*, inquit de nat. & grat. c. 67. *peccatum caveri, ſed opitulante Deo, qui non poteſt falli.* Et c. 43. *Medicinâ poterit, quod vitio non poteſt.* Et de perf. juſtit. c. 3. *Vitari poteſt peccatum, ſi natura vitiata ſanetur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum.* Idem docet S. Thomas juxta doctrinam primo teſtimonio contentam.

2. S. Auguſtinus docet præceptum non debere dici impoſſibile, quia hoc eſt in poteſtate noſtra quod cùm volumus facimus. *Verum eſt*, inquit Retract. l. 1. c. 22. *omnes homines hoc poſſe, ſi velint.* Et de prædeſt. SS. c. 6. *Credere vel non credere*, inquit, *eſt in arbitrio voluntatis humanæ.* Illud etiam S. Thomas docet juxta doctrinam 2. teſtimonio contentam, cùm dicit præceptum non debere dici impoſſibile ſimpliciter, quia illi implendo cooperatur liberum arbitrium, quod idem eſt, ac quia illud facimus cùm volumus, ſeu quia illud facere vel non facere eſt in arbitrio voluntatis humanæ.

Sed juxta S. Auguſtinum, ſicut & juxta S. Thomam, gratia requiritur ut velimus. *Verum eſt*, ait Auguſtinus, *omnes homines hoc poſſe, ſi velint*, id eſt, ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertere; *ſed præparatur voluntas à Domino* (ſcilicet ut velint) *& tantum augetur munere charitatis, ut poſſint.* Et de prædeſt. SS. c. 6. *Non quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* Similiter S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. ad 3. exponens illud Eccleſ. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit dabitur illi; Nunc etiam*, inquit, *quodcumque vult homo datur ei, ſed hoc quòd bonum velit, habet ex auxilio gratiæ.* Sicut autem juxta S. Auguſtinum, ita & juxta S. Thomam, voluntas in omnibus per gratiam non præparatur. *Multi*, inquit S. Auguſtinus, *audiunt verbum veritatis, alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi: ſed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordiâ ejus, quid de judicio.*

Ita verò S. Thomas in 12. ad Heb. lect. 3. ubi pro eodem ſumit præparare ſe ad gratiam, & non ponere obſtaculum gratiæ. *Dicendum eſt*, inquit, *quod hoc ipſum quòd aliquis non ponit obſtaculum,*

ex

ex gratia procedit: quòd ergo à quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei: quòd autem non removetur, hoc eſt ex juſtitia ejus. Et 2.2.q.2. art.5.ad 1. *Sed hoc poteſt* (credere ſcilicet & diligere) *cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis aut ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.*

Ex quibus patet, quàm benè S. Auguſtinus divinæ gratiæ Doctor, & S. Thomas ejus diſcipulus ac ſcholæ Magiſter, inter ſe in exponendâ præceptorum poſſibilitate, ſicut & in cæteris omnibus de gratia Chriſti capitibus conveniant. Fruſtrà ergo P. Nicolaï & alii Moliniſtæ in S. Thomæ, ſicut & in S. Auguſtini Operibus gratiam ſufficientem communem quærunt, quibus poſſibilitatem præceptorum aſtruxerint ac expoſuerint. Eam verò eos inveniſſe quis putet, ſi nec ſemel tot libris, tot locis quibus Sancti hi Doctores de poſſibilitate præceptorum agunt, dictum invenerint, ideò præcepta non eſſe impoſſibilia, ideò peccata caveri poſſe, quia Deus omnibus gratiam actualem interiorem ſemper dat, quâ præcepta implere & peccata cavere poſſint? Cùm tamen illud unum ſit quod Moliniſtæ ſemper reſpondent, quia omnibus gratiam ſufficientem ſemper dari exiſtimant. Illud nunquam hos Sanctos Doctores tenuiſſe, vel hoc argumento certiſſimè evincitur, quia id ab illis nunquam reſponſum eſt; imò verò omnibus eam non dari ſæpè aſſertum eſt. Jam expendamus ſingula S. Thomæ teſtimonia à P. Nicolaï ad gratiam hanc ſufficientem aſtruendam per poſſibilitatem præceptorum tertiâ Claſſe relata.

ARTICULUS III.

In quo omnia S. Thomæ teſtimonia à Patre Nicolaï circa poſſibilitatem præceptorum 3. Claſſe relata exponuntur, & à perverſo ſenſu illis per eum affficto vindicantur.

Pater Nicolaï 3. Claſſe n. 1. ſic loquitur, ut ex poſſibilitate præceptorum gratiam ſufficientem communem aſtruat.

Quid aliud, ſcilicet Quodlibeto 2. art. 6. certiſſimè adſtruit? [*Nullus tenetur*, inquit, *ad hoc quod eſt ſupra vires ſuas, niſi per modum quo ſit ſibi* (*vel ei*) *poſſibile.*] *Atque inde concludit, quòd quia myſteria fidei ſunt ſupra potentiam hominis naturalem, & ex peculiari dono Dei provenit ut credantur:* [*tenetur homo credere ſecundùm quod adjuvatur à Deo ad credendum.*] Et eadem *ratio debet eſſe de præceptis omnibus quæ facere tenetur, nec tamen ſine adjutorio Dei poteſt.*

Sed P. Nicolai, ut S. Thomam non niſi de adjutorio gratiæ lo-

qui inſinuaret, de induſtriâ omiſit quæ ſequuntur: en teſtimonium integrum. *Homo ergo tenetur credere ſecundùm hoc quòd adjuvatur à Deo ad credendum. Adjuvatur autem à Deo aliquis ad credendum tripliciter. Primò quidem per interiorem vocationem, de qua dicitur Joan. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me; & ad Rom. 8. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit. Secundò per doctrinam & prædicationem exteriorem, ſecundùm illud Apoſtoli ad Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Tertiò per exteriora miracula.* Ergo S. Thomæ ſenſus is eſt, quòd homo non tenetur credere, niſi ſecundùm quod adjuvatur aliquo ex his tribus modis, ſcilicet vel per interiorem vocationem, vel per prædicationem, vel per miracula: ſenſus autem non eſt quòd homo non teneatur credere, niſi ſecundùm quod adjuvatur per interiorem vocationem. Cùm enim non poſſit dici quòd neceſſe ſit hominem tribus his modis adjuvari, ut credere teneatur, dici oportet quòd ſufficit hominem aliquo ex his tribus modis adjuvari, ut credere teneatur. Id verò manifeſtè patet ex ipſo articuli ſcopo, in quo id unum S. Thomas docet: *Chriſto credendum fuiſſe, etſi viſibilia miracula non feciſſet.* Quod ex eo probat: *quia homines à Deo ad credendum tripliciter adjuvantur, per interiorem vocationem, per doctrinam, per miracula.* Unde concludit: *Si autem Chriſtus viſibilia miracula non feciſſet, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad fidem, quibus homines acquieſcere tenerentur.* Eâdem ergo ratione, qui Chriſto *forinſecus inſonante foris audiebant, intus non audiebant,* ut ait Auguſtinus, Chriſto nihilominus credere tenebantur: quia duobus aliis modis, prædicatione ſcilicet & miraculis, vocabantur ad fidem, *quibus acquieſcere tenebantur.*

Quantùm verò à S. Thomæ mente alienum ſit, ut vocationem interiorem omnibus communem hoc articulo aſtruere voluerit, hæc verba mox ſequentia demonſtrant. *Ad 1. ergo dicendum quòd inter illa opera quæ Chriſtus in hominibus fecit, annumerari etiam debet vocatio interior, quâ* QUOSDAM ATTRAXIT, *ſicut Gregorius dicit in quadam homilia, quod Chriſtus per miſericordiam Magdalenam traxit interiùs.* An ita loqueretur, an quoſdam per vocationem interiorem attractos, & non potiùs omnes attractos diceret, ſi vocationem interiorem omnibus communem hîc aſtrueret, ac teneret? An diceret, quòd Chriſtus per miſericordiam Magdalenam traxit interiùs, niſi vellet inſinuare, quòd Chriſtus per juſtitiam quoſdam non trahit interiùs, eos gratiâ interiori non adjuvando: dicit autem per vocationem interiorem quoſdam attractos eſſe, ut oſtendat variis modis Chriſtum operari, ſcilicet per miracula, per vocationem interiorem, & per doctrinam.

Omitto dicere, hanc quam P. Nico-

Nicolaï S. Thomæ hoc articulo ſententiam affingit, ita eſſe illius doctrinæ ex adverſo contrariam, ut 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. de hâc quæſtione expreſsè agens, utrùm homo teneatur ad credendum aliquid explicitè, diſertè doceat, aliquibus qui tenentur credere articulos fidei ſicut & Deum diligere, auxilium gratiæ ſine quo hoc non poſſunt, ex juſtitia non dari: hoc teſtimonium anteà art. 1. retulimus, ubi oſtendimus quomodo juxta S. Thomam præceptum ſit alicui poſſibile, etiamſi illi non adſit auxilium divinum ſine quo illud implere non poteſt.

P. Nicolaï aliud deinde teſtimonium refert ex Quodlibeto 7. art. 17. ad 3. En integrum, cujus partem iſte ſuo more ſupprimit. *Dicendum quòd in quolibet præcepto duo ſunt conſideranda, ſcilicet finis præcepti & poſſibilitas obſervandi: quia omnia præcepta cujuſlibet legis ſunt ordinata ad aliquod bonum inducendum, vel malum tollendum, nec aliquid impoſſibile præcipi poteſt. Unde dicit Hieronymus: Qui dicit Deum aliquid præcepiſſe impoſſibile, anathema ſit. Si ergo ſit tale præceptum, quod nullomodo reddi poſſit impoſſibile, obſervandum, & ſine eo finis intentus haberi non poſſit, obligatio illius præcepti ſemper manet, ſicut eſt in præceptis de actibus virtutum; quia ad minùs actus interiores ſemper ſunt in hominis poteſtate, & ſine eis vita ſpiritalis conſervari non poteſt, ut dictum eſt* (hæc quæ ſequuntur de induſtriâ omiſit P. Nicolaï, quia ex his innoteſcit, hoc loco actus interiores virtutum cum actibus exterioribus comparari) *Duobus ergo modis præceptum de operatione manuum obligationem amittit: uno modo, quando aliquis redditur impotens ad laborandum, propter corporis imbecillitatem; alio modo, quando finem hujus præcepti, ſcilicet conſervationem corporalis vitæ, conſequi poteſt ſine labore manuum, ut ex dictis patet.*

Ad clariorem hujus teſtimonii elucidationem referenda eſt objectio cui reſpondetur, quæ talis eſt. *Ad præcepta ſervanda omnes tenentur: ſed ad labores manuum non omnes tenentur, aliàs qui ſunt divites & manibus non laborant, mortaliter peccarent.*

Hoc ergo articulo S. Thomas quærit & expendit, *Utrum operari manibus ſit in præcepto:* docet poſſibile debere eſſe quod præcipitur, atque ut id exponat circa quæſtionem ab eo propoſitam, actus interiores virtutum cum actibus exterioribus comparat: dicit hos eſſe ſemper in præcepto, quia ſunt ſemper in hominis poteſtate; iſtos non eſſe ſemper in præcepto, quia ſcilicet non ſunt ſemper in hominis poteſtate: ut quando aliquis ad eos redditur impotens propter corporis imbecillitatem; & hoc modo præceptum de operatione manuum obligationem amittere. Patet itaque actus interiores virtutum dici ſemper eſſe in hominis poteſtate, quia hos ſemper facimus cum volumus, ut loquitur S. Auguſtinus;

actus verò exteriores, puta laborem manuum, non eſſe ſemper in hominis poteſtate, quia hos non ſemper facimus cum volumus: frequenter enim ob corporis imbecillitatem laborare non poteſt, etiam qui maximè voluerit. Itaque dicere quod actus interiorum virtutum ſemper ſunt in hominis poteſtate, quia ſemper illi adeſt Dei gratia quâ poteſt eos exercere, à S. Thomæ mente penitùs alienum eſt: ut hinc omnibus innoteſcat perpetua in exponendo S. Thomæ ſenſu Patris Nicolai hallucinatio, qui ex hoc loco concludit, *gratiam ſufficientem ſaltem ei adeſſe dici debere, qui præcepta obſervare tenetur, juxta verum & certum ſenſum S. Thomæ.*

Poſteà P. Nicolaï S. Thomam in Sententias citat. In 2. ſent. diſt. 28. q. 3. art. 3. in quo quæritur, *Utrum homo poſſit implere præcepta ſine Dei gratia.* Poſt argumenta: *Sed contra*, inquit, *Hieronimus dicit, qui Deum dicit præcipere impoſſibilia, anathema ſit: ſed impoſſibile eſt homini illud quod implere non poteſt: ergo mandata Dei homo per ſe implere non poteſt.*

Præterea Deus non eſt magis crudelis quàm homo: ſed homini imputatur in crudelitatem, ſi obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non poſſet: ergo hoc de Deo nullo modo eſt æſtimandum. Verba ſequentia P. Nicolaï ſuppreſſit; *& ita ſine gratiâ homo per ſe legis præcepta implere poteſt.*

Ex quo ſequitur (inquit P. Nicolaï) *quòd cum ſine divinâ voluntate quodlibet bonum in nobis operante, vel ſine actuali gratiâ, nemo ea implere poſſit, crudelis eſſet Deus, ex mente S. Thomæ, ſi præciperet ea ſervari, & eos qui non ſervant ad peccati reatum obligaret, nec ad eorum impletionem vel obſervationem neceſſarium auxilium præberet, ſaltem tale quod ſufficiens dici poſſet.*

Hæc eſt Patris Nicolaï ratiocinatio, ſed S. Thomæ verbis penitùs contraria. Nam S. Thomas hinc non concludit, omnibus gratiam dari, quod facit P. Nicolaï; ſed è contra, hominem ſine gratia per ſe legis præcepta implere poſſe, ut hinc id unum ſequi videri poſſit, Dei gratiam ſive actualem, ſive habitualem, ad legis præcepta implenda non eſſe neceſſariam. Quare P. Nicolaï prudenter ſuo more hanc S. Thomæ concluſionem reticuit, *Et ita ſine gratia homo per ſe legis præcepta implere poteſt*, ne eâ poſitâ conſequentiæ quam deducit falſitas innoteſceret.

Quis ergo, inquies, horum S. Thomæ verborum ſenſus eſt? Hic eſt quem ſequens S. Thomæ reſponſio declarat: *Dicendum eſt ergo*, inquit, *quòd præcepta legis, quantùm ad id quod directè ſub præcepto cadit* (hoc eſt, ut ipſe exponit, quantùm ad ſubſtantiam operis, & non quantùm ad modum agendi, & intentionem Legiſlatoris, ſeu finem præcepti, qui eſt, non tantùm ut hæc opera fiant, ſed ut ex charitate fiant) *poteſt aliquis implere per liberum arbitrium ſine gratia gratis data, vel gratum faciente*, hoc eſt, ſine gratia actuali & habituali. Hoc

uno

uno ſenſu S. Thomas loquitur; de præceptis ſolùm quantùm ad ſubſtantiam operis, non verò quantùm ad modum agendi in argumentis, *ſed contra*, loquitur, ut ex ipſis concluſionis verbis patet: *Ergo mandata Dei homo per ſe implere poteſt: & ita ſine gratiâ homo per ſe legis præcepta implere poteſt.*

S. Thomas in qq. diſp. de veritate q. 24. quæ eſt de libero arbitrio art. 14. eamdem doctrinam tradit, quam P. Nicolaï non minùs abſurdè pro gratiâ ſufficiente communi commemorat. Ita S. Thomas.

Quæritur utrùm liberum arbitrium poſſit in bonum ſine gratia? Et videtur quòd ſic: quia præceptum non datur de impoſſibili: unde Hieronymus dicit, Maledictus qui dicit Deum homini aliquid impoſſibile præcepiſſe: ſed homini præcipitur ut bonum faciat: ergo homo poteſt per liberum arbitrium bonum facere. Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd illud quod præcipit Deus non eſt impoſſibile homini ad ſervandum, quia & ſubſtantiam actus poteſt ex libero arbitrio ſervare, & modum quo elevatur ſupra facultatem naturæ, pro ut ſcilicet ſit ex charitate, poteſt ſervare ex dono gratiæ, quamvis non ex ſolo libero arbitrio.

S. Thomas per donum gratiæ quo homo poteſt ſervare præcepta ex charitate, gratiam habitualem deſignat, non verò actualem; & licet actualem deſignaret, eam omnibus dari non dicit. Quid verò abſurdius in S. Thomæ doctrinâ, quàm donum gratiæ quo homo ſervare poteſt omnia præcepta ex charitate, omnibus ſemper dari?

Confirmat autem P. Nicolaï ex ſequenti reſponſione gratiam omnibus dari. Ita S. Thomas.

Præterea nullus debet corripi, ſi non faciat quod facere non poteſt: ſed homo juſtè corripitur, ſi omittat facere bonum: ergo per liberum arbitrium homo bonum facere poteſt. Sic reſpondet.

Ad 2. dicendum, quòd rectè homo corripitur qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia eſt quòd gratiam non habet, per quam poteſt ſervare mandata quantùm ad modum, cùm poſſit nihilominùs per liberum arbitrium ea ſervare quantùm ad ſubſtantiam. An ex ejus negligentia porro eſſet (inquit P. Nicolaï) *quòd non haberet ejuſmodi gratiam, ſi quantùm eſt ex parte Dei per ſeipſum deeſſet, non hoc adeſſet ſaltem per quod haberi poteſt.* Hæc eſt Patris Nicolaï conſequentia, non in S. Thomæ doctrinâ, ſed in Molinianis principiis fundata. Ubi enim unquam S. Thomas docuit non fore hominis negligentiam, nec illam homini ad peccatum imputandam, niſi Deus homini concedat gratiam actualem interiorem, quâ ſe poſſit ad gratiam habendam diſponere? Vel unum S. Thomæ teſtimonium proferat P. Nicolaï, ubi id S. Thomas expreſsè aſſerat. Nos multis expreſſis teſtimoniis hoc toties inculcatum & nunquam probatum confutavimus, & ampliùs poſteà Sectione ſequenti, ubi de peccati imputatione, confuta-

futabimus: imò ex hoc ipſo articulo gratiam actualem omnibus non dari convinci poteſt. Eam enim ſic definit S. Thomas ibid. in corp. *Ipſa miſericordia Dei, per quam interiùs motum mentis operatur.* Quis autem dixerit Deum per ſuam miſericordiam interiùs motum mentis in omnibus operari? Imò ſecundùm S. Thomam certiſſimum eſt, Deum in multis hunc ex juſtitia non operari.

Omitto calumnioſè ſemper adverſariorum doctrinam à Patre Nicolaï proponi, cùm nec Arnaldus, nec quiſquam alius S. Auguſtini diſcipulus teneat gratiam ex parte Dei per ſe ipſam ulli deeſſe, ſed ſemper in homine cauſam eſſe cur deſit.

Ut verò P. Nicolaï oſtendat, S. Thomam maturum aliud non dixiſſe, quàm quod juvenis, hoc ex Summa teſtimonium refert 1. 2. q. 100. art. 10. *Non eſt impoſſibile hoc præceptum obſervare quod eſt de actu charitatis; quia homo poteſt ſe diſponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eam, poteſt eâ uti.* Hic-ne legitur, gratiam actualem interiorem omnibus ſemper dari, quâ ſe poſſint ad gratiam habendam diſponere, & cùm eam habuerint eâ uti? Minimè verò; ſed hoc concludit P. Nicolaï: quàm falsò, ſatis anteà oſtendimus.

Reſpondeo ergo 1. quod ex S. Thoma 1. p. q. 23. art. 3. ad 3. duplex eſt impoſſibilitas, alia abſoluta, alia conditionata. Itaque juxta doctrinam ibi à S. Thomâ traditam nunquàm debet dici quòd impoſſibile ſit abſolutè reprobo ſe ad gratiam, ſeu ad charitatem diſponere; quia ſemper poteſt habere auxilium Dei, quo ſe ad illam diſponat. Sed, ut ibidem docet, ex ſuppoſitione dici poteſt, quod reprobatus non poteſt gratiam adipiſci, ſeu quòd non poteſt ſe ad gratiam habendam diſponere; & ideò licet aliquis non habeat gratiam actualem, per quam ſe ad gratiam habitualem diſponere poteſt, & per quam poteſt eâ uti, non ſequitur quod ſit illi impoſſibile habere charitatem, aut quando illam habuerit eâ uti; & tamen peccatum ejus qui reprobatur & qui à gratiâ deſeritur, licet ſecundùm impoſſibilitatem conditionatam non poſſit gratiam adipiſci, in culpam imputatur; non quia gratiam actualem ſufficientem habet quâ poſſit ſe ad gratiam diſponere: *Sed quia*, inquit ibidem, *licet aliquis non poſſit gratiam adipiſci qui reprobatur à Deo, tamen quòd in hoc peccatum vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit: unde & meritò ſibi imputatur in culpam.* Et anteà ad 2. *Culpa provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratia deſeritur: & ſecundùm hoc verificatur dictum Prophetæ, ſcilicet; Perditio tua Iſraël ex te.*

Reſpondeo 2. ex S. Thomâ, *quòd illud quod poſſumus cum divino auxilio, non eſt nobis omninò impoſſibile*, ut anteà expoſuimus: ſemper autem homo poteſt cum auxilio divino ſe diſponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eam, poteſt eâ uti.

Reſ-

Reſpondeo 3. juxta S. Thomam ex ſupradictis, quòd quamvis liberatio à peccato, & ſimiliter præcepti charitatis obſervatio, fiat operatione divinâ, quia tamen ad hoc liberum arbitrium cooperatur, non dicitur eſſe impoſſibile ſimpliciter. Unde ut ſuprà vidimus 1. 2. q. 109. art. 6. *Nihil homini impoſſibile à Deo imponitur, dum ei præcipitur ut ſe ad Deum convertat: quia hominis ad Deum converſio fit per liberum arbitrium, etſi liberum arbitrium ad Deum converti non poſſit, niſi Deo ipſum ad ſe convertente.*

Denique hoc addo obſervatione digniſſimum, his & ſimilibus argumentis gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos actus neceſſitatem S. Thomæ auctoritate everti: quia hæ conſequentiæ & ratiocinationes è S. Thomæ teſtimoniis circa poſſibilitatem præceptorum deductæ, vel ad gratiam ſufficientem communem aſtruendam nihil valent, vel ad aſtruendam gratiam ſufficientem communem, libero arbitrio ſaltem ad orandum & ad diſponendum ſe ſubjectam, valent: ut rectè probat M. Alphonſus le Moyne, Molinianæ ad orandum gratiæ aſſertor, in ſuo Tractatu de gratiâ.

Demùm P. Nicolaï obſervat quærer à S. Thoma variis in locis id velut ex S. Hieronymo uniformiter. quoad ſenſum relatum, *Eos eſſe maledicendos & execrandos, qui aliquid impoſſibile dicunt eſſe quod homini à Deo præceptum ſit.* Id uniformiter quoad ſenſum à S. Thomâ relatum non abnuimus; ſed vel uno loco relatum eſſe ad gratiam ſufficientem omnibus qui præcepto tenentur aſtruendam, pernegamus, ut circa ſingula oſtendimus. Illud enim exponens 1. 2, q. 109. art. 4. ad 2. nihil homini impoſſibile præceptum docet: quia quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omninò impoſſibile; non verò quia ſemper habemus auxilium Dei quo præcepta implere poſſumus, ſicut articulo præcedente oſtendimus.

Scio hæc verba (inquit P. Nicolaï) *quibus nititur S. Thomas, tanquam ſi Hieronymi eſſent, non Hieronymi tamen eſſe, ſed Pelagii.*

Id rectè ſcis, Pater mi, cùm S. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti c. 32. & de peccato originali c. 30. Pelagii confeſſionem, quâ hæc verba continentur, ut dolo plenam refutet. Rectè ſcis viſam fuiſſe Zozimo, à quo ſuſcepta eſt, Catholicam, ob verborum ambiguitatem quibus Pelagius ſimulatâ voluntatis emendatione ad Summum Pontificem decipiendum uſus erat ſed nec ignorare debes Zozimum, fraude poſteà detectâ, damnationis ſententiam in Pelagium & Cœleſtium tuliſſe. Ergo cùm hæc verba Catholicum ſenſum præ ſe ferant, hæc S. Thomas falsâ inſcriptione deceptus, velut ex Hieronymo referre potuit; ſed fateri te neceſſe eſt, eadem hæc verba hæreticum etiam ſenſum à Pelagio intentum occultare: ea porrò S. Thomas juxta Catholicum ſenſum à S. Auguſtino defenſum, & à Zozimo appro-

approbatum uſurpat, qui alius non eſt quàm is quem contra te defendimus. Tu verò Pelagii ſenſum à S. Auguſtino confutatum amplecteris, & quod intolerabile eſt, S. Thomæ falſiſſimè affingis. Pelagii enim ſenſus hic erat, hæc mens, ut hâc ſententiâ *execramur etiam blaſphemiam eorum qui dicunt impoſſibile aliquid homini eſſe præceptum*, doctrinam gratiæ per ſe efficacis quam ad ſingulos pios actus neceſſariam eſſe, & ſine quâ nihil boni fieri poſſe S. Auguſtinus cum universâ Eccleſiâ aſſerebar, velut blaſphemam & execratione dignam ſugillaret. Hæc eadem Catholicorum doctrina eſt, quam à S. Thomâ eadem verba ſub Hieronymi nomine referente, tanquàm blaſphemam rejectam eſſe, tua argumenta tuæque conſequentiæ probant, ſi quid probant, quicquid Pelagii dolum imitatus diſſimules. Hæc eadem doctrina eſt quam tu, ſi quid ex Arnaldo damnas, hæreſeos & blaſphemiæ damnas in Arnaldo, qui nihil aliud ſcribendo docuit, quàm gratiam per ſe efficacem ad omnes pios actus neceſſariam, & ſine quâ nihil piè fieri poteſt, Petro juſto in tentatione defuiſſe, quæ certiſſima eſt S. Auguſtini doctrina Pelagiano errori oppoſita. *Siccine tu* (ut in te tua verba in Arnaldum falſiſſimè contorta, veriſſimè retorqueam) *S. Thomam illudis, aut ementito S. Thomæ nomine nos faſcinas, ſi vel credulæ nimis mentes, vel teneri nimis oculi nobis eſſent.*

SECTIO TERTIA.

In quâ ex iis quæ S. Thomas docet de imputatione peccati, de Voluntate Dei antecedente & conſequente, & de morte Chriſti pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam pretii, gratiam actualem ſufficientem omnibus communem non ſolùm non aſtrui, ſed etiam negari oſtenditur.

PAter Nicolaï his quidem argumentis quæ vulgò à Moliniſtis ab imputatione peccati, à voluntate Dei, & à morte Chriſti petuntur, ad gratiam ſufficientem communem, S. Thomæ auctoritate aſtruendam, ſpecialiter non utitur: ſed quia non ſolùm Patrem Nicolaï hoc Opere confutare, ſed etiam S. Thomæ de gratiâ ſufficiente doctrinam integrè exponere ſuſcepi; quia etiam non ſolùm Patri Nicolaï, ſed & cæteris Moliniſtis quidquam nobis ex S. Thomæ doctrinâ ad ſententiam ſuam confirmandam objiciendi locum omnem præripiendum eſſe arbitror, ideò hæc argumenta à Patre Nicolai penè intacta tractare aggredior, oſtenſurus illa, juxta S. Thomam, ad gratiam ſufficientem communem aſtruendam non ſolùm non valere, ſed etiam multùm valere ad de-

deſtruendam. Id verò poſtquàm oſtenſum fuerit, tùm P. Nicolaï, cæterique Moliniſtæ, ſi ſapiunt, S. Thomam velut ſuæ ſententiæ patronum ſibi vindicare, ac nobis velut noſtræ adverſarium objicere deſinent; tùm de S. Thomâ, ſicut jam de S. Auguſtino, obmuteſcent, cùm conſtet aliis argumentis quàm iſtis, vel his quæ duabus præcedentibus Sectionibus abundè confutata ſunt, gratiam actualem ſufficientem communem non poſſe ſtabiliri, nec doctrinam, quam contra illos defendimus, impugnari.

ARTICULUS PRIMUS.

In quo oſtenditur S. Thomam nunquam peccati imputationem per gratiam ſufficientem, iis qui peccant ſemper datam, expoſuiſſe.

SAnctus Thomas ſæpè docet hominem à gratiâ deſeri, & tamen peccare, quia voluntate ſua & libero arbitrio peccat; numquam autem ad gratiam ſufficientem communem recurrit, ut oſtendat juſtè homini peccatum imputari: eam ergo non admiſit, ſiquidem ad ea ſolvenda, propter quæ potiſſimùm admittenda dicitur, nunquam illâ uſus eſt. Illud ex multis locis probatur.

1. p. q. 23. art. 3. argumentum 3. ſic proponit. *Nulli debet imputari quod vitare non poteſt: ſed ſi Deus aliquem reprobat, non poteſt vitare quin ipſe pereat. Dicitur enim Eccleſ. 7. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ipſe deſpexerit: ergo non eſſet hominibus imputandum quod pereunt; hoc autem eſt falſum: non ergo Deus aliquem reprobat.* Sic reſpondet.

Ad 3. dicendum, quòd reprobatio Dei non ſubtrahit aliquid de potentiâ reprobati: unde cùm dicitur quòd reprobatus non poteſt gratiam adipiſci, non eſt hoc intelligendum ſecundùm impoſſibilitatem abſolutam, ſed ſecundùm impoſſibilitatem conditionatam, ſicut ſupra dictum eſt, quòd prædeſtinatum neceſſe eſt ſalvari neceſſitate conditionatâ, quæ non tollit libertatem arbitrii. Unde licet aliquis non poſſit gratiam adipiſci, qui reprobatur à Deo; tamen quòd in hoc peccatum, vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit: unde & meritò ſibi imputatur ad culpam.

Nulla hic gratiæ ſufficientis omnibus qui peccant datæ mentio; quam tamen nemo illius aſſertor in ſimilis argumenti ſolutione unquam prætermitteret. Agitur de explicandâ peccati imputatione circa reprobos, qui non poſſunt gratiam adipiſci. Reſpondet-ne meritò illis imputari ad culpam quòd pereunt, & quòd in peccatum cadunt, quia habent gratiam ſufficientem, quâ poſſunt illud vitare? Minimè verò: ſed quia, quòd in hoc peccatum vel illud labantur, ex eorum libero arbitrio contingit. Similiter ad 2. dicit, reprobationem

nem non eſſe cauſam culpæ, verùm cauſam derelictionis à Deo: *ſed culpam provenire ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratiâ deſeritur.* Cur S. Thomas ita loquitur, ſi reprobus cùm peccat, à gratiâ ſufficiente nunquam deſeritur? Cur à Deo derelinqui dicitur, qui ſemper ejus gratiâ ſufficiente adjuvatur? Profectò quiſquis aſſerit neminem culpandum eſſe, niſi adſit illi gratia ad non peccandum ſufficiens, contrariè omnino reſpondebit, diceteque culpam provenire ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratiâ Dei ad non peccandum ſufficiente nunquam deſeritur.

In hæc verba Joan. 6. *Nemo poteſt venire ad me*, &c. Sic loquitur.

Tertia quæſtio eſt de hoc quod dicit, quòd nemo venire poteſt, niſi tractus à Patre; quia ſecundùm hoc ſi nullus veniat ad Chriſtum, non imputatur ei, ſed ei qui non trahit eos. Reſpondeo dicendum, quòd verè nullus venire poteſt, niſi tractus à Patre. Nam ſicut grave per naturam, non poteſt per ſe ſurſum ferri, niſi trahatur ab alio; ita cor humanum, ex ſe ad inferiora tendens, non poteſt ſurſum elevari, niſi tractum: ſi verò non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, qui quantùm in ſe eſt, nulli deficit; ſed eſt propter impedimentum ejus qui non trahitur. Aliter autem, quantùm ad hoc pertinet, poſſumus loqui de hominibus in ſtatu naturæ integræ, & aliter in ſtatu naturæ corruptæ. Nam in natura integra non erat aliquod impedimentum prohibens ab hac tractione. Et ideò omnes indigent trahi: Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit, quantùm in ſe eſt; &, quod plus eſt, non ſolùm attrahit manum recipientis, ſed etiam averſos à ſe convertit, ſecundùm illud Thren. ult. Converte nos Domine, & convertemur. Et in Pſal. 84. ſecundùm aliam litteram, Deus tu converſus vivificabis nos. Ex quo ergo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere, non imputatur ei ſi aliquis non accipiat, ſed ei qui non accipit. Quare autem non omnes averſos trahit, ſed aliquos, licet ſint omnes æqualiter averſi, ratio quidem in generali poteſt aſſignari, ut ſcilicet in illis qui non trahuntur appareat & refulgeat ordo divinæ juſtitiæ; in illis autem qui trahuntur, immenſitas divinæ ſapientiæ. Quare autem in ſpeciali trahat hunc, & illum non trahat, non eſt ratio aliqua, niſi beneplacitum voluntatis divinæ. Unde dicit Auguſtinus: Quem trahit & quem non trahit, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare; ſemel accipe & intellige: Nondum traheris? Ora ut traharis. Hoc etiam oſtendi poteſt per exemplum. Nam aſſignari poteſt ratio quare artifex ponit aliquos lapides inferiùs & aliquos ſuperiùs, & aliquos ex lateribus ex diſpoſitione domus, cujus complementum hoc exigit: ſed quare hos lapides hic ponat, & hos ibi, dependet à ſuâ ſimplici voluntate; & inde eſt quòd prima ratio diſpoſitionis refertur ad voluntatem artificis. Sic ergo Deus ad complementum univerſi quoſdam quidem trahit, ut in eis appareat ſua miſe-

miſericordia; quoſdam verò non trahit, ut oſtendatur in eis ſua juſtitia: ſed hos trahit, illos non trahit, ſecundùm ſuum beneplacitum voluntatis. Similiter etiam quare in Eccleſiâ aliquos fecit Apoſtolos, alios Confeſſores, alios Martyres, ratio eſt propter Eccleſiæ decorem & complementum: ſed quare Petrum fecit Apoſtolum, Stephanum Martyrem, & Nicolaum Confeſſorem, non eſt alia ratio niſi voluntas ſua. Sic ergo patet humanæ facultatis defectus, & auxilii divini ſubſidium.

Anteà Sect. 1. art. 2. 3. & 4. expoſuimus, quid ſit Deum omnibus, quantùm in ſe eſt, manum porrigere, ſeu, quod idem eſt, paratum eſſe dare omnibus gratiam; ac oſtendimus nullo modo ex his verbis concludi poſſe, quòd gratia ſufficiens omnibus detur; imò ex hac S. Thomæ reſponſione, eam omnibus non dari evidenter ſequitur: quia ſi ad peccati imputationem ſemper datur; ſi illi debita eſt qui tenetur Evangelio ſibi annuntiato credere, ac Deum diligere; ſatis non eſt quòd Deus ſit paratus gratiam ſufficientem ad credendum & diligendum dare, ſed ulteriùs requiritur ut illam actu det, ſaltem ad removendum impedimentum quod illi ponitur. Et tamen, ut hoc argumentum ſolvat, non dicit Deum actu dare omnibus gratiam actualem ſufficientem, ſaltem ad removendum impedimentum prohibens ab hâc tractione; ſed recurrit tandem ad divinæ juſtitiæ oſtenſionem, & ad beneplacitum voluntatis divinæ, ex omnibus æqualiter averſis aliquos ſolùm ad ſe miſericorditer trahentis, & etiam ad humanæ voluntatis defectum ex ſe ad inferiora tendentis, & impedimentum gratiæ ponentis, propter corruptionem ex originali peccato ſubſecutam.

1. 2. q. 109. art. 8. argumentum 2. ſic proponit. *Præterea ad hoc corripitur homo, ut non peccet. Si igitur homo in peccato mortali exiſtens non poteſt non peccare, videtur quod fruſtra ei correptio adhibeatur: quod eſt inconveniens.*

Si S. Thomas aliquam gratiam actualem ſufficientem communem agnoviſſet, nonne debebat reſpondere, quòd homo in peccato ſemper habet gratiam ſufficientem, per quam poteſt peccatum vitare, & ob quam illi correptio fruſtra non adhibetur: ſed S. Thomas contrariâ prorſus viâ procedit, atque ita objectionem hanc ſolvit.

Ad 2. dicendum: correptio utilis eſt, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; ſi tamen qui corripitur filius eſt promiſſionis, ut ſtrepitu correptionis forinſecùs inſonante aut flagellante, Deus in illo intrinſecùs occultâ inſpiratione operetur & velle, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat. Ideò ergo neceſſaria eſt correptio, quia voluntas hominis requiritur ad hoc quòd à peccato abſtineat: ſed tamen correptio non eſt ſufficiens ſine Dei auxilio. Unde Eccleſ. 7. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.

Ideò

Ideò ergo correptionem fieri dicit, quia voluntas hominis ad non peccandum requiritur; utilem verò eſſe docet, cùm adeſt auxilium Dei, ſine quo non eſt ſufficiens: quod auxilium non dicit omnibus dari qui corripiuntur, ſed eis qui ſunt filii promiſſionis.

Prætermitto omnia alia ſimilia teſtimonia à nobis anteà Sect. 1. art. 1. 2. 3. & 4. expoſita, ſed illud præcipuâ attentione dignum, 1. 2. q. 79. art. 1. ubi quærens, *An Deus ſit cauſa peccati*, dicit *contingere quòd Deus, non præbet aliquibus auxilium ad evitandum peccatum, quod ſi præberet, non peccarent*. Hæc ſcilicet reſponſio defectuoſa eſt, imò falſa, ſi omnibus qui peccant gratia ſufficiens ſemper detur ac dari debeat. Falſum eſt enim quòd Deus non præbeat auxilium ad evitanda peccata, ſi ſufficiens ſemper præbeat, cujus conceſſio eſt ratio ob quam non Deo, ſed homini peccatum hominis imputatur. Et hæc eſſet una, vera ac ſolida ex adverſariorum mente ſolutio, ſi S. Thomas talem gratiam omnibus ſemper dari cenſuiſſet.

Ad peccati imputationem gratiam Chriſti nullomodo requiri; imò ſæpè aliquibus quibus peccatum imputatur, nullam dari, ex his etiam quæ de merito ac de demerito S. Thomas docet, apertè colligitur. Dicit enim aliud quidem præter hominis naturam ad meritum requiri, puta gratiam; ad demeritum autem naturam ſibi relictam ſufficere: hominem naturæ ſuæ relictum, & ſine gratiâ, non poſſe actum meritorium, qui eſt ſupra facultatem naturæ exercere; poſſe verò actum peccati, qui eſt demeritorius: puram potentiam non poſſe eſſe principium merendi, ſed poſſe eſſe principium demerendi. Ita Quodlibeto 5. art. 5. *Boni* (inquit) *qui per gratiam juſtificantur, non ſolùm ſunt à Deo ab æterno præcogniti, ſed etiam electi ad gratiam habendam: peccatores autem qui non juſtificantur per gratiam, non ſunt electi vel præordinati à Deo ad culpam, ſed ſolùm præſciti quòd non ſint gratiam habituri, ſed ſuæ naturæ ſint relinquendi. Quia verò omne agens poteſt in id quod eſt infra ſe, non autem in id quod eſt ſupra ſe, natura ſibi relicta non poteſt in actum meritorium; qui eſt ſupra facultatem naturæ; poteſt autem in actum peccati, qui eſt demeritorius.*

Ibidem ad 1. *Naturalia enim adjuta per gratiam, ſunt principia merendi; ſibi autem relicta, poſſunt eſſe principia demerendi.*

Et quodlibeto 6. art. 6. ad 1. *Si autem ſic intelligatur, quòd pura potentia non poſſit eſſe principium merendi neque demerendi, verum eſt quantùm ad meritum, quòd non poteſt eſſe ſine gratiâ; non eſt autem verum quantùm ad demeritum.*

Dicet fortè aliquis, S. Thomam de gratiâ habituali hìc loqui, quæ eſt principium merendi: ex quo concludet S. Thomam per naturam ſibi relictam, intelligere ſolùm naturam gratiâ habituali,

non

non verò omni actuali, deſtitutam: ad merendum requiri ut adſit gratia habitualis, non verò ad demerendum: id unum ex hac S. Thomæ doctrinâ colligi, cum quâ ſimul (inquiet) verum eſt, nunquam actum demeritorium fieri, niſi adſit gratia actualis. Verùm evidens eſt, juxta principia à S. Thomâ hîc poſita, illum de his loqui qui non ſolùm habituali, gratiâ, ſed etiam omni actuali deſtituti ſunt, ac docere homines utrâque hâc gratiâ carentes peccare ac demereri. Quid eſt enim hominem naturæ ſuæ relinqui, niſi gratiâ non ſolùm habituali, ſed etiam actuali à Deo non adjuvari? Præterea, an ſanctus ille Doctor diceret hominem ex ſeipſo, & naturæ ſuæ relictum, poſſe in actum demeritorium, quia omne agens poteſt in id quod eſt infra ſe, niſi vellet hominem non elevatum ſupra ſe, ac omni gratiâ ſupernaturali, ſive habituali, ſive actuali deſtitutum, poſſe peccare ac demereri? Cùm etiam univerſaliter ſtatuit, principia ſibi relicta poſſe eſſe principia demerendi, quid intelligit, niſi principia ſolis ſuis naturalibus relicta, & omni auxilio ſupernaturali deſtituta? Et quid ſignificat per puram potentiam quæ poteſt eſſe principium demerendi, niſi potentiam cum ſolis ſuis naturalibus agentem, nullâ ſupernaturali virtute inſtructam, nulloque ſupernaturali auxilio, ſive habituali ſive actuali, elevatam ac adjutam? Denique ſi S. Thomas exiſtimaret, peccatum & actum demeritorium nunquam ab aliquo fieri, niſi adſit illi gratia ſupernaturalis actualis, eum elevans ſupra ſe, ac ſupernaturalem benè ac meritoriè agendi virtutem illi conferens, an ita unquam locutus eſſet? Nonne dixiſſet, naturam gratiâ quidem habituali deſtitutam poſſe peccare ac demereri; ſed omni gratiâ carentem, & ſolis ſuis naturalibus relictam, non poſſe peccare nec demereri? Adeò S. Thomæ doctrinæ principiiſque omnibus contraria eſt hæc abſurdiſſima opinio, quæ aſſerit gratiam aliquam ſupernaturalem ſufficientem actualem ad peccandum ac demerendum requiri, ſeu peccantibus ſemper in omnis peccati occaſione dari, ut illis peccatum ad culpam ac demeritum juſtè imputari poſſit.

ARTICULUS II.

In quo idem confirmatur ex iis quæ de lege docet 1. 2. *q.* 98. *&* 106. *& in Epiſt. ad Rom. ac Patris Nicolai reſponſio refellitur.*

QUæ S. Thomas de Lege docet, certiſſimum etiam nobis argumentum præbent, gratiam ſufficientem communem ab eo admiſſam nunquam eſſe. Nam juxta S. Thomam homines legis veteris præceptis aſtrictos fuiſſe, atque illis ejus prævaricationem ad

ad culpam imputatam eſſe, nemo eſt qui in dubium revocet. *Lex* (inquit ex Apoſtolo 1. 2. q. 98. art. 1. ad 2.) *ſubintravit ut abundaret delictum, in quantum ſcilicet homines accipientes occaſionem à lege, abundantiùs peccaverunt: tùm etiam, quia gravius fuit peccatum poſt legis prohibitionem: tùm etiam, quia concupiſcentia crevit. Magis enim concupiſcimus quod nobis prohibetur.* Et tamen omnibus qui ſub lege erant, gratiam ſufficientem quâ poſſent illam implere, ſemper à Deo datam fuiſſe nunquam dicit; imò eam multis negatam fuiſſe, ubique docet. Hoc plurimis argumentis ex 1. 2. q. 98. & 106. ubi de lege veteri & novâ agit, petitis probare facillimum eſt.

1. 2. q. 106. art. 3. oſtendit, *Legem novam non debuiſſe dari à principio mundi: quia*, inquit, *eſt lex gratiæ, & ideò primò oportuit quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris legis, ut in peccatum cadendo, ſuam infirmitatem cognoſcens, recognoſceret ſe gratiâ indigere. Et hanc rationem aſſignat Apoſtolus ad Rom. 5. dicens: Lex ſubintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

Et q. 98. art. 6. in quo oſtendit legem veterem convenienter datam fuiſſe tempore Moyſis. *Sed poſtquàm*, inquit, *homo eſt inſtructus per legem, convicta eſt ejus ſuperbia de infirmitate, dùm implere non poterat quod cognoſcebat; & ideò ſicut Apoſtolus concludit ad Rom. 8. Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, miſit Deus Filium ſuum, ut juſtificatio legis impleretur in nobis.*

Si gratia ſufficiens omnibus datur quibus legis prævaricatio imputatur ad culpam, quidquid hic dicit S. Thomas falſum eſt. Nam P. Nicolaï cæterique Moliniſtæ negare non poſſunt, gratiam ſufficientem ad legem novam pertinere; non verò ad veterem, cùm ſit effectus Paſſionis Chriſti: *Lex per Moyſem data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Joan.* 1. Ergo ſi gratia omnibus detur, nunquam homo fuit in ſtatu veteris legis & ſub lege, nec potuit lex nova à principio mundi non dari, quia ante legem veterem, ſub lege veteri, & extra illam ſemper adfuit omnibus hominibus gratia ſufficiens ad legem novam pertinens, per quam poterant ſemper implere quod mandabat, vel vitare quod vetabat. Falſa etiam eſt hæc ratio ob quam S. Thomas dicit, *Legem non debuiſſe dari à principio mundi, quia primò oportuit quòd homo relinqueretur ſibi in ſtatu veteris legis.* Falſa, inquam, eſt hæc ratio, cùm nunquam homo in ſtatu veteris legis ſibi relictus fuerit, ſed ſemper habuerit, non quidem per legem veterem; ſed per novam, auxilium gratiæ ſufficientis, quo ejus infirmitas ad legem implendam adjuvabatur, & quo in peccatum non cadere poterat. Falſum eſt etiam hominis per legem inſtructi ſuperbiam de infirmitate unquam convictam eſſe, dum imple-

implere non poterat quod cognoſcebat, cùm ſemper illud per gratiam ſufficientem, illi ſemper cum lege collatam, implere potuerit. Itaque cum S. Thomæ doctrinâ, his duobus articulis contentâ, ſtare non poteſt, omnibus hominibus ſimul cum lege gratiæ actualis ſufficientis auxilium à Deo ſemper datum eſſe.

Nec minùs evidenter gratiam ſufficientem omnibus cum lege dari negat prædicto art. 3. q. 106. ad 1. argumentum, quod ſic proponit. *Videtur quòd lex nova debuerit dari à principio mundi. Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum, ut dicitur ad Rom. 2. ſed omnes homines peccaverunt & egent gratiâ Dei, ut dicitur ad Rom. 3. ergo à principio mundi lex Evangelii dari debuit, ut omnibus per eam ſubveniretur.* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, & ideò quibuſcumque non datur, hoc eſt ex juſtitiâ, ut Auguſtinus dicit lib. de perfect. juſtit. Unde non eſt acceptio perſonarum apud Deum, ex hoc quòd non omnibus à principio mundi legem gratiæ propoſuit, quæ erat debito ordine proponenda.

De quâ gratiâ S. Thomas loquitur? De eâ quâ omnes homines indigent ut poſſint benè operari, ſine quâ, ut loquitur 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. homines non poſſunt credere, ac Deum & proximum diligere: dicit hanc omnibus ex juſtitiâ non dari, quia per peccatum primi parentis meruerunt eâ privari. Idem docet q. 98. art. 4. exponens cur Deus legem veterem ſolis Judæis dando, magis uni populo quàm aliis viam ſalutis aperuerit. *Salutaria autem beneficia,* inquit ad 2. *Deus humano generi confert ex ſuâ gratiâ: unde non eſt perſonarum acceptor, ſi quibuſdam præ aliis conferat. Unde Auguſtinus dicit in lib. de prædeſt. SS. Omnes quos Deus docet, miſericordiâ docet; quos autem non docet, judicio non docet. Hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis.*

Præterea reſponſio ad 3. gratiam omnibus communem à ſancto Doctore admiſſam non fuiſſe demonſtrat. Argumentum 3. ſic proponit. *Magis eſt homini neceſſaria ſalus ſpiritualis, quæ eſt æterna, quàm ſalus corporalis, quæ eſt temporalis: ſed Deus ab initio mundi providit homini ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem corporalem: ergo etiam lex nova, quæ eſt valde neceſſaria ad ſalutem ſpiritualem, debuit hominibus à principio mundi dari.* Quibus idem Sanctus ſic reſpondet.

Ad 3. dicendum, quòd ea quæ pertinent ad ſalutem corporalem deſerviunt homini quantùm ad naturam, quæ non tollitur per peccatum: ſed ea quæ pertinent ad ſpiritualem ſalutem ordinantur ad gratiam, quæ amittitur per peccatum. Ideò non eſt ſimilis ratio de utriſque.

Idem ferè dicit q. 98. art. 4. ad 3. *Dicendum,* inquit, *quòd beneficia gratiæ ſubtrahuntur homini propter culpam, ſed beneficia natu-*

ralia non ſubtrahuntur.

S. Thomas in hoc argumento & in ejus ſolutione quatuor certiſſima docet. Primò legem novam, quæ per quatuor annorum millia hominibus data non fuit, ad quam tamen toto hoc tempore aliqui anticipatione quâdam pertinuerunt, eſſe ad ſalutem omninò neceſſariam. 2. Eam magis eſſe homini neceſſariam, quàm ea quibus ad ſalutem corporalem indiget. 3. Deum, qui homini ſemper providit ea quæ ad vitam corporalem neceſſaria ſunt, non ſemper providiſſe ea quæ ad ſalutem ſpiritalem neceſſaria ſunt, iis legem novam à principio mundi non dando. 4. Rationem hujus variæ diſpoſitionis eſſe, quòd cùm natura per peccatum deſtructa non fuerit, Deus poſt peccatum neceſſaria ad vitam naturalem providere non deſinit; ſed non ita de neceſſariis ad animæ ſalutem homini providet: quia cùm gratia per peccatum amiſſa fuerit, eam dare Deus non debet; ſed eſt donum gratuitum, quod dat quibus vult ex miſericordiâ, & quibus vult negat ex juſtitiâ. Nullum certè hâc in doctrinâ veſtigium eſt ullius gratiæ ſufficientis communis omnibus hominibus poſt peccatum datæ, & ſemper cum lege conjunctæ, ut illius prævaricatio ad culpam imputetur.

Denique 1. 2. q. 98. art. 1. ad 2. *Lex*, inquit, *dicitur occidiſſe, non quidem effectivè, ſed occaſionaliter ex ſuâ imperfectione, in quantùm ſcilicet gratiam non conferebat, per quam homines implere poſſent quod mandabat, vel vitare quod vetabat.*

Item q. 99. art. 2. ad 3. *Sicut Auguſtinus probat in lib. de ſpiritu & litera, etiam litera legis, quantùm ad præcepta moralia, occidere dicitur occaſionaliter, in quantùm ſcilicet præcepit quod bonum eſt, non præbens auxilium gratiæ ad implendum.*

Idem docet in Epiſt. ad Gal. c. 3. lect. 7. *Ideò*, inquit, *data eſt lex, quæ cognitionem peccati faceret, quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitandum peccatum; ut ſic homo ſub lege conſtitutus vires ſuas experiretur, & infirmitatem ſuam recognoſceret, inveniens ſe ſine gratiâ peccatum vitare non poſſe, & ſic avidiùs quæreret gratiam.* Ergo fuerunt aliqui ſub lege, quibus illius prævaricatio ad culpam imputata eſt: (occaſionaliter enim lex eos occidit, in quantùm accipientes ab eâ occaſionem abundantiùs peccaverunt,) quibus tamen gratia, per quam illam implere poſſent ac peccatum vitare, collata non fuit.

Nec prætermittendum quod ibidem dicit, ſcilicet q. 98. art. 1. ad 3. Legem non alio modo poſſibilem fuiſſe indicans, quàm quia cum gratiâ adjuvante ſervari poterat, per quam gratiam eam evidenter intelligit, quæ omnibus non datur, quia eam eſſe docet de quâ dicit Apoſtolus, *Non eſt volentis neque currentis*, ſcilicet velle & currere in præceptis Dei, *ſed miſerentis Dei*; & de quâ dicit Pſalmiſta, *Viam manda-*

mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum: dici autem non poteſt, Deum omnium qui erant in ſtatu veteris legis per donum gratiæ miſertum eſſe, & eorum cor dilataſſe, ut vellent & currerent in præceptis Dei.

Ad bonitatem legis pertinet (inquit arg. 3.) *quod ſit poſſibilis ad obſervandum, & ſecundùm naturam & ſecundùm humanam conſuetudinem: ſed hoc non habuit lex vetus. Dicit enim Petrus Act. 15. Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus? Ergo videtur quod lex vetus non fuerit bona.* Sic reſpondet.

Ad 3. dicendum, quòd jugum legis ſervari non poterat ſine gratiâ adjuvante, quam lex non dabat. Dicitur enim Rom. 9. Non eſt volentis neque currentis, ſcilicet velle & currere in præceptis Dei, ſed miſerentis Dei. Unde in Pſal. 118. dicitur; Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum, ſcilicet per donum gratiæ & charitatis.

Eamdem doctrinam habet variis locis in Epiſt. ad Rom. in quibus de lege loquitur. In cap. 4. lect. 2. *Lex*, inquit, *iram operatur occaſionaliter, quia & præcipit, & gratiam adimplendi non præbet.* Et paulò infra: *Et ideò lege datâ ſine gratiâ adjuvante prævaricatio crevit, & majorem iram promeruit.* At ſi nunquam lex data fuit, quin ſimul gratia data fuerit, non quidem ex virtute legis, ſed cum lege, cur lex ſine gratiâ adjuvante data dicitur, & cur lege datâ, & gratiâ non adjuvante, prævaricatio creviſſe dicitur? Ubi enim lex adeſt & ſimul gratia, undecumque conferatur, adjuvat ad implendum quod præcipit, non eſt majoris prævaricationis occaſio, nec dici poſſet lege datâ prævaricationem unquam creviſſe, ſi lex ſemper adjunctam habuiſſet gratiam quâ poſſet impleri.

Et in 5. lect. 6. *Sciendum tamen, quòd ſicut Philoſophus dicit in 10. Ethic. Prohibitio legis, licet illos qui ſunt malè diſpoſiti cohibeat ab exterioribus peccatis ſolo pœnæ timore, quoſdam tamen bene diſpoſitos inducit per amorem virtutis. Sed iſta bona diſpoſitio, quantùm ad aliquid, poteſt eſſe à naturâ; ſed ejus perfectio non eſt niſi per gratiam: ex quâ contingit, quòd etiam lege veteri datâ non in omnibus peccatum abundat, ſed in pluribus: quidam verò lege prohibente, & gratiâ ulterius adjuvante, ad perfectionem virtutum tandem pervenerunt.* Quòd ſi ex gratiâ contingit, lege datâ, non in omnibus peccatum abundare, ſed in pluribus; ſequitur lege datâ aliquibus gratiam conceſſam eſſe, non omnibus. Præterea ſi omnibus cum lege aderat gratia, ergo in omnibus Judæis, etiam duris & rebellibus, erat perfectio bonæ diſpoſitionis ad præcepta legis ex amore juſtitiæ, hoc eſt, ex charitate ſervanda; ſiquidem gratia hanc bonam diſpoſitionem conferebat. Hoc autem contradictionem involvit. Nam juxta S. Thomam hâc lectione,

duri & rebelles ii dicuntur, qui cùm ſint malè diſpoſiti ab exterioribus peccatis, ſolo pœnæ timore cohibentur, & quibus lex in flagellum data eſt.

Et in 6. lect. 3. dicit Judæos qui ſub lege erant, hoc eſt, qui ſolo timore cogebantur legem obſervare, quales multi fuerunt, caruiſſe gratiâ inclinante voluntatem ad legem ex amore obſervandam. *Alio modo*, inquit, *dicitur aliquis eſſe ſub lege, quaſi à lege coactus, & ſic dicitur eſſe ſub lege qui non voluntariè ex amore, ſed timore cogitur legem obſervare. Talis autem caret gratiâ, quæ ſi adeſſet inclinaret voluntatem ad obſervantiam legis, ut ex amore moralia ejus præcepta impleret.*

His omnibus S. Thomæ de lege teſtimoniis P. Nicolai breviſſimè reſpondet hoc verbo Suffragii Cenſorii parte 2. n. 3. pag. 29. *Ea S. Thomæ teſtimonia magno congerit apparatu* (Arnaldus in Epiſtolâ ſuâ) *quæ nihil minùs quàm inſtitutum probent, quæ Judæis gratiam ex vi legis conceſſam non fuiſſe ad juſtitiam conſequendam & exercendam inſinuent, ſed aliunde ſufficienter datam ad futuri Mediatoris fidem (per quam juſtificari poſſunt) concipiendam & profitendam non excludant: imò potiùs evidenter, indubitatè, & apertè ſupponant.*

Id quidem à Patre Nicolai pronuntiatum video, probatum non video; id tamen Patri Nicolaï ſententiam dicenti nemo jure exprobret: *Nam*, ut ipſe ait 1. parte pag. 6. *non eſt Inquiſitorum ut ad eorum rationes atque objecta reſpondeant, in quos inquirunt, ne cauſidici ex Judicibus fiant.* Mirum tamen eſt, ut cùm ipſe, *velut ex abundanti* cauſidicus ex Judice fieri, ac judicii ſui cenſorii rationem non ſolùm dicendo proferre, ſed etiam typis publicis committere ſtatuerit, atque etiam S. Thomæ doctrinam evolvere aggreſſus ſit, de quâ in Comitiis Facultatis præ anguſtiâ temporis nihil dixerat: mirum, inquam, cur, cùm omnia S. Thomæ teſtimonia, quibus ſuam gratiam ſufficientem aſtrui poſſe putavir, tam ſtudioſè collegerit, nullum protulerit ex quo gratiam ſemper legi adjunctam fuiſſe probaret, & tamen adeò confidenter aſſereret, ac nulli teſtimonio reſponderit, quo & in Arnaldi Epiſtolâ, & in aliis Operibus, eam ſemper legi adjunctam non fuiſſe tam evidenter oſtenſum eſt; ut vel hinc pateat rem eſſe ab illo temerè aſſertam, quæ probari nullo modo poteſt: eam verò impugnare ac deſtruere facillimum, ut ex ſequentibus patet.

Reſpondeo 1. multa nos circa legem teſtimonia protuliſſe, ex quibus non ſolùm gratiam ex vi legis conceſſam non fuiſſe, ſed etiam ſimul cum lege omnibus datam non fuiſſe, diſertè probavimus.

Reſpondeo 2. abſurdum eſſe quidquid S. Thomas de lege dicit, ſi gratia ſemper cum illâ, aliunde licet, omnibus conferatur. Nam ut rectè in Theſium Confutatione obſervatum eſt n. 19. ſi vires aliunde homini ſuppetebant

tebant ad implendum quod lex mandabat, quo pacto hominem ſuæ infirmitatis admonuiſſet? Quomodo S. Thomas diceret, quòd poſtquàm homo eſt inſtructus per legem, convicta eſt ejus ſuperbia de infirmitate, dùm implere non poterat quod cognoſcebat, ſi per gratiam ſufficientem illi, licet non ex vi legis, ſemper datam, illud ſemper implere potuit? Quomodo hominem ſibi in ſtatu veteris legis relictum aſſereret, ſi gratiâ ſufficiente, licet aliunde quam ex vi legis, ſemper inſtructus eſſet? Quomodo aliqui ſub lege eſſe dicerentur, ſi omnibus ſemper cum lege aderat gratia Chriſti ad novam legem pertinens, & vires credendi in Chriſtum ac diligendi tribuens? Quomodo denique diceret ex Apoſtolo legem occidere, non conferendo gratiam per quam homines implere poſſent quod mandabat, ſi ſemper hominibus, licet aliunde, data fuit ſufficiens gratia per quam illud implere poſſent. Lex enim non occidit, niſi eos quos gratia non adjuvat. Vide hác de re dicta in Theſium Confutatione n. 19.

Dicet fortè P. Nicolai hujus ſuæ reſponſionis aliquod in S. Thomâ fundamentum eſſe 1. 2. q. 98. art. 2. Argumentum enim 4. ſic proponit: 1. *ad Tim.* 2. *dicitur, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri: ſed lex vetus non ſufficiebat ad ſalutem hominum, ut ſupra dictum eſt: ergo ad Deum non pertinebat talem legem dare: Lex ergo vetus non eſt à Deo.* Sic reſpondet.

Ad 4. dicendum, quòd quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant; ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur; & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.

Sed quid hæc S. Thomæ doctrina ſignificat, niſi fidem Chriſti Mediatoris, per quam homines juſtificari & ſalvari poſſent, fuiſſe ſimul cum lege propoſitam? Aliàs nemo in ſtatu veteris legis juſtificari potuiſſet, *cum nullus unquam*, ut ait S. Thomas q. 106. art. 1. *habuerit gratiam Spiritus ſancti niſi per fidem Chriſti explicitam vel implicitam.* Unde dicit q. 107. art. 3. ad 1. *Quòd omnia quæ credenda traduntur in novo Teſtamento explicitè & apertè, traduntur credenda in veteri Teſtamento, ſed implicitè & ſub figurâ.* Et hoc ſenſu aderat ſimul cum lege aliud auxilium, ſcilicet fides Mediatoris, hominibus in veteri Teſtamento exhibita, per quam homines poterant juſtificari; & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia. Sed his verbis ſignificari, omnibus cum lege datum fuiſſe auxilium actuale interius, per quod credere poſſent, & implere quidquid lex præcipiebat, tam abſurdum eſt, quàm abſurdum eſt dicere, fidem Mediatoris, quæ eſt auxilium illud de quo loquitur, non ſolùm fuiſſe omnibus exhibitam, ſed etiam datam; atque ita non ali-

quos, ſed omnes in lege veteri fidem habuiſſe in Chriſtum, & juſtificatos fuiſſe.

Adde quòd, juxta S. Thomam, auxilium gratiæ ad implenda mandata non conferebatur niſi per fidem Chriſti. *Fides Chriſti*, inquit in 3. ad Rom. lect. 4. *auxilium gratiæ confert ad implenda moralia præcepta legis.* Et in 4. ad Rom lect. 2. *Per fidem Chriſti, cujus circumciſio ſignum erat, auferebatur peccatum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ad rectè agendum.* Ergo qui ſub lege nullam habebant fidem Chriſti, quales multos fuiſſe indubitatum eſt, nullum habebant auxilium gratiæ ad implenda legis præcepta. Omnibus ergo in ſtatu veteris legis fides in Chriſtum propoſita fuit, ſed paucis gratia fidei data eſt; ac proinde paucis etiam datum eſt auxilium gratiæ, quod per fidem Chriſti ad legem implendam conferebatur: paucis inquam, qui ſecundùm hoc, ut docet S. Thomas, ad novum Teſtamentum pertinebant. *Fuerunt tamen aliqui*, inquit q. 107. art. 1. ad 2. *in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem & gratiam Spiritus ſancti, qui principaliter exſpectabant promiſſiones ſpiritales & æternas, & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam.* Et ad 3. *Illi autem qui in veteri Teſtamento Deo fuerunt accepti per fidem, ſecundùm hoc ad novum Teſtamentum pertinebant. Non enim juſtificabantur niſi per fidem Chriſti, qui eſt auctor novi Teſtamenti.* Et q. 106. art. 1. ad 3. *Per fidem autem Chriſti pertinet homo ad novum Teſtamentum: unde quibuſcumque fuit lex gratiæ indita, ſecundùm hoc ad novum Teſtamentum pertinebant.* De his plura art. 5. Ubi de morte Chriſti pro omnibus quantùm ad ſufficientiam.

Eam verò S. Thomæ doctrinam maximè illuſtrat, quod de eâdem Mediatoris fide docet S. Auguſtinus in Epiſt. ad Gal. *Sanati ſunt*, inquit, *ab impietate ſuperbiæ, ut reconciliarentur Deo, quicumque homines humilitatem Chriſti, & per revelationem antequàm fieret, & per Evangelium poſteaquàm facta eſt, credendo dilexerunt, diligendo imitati ſunt. Sed hæc juſtitia fidei, quia non pro merito data eſt hominibus, ſed pro miſericordiâ & gratiâ Dei, non erat* POPULARIS *antequam Dominus homo inter homines naſceretur. Semen autem cui promiſſum eſt, populum ſignificat*, (id eſt Chriſtianos) *non illos pauciſſimos qui revelationibus ea futura cernentes, quamvis per eandem fidem ſalvi fierent, populum tamen ſalvum facere non poterant.* Atque illud ipſum eſt quod S. Thomas docet in 5. ad Rom. *Quia perfectio (bonæ diſpoſitionis ad legem ſervandam) non eſt niſi per gratiam, ex qua contingit quòd etiam lege veteri datâ non in omnibus peccatum abundat, ſed in pluribus.*

Silvius eodem modo hæc S. Thomæ verba exponit in 1. 2. q. 106. art. 2. circa finem: *Si dicas*, inquit, *S. Thomam ſupra q. 98. art. 2. ad 4. docere, Deum omnibus, ſaltem aliquando, dare auxilia ſufficientia ad ſalutem, quando ait, Quam-*

Quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris.

Reſpondeo eum hoc non docere 1. *Quia non loquitur de omnibus hominibus, ſed de ſolis illis quibus data erat lex vetus, id eſt, de ſolis Iſraëlitis. Certum eſt autem quòd Deus non pariter gratiam dederit gentilibus in infidelitate relictis, ſicut Judæis, juxta illud Pſalmi* 147. *Non fecit taliter omni nationi.*

2. *Quia illud auxilium, quod dicit adfuiſſe, erat fides Mediatoris; eam verò fidem non omnibus datam fuiſſe, tùm ex illo* 2. *Theſſal.* 3. *Non omnium eſt fides; tùm ex parvulis olim inter Judæos ſine circumciſione mortuis, & nunc ſine baptiſmo morientibus, tùm ex grandioribus citrà ullam Dei cognitionem remanentibus, manifeſtum eſt.*

3. *Quia fides Mediatoris non eſt abſolutè ſufficiens ad ſalutem ſine charitate & ſine gratiâ actuali, operante ut velimus & operemur bonum quod agnoſcimus, ac inſuper dante perſeverantiam.*

4. *Quia auxilium, quod dicit adfuiſſe hominibus, non dicit fuiſſe omnibus datum, ſed ſolùm dicit adfuiſſe. Adfuit autem quatenus Deus conſtituerat illud dare omnibus illis qui ſecundùm ejus ordinationem circumciderentur, alioſque legis veteris ceremonias, eo modo quo oportebat, obſervarent; ſicuti, imò & longè majori ratione, nunc quodam ſenſu dici poteſt, adeſſe omnibus hominibus à Deo auxilium, quatenùs exhibitum eſt pretium omnibus juſtificandis & ſalvandis ſufficiens, & quatenùs Deus conſtituit dare gratiam omnibus Chriſti Sacramenta ritè ſuſcipientibus; quamvis non propterea ſequatur, quòd omnibus ſine exceptione interiùs conferatur gratia verè ac propriè ſufficiens, cùm conſtet nec fidem nec charitatem omnium animis infundi vel donari; ſine quibus tamen nemo ſalvari poteſt. Sed Chriſtianis nunc proprium eſt, quòd omnibus illis conferatur gratia in ſuo genere ſufficiens, quando baptiſmum ritè ſuſcipiunt, & quando cæterorum Sacramentorum bonorumve aliorum ſpiritualium fiunt participes; quòd tamen præter eam adhuc alia gratia ſit ad benè operandum neceſſaria, q.* 109. *art.* 2. *&* 9. *docet B. Thomas.*

Sed ſi quis hæc S. Thomæ verba de auxilio ſalutis non ſolùm exhibito, ſed etiam dato, & in cordibus Judæorum cum lege diffuſo, intelligenda eſſe contenderit: quia ſcilicet ſanctus ille Doctor dicit, auxilium ſalutis non ſolùm adfuiſſe, ſed etiam à Deo datum eſſe: *Et ſic Deus*, inquit, *non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia*; tunc S. Thomas non de Judæis omnibus, ſed de vocatis ſecundùm propoſitum, ac de filiis Abrahæ ſecundùm promiſſionem, ſeu de veris Iſraëlitis loqui dicendus eſt. Iis enim omnibus ſimul cum lege ſalutis auxilia, hoc eſt, fides Mediatoris, & auxilium gratiæ per illam ad implenda legis præcepta collatum, à Deo data ſunt, & eorum cordibus per Spiritum ſanctum infuſa. Nam S. Thomas hæc ſa-

lutis auxilia in fide Mediatoris poſita, omnibus hominibus cum lege data eſſe non dicit, nec alios quibus hoc auxilium, quod eſt fides Mediatoris, datum eſt, in exemplum adducit, quàm antiquos Patres per eamdem fidem juſtificatos, aliquos ſcilicet ex illo Abrahæ ſemine, non carnis modò, ſed etiam promiſſionis filios, quibus Deus in lege non defecit, quin daret eis ſalutis auxilia: quia, ut ait idem Sanctus in hæc Apoſtoli verba 4. ad Rom. UT SECUNDUM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI; *promiſſio Dei firma eſt, non quidem per operationes hominum quæ poſſunt deficere, ſed ſecundùm gratiam quæ infallibilis eſt.* Nec tamen, ſi eadem ſalutis auxilia aliquibus aliis, qui filii ſolùm carnis erant, cum lege data non ſunt, Deus iis defeciſſe dicendus eſt; quia, ut docet idem Sanctus, ad eos non pertinebant Dei promiſſa. NON ENIM, inquit Apoſtolus ad Rom. 9. OMNES QUI SUNT EX ISRAEL, *id eſt*, ut ait idem Sanctus in hæc Apoſtoli verba, *ex Jacob ſecundùm carnem progeniti*: HI SUNT VERI ISRAELITÆ: *ad quos pertinent Dei promiſſa; ſed illi qui ſunt recti & videntes Deum per fidem*; ſeu ut ibidem dicit, *qui ex gratiâ promiſſionis divinæ facti ſunt filii Abrahæ ſecundùm imitationem fidei.*

Ex iſto igitur S. Thomæ teſtimonio, ſeu de fide Mediatoris cum lege exhibitâ & propoſitâ, ſeu de eâdem fide intùs datâ & cordibus infuſâ intelligatur, auxilia ſalutis interiora, ac verè ſufficientia ad juſtitiam fidei & ſalutem conſequendam, omnibus Judæis carnaliter ex Abraham natis data fuiſſe, & eorum cordibus infuſa, colligi nequaquàm poteſt. Ubique verò contrarium ſtatuit. Lege datâ peccatum in pluribus abundaſſe aſſerit, quia perfectio bonæ diſpoſitionis ad legem implendam non eſt niſi per gratiam, paucis utique in lege veteri non omnibus communem. Dicit eos omnes qui ſolo timore legem ſervabant, atque adeò plures ex illo populo carnali, caruiſſe gratiâ ad eam ex amore ſervandam inclinante. Denique iſta gratiæ divinæ, ſine quâ præceptum impleri non poteſt, omnibus hominibus ſimul cum lege intùs datæ aſſertio, ſic repugnat cum eâ doctrinâ, quam ab eo de lege veteri, & in Summâ, & in Epiſtolam ad Rom. conſtanter traditam oſtendimus; ut omnia ejus hâc de re principia convellat, qui ex hoc uno loco perperàm accepto, eamdem gratiam Judæis omnibus ſecundùm carnem, non quidem ex legis virtute, ſed ſimul cum lege intùs datam ſtatuere voluerit.

ARTI-

ARTICULUS III.

In quo referuntur ſenſus omnes ſecundùm quos S. Thomas exponit, quomodo Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ex nullo gratiam ſufficientem communem colligi poſſe oſtenditur.

EX his quæ Sectione primâ diximus, jam ſatis intelligitur quo ſenſu S. Thomas Deum velle omnes homines ſalvos fieri docuerit, & quàm perperàm Moliniſtæ ex hoc argumento gratiam ſufficientem S. Thomæ autoritate aſtruant. Ubicumque enim ſanctus ille Doctor Deum, quantùm ex ſe eſt, omnibus hominibus gratiam dare aſſeruit, id ſemper hâc Apoſtoli ſententiâ confirmavit, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: *Qui vult* (inquit in 12. ad Hebr. lect. 3.) *omnes homines ſalvos fieri, & ideò gratia nulli deeſt; ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat.* Similiter lib. 3. contra gentes c. 159. *Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: Vult enim omnes homines ſalvos fieri.* Sic etiam in c. 9. ad Rom. lect. 3. *Obduratio*, inquit, *non videtur divinæ voluntati adſcribi, cùm ſcriptum ſit: Qui vult omnes homines ſalvos fieri.* Itaque per hanc ſententiam, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, S. Thomas aliud non intellexit, quàm Deum, quantùm eſt ex ſe, omnibus gratiam dare, atque ejus negationem ſemper hominum meritis, nunquàm verò divinæ voluntati adſcribendam eſſe. Poſtquam ergo oſtendimus Sect. 1. S. Thomam per hanc doctrinam, Deus, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dat, nunquam intellexiſſe quòd Deus omnibus in hoc naturæ corruptæ ſtatu gratiam actualem ſemper intùs det; imò eum iiſdem in locis expreſsè contrarium docuiſſe, conſequenter oſtendimus S. Thomam nunquam hanc Apoſtoli ſententiam, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ad gratias actuales omnibus hominibus poſt peccatum communes aſtruendas uſurpaſſe, Moliniſtaſque omnibus teſtimoniis in quibus ſanctus ille Doctor dicit, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, penitùs abuti, cùm ex iis colligunt S. Thomam gratias ſufficientes omnibus hominibus poſt peccatum dari docuiſſe.

Sed ad clariùs intelligendum quod S. Thomas circa Dei pro omnium ſalute voluntatem docet, atque ad pleniùs confutandum quidquid Moliniſtæ ex hoc argumento pro ſuâ ſententiâ colligere moliuntur, referenda eſt expreſſa S. Thomæ circa hunc locum expoſitio, & explicandum præſertim, quid ſit apud illum voluntas antecedens, & quàm falsò Moliniſtæ ex illâ gratiam ſufficientem communem ſtabiliant.

Quatuor poriſſimùm in locis S. Thomas hanc Apoſtoli ſententiam,

tiam, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ex profeſſo exponit, varios ejus ſenſus refert, ac quid ſit voluntas antecedens & conſequens explicat: ſcilicet 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. In ſuo Commentario in Epiſtolas Pauli, in hæc verba 1. ad Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. lect. 1. In quæſt. diſp. de veritate q. 23. quæ eſt de voluntate Dei art. 2. & in 1. diſt. 47. q. 1. art. 1.

1. p. q. 19. art. 6. Quærit, *Utrum voluntas Dei ſemper impleatur*. Reſpondet affirmativè, quòd neceſſe eſt voluntatem Dei ſemper impleri. 1. argumentum ſic proponit. *Videtur quod voluntas Dei non ſemper impleatur: dicit enim Apoſtolus 1. ad Tim. 2. quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ſed hoc non ita evenit: ergo voluntas Dei non ſemper impletur.* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd illud verbum Apoſtoli, quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, &c. poteſt tripliciter intelligi. Uno modo, quòd ſit accommoda diſtributio, ſecundùm hunc ſenſum, Deus vult ſalvos fieri omnes homines qui ſalvantur: non quia nullus homo ſit quem ſalvum fieri non velit; ſed quia nullus ſalvus ſit, quem non velit ſalvum fieri, ut dicit Auguſtinus. Secundò poteſt intelligi, ut fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum. Secundùm hunc ſenſum, Deus vult de quolibet ſtatu hominum ſalvos fieri, mares & fœminas, Judæos & Gentiles, parvos & magnos, non tamen omnes de ſingulis ſtatibus. Tertiò ſecundùm Damaſcenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate conſequente.

In 1. ad Tim. 2. lect. 1. Præter hos tres ſenſus, duos alios refert. *Sed contra* (inquit) *Omnia quæcumque voluit fecit. Sed ſi dicis quod non, quia homo non vult, videtur inconveniens quòd omnipotens impediatur per voluntatem non omnipotentis. Reſpondeo. Velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate ſigni. Pro voluntate ſigni vult ſalvare omnes, quia omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia & remedia. Pro voluntate beneplaciti ſic exponi poteſt quatuor modis: uno modo ut ſit locutio cauſalis, ſicut Deus dicitur aliquid facere, quia facit alios illud facere: ſicut Rom. 8. Spiritus poſtulat, id eſt, poſtulare nos facit. Sic ergo Deus vult, quia ſcilicet facit ſuos ſanctos velle, quòd omnes ſalvi fiant. Hoc velle enim debet eſſe in ſanctis, quia neſciunt qui ſunt prædeſtinati, & qui non. Alio modo, ut ſit diſtributio accommoda, id eſt, omnes qui ſalvabuntur, quia nullus ſalvatur niſi per voluntatem ejus, ſicut in unâ ſcholâ magiſter docet omnes pueros hujus civitatis, quia nullus docetur niſi ab eo. Alio modo, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, id eſt, nullum genus hominum excipit à ſalute; quia olim tantùm Judæis, ſed modo omnibus præbetur. Et hoc magis facit ad intentionem Apoſtoli. Alio verò modo, ſecundùm Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non conſequente.* In quæſt. diſp. & in 1. diſt. 47. hos multiplices ſenſus non refert, ſed ſolùm exponit quid ſit voluntas antecedens & conſequens.

Ex his quinque ſenſibus, ſecundùm quos S. Thomas hanc ſententiam exponit, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, manifeſtum eſt eſſe quatuor ex quibus nullo modo colligi poteſt Deum omnibus gratias ſufficientes ſemper dare, & id ex ſolâ voluntate antecedente inferri poſſe. Si ergo probatum fuerit ex voluntate antecedente id minimè ſequi, concludendum erit ex his quæ S. Thomas de voluntate Dei circa omnium ſalutem docet, gratias ſufficientes omnibus hominibus communes nullo modo aſtrui poſſe. Id autem ex voluntate antecedente minimè ſequi facilè intelliget quiſquis attendere voluerit, quid ſit apud S. Thomam voluntas antecedens & conſequens.

ARTICULUS IV.

In quo exponitur, quid ſit apud S. Thomam voluntas antecedens & conſequens, atque ex voluntate antecedente gratiam ſufficientem omnibus communem aſtrui non poſſe oſtenditur.

Sanctus Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. Quid ſit voluntas antecedens & conſequens ſic exponit.

Tertiò ſecundùm Damaſcenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate conſequente: quæ quidem diſtinctio non accipitur ex parte ipſius voluntatis divinæ, in quâ nihil eſt prius vel poſterius, ſed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum conſiderandum eſt, quòd unumquodque ſecundùm quod bonum eſt, ſic eſt volitum à Deo. Aliquid autem poteſt eſſe in primâ ſui conſideratione, ſecundum quod abſolutè conſideratur, bonum vel malum; quod tamen prout cum aliquo adjuncto conſideratur (quæ eſt conſequens conſideratio ejus) è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum, & hominem occidi eſt malum, ſecundùm abſolutam conſiderationem: ſed ſi addatur circa aliquem hominem, quòd ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere. Unde poteſt dici quòd Judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundùm exigentiam ſuæ juſtitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid; quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſeipſis ſunt; in ſeipſis autem ſunt in particulari: unde ſimpliciter volumus aliquid, ſecundùm quod volumus illud, conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus: quod eſt conſequenter velle. Unde poteſt dici quod Judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi; ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantum eſt homo. Unde magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas. Et ſic patet quod quidquid Deus ſimpliciter vult, fit; licet illud quod antecedenter vult, non fiat.

Et in 1. Tim. 2. lect. 1. hæc habet. *Alio verò modo ſecundùm Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate antecedente, non conſequente. In voluntate*

luntate enim Dei licet non ſit prius & poſterius, dicitur tamen voluntas antecedens & conſequens. Item ſecundùm ordinem volitorum, ſecundùm quod voluntas poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet in univerſali vel abſolutè; & ſecundùm aliquas circumſtantias & in particulari. Et prius eſt abſoluta conſideratio & in univerſali, quàm in particulari & comparata. Et ideò voluntas abſoluta eſt quaſi antecedens, & voluntas alicujus rei in particulari eſt quaſi conſequens. Exemplum de mercatore qui vult omnes merces ſuas ſalvare abſolutè, & hoc voluntate antecedente. Sed ſi conſideret ſalutem, non vult omnes merces per comparationem ad alia ſalvare, ſcilicet quando cum ſalute ſequitur ſubmerſio navis: & hæc voluntas eſt conſequens. Sic in Deo ſalus omnium hominum in ſe conſiderata habet rationem ut ſit volibilis, & Apoſtolus hîc ita loquitur: & ſic ejus voluntas eſt antecedens: ſed ſi conſideretur bonum juſtitiæ, & quòd peccata puniantur, ſic non vult: & hæc eſt voluntas conſequens.

In quæſt. diſp. q. 23. de voluntate Dei art. 2. in quo quæritur, *Num divina voluntas in antecedentem & conſequentem dividatur:* ſic eam exponit. *Et ſimiliter eſt conſiderandum in operatione Dei, quâ operatur in creaturis. Quamvis enim ipſe in ſuâ operatione materiam non requirat, & res à principio creaverit nullâ materiâ præexiſtente; nunc tamen operatur in rebus quas primò creavit, eis adminiſtrans, præſuppoſitâ naturâ quam priùs eis dedit. Et quamvis poſſet à creaturâ omne impedimentum auferre, quo perfectionis incapaces exiſtunt; tamen ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ diſponit de rebus ſecundùm earum conditionem, ut unicuique tribuat ſecundùm modum ſuum. Illud ergo ad quod Deus Creaturam ordinavit, quantum eſt de ſe, dicitur eſſe volitum ab eo, quaſi primâ intentione, ſeu voluntate antecedente: ſed quoniam creatura impeditur propter ſui defectum ab hoc fine, nihilominus tamen Deus implet in eâ id bonitatis cujus eſt capax; & hoc eſt quaſi de ſecunda intentione ejus, & dicitur voluntas conſequens. Quia ergo Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium ſalutem velle; ſed quia quidam ſuæ ſaluti adverſantur, quos ordo ſuæ ſapientiæ ad ſalutem venire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo, id quod ad ſuam bonitatem pertinet, ſcilicet eos per juſtitiam damnans, ut ſic dum à primo ordine voluntatis deficiunt, in ſecundum labantur, & dum Dei voluntatem non faciunt, impleatur in eis voluntas Dei. Ipſe autem defectus peccati, quo aliquis redditur dignus pœnâ in præſenti vel in futuro, non eſt volitus à Deo, neque à voluntate antecedente, neque conſequente, ſed eſt ab eo ſolummodò permiſſus. Nec tamen intelligendum eſt ex prædictis, quòd intentio Dei fruſtrari poſſit, quia iſtum qui non ſalvatur præſcivit ab æterno fore non ſalvandum: nec ordinat ipſum in ſalutem ſecundum ordinem prædeſtinationis, qui eſt ordo abſolutæ voluntatis; ſed quantùm ex parte ſua eſt, dedit ei naturam ad beatitudinem ordinatam.*

Deinde art. 3. in quo quæritur, *Num Dei voluntas dividatur in beneplaciti & ſigni voluntatem:* hæc habet. *Invenitur enim in Deo propriè ratio voluntatis, ut ſupra dictum eſt; & ſic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & conſequentem diſtinguitur, ut dictum eſt.*

Denique in 1. diſt. 47. q. 1. art. 1. *Reſpondeo dicendum, quòd quidquid vult Deus voluntate conſe-*

quente, totum fit; non autem quidquid vult voluntate antecedente, quia hoc non ſimpliciter vult, etiam perfectè, ſed ſecundum quid tantùm; nec iſta imperfectio eſt ex parte voluntatis, ſed ex conditione voliti. Eſt enim è contrario de voluntate & cognitione ſpeculativâ. Cognitio enim ſpeculativa perficitur in abſtractione à ſingularibus: ſed voluntas, & quidquid aliud eſt ordinatum ad opus, perficitur in particulari circa quod eſt operatio. Illud ergo eſt ſimpliciter & perfectè volitum, quod ſubjacet voluntati, ſecundum omnes particulares conditiones circumſtantes ipſum particulare, & hoc pertinet ad voluntatem conſequentem, quæ reſpicit opera & diſpoſitiones quibus aliquis ſufficienter ordinatur ad hoc quod ſit ſibi conveniens debitum hoc quod dicitur Deus velle, ut ſaltem vel ad hujuſmodi: & ideò talis voluntas non poteſt impediri, ſicut nec præſcientia cui ſubjicitur res ſecundùm illas conditiones quibus in actu conſiſtit. Illud autem quod eſt rectum & bonum ſecundum aliquam conditionem rei univerſalem conſideratam, non habet rationem voliti ſimpliciter, ſed ſecundùm quid tantùm; ſicut iſtum hominem, in quantùm eſt homo, non eſt niſi bonum ſalvari; eò quòd natura ſua ad hoc eſt ordinata, & hoc Deus vult voluntate antecedente, ſecundùm quam non dicitur aliquid velle ſimpliciter; & ideò talis voluntas poteſt non impleri. Hæc ſunt quæ S. Thomas de voluntate antecedente & conſequente variis in locis habet.

Ex his teſtimoniis certum eſt, primò juxta S. Thomam voluntatem antecedentem ad voluntatem beneplaciti referri, cùm illud expreſsè dicat q. 23. de voluntate Dei art. 3. mox citato. *Et hæc eſt*, inquit, *voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & conſequentem diſtinguitur, ut dictum eſt.* (ſcilicet art. 2.) Sic pariter in 1. ad Tim. 2. dicit Apoſtoli verba pro voluntate beneplaciti exponi poſſe quatuor modis: *Quartus autem modus eſt*, inquit, *ut intelligatur de voluntate antecedente & conſequente.* Et in 1. diſt. 47. q. 1. art. 2. *Poſſumus ergo loqui de voluntate vel beneplaciti vel ſigni, & de voluntate beneplaciti vel conſequente vel antecedente*, illa tamen licet ſit voluntas beneplaciti, eſt velleitas potiùs quàm abſoluta voluntas, & per hanc Deus non vult ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, quare non ſemper impletur: ac proinde cum voluntas beneplaciti ſemper impleri dicitur, ea intelligenda eſt, quæ eſt abſoluta, & per quam Deus vult ſimpliciter, qualis eſt conſequens, non verò ea quæ eſt potiùs velleitas, & per quam Deus non vult aliquid ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, qualis eſt antecedens.

Secundò ſequitur ex hâc doctrina quòd juxta S. Thomam, voluntas antecedens eſt propriè & formaliter in Deo, non verò impropriè & eminenter: ſicut in Judice propriè & formaliter eſt illa voluntas, quâ homicidam, quem vult ſimpliciter ſuſpendi, ſecundùm quid vellet vivere, ſcilicet in quantùm eſt homo. Hoc in doctrina S. Thomæ certum eſt; quia omnis voluntas beneplaciti eſt propriè & formaliter in Deo, ac ſola voluntas ſigni non invenitur propriè in Deo,

Deo, ſed ſolùm impropriè & metaphoricè, ſicut docet art. 3. citato. *Et ſic voluntas*, inquit, *de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & conſequentem diſtinguitur.* Similiter 1. p. quæſt. 19. art. 11. *Voluntas autem propriè de Deo dicitur, & in Deo diſtinguitur voluntas propriè & metaphoricè dicta. Voluntas enim propriè dicta vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphoricè dicta, eſt voluntas ſigni, eo quòd ipſum ſignum voluntatis voluntas dicitur.*

Obſervandum tamen eſt à graviſſimis Theologis aſſeri voluntatem antecedentem non eſſe propriè & formaliter in Deo, ſed ſolùm eminenter. Bannez in 1. p. q. 19. art. 6. utrumque probabiliter ſuſtinet, & multis rationibus confirmat. Concludit tamen multò probabiliùs dici quòd ſit ſolùm eminenter in Deo. Eſtius in 1. diſt. 46. §. 3. pag. 223. aſſerit ac probat non eſſe in Deo propriè & formaliter, ſed ſolùm impropriè & eminenter.

S. Thomæ doctrinam circa hanc quæſtionem expoſui, quia P. Nicolai in ſuis Theſibus objicit S. Auguſtini diſcipulis, quòd voluntatem antecedentem ad voluntatem ſigni, non verò ad voluntatem beneplaciti referant; quaſi per voluntatem antecedentem gratiam ſufficientem non conferri ex hoc concludant, quòd illa ſit voluntas ſigni, non autem beneplaciti. Minimè verò id inde concludunt, ſed ex propriâ naturâ voluntatis antecedentis, quanquàm illa ad voluntatem beneplaciti referatur, ſicut revera ex certâ S. Thomæ doctrinâ ad eam refertur.

Aſſero ergo, juxta certam S. Thomæ doctrinam his teſtimoniis contentam, Deum per voluntatem antecedentem nihil circa hominum in hoc naturæ corruptæ ſtatu exiſtentium ſalutem ſimpliciter velle, nihil penitùs operari, & nullum medium præparare, ac nullam gratiam, nullumque auxilium conferre. Atque ita ex voluntate Dei antecedente, circa omnium ſalutem à S. Thomâ poſitâ, colligi non poſſe Deum omnibus hominibus gratiam ſufficientem ad vitandum peccatum & ad præceptum implendum dare. Illud hoc argumento facillimè oſtenditur.

Voluntas Dei antecedens pro ſalute omnium, de quâ loquitur S. Thomas, nihil eſt aliud quàm velleitas quædam, quæ ſolùm naturam humanam ſecundùm rationem generalem naturæ, & ut à Deo ad ſalutem condita eſt, reſpicit ſine ullâ peccati conſideratione, & quæ naturam in particulari, & ut eſt per primi hominis peccatum corrupta, non conſiderat: quia *voluntas*, ut inquit S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. *comparatur ad res ſecundùm quod in ſeipſis ſunt: in ſeipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter volumus aliquid ſecundùm quod volumus illud, conſideratis circumſtantiis omnibus particularibus: quod eſt conſequenter velle.* Ex quo concludit, ſolam conſequentem voluntatem

tatem eſſe voluntatem abſolutam, & per quam Deus vult ſimpliciter. Atqui voluntas per quam Deus hominibus in hoc ſtatu naturæ corruptæ media neceſſaria ad ſalutem præparat & confert, & gratias aliquas dare decernit, non eſt illa voluntas per quam Deus naturam humanam generaliter in ſe, & ut eſt à Deo condita, reſpicit: ſed eſt voluntas per quam Deus reſpicit homines in particulari, ut ſunt in ſeipſis, ſecundùm conditiones quæ illos circumſtant, & ut naturam habent per primi hominis peccatum corruptam ac damnationi obnoxiam. Ergo Deus per voluntatem antecedentem nulla hominibus in hoc ſtatu ad ſalutem media præparat ac confert, ac nullas eis gratias dare decernit, nihilque penitùs circa eorum ſalutem operatur.

Præthereà per eam ſolam voluntatem Deus operatur in hominibus quæ ad eorum ſalutem conducunt, per quam illa ſimpliciter vult. Cùm enim quidquid ſimpliciter vult, ſemper impleatur, nihil ſimpliciter vult quin aliquid operetur, vel ſaltem quin fieri permittat; nihil etiam operatur, quin illud ſimpliciter velit. Atqui Deus per voluntatem antecedentem nihil vult ſimpliciter eorum quæ ad hominum ſalutem conducunt: quia Deus ea quæ vult per voluntatem antecedentem, non vult ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid; & circa illa habet ſolùm velleitatem, non verò abſolutam voluntatem. Ergo Deus per voluntatem antecedentem nihil operatur eorum quæ ad hominum ſalutem conducunt, ac proinde nullas gratias confert. Et hoc habet S. Thomas in 1. diſt. 47. q. 1. art. 2. cùm docet quòd operatio non reſpondet voluntati antecedenti, ſed conſequenti. *Sed alia duo ſigna*, inquit, *ſcilicet permiſſio & operatio reſpondent voluntati conſequenti.* Quod ſignificat Deum nihil operari, nec fieri permittere, niſi ex voluntate conſequente.

Deinde S. Thomas comparat voluntatem Dei antecedentem circa omnium ſalutem, voluntati Judicis juſti, qui ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi; ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm homo eſt. Sicut ergo Judex ex hâc voluntate, quâ vellet homicidam vivere, nulla ei media præparat quibus capitis pœnam evadere poſſit; ita Deus eâ voluntate, quâ vellet omnes homines ſalvari, in quantùm ex parte ſuâ dedit eis naturam ad beatitudinem ordinatam, nulla eis media præparat, ac nullas gratias decernit, quibus ſalutem conſequi poſſint.

Denique ex illâ voluntate antecedente media ad ſalutem neceſſaria non præparari, confirmat exemplum parvulorum in utero materno ſine baptiſmo decedentium. Etſi enim ex S. Thomâ Deus velit voluntate antecedente illos ſalvari; nunquam tamen docuit S. Thomas media illis ad ſalutem & baptiſmi ſuſceptionem ne-

neceſſaria, vi hujus voluntatis à Deo decerni.

Quare non eſt voluntas antecedens, ſed conſequens, quæ præparat & confert media neceſſaria ad ſalutem hominum qui ſalvantur. Nec dicitur voluntas antecedens ex hoc quòd omnia hominum merita antecedat, & conſequens ex hoc quod ſequatur prævisionem meritorum: ſed antecedens dicitur, quia præcedit conſiderationem rerum, ut ſunt in particulari, eſtque ſimplex velleitas reſpiciens res in generali, ex quâ nullus effectus ſequitur, ac nullum medium decernitur ad id conſequendum quod Deus hoc modo vult. Voluntas autem conſequens includit omnem voluntatem producentem effectum aliquem, diciturque conſequens, quia ſequitur conſiderationem rerum ut ſunt in ſeipſis, & ſecundùm ſuas circumſtantias particulares. Atque ita duplex eſt in Deo voluntas conſequens, alia juſtitiæ, alia miſericordiæ: & quia Deus juſtus neminem ſine merito punit ac damnat, voluntas conſequens juſtitiæ, non ob rationem generalem voluntatis conſequentis, ſed ob rationem voluntatis quæ eſt ex juſtitiâ, ſupponit ſemper in iis qui damnantur merita eorum damnationis, ſcilicet peccatum originale vel actuale: ſed voluntas conſequens miſericordiæ, quæ ſalutem electorum reſpicit, non ſupponit in eis ullorum meritorum prævisionem, quia ante gratiam nulla ſunt merita, cùm ipſa ſit cauſa & origo meritorum omnium.

Itaque ex voluntate illa antecedente ſalvandi omnes homines, nulla media, nullæ gratiæ ad ſalutem hominibus, ut ſunt, præparantur & conferuntur, quia voluntas antecedens reſpicit ſolùm naturam, ut eſt à Deo condita. In quantum autem natura poſt peccatum originale conſideratur, vel Deus vult homines aliquos ſalvari, & ex vi hujus voluntatis, quæ conſequens dicitur, præparat illis omnia beneficia ad ſalutem neceſſaria, quibus certiſſimè liberentur, & ad vitam æternam perveniant; ſicut docet S. Thomas: *Sub prædeſtinatione*, inquit in 8. ad Rom. lect. 6. *cadit omne beneficium ſalutare, quod eſt homini ab æterno divinitùs præparatum.* Et infra: *Vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, & juſtificatio nunquam in eis fruſtratur.* Et qq. diſp. de veritate q. 6. de prædeſtinatione art. 3. *Liberum arbitrium poteſt deficere à ſalute; tamen in eo quem Deus prædeſtinat tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel ſi cadat quòd reſurgat, ſicut exhortationes & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.* Quod etiam S. Auguſtinus expreſſè dicit de corrept. & grat. c. 17. his verbis: *Quicumque ab illâ originali damnatione iſtâ divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quòd & procuratur eis audiendum Evangelium, & cùm audiunt credunt*, &c. Vel Deus non vult aliquos ſalvari & à maſſâ perditionis,

ditionis, per peccatum originale facta erut, & illis non præparat media omnia ad ſalutem neceſſaria, ſive eis non procurando lavacri gratiam, antequàm ex hàc vitâ exeant, ſi parvuli ſint; ac ſi adulti ſint, non procurando eis Evangelium prædicari, ſeu non dando gratiam quâ credant, ſeu non dando gratiam quâ uſque ad mortem in fide Chriſti & charitate perſeverent, ut dicit idem S. Auguſtinus eodem cap. 7. de corrept. & grat. *Ac per hoc*, inquit, *& qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perſeverantiam non acceperunt*, &c. *non ſunt ab illâ conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam.* Et tamen vult eos omnes voluntate illâ antecedente ſalvari, ratione humanæ naturæ quam ad ſalutem fecit, non conſiderando particulares conditiones quæ ipſam circumſtant, puta quod ſit per peccatum primi hominis corrupta, & damnationi obnoxia: iis autem qui credunt & non perſeverant uſque in finem, dat quidem multa gratiæ efficacis beneficia ex voluntate conſequente, non quâ ſimpliciter & abſolutè velit eos ſalvari, ſed quâ vult ſimpliciter eos ad tempus credere, & præſentem juſtitiam habere. *Secundum ergo divinam providentiam*, inquit S. Thomas quodlib. 3. art. 11. ad 7. *quibuſdam datur donum gratiæ ad præſentem juſtitiam, & tamen non datur eis donum perſeverantiæ. Quod eo præcipuè fine ita Deus ordinavit*, inquit S. Auguſtinus de corrept. & grat. c. 13. *ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt timeant, dùm occultum eſt qui perveniant. Propter ergo hujus utilitatem ſecreti credendum eſt quoſdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi uſque in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter ac juſtè vivere, & poſteà cadere, neque de hac vitâ priuſquam hoc eis contingat, auferri.* Ergo ex S. Thomæ circa voluntatem Dei pro omnium hominum ſalute doctrinâ, gratia ſufficiens communis aſtrui nullo modo poteſt, ſive conſiderentur ea quæ de antecedente & conſequente voluntate docuit, ſive alii modi, ſecundùm quos expoſuit illud Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.*

Circa hanc autem de voluntate Dei antecedente pro omnium hominum ſalute doctrinam, S. Rhemigius Archiepiſcopus Lugdunenſis, & eadem Eccleſia in lib. de tribus Epiſtolis c. 11. 12. & 13. monent cavendum eſſe maximè, ne per hanc expoſitionem falſo & Pelagiano ſenſui occaſio præbeatur. Scilicet tradunt quatuor modos, à S. Thomâ allatos, intelligendi hujus Apoſtolici dicti, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* 1. De generibus ſingulorum. 2. Per id quod nullus niſi Deo volente ſalvatur. 3. Per id quod Deus facit ſanctos velle & optare ut omnes ſalvētur. Quartum modum ſic exponunt: *Ita fit ut, etiamſi ſecundum pium quorumdam Patrum piorum ſenſum, Deus vult om-*

 nes

nes homines ſalvos fieri, bonitate Creatoris, quâ Creaturam ſuam benè à ſe conditam perire non vult, id ipſum iterum nolit Judicis æquitate, quâ eamdem Creaturam ſuam vel originali vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam & vitiatam, impunitam eſſe non ſinit. Qui quartus modus cum dictis à S. Thomâ de voluntate antecedente convenit. De hoc ſic loquuntur: *In tribus itaque prioribus modis, & vera omninò, & ſalubris intelligentia eſt: in quarto autem modo illud ſine dubio cavendum, quia & occaſionem Pelagianæ pravitati præbet, quòd Deum ut ſalvet homines humanas exſpectare aſſerit voluntates.* Et infra: *Quod autem ibi ſimpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle ſalvos fieri, bonitate ſcilicet Creatoris; ita, ut putamus, fideliter poteſt recipi, ſi hanc voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum non credat, humanâ obſiſtente voluntate, implere non poſſe, ſed obſiſtente humanâ iniquitate implere nolle.*

Itaque, juxta hujus Eccleſiæ doctrinam, voluntas hæc generalis & antecedens, quæ & conditionata dicitur, poteſt duobus modis intelligi, alio vero & Catholico, alio falſo & Pelagiano. Verus & Catholicus eſt, *Quòd*, ut inquit Petavius Theolog. dogm. tomo 1. l. 9. c. 7. *Deus vellet omnes homines ſalvos fieri, niſi eos primi culpa parentis odioſos feciſſet.* Falſus & Pelagianus eſt, quòd Deus, quantùm eſt ex ſe, homines, etiam ut per primi hominis peccatum ſunt corrupti, confiderans, habet veram & efficacem voluntatem ſalvandi omnes homines, ſi ipſi velint; ex hâc voluntate eis media neceſſaria & gratias ſufficientes confert ut ſalventur, & in ipſorum nutu eſt ut iis utantur & per eas ſalventur. Unde fit ut, cùm omnes non velint iis uti & ſalvari, Dei voluntas in multis non impleatur, & fit ſine effectu; imò non magis impleatur in prædeſtinatis, quam in reprobis: quia juxta hanc ſententiam, nulla eſt alia Dei voluntas circa prædeſtinatos, quàm ut ſalventur ſi velint, quæ eadem eſt circa reprobos: tam reprobi autem quàm prædeſtinati ſalvantur ſi velint, nec contingit prædeſtinatos potiùs ſalvari quàm reprobos ob diverſitatem voluntatis Dei, quæ in ſe eadem eſt circa horum & illorum ſalutem, ſed ex diverſitate voluntatis hominum, quia ſcilicet Deo volente æqualiter utroſque ſalvare, alius vult ſalvari, & alius non vult. Et hic ſenſus falſus & Pelagianus eſt, quia neceſſariò ſupponit, quòd Deus exſpectat hominum voluntates, nec in eis motum bonum ipſe per ſuam gratiam operatur; quòdque voluntas Dei eorum ſalutis cauſa non eſt. Quæ doctrina, à Concilio Arauſicano can. 4. damnata, eſt univerſæ S. Thomæ de divinâ prædeſtinatione, voluntate & gratiâ doctrinæ contraria, totiſque S. Auguſtini libris de errore convicta.

Id S. Fulgentius cum aliis quindecim Africæ Epiſcopis in lib. de Incarnat. & Grat. ad Petrum Diaconum,

eonum, & alios ex Oriente Romam fidei causâ miſſos, expreſsè refutat cap. 29. aſſeritque eos falli, nec conſiderare quæ Scriptura de divinæ voluntatis omnipotentiâ dicit, qui exiſtimant divinam voluntatem æqualiter ſe habere erga ſalvandos & damnandos. Hæc ſunt horum ſexdecim Epiſcoporum verba: *Illud verò Apoſtolicum, ubi dicitur de Deo, Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non ſicut oportet intelligunt, qui hanc Dei voluntatem ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant, minùs conſiderantes veraciſſimam Scripturæ ſententiam, quæ divinæ commendans omnipotentiam voluntatis, Omnia,* inquit, *quæcumque voluit fecit in cœlo & in terrâ, in mari & in omnibus abyſſis.*

Rectiſſimè Eſtius annotavit hunc ſenſum eſſe Pelagii: *Sciendum eſt*, inquit in 1. Ep. ad Tim. c. 2. *nonnullos Apoſtolicam ſententiam hoc modo interpretari, Qui vult omnes homines ſalvos fieri, modò ut ipſi velint. Hujuſmodi enim conditionem in verbis Apoſtoli latere exiſtimant Ambroſiaſter & Pelagius: ab his reipſa non diſſentiunt, qui ſententiam ad hunc modum ſupplent; Qui vult, quantùm in ipſo eſt, omnes homines ſalvos fieri. Dicunt enim Deum omnibus hominibus ſuppeditare media ſufficientia ad ſalutem conſequendam; atque id volunt in his Apoſtoli verbis ſignificatum eſſe.*

Rectiſſimè etiam idem Theologus in 1. diſt. 46. §. 2. *Non debemus*, inquit, *in Deo imaginari, ſicut eſt in hominibus, voluntatem, ſtudium, conatum aliquem quo velit, ſtudeat, nitatur, &, quantùm in ipſo eſt, agat ut omnes homines ſalventur, quod tamen proptereà non aſſequatur, quia bonæ ejus voluntati obſiſtit mala voluntas hominum, quâ prævalente atque impediente fruſtretur voluntas Dei: quæ opinio & potentiæ divinæ detrahit & felicitati. Nam ſi non poteſt Deus quod vult, impotens eſt; ſi non aſſequitur quod optat, infelix eſt & miſer.*

ARTICULUS V.

In quo oſtenditur ex iis quæ S. Thomas docet de morte Chriſti pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam, gratiam ſufficientem communem aſtrui non poſſe.

Miror eorum in S. Thomæ doctrinâ inquirendâ oſcitantiam, qui ex his quæ de ſufficientiâ mortis Chriſti pro omnium hominum ſalute, & omnium peccatorum deletione docet, gratiam Chriſti actualem, quam ſufficientem vocant, in omnes homines transfundi intulerunt, & etiam in fidei dogma ex morte Chriſti pro omnibus conſequens transformarunt. Inveſtigabo quidquid S. Thomas hac de re tractavit. Proponam primùm

quæ in libris in Sententias, deindè quæ in Commentario in Pauli Epiſtolas, demùm quæ in Summa habet; oſtendamque, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus quoad ſufficientiam, juxta S.Thomam nihil aliud eſſe, quàm mortem Chriſti habere in ſe virtutem ad omnes homines ſalvandos & omnia peccata delenda ſufficientem; &, Chriſtum ſufficienter per mortem ſuam mereri & operari, nihil aliud eſſe, quàm ejus mortem habere in ſe tantam merendi & operandi virtutem, quanta requiritur.

In 3. diſt. 19. q. 1. art. 1. in quo quærit, *Utrum per paſſionem Chriſti ſimus liberati à peccato*, ad 1. quæſtionem ſic reſpondet. *Solus Chriſtus aliis poteſt ſufficienter mereri; quia poteſt in naturam, in quantùm Deus eſt, & charitas ſua quodammodò eſt infinita, ſicut & gratia, ut ſupra dictum eſt: in hoc autem pro totâ naturâ meruit, in quo debitum naturæ, ſcilicet mortis, quæ pro peccato ei debebatur, exſolvit ipſe peccatum non habens; ut ſic non pro ſe mortem ſolvere teneretur, ſed pro naturâ ſolveret: unde ſatisfaciendo pro totâ naturâ, ſufficienter meruit peccatorum remiſſionem aliis qui peccata habebant.*

Deinde ad 4. *Chriſtus, in quantùm nobis influxit per meritum, dicitur caput noſtrum, ut ſupra dictum eſt. Ex capite autem non recipitur influxus in membris diviſis, ſed in membris conjunctis capiti, quantumcumque caput ex ſe ſufficiens ſit ad influendum. Unde, quamvis meritum Chriſti ſit ſufficiens ad delendum peccata, tamen ad efficientiam deletionis requiruntur ea quæ capiti conjungunt: hujuſmodi autem ſunt fides & charitas; & ideò Magiſter aſſignat fidem paſſionis & charitatem, quaſi cauſas efficientiæ deletionis culpæ: cauſam tamen ſufficientiæ aſſignat in hoc quod dicit, quòd mors Chriſti eſt verum ſacrificium per quod peccata delentur. Unde quamvis ex aliis beneficiis, & ſanctorum exemplis charitas excitetur; non tamen conjungit merito ſufficienti ad culpæ deletionem, in quantùm ex eis excitatur, ſed in quantùm excitatur ex paſſione Chriſti.*

Ex hoc loco, caput ex ſe ſufficiens eſſe ad influendum in omnia membra, non eſt influxum habere in omnia membra, ſeu conjuncta ſint, ſeu diviſa, ſed eſt habere in ſe virtutem influendi in omnia; ſic tamen ut influxum habeat in ea ſolùm quæ conjuncta ſunt. Pariter ergo, meritum Chriſti eſſe ſufficiens ad delenda peccata, non eſt Chriſtum ut caput influere in omnes homines, ſed habere ex ſe virtutem influendi in omnes, licet influxum ſolùm habeat in aliquos per fidem & charitatem, per quæ homines illi ut capiti conjunguntur. Itaque, Chriſti meritum eſſe ſufficiens ad delenda omnia peccata & ad ſalvandum omnes homines, non eſt Chriſtum efficienter mereri ut actu communicentur omnibus gratiæ actuales ad peccatorum remiſſionem, & ad ſalutem ſufficientes; quod non fit ſine influxu actuali Chriſti: ſed nihil aliud eſt quàm meritum

Chriſti habere in ſe vim ac virtutem delendi omnia peccata, & ſalvandi omnes homines: adeò ut quicumque Chriſto per fidem & Sacramenta conjungitur, ejus meriti effectum in ſe recipiat.

Id expreſsè dicit in reſponſione ad 2. quæſtionem. *Dicendum*, inquit, *quòd ad hoc quod aliquid in alterum effectum inducere poſſit, duo requiruntur; unum ex parte agentis, ſcilicet quod habeat virtutem ſufficientem ad inducendum illum effectum: alterum ex parte recipientis, ut ſcilicet diſpoſitum ſit ad ſuſcipiendum actionem. Chriſti autem, qui in nobis meruit deletionem peccatorum, invenitur ſufficientia ad delendum omnia peccata noſtra ex duobus, ſcilicet ex actione, in quâ meritum conſiſtit, quæ agit vi divinâ, eo quòd eſt actio Dei & hominis, ut dictum eſt; & ex hoc habet infinitam in merendo efficaciam: & iterum ex eo quod paſſio abſtulit, ſcilicet animam Deo unitam; quæ etiam habebat infinitum valorem, ex hoc quod eſt Deo unita, & ex hoc eſt infinita efficacia in ſatisfaciendo. Ex parte autem noſtra requiritur, ut nos præparemus ad meriti Chriſti effectum in nobis ſuſcipiendum per fidem intellectus, & charitatem affectus, & per imitationem operis; quod quidem non contingit in omnibus: & ideò quoad ſufficientiam ſatisfactionis & meriti, omnia peccata per Chriſti paſſionem deleta ſunt; non autem quantùm ad efficientiam.*

Ex hoc loco ſufficientia Chriſti ad deletionem peccatorum eſt ſolùm ex parte Chriſti, ut habentis in ſe virtutem ſufficientem ob unionem verbi ad delendum peccata, non autem ut dantis hominibus gratias aliquas actuales: nec etiam eſt ex parte hominum gratiam recipientium; ſed hoc quod eſt Chriſtum mereri ac dare aliquas gratias ſalutares hominibus, & homines eas recipere, pertinet ad efficientiam meriti Chriſti. Cùm enim omnes gratiæ Chriſti, ſeu ſufficientes, ſeu efficaces, ſint effectus meriti Chriſti, quoties aliqua datur, id meritum Chriſti non ſolùm ſufficienter, ſed etiam efficienter operatur.

Ibidem infra: *Ad 1. dicendum*, inquit, *quòd in illis qui damnantur eſt indiſpoſitio ad recipiendum effectum meriti Chriſti: unde ex hoc contingit quòd eorum peccata non delentur, non ex inſufficientiâ meriti Chriſti.*

Et ad 3. *dicendum quòd paſſio Chriſti, quantùm ad ſufficientiam, poteſt delere peccata, etiam antequàm fiant; ſed efficientia deletionis non eſt niſi poſtquàm aliquis à peccato commiſſo avertitur: ſicut medicina ſufficiens ad ſanandum paratur interdum antequàm aliquis infirmetur, ſed non ſanatur per ipſam actu, niſi poſtquàm infirmus fuerit.*

Ex his etiam patet, meritum Chriſti eſſe ſufficiens, & paſſionem ejus habere ſufficientiam, nihil aliud eſſe, quàm in ſe habere virtutem quanta requiritur: ſiquidem dicitur ſuffiiciens, etiam quoad peccata quæ non ſunt, ſicut medicina dicitur ſufficiens ad ſanandum alicujus morbum qui nondum eſt.

Art. 2. in c. *Poteſtatem igitur diaboli, quâ victos detinet, Chriſtus per paſſionem ex toto amovit, quantùm ad ſufficientiam, licet non quantùm ad efficientiam, niſi in illis qui vim paſſionis ſuſcipiunt per fidem, charitatem & Sacramenta: & per hoc dicitur dominium diaboli evacuaſſe; ſed poteſtatem quâ impugnat non ex toto evacuavit, ſed debilitavit dum ipſum hoſtem vicit, & hominibus auxilia multa ad reſiſtendum tribuit, ſicut Sacramenta, gratiam abundantiorem, & alia hujuſmodi.* Hoc etiam nihil aliud ſignificat, niſi paſſionem Chriſti in ſe habere virtutem amovendi poteſtatem diaboli, ita ut eam in omnibus qui vim ejus ſuſcipiunt per fidem & charitatem, actu ſeu efficienter amoveat. Cùm dicit autem, Chriſtum per ſuam paſſionem multa auxilia, puta Sacramenta, gratiam abundantiorem, & alia hominibus tribuiſſe, nihil ſignificat, niſi ea parata eſſe omnibus hominibus per ejus mortem, & multis dari. Si enim hoc eſſet, Chriſtum per paſſionem ſuam ſingulis gratiam abundantiorem communicare, dicendum foret etiam ſingulis Sacramenta per ejus mortem conferri, quod omninò falſum eſt. Quot enim parvuli & adulti ſine baptiſmi Sacramento decedunt?

Deinde ad 4. *Dicendum*, inquit, *quòd hoc quòd Idolatræ adhuc manent ſub ſervitute dæmonis, contingit ex eo quòd auxilia quæ ſunt ex paſſione Chriſti, accipere negligunt.*

Et ad 5. *Dicendum quòd multitudo malorum, quæ erunt in ultimis temporibus, non erit ex hoc quòd virtus paſſionis Chriſti deficiat; ſed quia armaturam Dei, quâ armati ſunt per paſſionem Chriſti, abjicient vel contemnent; quia refrigeſcet charitas multorum: & ideò non eſt mirum ſi devincantur:* hoc eſt, fidem & Sacramenta & alia remedia, ſeu auxilia per Chriſtum parata, abjicient & contemnent.

Art. 3. ad 1. quæſtionem: *Chriſtus igitur per paſſionem ſuam à pœnâ æternâ quæ debetur originali* (peccato) *quod omnes contrahunt, dupliciter abſolvit, ſcilicet auferendo reatum, quantùm ad illos qui participes efficiebantur redemtionis ejus, & adhuc vivebant, & auferendo pœnam quantùm ad illos qui mortui erant: ab omnibus quidem, quantum ad ſufficientiam; ſed quantum ad efficientiam ab illis in quibus nullum inveniebatur.* Quid eſt autem, Chriſtum pœnam peccati originalis, quæ conſiſtit in carentia viſionis divinæ, ab omnibus qui mortui erant, auferre quantùm ad ſufficientiam? Eſt ne dare omnibus mortuis media ſufficientia ad viſionem Dei conſequendam? Quid abſurdius? Sed eſt, paſſionem Chriſti habuiſſe in ſe virtutem ſufficientem ad omnes mortuos ab hac pœnâ abſolvendos, à quâ eos ſolùm, in quibus nullum peccatum inveniebatur, efficienter abſolvit.

Ad 2. quæſtionem oſtendit quod mors Chriſti liberat à pœnâ temporali ſufficienter, quantùm ad omnes, non autem efficienter, niſi quantùm ad eos qui ejus paſſionis participes ſunt; ita ut tamen

men ſolùm in fine mundi ab omnibus ſanctis pœnæ omnes auferendæ ſint. Hæc autem ſufficientia ſolam virtutem liberandi ab omni pœnâ morti Chriſti inexiſtentem ſignificat.

Quartum autem argumentum ſic proponit: *Poſitâ causâ ſufficienti ponitur effectus: ſed adhuc in illis qui vim paſſionis Chriſti omnibus modis in ſe excipiunt, manet pœna temporalis: ergo paſſio Chriſti non liberat à pœnâ temporali.* Sic reſpondet.

Ad 4. *Dicendum, quòd in cauſis quæ agunt ex ordinatione ſapientiæ, non eſt neceſſarium quod poſitâ causâ ſtatim ponatur effectus; ſed tunc effectus ponitur, quando ſapientiæ ordo requirit: & taliter agit paſſio Chriſti.* Similiter ergo, licet paſſio Chriſti ſit cauſa ſufficiens omnium gratiarum quæ hominibus dantur, tamen non eſt neceſſe poſitâ causâ poni hunc effectum, alicujus ſcilicet gratiæ communicationem: ſed tunc effectus ille ponitur, hoc eſt, gratia aliqua actualis datur, quando ſapientiæ ordo requirit. Atque ita ſicut paſſio Chriſti eſt cauſa ſufficiens liberationis ab omni peccato & ab omni pœnâ quoad omnes, propter virtutem liberandi, licet actu nec omnia peccata, nec omnes pœnæ auferantur, nec omnes homines liberentur; ita etiam eſt cauſa ſufficiens omnium gratiarum actualium, ſeu quæ ſufficientes, ſeu quæ efficaces dicuntur, & quoad omnes homines: quia ſcilicet virtutem habet eas conferendi, licet actu gratiæ etiam ſufficientes nec omnibus, nec ſemper conferantur.

Denique diſt. 20. q. 1. art. 1. ad 1. quæſtionem ad 2. *Dicendum, quòd hoc quod omnes homines non reparantur, non eſt ex inſufficientiâ medicinæ reparantis, cum ſit ſufficiens, quantùm in ſe eſt, ad reparandum omnes qui naturam humanam habent, vel habere poſſunt; ſed ex defectu eorum qui reparationis effectum in ſeipſis impediunt.*

Ergo juxta S. Thomam in Sententias certiſſimum eſt, ſufficientiam paſſionis Chriſti pro omnium ſalute non conſiſtere in auxilio omnibus collato, ſed in virtute de ſe ad omnes ſalvandos ſufficiente.

Jam quæ in Paulum docet expendenda ſunt. In 2. caput ad Hebr. lect. 3. in hæc verba: *Ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, ſic loquitur: *Pro omnibus autem dupliciter poteſt intelligi, ut vel ſit diſtributio accommoda pro omnibus prædeſtinatis; pro iſtis enim tantùm habet efficaciam: vel abſolutè pro omnibus quantum ad ſufficientiam: ſufficiens enim, quantum de ſe, omnibus eſt. 1. Tim. 4. Qui eſt Salvator omnium, maximè autem fidelium. Chryſoſtomus: Pro omnibus hominibus generaliter mortuus eſt, quia omnibus pretium ſufficit, & ſi omnes non credunt, ipſe tamen quod ſuum eſt implevit.* In id autem 1. Tim. 4. *Qui eſt Salvator omnium hominum, maximè autem fidelium*, hæc habet quæ ad gratiam communem aſtruendam nullo modo proſunt: *Et ſuſtinemus propter ſpem vitæ (quia ſperamus in Deum vivum)*

 qui

qui eſt Salvator vitæ præſentis & futuræ. Item ex officio Dei, cujus eſt ſalvare, Iſaiæ 43. Non eſt abſque me Salvator: & ideò incarnatus eſt Deus & vocatus eſt Jeſus. Math. 1. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum: & Jeſus idem eſt quod Salvator; quia ſalvat ſalute corporali quoad omnes, & ideò dicit, Omnium hominum: item ſpirituali quoad bonos; & ideò dicit, Et maximè fidelium.

Et in 1. ad Tim. 2. lect. 1. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: pro aliquibus efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter: quia pretium Sanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium; ſed non habet efficaciam niſi in electis, propter impedimentum.*

Itaque S. Thomas his in locis nonniſi de ſufficientiâ pretii, ſive de ejus virtute, magnitudine & potentiâ pro omnium ſalute loquitur, ſecundùm illud S. Proſperi in reſponſione ad objectionem primam Vincentianam, *Quoad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti redemtio eſt totius mundi.* Sed, mortem Chriſti eſſe pretium ſufficiens pro omnium ſalute, non eſt, per mortem Chriſti conferri & applicari omnibus auxilia actualia ſufficientia ad ſalutem, ſed eſt illam habere in ſe vim & virtutem ſalvandi omnes homines & mundandi omnia hominum peccata, adeò ut ſi aliqui non ſalventur, id non ex defectu virtutis mortis Chriſti, ſed ex defectu voluntatis humanæ, atque ex peccato, ſeu riginali, ſeu actuali proveniat; & propter hoc dicit eam *non habere efficaciam niſi in electis, propter impedimentum*, ut mox exponemus.

Id rectiſſimè annotavit, & ex parvulorum exemplo, quibus per baptiſmum ſuccurri non poteſt, veriſſimè confirmavit Facultas Duacenſis in Cenſurâ Aſſert. 7. *Sufficientia ergo*, inquit, *quam poſtulat generalis redemtio, in pretio Sanguinis Chriſti eſt; non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio. Nam alioquin etiam parvulis, quibus per baptiſmum ſuccurri non potuit, tale auxilium tribuendum erit, aut certè dicere oportebit, non pro illis Chriſtum ſe dediſſe in redemtionem, & ita non pro omnibus.*

Hæc eſt Concilii Tridentini doctrina, hic ſenſus, cùm ſeſſ. 6. can. 3. dicit, *Quod etſi pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed hi duntaxat, quibus meritum ejus communicatur:* ſcilicet per fidem quam omnes non receperunt. Nam ut dicit idem Concilium ſeſſ. 6. cap. 2. *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem:* ergo nec gratiam actualem ſufficientem dictam, per quam venitur ad fidem, & bona voluntas eſſe incipit, omnes homines vi mortis Chriſti recipiunt, cùm ipſa ſit aliquod beneficium mortis Chriſti, & ex ejus merito conferatur. Itaque juxta Concilium Tridentinum Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, quia ſcilicet mors ejus virtutem habet omnes omninò homines redimendi, &

ab

ab omni peccato liberandi; quanquam omnibus per fidem, aut alia beneficia ſalutaria meritum ejus non communicetur.

Hanc Concilii Tridentini doctrinam Catechiſmus ejuſdem Concilii apertiùs expreſſit parte 2. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 4. ſect. 24. his verbis: *Nam ſi ejus virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute ſanguinem à Salvatore effuſum eſſe fatendum erit: ſi verò fructum quem homines ex eo perceperint cogitemus, non ad omnes, ſed ad multos tantùm eam utilitatem pervenire facilè intelligemus.*

Dicitur autem *pro prædeſtinatis tantùm habere efficaciam*, ſeu *non habere efficaciam niſi in electis, propter impedimentum*, ſcilicet quantùm ad conſecutionem vitæ æternæ, ſiquidem in non electis qui baptiſati ſunt, qui in Chriſtum credunt ac piè vivunt, habet efficaciam quantùm ad remiſſionem peccatorum per baptiſmum, & quantùm ad omnia beneficia ſalutaria, ſeu auxilia actualia quæ per Chriſtum recipiunt, cum baptiſmus, fides, & omnes Chriſti gratiæ ſint effectus mortis Chriſti. Quare gratiæ ſufficientes non ſunt à morte Chriſti ſolùm conſideratâ ſecundùm ſufficientiam, ſed ſunt à morte Chriſti etiam conſideratâ ſecundùm efficaciam ſeu efficientiam, ut anteà ex 3. in Sentent. notavimus: ſiquidem illæ, ſicut & cæteræ, ſunt propriè effectus & merita mortis Chriſti. Atque ita ſi Chriſtus morte ſuâ omnibus gratias ſufficientes meruiſſet ac contuliſſet; eſſet mortuus pro omnibus, non ſolùm quantùm ad ſufficientiam pretii, ſed etiam quantùm ad efficaciam ſeu efficientiam & applicationem, non quidem pro vita æterna dandâ, ſed pro aliis beneficiis ſalutaribus conferendis. Ubi autem S. Thomas dixit, mortem Chriſti habere efficaciam ſeu efficientiam in omnibus hominibus, & omnibus applicari? *Meritum Chriſti*, inquit qq. diſp. de veritate. q. 29. quæ eſt de gratiâ Chriſti art. 7. ad 4. *quantùm ad ſufficientiam, æqualiter ſe habet ad omnes, non autem quantùm ad efficaciam.* Et ad 13. *Hoc ipſum gratis alicui noſtrum à Deo confertur, quod efficaciam meriti Chriſti conſequatur.*

Lovanienſes hâc eâdem reſponſione Aſſertionem ſeptimam Jeſuitarum refutarunt, & Cenſuræ notâ affecerunt. Talis enim erat Aſſertio: *Deus voluit dare Chriſtum in redemtionem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus præparavit ſufficientia remedia per Chriſtum. Probatur conſequens, quia eatenùs eſt Chriſtus omnium Redemtor, quatenùs per ipſum dantur omnibus ſufficientia auxilia, quibus reſurgant à peccatis. Si enim non darentur ſufficientia, verus non eſſet eorum Redemtor, quia neque quoad ſufficientiam, neque quoad efficaciam.* Hanc ratiocinationem hujuſmodi Cenſurâ afficiunt.

Non diſſimilis erat olim Maſſilienſium ratiocinatio: ſed cui ſic reſpondendum. Chriſtus Redemtor eſt omnium, quoad pretii ſufficientiam, quia merito ſanguinis ejus omnes

à

à peccatis liberari poſſent, ſi crederent: non eſt autem Redemtor omnium ſecundùm efficaciam, quia non omnibus per eum datur ut credant. Ut enim infidelis credat, præter prædestinationis beneficium, neceſſarium eſt gratiæ ſpecialis donum, quo fiat ut prædicationi conſentiat.

Itaque omninò abſurdum eſt, & à S. Thomæ mente alienum, ex iis quæ de morte Chriſti, quantùm ad ſufficientiam pretii pro omnibus oblatâ docet, velle illi gratiæ ſufficientis omnibus vi mortis Chriſti præparatæ ac datæ doctrinam affingere, juxta quam dicendum eſſet, Chriſtum pro omnibus, non ſolùm quoad ſufficientiam, ſed etiam quoad efficaciam mortuum eſſe.

Neque etiam hæc eadem verba, *Sed non habet efficaciam niſi in electis propter impedimentum*, gratiæ ſufficienti communi ullo modo favent; imò eam juxta S. Thomæ doctrinam omnibus non dari ſupponunt. Oſtendimus enim Sect. 1. art. 1. juxta S. Thomam, gratiam non deeſſe quidem hominibus, niſi ob impedimentum, ſed probavimus ſimul verum eſſe omnes homines poſt peccatum primi parentis impedimentum gratiæ præſtare, ac Deum ſingulari gratiâ, quam nemini debet, & quam largitur quibus vult, in aliis hoc impedimentũ ex miſericordia removere, & in aliis ex juſtitiâ non removere. *Quòd ergo*, inquit in 12. ad Hebr. lect. 3. *à quibuſdam removetur illud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordiâ Dei; quòd autem non removetur, hoc eſt ex juſtitia ejus.* Sicut ergo Deus omnibus gratiam non dat ad removendum impedimentum, ita mors Chriſti non habet efficaciam in omnibus ad removendum impedimentum, hoc eſt, per illam non applicatur, nec datur omnibus gratia ad idem impedimentum removendum.

Itaque à S. Thomæ doctrinâ & ſenſu omninò aberrant, qui hæc verba ita intelligunt, ut dicant mortem Chriſti pro nutu liberi arbitrii, gratiâ ſufficiente ſibi per illam oblatâ & collatâ, prout vult, utentis vel non utentis, in hominibus efficaciam habere, & hanc efficaciam à Dei electione & miſericordiâ non procedere, nec Dei eſſe facere ut mors Chriſti, quæ pro omnibus ſufficiens eſt, in aliquibus prout voluerit efficaciam habeat: imò hunc ſenſum velut Pelagianum S. Thomas rejicit, cùm dicit in 12. ad Hebr. *Ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagii*, ut latè oſtendimus Sect. 1. art. 1. Sed S. Thomas nihil aliud hoc loco & quovis alio docuit, niſi ſolam corruptionem malitiamque hominum obſtare, ne omnes fruantur pretio Sanguinis Chriſti, quod ad omnia mundi crimina & peccata delenda de ſe ſufficientiſſimum eſt; eo omnes frui poſſe, ſi in Chriſtum crederent; ac ſi omnibus fidem in Chriſtum per Chriſtum non det, cauſam ab eorum peccatis repetendam eſſe, per quæ hâc gratiâ indigni ſunt: quanquam ſingularis miſericor-

diæ

diæ abundantiâ aliquos ex his per Chriſtum eligat, in quibus non obſtante eorum indignitate cum aliis communi, impedimenta quæ gratiæ ponunt, per gratiam ſuam tollit ac ſuperat; atque ita miſericorditer facit, ut illis effe-ctus meritorum Chriſti conferatur, & in his Chriſti paſſio efficaciam habeat, quam in aliis non habet ob impedimenta quæ ipſi ponunt, quæ Deus per ſimilem miſericordiam judicio juſto removere non voluit.

Id omne S. Thomas de merito Chriſti loquens expreſsè docet in qq. diſp. q. 29. de gratia Chriſti art. 7. in quo quærit, *Num Chriſtus aliis mereri potuerit?* Ad 4. Quartum argumentum ſic proponit: *Meritum Chriſti æqualiter ſe habet ad omnes homines, quantùm eſt de ſe: ſi igitur alicui Chriſtus meruit ſalutem, omnibus meruit: ſed meritum Chriſti fruſtrari non poteſt: ergo omnes ſalutem conſequuntur, quod patet eſſe falſum.* Sic reſpondet.

Ad 4. dicendum, quòd meritum Chriſti, quantùm ad ſufficientiam, æqualiter ſe habet ad omnes, non autem quantùm ad efficaciam; quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divinâ electione, per quam quibuſdam miſericorditer effectus meritorum Chriſti confertur, quibuſdam verò juſto judicio ſubtrahitur. Et ad 13. *Hoc ipſum gratis alicui noſtrum à Deo confertur, quod efficaciam meriti Chriſti conſequatur.* Et quod jam retulimus in 3. diſt. 19. q. 1. art. 3. ad primam quæſtionem ad 4. *In cauſis quæ agunt ex ordinatione ſapientiæ, non eſt neceſſarium quod poſitâ causâ ſtatim ponatur effectus; ſed tunc effectus ponitur, quando ſapientiæ ordo requirit: & taliter agit paſſio Chriſti.* Et 3. p. q. 8. art. 3. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd illi qui ſunt infideles, etſi actu non ſint de Eccleſiâ, ſunt tamen de Eccleſiâ in potentiâ: quæ quidem potentia in duobus fundatur: primò quidem & principaliter in virtute Chriſti, quæ eſt ſufficiens ad ſalutem totius humani generis; ſecundariò in arbitrii libertate.* Docet autem eodem art. in Corp. pendere à divinâ prædeſtinatione, quòd potentia ſecundùm quam ſunt de Eccleſiâ & uniuntur Chriſto ut capiti, reducatur ad actum. *Quartò*, inquit, *Chriſtus eſt caput eorum qui ſibi uniuntur ſolùm in potentiâ, nondum reductâ ad actum, quæ tamen eſt ad actum reducenda, ſecundùm divinam prædeſtinationem.*

Dicet aliquis ſufficientiam pretii, ſecundùm quam Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt, intelligi non poſſe de ſolâ magnitudine pretii pro omnium ſalute ſufficientiſſimi; quia eodem ſenſu dici poſſet mortuus etiam pro dæmonibus, cùm pariter mors ejus ſit pretium pro eorum ſalute ſufficiens, quantùm ad virtutem redimendi, utpote infinitam.

Reſpondeo, etſi ſit virtus infinita in Chriſto ad redimendum etiam dæmones, tamen dici non poſſe mortuum pro dæmonibus, nequidem ſufficienter, ſeu quantùm ad ſufficientiam pretii; quia ſcilicet ad hoc ut Chriſtus dicatur ſufficienter mortuus pro aliqui-

bus,

bus, duo requiruntur; unum ex parte Chriſti, ut ſcilicet habeat virtutem in ſe ſufficientem ad illos redimendos; alterum ex parte ſubjecti, ſcilicet ut ſit capax recipiendi influxum & actionem Chriſti, quod fit per fidem & Sacramenta. Licet autem ſit in Chriſto virtus infinita, & ad redimendos etiam dæmones ſufficiens; quia tamen non ſunt capaces recipiendi influxum & actionem Chriſti per fidem & Sacramenta, ſiquidem eorum natura irreparabiliter eſt damnata, & in malo obſtinata, ac ſunt extra ſtatum merendi & ſalutem conſequendi, atque ita non ſunt in potentia ut Chriſto uniantur; ideò Chriſtus non poteſt dici ſufficienter mortuus pro dæmonibus. Quamobrem nullam cauſam nullumque remedium pro eorum liberatione inſtituit: omnes autem homines quamdiu ſunt in viâ, vel recipiunt actu, vel ſunt capaces recipiendi influxum & actionem Chriſti per fidem & Sacramenta, vel actu uniuntur Chriſto, vel ſunt in potentiâ ut Chriſto uniantur, & hæc potentia reducenda eſt ad actum in aliquibus, ſcilicet in iis omnibus qui Chriſto per fidem & Sacramenta uniendi ſunt, & in aliquibus nunquam reducenda eſt ad actum, puta in parvulis ſine baptiſmo morientibus. Unde docet S. Thomas Chriſtum eſſe caput omnium hominum, quia omnes uniuntur Chriſto vel actu, vel in potentiâ, etſi aliqui ſint in quibus iſta potentia nunquam ad actum reducenda eſt. *Chriſtus*, inquit 3. p. q. 8. art. 3. *eſt caput omnium hominum, ſed ſecundùm diverſos gradus. Primò enim & principaliter eſt caput eorum qui actu uniuntur ſibi per gloriam. Secundò eorum qui actu uniuntur ſibi per charitatem. Tertiò eorum qui actu uniuntur ſibi per fidem. Quartò verò eorum qui ſibi uniuntur ſolùm in potentiâ nondum reductâ ad actum, quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundùm divinam prædeſtinationem. Quintò verò eorum qui in potentiâ ſunt ſibi uniti, quæ nunquam reducetur ad actum, ſicut homines in hoc mundo viventes qui non ſunt prædeſtinati, qui tamen ex hoc ſeculo recedentes totaliter deſinunt eſſe membra Chriſti, quia jam nec ſunt in potentiâ, ut Chriſto uniantur.*

Itaque Chriſtus pro omnibus omninò hominibus mortuus eſt ſufficienter, ſeu quantùm ad ſufficientiam pretii, quia habet ſufficientem virtutem ad omnes omninò homines redimendos, & præterea nullus homo eſt qui dum eſt in viâ, non recipiat actu, aut non ſit capax recipiendi influxum & actionem Chriſti, ſeu qui Chriſto per fidem & Sacramenta non uniatur, vel actu, vel in potentiâ; quod cùm de dæmonibus dici non poſſit, dici etiam non poteſt pro iis ſufficienter mortuus, etſi virtus paſſionis illius ad illos redimendos in ſe ſufficientiſſima ſit. Quomodo autem Chriſtus non ſolùm quantùm ad ſufficientiam pretii & virtutem paſſionis pro omnibus omninò hominibus mortuus fuerit, ſed etiam omnes omninò homines ſalvandi volun-

voluntatem habuerit, non quidem rationalem, ſed naturalem, quæ magis velleitas dicenda eſt, quàm abſoluta voluntas, articulo ſequente exponemus.

Denique quæ S. Thomas de ſufficientiâ mortis Chriſti in Summâ habet, referenda ſunt. 3. p. multis in locis eam ſufficientem vocat ad omnium peccatorum deletionem, eodem omninò ſenſu; quia ſcilicet habet in ſe tantam virtutem, quanta ad omnia peccata delenda requiritur.

3. p. q. 1. art. 4. in c. *Reſpondeo dicendum*, inquit, *quòd certum eſt Chriſtum veniſſe in hunc mundum, non ſolùm ad delendum illud peccatum quod traductum eſt originaliter in poſteros; ſed etiam ad deletionem omnium peccatorum quæ poſtmodùm ſuperaddita ſunt: non quòd omnia deleantur, quod eſt propter defectum hominum qui Chriſto non inhærent, ſecundùm illud Joan. 3. Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: ſed quia ipſe exhibuit quod ſufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem.* Docet autem poſteà art. 8. in c. ut jam dictum eſt, homines inhærere Chriſto, & illi actu uniri, ut capiti, ſecundùm divinam prædeſtinationem. *Quartò*, inquit, *Chriſtus eſt caput eorum qui ſibi uniuntur ſolùm in potentiâ nondum reductâ ad actum, quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundùm divinam prædeſtinationem.*

Eadem q. art. 2. in 2. arg. & ad 2. eam ſatisfactionem ad reparationem humanæ naturæ ſufficientem eſſe dicit, præter quam nihil aliud ad illam requiritur. Docet autem poſſe dici dupliciter ſufficientem, perfectè & imperfectè. *Uno modo*, inquit, *perfectè, quia eſt condigna per quamdam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ; & ſic hominis puri ſatisfactio ſufficiens eſſe non potuit pro peccato. Alio modo poteſt dici ſatisfactio hominis eſſe ſufficiens imperfectè, ſcilicet ſecundùm acceptationem ejus qui eſt eâ contentus, quamvis non ſit condigna; & hoc modo ſatisfactio puri hominis eſt ſufficiens.*

Et q. 46. art. 5. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd ſecundùm ſufficientiam, una minima paſſio Chriſti ſuffeciſſet ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis: ſed ſecundùm convenientiam ſufficiens fuit quòd pateretur omnia genera paſſionum, ſicut dictum eſt.*

Et q. 48. art. 2. in c. *Et ideò paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis, ſecundùm illud* 1. *Joan.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Et ad* 2. *dicendum* (inquit) *quod major fuit charitas Chriſti patientis, quàm malitia crucifigentium. Et ideò plus potuit Chriſtus ſatisfacere ſuâ paſſione, quàm Crucifixores offendere occidendo, in tantùm quòd paſſio Chriſti ſufficiens fuit & ſuperabundans ad ſatisfaciendum pro peccatis crucifigentium ipſum.*

Et q. 79. art. 7. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quod ſicut paſſio Chriſti prodeſt quidem omnibus, quantùm*

tùm ad ſufficientiam, & ad remiſſionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ (hoc eſt, habet in ſe ut omnibus proſit, ſicut ait S. Proſper Reſp. 1. ad objectionem Vincentianam.) *ſed effectum non habet, niſi in illis qui paſſioni Chriſti conjunguntur per fidem & charitatem.*

Et q. 22. art. 3 ad 2. *Dicendum* (inquit) *quòd peccata non commemorantur in novâ lege propter inefficaciam ſacerdotii Chriſti, quaſi per ipſum non ſufficienter expientur peccata.* Sufficienter autem per ſacerdotium Chriſti peccata expiari, hoc eſt, ut dicit in argumento, Sed contra, *Sacerdotium Chriſti habere virtutem emundandi peccata,* Et ut dicit in c. *Habere plenam vim expiandi peccata.*

Objici ſolent aliqua ex hac 3. parte teſtimonia, ubi per mortem Chriſti paratum omnibus remedium dicitur contra dæmonis tentationes, quo aliqui uti negligunt: unde concluditur, Chriſtum morte ſuâ meruiſſe, præparaſſe & contuliſſe omnibus auxilia ſufficientia, quibus aliqui uti negligunt. Ita ergo 3. p. q. 49. art. 2. ad 2. loquitur. *Dicendum quòd diabolus etiam nunc poteſt quidem, Deo permittente, homines tentare, quantùm ad animam, & vexare quantùm ad corpus: ſed tamen præparatum eſt homini remedium ex paſſione Chriſti, quo ſe poteſt tueri contra hoſtis impugnationes, ne deducatur in interitum mortis æternæ: & quicumque ante paſſionem Chriſti diabolo reſiſtebant, per fidem paſſionis Chriſti hoc facere poterant, licet paſſione Chriſti nondum peractâ.* Et ibidem ad 3. *Dicendum quòd Deus permittit diabolo poſſe decipere homines in certis perſonis, temporibus, & locis, ſecundùm occultam rationem judiciorum ſuorum; ſemper tamen per paſſionem Chriſti eſt paratum hominibus remedium ſe tuendi contra nequitias dæmonum, etiam tempore Antichriſti: ſed ſi aliqui hoc remedio uti negligant, nil deperit efficaciæ paſſionis Chriſti.* Ad plenam horum locorum intelligentiam, S. Thomæ doctrina, hac quæſtione contenta, exponenda eſt, quæ omninò conformis eſt his quæ anteà ex 3. in Sententias retulimus.

Poſtquàm S. Thomas quæſt. præcedente 48. art. 6. oſtendit quòd paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem per modum efficientiæ, hâc deinde quæſtione varios effectus paſſionis Chriſti refert & explicat, qui ſunt liberatio à peccato, à poteſtate diaboli, à pœnâ peccati, reconciliatio cum Deo, & apertio januæ cœli. In hoc ergo efficacia paſſionis Chriſti conſiſtit, quòd mors Chriſti hæc omnia per modum efficientiæ operata fuerit: & quòd in ſe habeat virtutem ſufficientem, hoc eſt condignam, & tantam quanta requiritur ad delenda omnia omnium hominum peccata. *Unde oportuit*, inquit 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. *ad condignam ſatisfactionem* (hoc eſt, ut ibidem dicit, *ad ſatisfactionem perfectè ſufficientem*) *ut actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam,*

ut

utpote Dei & hominis exiſtens: hoc eſt virtutem infinitam ad recompenſationem culpæ commiſſæ. Verùm id in omnibus actu non operatur, ſed ſolùm in iis qui per fidem & Sacramenta paſſioni ejus communicant, ſeu quibus ejus paſſio per fidem & Sacramenta applicatur. *Paſſio Chriſti*, inquit q. 49. art. 3. ad 1. *ſortitur effectum ſuum in illis quibus applicatur per fidem, & charitatem, & per fidei Sacramenta.* Et ad 3. *Satisfactio Chriſti habet effectum in nobis, in quantùm incorporamur ei, ut membra capiti ſuo.* Et art. 4. *Deus placatus eſt ſuper omnia offenſa generis humani, quantùm ad eos qui Chriſto paſſo conjunguntur ſecundùm modum præmiſſum.* Et art. 5. *Per paſſionem Chriſti liberati ſumus, non ſolùm à peccato communi totius humanæ naturæ, & quantùm ad culpam, & quantùm ad reatum pœnæ, ipſo ſolvente pretium pro nobis; ſed etiam à peccatis propriis ſingulorum qui communicant ejus paſſioni per fidem, charitatem, & fidei Sacramenta.* Et art. 1. ad 3. *Chriſtus in ſuâ paſſione nos à peccatis liberavit cauſaliter, id eſt, inſtituens cauſam noſtræ liberationis, ex quâ poſſent quæcumque peccata quandoque remitti, vel præterita, vel præſentia, vel futura. Sicut ſi Medicus faciat medicinam, ex quâ poſſint quæcumque morbi ſanari, etiam in futurum.* Deinde verò ad 4. *Dicendum quòd quia paſſio Chriſti præceſſit, ut cauſa quædam univerſalis remiſſionis peccatorum, ſicut dictum eſt, neceſſe eſt quòd ſingulis adhibeatur* (hoc eſt applicetur) *ad deletionem priorum peccatorum; hoc autem fit per baptiſmum, & pœnitentiam, & alia Sacramenta quæ habent virtutem ex paſſione Chriſti.* Et ad 5. *Dicendum, quòd etiam per fidem applicatur nobis paſſio Chriſti ad percipiendum fructum ipſius, ſecundùm illud Rom. 3. Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Et q. 61. art. 1. ad 3. *Paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis; nec propter hoc ſequitur quòd Sacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalutem, quia operantur in virtute paſſionis Chriſti, & paſſio Chriſti quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta, ſecundùm illud Rom. 6. Quicumque baptiſati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptiſati ſumus.* Et in quæſt. diſp. q. 29. de gratiâ Chriſti art. 7. ad 8. *Meritum Chriſti ſufficienter operatur ut quædam cauſa univerſalis ſalutis humanæ: ſed oportet hanc cauſam applicari ſingulis per Sacramenta & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur; & ideò requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter meritum Chriſti, cujus tamen meritum Chriſti eſt cauſa.*

Quia ergo per paſſionem Chriſti inſtituta & præparata ſunt remedia per quæ omnia omnium hominum, qui iis uti voluerint, peccata remitti poſſunt quocumque loco & tempore; & quia mors Chriſti omnes, quibus per fidem & Sacramenta applicatur, efficienter à peccato, pœnâ, & poteſtate diaboli liberat; ideò etſi aliquibus iis remediis uti nolentibus non applicetur, nihil tamen deperit ejus efficaciæ. Nam effi-

efficacia mortis Chriſti in hoc non conſiſtit, ut omnibus applicetur, & in omnibus effectum habeat; ſed in hoc, ut omnes quibus per fidem & fidei Sacramenta applicatur, à peccato & à pœnâ per modum efficientiæ liberet, & in ſe habeat virtutem omnes redimendi. *Paſſio Chriſti*, inquit q. 48. art. 6. ad 2. *per ſpiritalem contactum efficaciam ſortitur, ſcilicet per fidem & fidei Sacramenta, ſecundùm illud Apoſtoli: Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Ergo à S. Thomæ doctrinâ his locis contentâ omninò aberrant, qui hinc concludunt gratiam actualem ſufficientem ſingulis hominibus per paſſionem Chriſti conferri & applicari, cùm nihil aliud ſequatur, niſi fidem ac fidei Sacramenta per paſſionem Chriſti omnibus parata eſſe ac propoſita, quorum uſu ſe tueri poſſunt adversùs diaboli inſidias.

Id evidentiſſimè confirmatur exemplo parvulorum, quibus per baptiſmum ſuccurri non poteſt. Nam juxta S. Thomæ doctrinam, parvulis omnibus remedium per mortem Chriſti paratum eſt. Quid autem illud eſt? An per mortem Chriſti media ſufficientia, quibus baptiſmum recipere poſſint, eſſe diſpoſita & ordinata? Minimè verò; ſed hinc ſolùm ſequitur, per mortem Chriſti inſtitutum eſſe baptiſmi Sacramentum habens virtutem remittendi peccata, & ea remittens omnibus quibus confertur, & ut loquitur S. Thomas art. 4. ad 3. *Habens efficaciam ex paſſione Chriſti.* Quòd ſi aliquibus hoc remedium non adhibeatur, iis ſcilicet qui in utero materno decedunt, nihil deperit efficaciæ mortis Chriſti, quia non deſinit ſemper habere virtutem omnes redimendi, & ſortiri effectum ſuum in omnibus parvulis quibus per baptiſmum applicatur, ſeu qui conſepeliuntur Chriſto in baptiſmo. Ergo remedia omnibus per Chriſti mortem parata eſſe, quibus qui utuntur, fructum mortis Chriſti percipiunt, nullo modo in S. Thomæ doctrinâ ſignificat, omnibus per Chriſti mortem media ſufficientia ad ſalutem, ſeu gratias actuales ſufficientes præparatas eſſe & collatas.

Hæc fuit Lovanienſium, circa parvulorum exemplum reſponſio. *Ex eo*, inquiunt in Cenſurâ aſſertionis 25. *quòd Chriſtus pro omnibus eſt parvulis mortuus & baptiſmum inſtituit, non rectè colligitur ſufficiens eos contra peccatum habere remedium. Ut enim dicit Proſper* (ad 9. caput Gallorum) *non ſufficit hominum redemtioni, crucifixum eſſe Dominum Chriſtum, niſi commoriantur & conſepeliantur ei in baptiſmo; & quanquàm dici poſſit ſufficiens pro parvulis inſtitutum remedium; dici tamen non poteſt id eos habuiſſe, quod nec in ſuâ nec in ſuorum habuerunt poteſtate.*

Similiter Duacenſes in Cenſurâ ejuſdem aſſertionis: *Mors Chriſti, & Sacramentum baptiſmi, remedia ſunt, quæ ſufficiunt ſaluti omnium parvulorum, nemine ex-*

excepto: ſed non inde conſequens eſt omnes parvulos habere ſufficiens remedium contra peccatum ex parte Dei. Quamvis enim paratum ac propoſitum ſit tale remedium, non tamen ab eo rectè dicitur haberi, cui impoſſibile eſt illud applicari; impoſſibile, inquam, ſtudio & induſtriâ humanâ. Multa enim tam ex parte Dei, quàm ex parte hominum requiruntur, eaque in parvulorum poteſtate non ſunt poſita, ut parvuli ipſi Chriſto commoriantur & conſepeliantur per baptiſmum; & tamen niſi hoc modo commortui & conſepulti ei fuerint, nec baptiſmus, nec mors Chriſti illis ſunt remedio.

Argumentum quod P. Nicolaï ex his verbis (*ſicut nihil efficaciæ paſſionis Chriſti deperit*) deſumit, ut probet gratiam ſufficientem dici poſſe efficacem, etſi effectus ex illâ non ſequatur propter non utentium negligentiam: iſtud, inquam, argumentum hoc loco non refello, ſed Sect. 4. art. 2. ubi de gratiæ ſufficientis & efficacis nomine & ſignificatione ſecundùm S. Thomam dicendum erit, & iis quæ Joan. Nicolaï 4. claſſe n. 1. hac de re habet, reſpondendum.

ARTICULUS VI.

In quo oſtenditur juxta S. Thomam Chriſtum nullam voluntatem habuiſſe ſalvandi omnes homines, ex quâ auxilium actuale ſufficiens omnibus commune aſtrui poſſit.

CUm juxta S. Thomam nulla ſit in Deo pro hominum ſalute voluntas, per quam gratiæ ſufficientes omnibus præparentur ac conferantur, ſic nec in Chriſto: ſiquidem nulli per Chriſtum ulla gratia confertur, niſi quam Pater dari vult, & Pater nullam niſi per Chriſtum dari vult. *Nemo* (inquit Joan. 6.) *poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et Joan. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi.* Et Joan. 6. *Omne quod dedit mihi Pater ad me veniet.* Et Eph. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Atque ut id evidentiùs pateat, exponendum eſt quotuplex ſit in Chriſto voluntas.

Notandum eſt duplicem in Chriſto, ſicut in Deo, pro hominum ſalute voluntatem, ſecundùm S. Thomam conſiderari poſſe, ut in Confutatione Theſium Patris Nicolaï n. 21. rectiſſimè expoſitum eſt. Alia eſt quam naturalem appellat, quæ, ut ait ſanctus ille Doctor in 3. diſt. 17. q. 1. art. 3. ad 4. quæſt. ad 2. *Eſt de eo quod habet in ſe bonitatem, non conſiderato ordine ejus ad aliud,* quâ non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid; ideóque velleitas potiùs quàm voluntas dicenda eſt: & hæc voluntas naturalis aliquem ſolùm in Chriſto patiente affectum denotat, quo omnium ſalutem vellet, ſi ita Patri

videretur, & quo mortem ſuam omnibus per fidei & charitatis gratiam & Sacramenta applicari vellet, ad peccatorum remiſſionem & æternæ vitæ conſecutionem, ac beneficia, quibus omnes homines certiſſimè liberarentur per ſanguinem ſuum, præparari & conferri optaret, ſi ſic eſſet placitum ante Patrem, & ad gloriam ejus quam quærebat conducens: ſeu, ut idem Sanctus ibidem docet, voluntas illa Chriſti naturalis, ſimilis eſt voluntati Dei antecedenti, per quam Chriſtus naturam hominis generaliter, ut eſt à Deo condita & ad ſalutem ordinata, conſiderans, vellet omnes homines ſalvari: ſed ſicut voluntas Dei antecedens nulla hominibus ad ſalutem media præparat, ac nullas gratias confert, ut antè oſtendimus, pariter hæc voluntas Chriſti naturalis, ſeu velleitas illa & affectus erga omnium hominum ſalutem, nulla eis ad ſalutem media efficienter meretur, ac nullas gratias confert; ſicut etiam illa naturalis Chriſti voluntas, quâ mortem recuſans petit ut calix iſte à ſe tranſeat, nulla ad paſſionem Crucis non ſubeundam media diſponit. Certiſſimum quippe eſt omnia beneficia quæ in quoslibet homines ex morte Chriſti profluxerunt, non fluxiſſe ex illâ voluntate naturali, quæ res in particulari, & quod Patri omnibus circumſtantiis conſideratis placitum eſt, non reſpicit; ſed ex aliâ voluntate, quæ eſt abſoluta & ſimpliciter dicta, ac abſolutæ Patris æterni voluntati, per quam omnes gratiæ decernuntur, conformis.

Eſt alia voluntas abſoluta & rationis, quâ abſolutè & ſimpliciter volumus: unde cùm ſimpliciter dicimur aliquid velle, de eâ voluntate id intelligendum eſt. Chriſtus autem per hanc voluntatem omnium omninò hominum ſalutem non voluit, nec omnium converſionem; proindeque per illam non comparavit illis media, ſeu auxilia ad ſalutem & converſionem neceſſaria; per hanc voluntatem nihil aliud ſimpliciter voluit, niſi quod ſcivit Deum ſimpliciter velle: proindeque cùm Deus non velit ſimpliciter omnibus omninò hominibus gratias ad ſalutem ſufficientes dari, ut oſtendimus, ita nec Chriſtus.

Hanc autem doctrinam ex S. Thomâ probare facillimum eſt. Nam certum eſt eamdem fuiſſe Chriſti voluntatem circa ſalutem hominum, cùm pro illorum ſalute oravit, & cum pro illorum ſalute paſſus eſt: imò verò magis in oratione voluntas oſtenditur, quàm in paſſione, cùm ea ſit ipſius orationis natura ex S. Thomâ, quòd ſit *interpretativa voluntatis humanæ*. Nihil autem certius apud Doctorem Angelicum, quàm Chriſtum, cùm pro hominum ſalute oravit, non voluiſſe (de voluntate ſimpliciter & abſolutè ſumtâ hîc loquor) ut per ſuam orationem omnes omninò ſalvarentur. Eadem igitur paſſionis ratio. Sed audiamus S. Tho-

Thomam 3. p. q. 21. art. 4. in quo probat orationem Chriſti ſemper fuiſſe exauditam. *Oratio eſt*, inquit, *quodammodo interpretativa voluntatis humanæ. Tunc ergo alicuius orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas adimpletur. Voluntas autem ſimpliciter hominis, eſt rationis voluntas. Hoc enim abſolutè volumus, quod ſecundùm deliberatam rationem volumus. Illud autem quod volumus ſecundùm motum ſenſualitatis, vel etiam ſecundùm motum voluntatis ſimplicis, quæ conſideratur ut natura, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid; ſcilicet ſi aliud non obſiſtat, quod per deliberationem rationis invenitur: unde talis voluntas magis eſt dicenda velleïtas, quàm abſoluta voluntas, quia ſcilicet homo hoc vellet, ſi alìud non obſiſteret. Secundùm autem voluntatem rationis Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod ſcivit Deum velle: & ideò omnis abſoluta voluntas Chriſti, etiam humana, fuit impleta; quia fuit Deo conformis: & per conſequens omnis ejus oratio fuit exaudita.*

Jam ſatis patet Chriſtum non voluiſſe, ſive cùm oravit, ſive cùm paſſus eſt, voluntate rationis & ſimpliciter dictâ, ut omnes omninò homines ſalvarentur; alioquin nullus ſalutis exſors eſſet, cùm ea Chriſti voluntas, ex S. Thomâ, ſemper impleta fuerit. Verùm id magis patebit ex eorum argumentorum ſolutione, quæ ſibi objicit ſanctus Doctor, ubi diſertè docet, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis oraſſe, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.

Primùm enim ſibi objicit, Chriſtum petiiſſe à ſe removeri calicem paſſionis, qui tamen ab eo tranſlatus non fuit; ſed reſpondet, quòd *Chriſtus hoc petiit quaſi homo, naturali voluntate mortem recuſans; & ideò non eſſe factum quod petiit, quia ratio quæ petitionem propoſuit, nolebat ut hoc impleretur: ſed ad inſtructionem noſtram volebat demonſtrare nobis ſuam voluntatem naturalem, & motum ſenſualitatis quem ſicut homo habebat.*

Deinde ſibi opponit, quod magis ad rem facit, *Chriſtum oraſſe ut peccatum crucifixoribus ſuis ignoſceretur; neque tamen omnibus peccatum illud fuiſſe dimiſſum: Itemque Chriſtum oraſſe pro his qui erant in ipſum credituri, ut omnes in eo unum eſſent, & ut pervenirent ad hoc quod eſſent cum ipſo; neque tamen omnes ad hoc pervenire: Non ergo omnem Chriſti orationem fuiſſe exauditam.*

Quid verò ad hæc S. Doctor? An Chriſtum oraſſe quidem pro omnibus crucifixoribus, ſed per multos ſtetiſſe quominùs peccatum ſibi dimitteretur? Oraſſe pro omnium ſalute qui erant credituri, ſed per multos ſtare quominùs ſalventur? Id profectò reſpondere debuiſſet, ſi exiſtimaſſet, abſolutè & ſimpliciter loquendo, Chriſtum pati voluiſſe, ac proinde, quod minùs eſt, oraſſe ne ulli hominum perirent. Quia verò ab illâ Moliniſticâ opinione omninò alienus fuit, ideò illam breviter his verbis elidit: *Dicendum*, inquit, *quòd Do-*

minus non oravit pro omnibus Crucifixeribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum; ſed pro his qui erant prædeſtinati, ut per ipſum vitam conſequerentur æternam.

S. Thomas idem omninò docuerat in Sentent. in 3. diſt. 17. q. 1. art. 3. ad 4. quæſt. *Dicendum*, inquit, *quòd omnis oratio quam Chriſtus obtulit hâc intentione ut ipſam impetraret, fuit exaudita: ſed cùm aliquis impetrare non intendat quod abſolutè non vult, hæc ſola oratio Chriſti exaudita fuit, quæ erat de eo quod Chriſtus abſolutè voluit. Hoc autem dicitur aliquis ſimpliciter & abſolutè velle, in quo ultimus ejus conſenſus ſtat; ultimus autem conſenſus eſt ſecundum ſupremam partem appetitus in homine. Appetitus autem rationis eſt ſupra appetitum ſenſus, & in appetitu rationis eſt ſupremum quod in finem tendit, vel in aliquod conjunctum fini. Et ideò hoc ſolum Chriſtus abſolutè voluit, quod ſecundùm rationem voluit in finem, & ut in ordine ad finem: & omnis talis ſua oratio fuit exaudita. Quod autem ſecundùm ſenſualitatem voluit, abſolutè non voluit, & ideò ratio non ad hoc orando propoſuit ut impetraret: nec tamen fuit ſimulatio, quia appetitum ſenſualitatis exprimebat ratione jam dictâ. Similiter quod volebat ratio ut natura, ſi in eo non ſicut in fine quieſcebat, non ſimpliciter volebat, ut priùs dictum eſt; & ideò etiam hæc non ad hoc propoſuit orando ut impetraret: propter hoc hujuſmodi orationes non fuerunt exauditæ.*

Hæc autem argumenta proponit ſicut in Summâ. *Ulteriùs videtur quòd non omnis Chriſti oratio fuit exaudita, per id quod dicitur in Pſal. 21. Clamabo per diem, & non exaudies: quod gloſſa exponit de Chriſto.*

2. *Præterea oravit ut diſcipuli ſervarentur à malo, ut patet Joan. 17. & omnes qui credituri erant per verbum eorum in ipſum: hoc autem non fuit impletum, nec quantum ad ipſos Apoſtolos, nec quantùm ad alios credentes: nec de malo culpæ, nec de malo pœnæ: ergo non omnis Chriſti oratio fuit exaudita.*

3. *Prætereà ut dicitur Lucæ 23. oravit pro crucifixoribus ut peccatum eis non imputaretur, ſed ut parcerentur. Sed non omnibus remiſſum fuit illud peccatum, quia non omnes converſi ſunt ad fidem, ſine quâ non eſt peccatorum remiſſio. Ergo ſua oratio non fuit exaudita.*

4. *Prætereà oravit ut calix ab eo transferretur, ut patet Matth. 26. Hoc autem non fuit factum. Ergo, &c.* His quatuor argumentis ſic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum quòd hoc dixit Chriſtus in perſonâ Eccleſiæ, ut dicit gloſſa: vel loquitur de oratione exprimente voluntatem ſenſualitatis, aut velleïtatem rationis ut natura.

Ad 2. dicendum, quòd voluntas rationis ut natura, eſt de eo quod habet in ſe bonitatem, non conſiderato ordine ejus ad aliud. Unde voluntas talis in Chriſto fuit de ſalute omnium hominum, ſicut voluntas fuit in Deo: ſed ſecundùm hanc, ſimpliciter & abſolutè non dicitur aliquis velle. Hanc autem voluntatem Hugo de ſancto Victore dicit voluntatem pietatis. Sed voluntas ut ratio, eſt de eo quod habet bonitatem, etiam in ordine ad aliud; & ſecundùm hanc voluntatem non volebat Chriſtus omnes ſalvari; ſicut nec Deus voluntate conſequente: & ſecundùm hanc dicitur aliquis ſimpliciter & abſolutè velle. Et ideò oratio Chriſti quæ fuit ſecundùm hanc voluntatem, fuit exaudita; non autem quæ fuit ſecundùm primam. Et ideò dicit Hieronymus, quòd Chriſtus exauditus eſt pro præ-

prædeſtinatis, non autem pro non prædeſtinatis.

Et ſimiliter dicendum eſt ad tertium.

Ad 4. dicendum, quòd in illâ oratione ratio expreſſit motum ſenſualitatis, non ſuum: unde illud quod orabat, non ſimpliciter voluit.

Denique S. Thomas idem docet in Paulum in hæc verba 3. ad Hebr. *Exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ. Sed contra*, inquit, *videtur quòd non fuit exauditus primò pro ſe, quia non tranſivit calix ab ipſo, quod tamen petebat. Item nec pro aliis, quia non fuit indultum Judæis quibus petebat indulgeri, Lucæ 23. Pater dimitte illis, &c. Dicendum eſt, quòd Chriſtus in omnibus quæ voluit fieri fuit exauditus; ipſe autem ſecundùm appetitum ſenſualitatis, & ſecundùm voluntatem, in quantùm eſt quidam appetitus naturalis, refugiebat mortem; & quantùm ad hoc orabat, ut oſtenderet ſe verum hominem: ſed voluntate conſequente rationem deliberatam volebat mori; unde dicit, Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Item nolebat quod ignoſceretur omnibus, ſed illis tantùm qui crediderunt, & multi poſteà converſi ſunt.*

Ergo cum dicitur, Chriſtum pro omnibus pati voluiſſe ne perirent, aut habuiſſe voluntatem pro omnium omninò ſalute, id juxta S. Thomam de abſolutâ, propriâ, rationali, deliberatâ & ſimpliciter dictâ voluntate intelligi non poteſt, cùm apertè doceat, Chriſtum non voluiſſe ſimpliciter ut alii quàm prædeſtinati vitam per ipſum conſequerentur æternam, etſi voluerit ſimpliciter & abſolutè, ut aliis quàm prædeſtinatis gratia conferretur: ſi quidem omnes gratiæ quæ hominibus, etiam reprobis, ad credendum & piè vivendum à Deo dantur, ſunt effectus mortis Chriſti, & ex ejus paſſionis merito proveniunt; quod negant Calviniſtæ, omnes gratias quæ reprobis dantur, ad Dei providentiam, non ad Chriſti paſſionem referentes, juxta nuperrimas Theſes Tiguri defenſas anno 1653. Ita enim habet Theſis 40. *Gratiæ illæ tranſitoriæ, quas vocant, providentiæ divinæ, non mortis Chriſti ſunt effecta.*

Ex his evidentiſſimè ſequitur, juxta S. Thomam, Chriſtum nullam voluntatem habuiſſe ſalvandi omnes homines, ex quâ gratia ſufficiens omnibus communis aſtrui poſſit: quia ex voluntate naturali quam habuit pro omnium ſalute, nulla ad ſalutem media profluunt, ac nullæ gratiæ præparantur: voluntatem verò ex quâ media & gratiæ ad ſalutem profluunt, quæ eſt abſoluta & rationis voluntas, pro omnium omninò hominum ſalute non habuit. Atque ita ex doctrinâ S. Thomæ Chriſtus per mortem ſuam, ſive quoad ſufficientiam pretii, ſive quoad ſufficientiam voluntatis & intentionis, ut loquitur P. Nicolai in Theſibus, conſideretur, omnibus omninò hominibus gratias actuales ſufficientes ad ſalutem actu non contulit.

SECTIO QUARTA.

In quâ refertur propria cauſæ ſufficientis, & gratiæ ſufficientis *apud S. Thomam ſignificatio; ac oſtenditur omnem actualem Chriſti gratiam ſemper eſſe efficacem, quantùm ad effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur; & exponuntur omnia S. Thomæ teſtimonia à Patre Nicolaï 4. claſſe allata.*

PAter Nicolaï 4. in claſſe ea S. Thomæ teſtimonia proponit, quibus probet omnem Chriſti gratiam non eſſe efficacem, hoc eſt, ſemper effectum actu non inducere, ob voluntatis reſiſtentiam, quæ eundem effectum impedit.

Verùm cùm nec ſtatum quæſtionis exponat, nec Arnaldi ſententiam fideliter referat, fruſtrà multa teſtimonia congerit, quibus confirmat quod nec ab Arnaldo, nec ab ullo alio S. Auguſtini diſcipulo in controverſiam revocatur.

Cùm ergo Arnaldus omnem interiorem Chriſti gratiam efficacem eſſe ſtatuit, id cum cæteris S. Auguſtini diſcipulis non alio, quàm communi Thomiſtarum omnium ſenſu intelligit; ſcilicet ſemper eſſe efficacem ad hunc actum, ad quem efficiendum ex abſoluta Dei voluntate & intentione deſtinatur, & ordinatur; quod non obſtat quin illi aliquando reſiſtatur reſpectu alterius effectus, ad quem ex naturâ ſuâ refertur, & quem ob voluntatis reſiſtentiam non conſequitur. Sic dicunt omnem Chriſti gratiam voluntati internam ſemper bonam aliquam voluntatem efficere, ſeu parvam, ſeu magnam: ſed ſæpè hominem per illam ad credendum, ad piè vivendum, & ad aliquod opus bonum faciendum excitari, qui reſiſtente peccati delectatione ad fidem perfectam, aut piam vitam non perducitur, nec iſtud opus bonum implet; & eo ſenſu interioris gratiæ motibus non ſolùm pugnando, ſed etiam diſſentiendo ſæpiſſimè reſiſti, & impedimentum poni. Vide id ab Ant. Arnaldo fusè explanatum in Scripto de Doctrinâ S. Thomæ art. 17. Hic quæſtionis ſtatus eſt. Arnaldo imponit P. Nicolaï, dum aliam in eo ſententiam impugnat, ac operam perdit, niſi hunc Arnaldi de gratiâ ſemper efficace ſenſum S. Thomæ auctoritate refellat. Hæc annotaſſe ſufficeret ad omnium quæ à Patre Nicolai quartâ claſſe dicuntur confutationem: ſed omnia S. Thomæ teſtimonia exponenda ſunt, & à perverſo iſtius Cenſoris ſenſu vindicanda.

Etſi autem doctrinam hanc de gratiâ Chriſti ſemper efficace ad eum effectum, ad quem ex Dei intentione ordinatur, S. Thomæ auctoritate confirmare non intendamus, quia id abundè

dè Arnaldus præſtitit; præcipuum tamen ejuſdem Sancti teſtimonium, quo eadem doctrina maximè nititur, à nobis referendum eſt: quia P. Nicolaï ejus vim aliquibus argumentis, ac multis aliis S. Thomæ teſtimoniis infringere tentavit. Primùm ergo expendemus quidquid P. Nicolaï ad hoc teſtimonium reſpondet. Deinde exponemus omnia teſtimonia quibus probare conatur gratiam Dei ſemper efficacem non eſſe. Sed priùs S. Thomæ circa gratiæ ſufficientis & efficacis nomen & ſignificationem doctrinam referenda eſt, & à novis Patris Nicolaï cavillationibus vindicanda, cùm ille hujus quartæ claſſis exordium ab hoc argumento duxerit.

ARTICULUS I.

In quo refertur propria apud S. Thomam hujus vocis ſufficiens *ſignificatio, ſive de gratiâ, ſive de quâcumque aliâ re ſermo ſit.*

JUxta perpetuam & conſtantem S. Thomæ doctrinam, ſive de gratiâ, ſive de quâcumque aliâ re ſermo ſit, illud ſufficiens ad aliquid vel habendum vel agendum dicitur, præter quod nihil aliud ad hoc vel habendum vel agendum requiritur, vel cui nullam aliam virtutem addi neceſſe eſt: dividiturque in id quod eſt ſufficiens ſimpliciter & abſolutè, & in id quod eſt ſufficiens in certo genere tantùm.

Sufficiens ſimpliciter & abſolutè, ad aliquid vel habendum, vel agendum, eſt id præter quod nihil omninò aliud requiritur ad illud vel habendum vel agendum. Sic gladius perſecutoris dicitur cauſa ſufficiens mortis, & caro per generationem propagata, dicitur cauſa ſufficiens peccati originalis.

Sufficiens autem in certo genere eſt, id præter quod nihil aliud ex iſto genere requiritur ad id cujus reſpectu dicitur ſufficiens, etſi aliud requiratur, in alio ſcilicet genere: ſic lumen dicitur ſufficiens ad videndum, quia ad videndum nihil aliud in iſto genere requiritur, etſi præterea alia requirantur, puta ſanitas oculorum. Id vide in Antonii Arnaldi Diſſertatione fusè expoſitum 3. p. art. 8. & 9.

Sic ſemper ſufficientis nomen apud S. Thomam uſurpari pro eo, præter quod nihil aliud ad aliquid requiritur, & cui nullam aliam virtutem addi neceſſe eſt, facilè poteſt infinitis teſtimoniis & exemplis confirmari. Primò referemus quæ dicit generaliter de causâ ſufficiente ad aliquid: deinde quæ dicit de gratiâ habituali ſufficiente: denique quæ dicit de gratiâ actuali ſufficiente.

Cauſa ſufficiens ad aliquid.

IN qq. diſp. de ſpiritualibus creaturis quæſt. unicâ art. 10. in 16.

Poſitâ cauſâ SUFFICIENTI, inquit, *ſuperfluum eſt aliam cauſam ponere ad eundem effectum.* Id velut conſtans axioma in argumento proponit, & in reſponſione concedit.

Qq. diſp. de verit. q. 27. quæ eſt de gratia art. 5. in quo quærit, *Num in uno homine ſit una tantùm gratia gratum faciens*: in argum. Sed contra: *Ubi* SUFFICIT *unum*, inquit, *ſuperfluum eſt ponere plura.* Et in c. *Illud quod ponitur* SUFFICIENTER *ordinare ad aliquid unum, oportet eſſe unum tantùm; quia ſi multa eſſent, neutrum eorum ſufficeret, vel alterum ſuperflueret.* Et 2.2. q. 188. art. 8. in c. *Hoc eſt per ſe* SUFFICIENS, *cui nihil deeſt.*

Hoc pronunciatum variis ubique exemplis confirmat. Dicit qq. diſp. de potentiâ q. 6. quæ eſt de miraculis, art. 9. ad 19. *Fidem non eſſe* SUFFICIENTEM *cauſam ad miracula facienda, ſed diſpoſitionem quamdam*: quia nempe ad hæc facienda aliud requiritur, *ordo* ſcilicet *divinæ providentiæ, quæ hominibus congrua remedia, pro variis cauſis diverſimodè diſpenſat.*

Qq. diſp. de malo q. 4. quæ eſt de peccato originali, art. 1. ad 3. dicit *carnem per generationem propagatam non eſſe* SUFFICIENTEM *cauſam peccati actualis*, quia ſcilicet ad illud voluntas requiritur; *ſed peccati originalis eſſe* SUFFICIENTEM *cauſam*, quia ſcilicet ad illud contrahendum aliud non requiritur.

Qq. diſp. de correctione fraternâ quæſt. unicâ art. 1. ad 13. dicit *admonitionem fraternam non eſſe* SUFFICIENTEM *ad emendationem*, quia præter illam auxilium divinum requiritur. Sic & in Summâ 1. 2. q. 109. art. 8. ad 2. dicit correctionem eſſe neceſſariam ad emendationem, ſed non eſſe ſufficientem ſine Dei auxilio: *Ideò ergo*, inquit, *neceſſaria eſt correptio, quia voluntas hominis requiritur ad hoc quòd à peccato abſtineat: ſed tamen correptio non eſt* SUFFICIENS *ſine Dei auxilio. Unde Eccleſ. 7. Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.*

1. p. q. 14. art. 11. in c. dicit *eſſentiam divinam eſſe principium* SUFFICIENS *cognoſcendi omnia quæ per ipſum fiunt*, quia ſcilicet ad cognoſcenda omnia aliud non requiritur. Idem ſæpè repetit.

Quæſt. 39. art. 8. in c. dicit in Deo eſſe SUFFICIENTEM *virtutem ad operandum & cauſandum*, quia ſcilicet nulla alia virtute indiget.

Q. 46. art. 1. ad 9. dicit *Deum ab æterno eſſe* SUFFICIENTEM *cauſam mundi*, quia ſcilicet alterius virtute ad mundum creandum non indigebat.

Q. 105. art. 5. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd Deus* SUFFICIENTER *operatur in rebus ad modum primi agentis, nec propter hoc ſuperfluit operatio ſecundorum agentium.*

Q. 60. art. 2. in c. dicit *Angelorum naturam non eſſe principium* SUFFICIENS *ad hæc quæ ſunt ſupra naturam*, quia ſcilicet alia virtus præter naturalem requiritur.

2. 2. q. 115. art. 2. *Ad 1. dicendum*, inquit, *quòd auctoritates illæ loquuntur de adulatore qui laudat*

laudat peccatum alicujus. Talis enim adulatio dicitur plus nocere quàm gladius perſecutoris; quia in potioribus bonis nocet, ſcilicet in ſpiritalibus, non autem nocet ita efficaciter; quia gladius perſecutoris occidit effectivè, quaſi SUFFICIENS *cauſa mortis; nullus autem adulando poteſt eſſe alteri* SUFFICIENS *cauſa peccandi, ut ex ſupra dictis patet.* Et ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd ratio illa procedit de eo qui adulatur intentione nocendi. Ille enim plus nocet ſibi quàm aliis, quia ſibi nocet tanquàm* SUFFICIENS *cauſa peccandi, aliis autem occaſionaliter tantùm.*

Hoc loco cauſa *ſufficiens* mortis ea eſt quæ occidit effectivè, & adulatio dicitur *ſufficiens* cauſa peccandi reſpectu adulantis, quia per eam ipſe peccat; reſpectu autem aliorum dicitur non eſſe cauſa *ſufficiens* peccati, ſed occaſio tantùm; quia ex illa ſæpè aliorum peccatum non ſequitur, licet det peccandi occaſionem.

Q.178. art. 1. in c. *Spiritus ſanctus*, inquit, SUFFICIENTER *providet Eccleſiæ in his quæ ſunt utilia ad ſalutem, ad quod ordinantur gratiæ gratis datæ*, hoc eſt, actu providet Eccleſiæ per operationem miraculorum, quantùm requiritur in his quæ ad ſalutem utilia ſunt. Ibid. ad 3. *Illi qui jam perfecti ſunt, ſpiritu Dei* SUFFICIENTER *aguntur, ut non indigeant actu aliis obedire*, hoc eſt, à Deo aguntur, quantùm neceſſe eſt ad ſuorum operum directionem.

3. p. q. 30. art. 4. ad 3. Argumentum ſufficiens idem eſt ac argumentum efficax, hoc eſt habens plenam vim ad probandum. *Ideò*, inquit, *conceptus Eliſabeth ſterilis inducitur, non quaſi* SUFFICIENS *argumentum, ſed quaſi quoddam figurale exemplum, & ideò ad confirmationem hujus exempli ſubditur argumentum* EFFICAX *ex omnipotentiâ divinâ.*

Eadem 3. p. q. 47. art. 1. in c. Perſecutores Chriſti dicuntur cauſam *ſufficientem* mortis Chriſto intuliſſe, quia ex illâ causâ eſt mors ſubſecuta. *Reſpondeo*, inquit, *dicendum, quòd aliquid poteſt eſſe cauſa alicujus effectus dupliciter; uno modo directè ad illud agendo, & hoc modo perſecutores Chriſti eum occiderunt, quaſi* SUFFICIENTEM *cauſam mortis ei intulerunt, cum intentione occidendi ipſum, & effectu ſubſequente; quia ſcilicet ex illâ causâ mors eſt ſubſecuta.*

Non oſtendo hîc S. Thomam, cùm de paſſione Chriſti loquitur ut causâ remiſſionis peccatorum, eodem ſenſu uſurpaſſe has voces, *cauſa ſufficiens remiſſionis peccatorum; virtus ſufficiens ad omnes homines redimendos & ad delenda omnium peccata; ſufficienter; ſufficientia*, in quantùm ſcilicet eſt in paſſione tanta virtus, quanta requiritur ad delenda omnium hominum peccata: id, inquam, non oſtendo, quia id ſatis patet ex dictis Sect. 3. art. 5. & præterea articulo ſequente in Patris Nicolai confutatione accuratè exponetur.

Gratia habitualis ſufficiens.

NEc aliter S. Thomas loquitur, aliove ſenſu gratiæ ſufficientis nomen uſurpat, cùm de gratiâ ſeu habituali ſeu actuali loquitur.

1. 2. q. 114. art. 3. ad 3. dicit Spiritum Sanctum, qui per gratiam inhabitat hominem, eſſe ſufficientem cauſam vitæ æternæ; quia ſcilicet ad vitam æternam conſequendam non requiritur alia virtus, quàm Spiritus Sancti per gratiam inhabitantis: ſeu quia gratia habitualis eſt æqualis gloriæ in virtute. *Dicendum*, inquit, *quòd gratia Spiritus Sancti quam in præſenti habemus, etſi non ſit æqualis gloriæ in actu, eſt tamen æqualis in virtute, ſicut ſemen arborum in quo eſt virtus ad totam arborem: & ſimiliter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui eſt* SUFFICIENS *cauſa vitæ æternæ, unde & dicitur eſſe pignus hereditatis noſtræ 2. Cor. 1.* Sic & qq. diſp. de veritate q. 6. art. 4. in 3. arg. dicit gratiam habitualem, *quantùm eſt de ſe, ſufficienter diſponere ad gloriam.*

Quæret fortè aliquis, cur cùm juxta S. Thomam, gratia habitualis ſit diſpoſitio ſufficiens ad gloriam, & cauſa ſufficiens gloriæ, cur, inquam, in quocumque invenitur gratia, non inveniatur & gloria, ſicut juxta S. Thomam, in quocumque eſt præparatio ſufficiens ad gratiam habitualem, invenitur gratia habitualis, ut dicemus infra?

Hoc ipſum ſibi objicit S. Thomas qq. diſ. de verit. q. 6. quæ eſt de prædeſtinatione art. 4. arg. 2. *Sicut*, inquit, *diſpoſitio naturalium bonorum eſt præparatio ad gratiam; ita per gratiam præparamur ad gloriam: ſed in quocumque eſt præparatio* SUFFICIENS *ex naturalibus bonis, eſt invenire gratiam: ergo & in quocumque eſt invenire gratiam, erit invenire gloriam.* (Obiter nota præparationem ex naturalibus bonis eam hîc vocari, quæ fit per pium conatum voluntatis, nondum habitu ſupernaturali inſtructæ, etſi auxilio Dei intùs moventis adjutæ.) Huic argumento ſic reſpondet.

℟ *Ad 2. dicendum, quòd nulla præparatio diſponit aliquid ad habendam aliquam perfectionem, niſi ſuo tempore; ſicut naturalis complexio diſponit puerum ad hoc quod ſit fortis vel ſapiens, non quidem tempore pueritiæ, ſed tempore perfectæ ætatis: tempus autem habendi gratiam eſt ſimul cum tempore præparationis naturæ; unde non poteſt inter utrumque aliquod impedimentum intercedere; & ſic in quocumque invenitur præparatio naturæ, invenitur & gratia: ſed tempus habendi gloriam non eſt ſimul cum tempore gratiæ; unde inter utrumque poteſt impedimentum intercedere, & propter hoc non eſt neceſſarium, quod præſcitus qui habet gratiam, ſit habiturus gloriam.*

Deinde hoc 3. argumentum proponit. *Præterea ſi aliquis habens gratiam non ſit habiturus gloriam, aut hoc erit propter defectum gratiæ, aut propter defectum dantis gloriam: non*

non eſt autem ex defectu gratiæ quæ, quantùm eſt in ſe, SUFFICIENTER *diſponit ad gloriam, nec ex defectu dantis gloriam, qui, quantum eſt in ſe, paratus eſt omnibus dare.* Cui argumento ſic reſpondet.

Ad 3. dicendum, quòd non eſt neque ex defectu gratiæ, neque ex defectu dantis gloriam, quod habens gratiam gloriâ privetur, ſed ex defectu recipientis in quo impedimentum intervenit.

Hæc ſunt quæ habet S. Thomas de ſufficientiâ gratiæ habitualis ad vitam æternam. Jam referenda ſunt quæ docet de ejus ſufficientiâ ad merendum, ad perſeverandum, ad operandum bonum, & ad non peccandum.

1. p. q. 62. art. 4. in c. dicit liberum arbitrium non eſſe ſufficientem cauſam meriti; quia ſcilicet præter liberum arbitrium gratia habitualis ad merendum requiritur, nec actus liberi arbitrii meritorius eſt, niſi in quantum eſt gratiâ informatus. *Liberum arbitrium*, inquit, *non eſt ſufficiens cauſa meriti; unde actus non poteſt eſſe meritorius ſecundùm quod eſt à libero arbitrio, niſi in quantùm eſt gratiâ informatus.*

3. p. q. 27. art. 4. ad 1. dicit quòd gratia ſanctificationis non ſufficiebat in Virgine, ad hoc ut fomes peccati, ante Chriſti conceptionem ligatus, non prorumperet in actum inordinatum, licet ad hoc operaretur; quia ſcilicet prætereà requirebatur ſpecialis providentia Dei, non permittentis ne aliquis motus inordinatus proveniret. *Dicendum ergo*, inquit, *quòd in beatâ Virgine poſt ſanctificationem in utero, remanſit quidem fomes peccati, ſed ligatus: ne ſcilicet prorumperet in aliquem motum inordinatum, qui rationem præveniret. Et licet ad hoc operaretur gratia ſanctificationis, non tamen ad hoc* SUFFICIEBAT; *alioquin virtute illius gratiæ hoc ei fuiſſet præſtitum, ut nullus motus poſſet eſſe in ſenſualitate ejus, niſi ratione præventus: & ſic fomitem non habuiſſet, quod eſt contra ſupra dicta. Unde oportet dicere quod complementum illius ligationis fuit ex divinâ providentiâ, quæ non permittebat aliquem motum inordinatum ex fomite provenire.*

Certè eodem modo dici debet gratiam ſanctificationis in ſanctis non eſſe ſufficientem ad hoc, ut in eis motus inordinati non inſurgant, ſeu ut abſtineant à peccatis; quia virtute gratiæ ſanctificantis hoc eis non præſtatur: ſed prætereà requiritur ſpecialis protectio & auxilium Dei moventis, ut docet 1. 2. q. 109. art. 1. & 9.

Lib. 3. contra gentes c. 155. dicit nec liberum arbitrium, nec gratiam habitualem ſufficere ad perſeverandum in bono, quia prætereà requiritur auxilium gratiæ actualis, quod qui habet gratiam à Deo petit, ut in bono perſeveret. *Sciendum tamen eſt*, inquit, *quod cùm ille qui gratiam habet, petat à Deo ut perſeveret in bono; ſicut liberum arbitrium non* SUFFICIT *ad iſtum effectum, qui eſt perſeverare in bono, ſine exteriori Dei auxilio, ita nec ad hoc* SUFFI-

cit *aliquis habitus nobis infuſus.*

Item 2. 2. q. 137. art. 4. in 1. arg. *Ergo*, inquit, *ſola inclinatio virtutis* SUFFICIT *ad perſeverandum: non ergo ad hoc requiritur aliquod auxilium gratiæ.* Concludit in hoc argumento, non requiri auxilium actuale ad perſeverandum, quia habituale ſufficit ad perſeverandum: atque iſtam conſequentiam admittendo, reſpondet habitualem gratiam non ſufficere, ſed aliam requiri; quia cùm habitus ſit quo quis utitur cum voluerit, voluntas poteſt eo non uti uſque ad mortem. *Ad 1. ergo dicendum*, inquit, *quòd virtus perſeverantiæ, quantùm eſt de ſe, inclinat ad perſeverantiam; quia tamen habitus eſt quo quis utitur cùm voluerit, non eſt neceſſarium quod habens habitum virtutis, immobiliter utatur eo uſque ad mortem.*

Notandum hìc eſt, quòd licet S. Thomas his in locis doceat gratiam habitualem non eſſe ſufficientem ſimpliciter, ſcilicet ad perſeverandum, quia ad perſeverandum aliud auxilium requiritur: tamen aliquando vocat eam, ſufficientem ad non peccandum, ad benè operandum, & ad perſeverandum; ſcilicet quantùm ad poſſe, *ſeu quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis*, ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. hoc eſt, in quantùm confert ſufficientiam, ſeu virtutem, potentiam & facultatem adæquatam in actu primo benè operandi. Nam ut ait ad Gal. lect. 6. *Spiritus ſanctus eſt in nobis per gratiam, per quem acquirimus habitum virtutum, & ex hoc* POTENTES *ſumus operari ſecundùm virtutem.* Et in 3. ad Epheſ. lect. 2. *Hujuſmodi autem auxilium duplex fuit, unum quidem ipſa* FACULTAS *exſequendi, aliud ipſa* OPERATIO SIVE ACTUALITAS. *Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem, & gratias per quas efficitur homo* POTENS *& aptus ad operandum. Sed ipſam operationem confert, in quantùm operatur in nobis, interiùs movendo & inſtigando ad bonum.*

Item qq. diſp. de verit. q. 27. quæ eſt de gratia art. 5. ad 1. *Gratia habitualis cooperans dicitur, ſecundùm quod inclinat ad actum intrinſecum & extrinſecum, & ſecundùm quod præſtat* FACULTATEM *perſeverandi uſque ad finem.* Hoc eodem ſenſu Conradus Koëllin in 1. 2. q. 109. art. 9. dicit gratiam habitualem eſſe ſufficientem ad operandum per modum actus primi: ejus teſtimonium retulimus Sect. 1. art. 7.

Vel gratia habitualis dicitur ſufficiens ad operandum, non quidem abſolutè & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, ſeu in certo genere, ſicut anteà expoſuimus; ſcilicet in genere principii habitualis: ſicut panis dicitur ſufficiens ad conſervationem vitæ in certo genere, hoc eſt in genere cibi; quia, ut docet S. Thomas qq. diſp. de verit. q. 27. quæ eſt de gratia art. 5. in c. *Una gratia habitualis* SUFFICIT *in uno homine, cùm per unam* SUFFICIENTER *ordinetur in vitam æternam.* Et, ut ait 1. 2. q. 109. art. 9. *Homo in gratiâ exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ,*

quaſi

quaſi aliquo alio habitu infuſo. Hoc ſenſu dicit art. 5. mox citato ex qq. diſp. ad 16. gratiam habitualem, quam parvuli acceperunt in baptiſmo, fore ſufficientem cooperari libero arbitrio, quando ipſius uſum habere poterunt. *Dicendum*, inquit, *quòd in parvulis, etſi non ſit gratia cooperans in actu, eſt tamen cooperans in virtute. Illa enim gratia cooperans quam acceperunt*, SUFFICIENS *erit cooperari libero arbitrio, quando ipſius uſum habere poterunt.* Sed non ſic erit ſufficiens cooperari eorum libero arbitrio, ut ad ejus uſum alio Dei moventis auxilio non indigeant. Si quidem ut ibidem ait ad 3. *Quantumcumque homo habeat habitum gratiæ, ſemper tamen indiget divinâ operatione, quâ in nobis operatur modis prædictis*, (ſcilicet quantùm ad actum interiorem volendi, & exteriorem, & reſiſtentiam quâ reſiſtimus peccato, & perſeverantiam) *& hoc propter infirmitatem noſtræ naturæ, & multitudinem impedimentorum*, &c. Unde concludit, quod ideò habens gratiam, neceſſe habet petere divinum auxilium. Itaque gratiam habitualem dicit eſſe ſufficientem cooperari libero arbitrio, quia ſcilicet una ad hoc ſufficit in ſuo genere ſine ullo alio habitu infuſo. Oſtendimus Sect. 1. art. 7. hoc ſenſu gratiam habitualem à S. Thomâ ſufficientem dici, cùm docet *legem novam, quantùm de ſe eſt, dare auxilium* SUFFICIENS *ad non peccandum*, nec aliam gratiam quàm habitualem his verbis deſignari. Silvius in 1. 2. q. 106. art. 2. docet gratiam habitualem eſſe ſufficientem hoc eodem ſenſu, ſcilicet ſecundùm quid, ſeu in certo genere : ejus teſtimonium retulimus Sect. 1. art. 7.

Ex quibus paret, juxta S. Thomæ doctrinam, gratiam ſufficientem juſtis omnibus communem, per quam ſemper ſunt etiam adæquatè potentes ad volendum & operandum quod bonum eſt, ad merendum, ad peccatum vitandum, ad reſiſtendum tentationibus, ad mandata implenda & ad perſeverandum in juſtitiâ, eſſe propriè gratiam habitualem : gratia verò actualis Dei interiùs moventis, illis actualitatem & operationem confert, ſeu ad volendum voluntate parvâ, ſeu ad volendum voluntate magnâ, ac operandum efficaciter quod volunt : & tamen per hanc motionem etiam poſſunt, & ſine eâ non poſſunt velle & operari quod bonum eſt, & in juſtitiâ perſeverare, juxta eumdem S. Thomam 1. 2. q. 109. art. 1. 9. & 10. ut fusè oſtendit Arnaldus in ſuo Scripto De doctrinâ S. Thomæ art. 6. non quidem in quantùm poſſe ſignificat facultatem & potentiam adæquatam in actu primo, ſed in quantùm complectitur omnia ad volendum ſeu operandum neceſſaria, inter quæ eſt motio Dei actualis : ſicut oculus ſine lumine videre non poſſe dicitur, in quantum lumen requiritur ad videndum, etſi ſine lumine in oculo ſano ſit facultas ac potentia videndi in actu primo adæquata. Nam, juxta S. Thomam, neceſſarium ſimplici-

ter ad aliquid definitur, illud ſine quo aliquid eſſe vel fieri non poteſt, ut fusè oſtenſum eſt in Libro Defenſionis Conſtitutionis Innocentii X. & fidei Eccleſiæ parte 1. c. 9. Hæc eſt certa doctrina & S. Thomæ & veterum omnium Thomiſtarum, Braduardini de Cauſa Dei l. 2. c. 5. Gregorii Ariminenſis in 2. Sent. diſt. 28. quæſt. 2. art. 2. Joannis Capreoli in 2. Sent. diſt. 28. quæſt. 2. art. 3. Conradi Koëllin in 1. 2. qu. 109. art. 9. & 10. Cardinalis Cajetani in Matth. c. 26. & in 1. 2. quæſt. 109. art. 8. & 10. Franciſci Ferrarienſis in 3. contra gentiles c. 155. & celeberrimorum è recentibus, Eſtii in 2. Sent. diſt. 26. §. 1. 41. 43. Silvii in 1. 2. quæſt. 109. art. 4. pag. 723. Doctorum Lovanienſium in Juſtificatione Cenſuræ pag. 129. & 131. ac Duacenſium in Cenſura Aſſert. 14.

Gratia actualis ſufficiens.

IN qq. diſp. de verit. quæſt. 27. quæ eſt de gratia art. 3. ad 12. dicit, auditum non eſſe cauſam ſufficientem fidei, quia præter auditum requiritur gratia interior Dei facientis credere. *Dicendum*, inquit, *quòd auditus non eſt cauſa* SUFFICIENS *fidei; quod patet ex hoc quòd multi audiunt qui non credunt; ſed cauſa fidei* (ſufficiens nempè ſimul & efficax) *eſt ille qui facit credentem aſſentire his quæ dicuntur.*

Item 2. 2. q. 6. art. 1. in c. *Quantùm verò ad* 2. inquit, *ſcilicet ad aſſenſum hominis in ea quæ ſunt fidei, poteſt conſiderari duplex cauſa; una quidem exteriùs inducens, ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad fidem, quorum neutrum eſt* SUFFICIENS *cauſa. Videntium enim unum & idem miraculum, & audientium eamdem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt: & ideò oportet ponere aliam cauſam interiorem* (ſufficientem nempè ſimul & efficacem) *quæ movet hominem interiùs ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei.*

Item in 12. ad Rom. lect. 2. *Hoc autem* (ſcilicet, *Sed non omnes obediunt Evangelio*) *Apoſtolus dicit, ut oſtendatur quòd verbum exteriùs loquentis non eſt cauſa* SUFFICIENS *fidei, niſi cor hominis attrahatur interiùs virtute Dei loquentis: Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

S. Thomæ ratiocinatio his locis contenta ſupponit aliquam cauſam non eſſe ſufficientem ad credendum, quam effectus non ſequitur, & quâ poſitâ nondum creditur; & eam ſolam eſſe ſufficientem ad credendum, quam effectus ſequitur, & quâ poſitâ creditur: ſiquidem ideò prædicatio verbi, ſeu auditus, ac miracula non ſunt cauſa ſufficiens fidei; quia ex audientibus & videntibus alii credunt, & alii non credunt. Hinc ſequitur cauſam ſufficientem fidei illam ſolùm eſſe, per quam omnes, quibus adeſt illa cauſa, credunt: atque ita illa gratia interior, cum quâ aliqui credunt & aliqui non credunt, qualis eſt Moliniana, non eſt juxta S. Thomam cauſa ſufficiens fidei, ſicut nec auditus; &

& illa ſola gratia interior eſt cauſa ſufficiens fidei, quæ efficax eſt ad credendum, ſeu quæ facit credere, & de quâ dicitur Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

1. p. q. 105. art. 3. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd verbum illud Apoſtoli* (*ſcilicet, Non eſt volentis neque currentis*) *non ſic eſt intelligendum, quaſi homo non velit & non currat libero arbitrio, ſed quia liberum arbitrium ad hoc non eſt* SUFFICIENS, *niſi moveatur & juvetur à Deo*: hoc eſt, non habet quidquid requiritur ut velit & currat, niſi ad volendum & ad currendum à Deo moveatur & adjuvetur.

In 2. ad Cor. c. 12. lect. 3. in illud, *Sufficit tibi gratia mea. Et verè*, inquit, SUFFICIT *gratia Dei ad mala vitanda, ad bona facienda & ad vitam conſequendam æternam*: quia ſcilicet ad hæc omnia nihil aliud ex parte Dei, quàm ejus gratia requiritur.

Si id de gratiâ habituali intelligatur, dicenda eſt ſufficere in certo aliquo genere, hoc eſt in genere principii habitualis, ut antè oſtendimus. Hunc enim Apoſtoli locum, *Sufficit tibi gratia mea*, de gratia habituali vulgò exponit. 3. p. q. 7. art. 2. in arg. 2. & ad 2. *Videtur*, inquit, *quòd in Chriſto non fuerint virtutes. Chriſtus enim habuit abundantiam gratiæ: ſed gratia* SUFFICIT *ad omnia rectè agendum, ſecundum illud 2. ad Cor. 12.* SUFFICIT *tibi gratia mea: ergo in Chriſto non fuerunt virtutes.* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum quòd gratia SUFFICIT *homini, quantùm ad omnia quibus ordinatur ad beatitudinem: horum tamen quædam perficit gratia* (ſcilicet habitualis) *immediatè per ſe ipſam, ſicut gratum facere Deo, & alia hujuſmodi; quædam autem mediantibus virtutibus, quæ ex gratiâ procedunt.*

Item eadem 3. p. q. 61. art. 1. in 2. argumento. 2. ad Cor. 12. *Apoſtolo dicitur*, SUFFICIT *tibi gratia mea: non autem* SUFFICERET, *ſi Sacramenta eſſent neceſſaria ad ſalutem: non ſunt ergo Sacramenta ſaluti humanæ neceſſaria.* Sic reſpondet.

Dicendum quòd gratia Dei eſt SUFFICIENS *cauſa humanæ ſalutis: ſed Deus dat hominibus gratiam ſecundùm modum eis convenientem, & idèò neceſſaria ſunt hominibus Sacramenta ad gratiam conſequendam* (ſcilicet habitualem.)

Item & qq. diſp. de verit. q. 27. art. 5. in arg. Sed contra; probat ex hoc Apoſtoli teſtimonio, *Sufficit tibi gratia mea*, unam gratiam gratum facientem ſufficere homini ad ſalutem.

Eadem 3. p. q. 7. art. 10. ad 1. & 2. gratiam ſufficientem longè diverſo ſenſu à vulgari exponit. Dicit enim eam gratiam eſſe ſufficientem ad aliquem ſtatum, quæ eſt tanta, quanta requiritur ad illum ſtatum, ad quem quis à Deo eſt electus. Sic beatam Virginem habuiſſe gratiam ſufficientem ad eum ſtatum ad quem erat à Deo electa, ut eſſet ſcilicet mater Dei; B. Stephanum habuiſſe gratiam ſufficientem,

tem, ut eſſet idoneus miniſter & teſtis Dei, ad quod erat electus; denique omnes ſanctos habere gratiam ſufficientem ad merendum vitam æternam, ad quam ſunt à Deo præordinati. Atque ita juxta hanc doctrinam gratia ſufficiens illa eſt propriè, quæ eſt condigna & adæquata in comparatione ad id ad quod aliquis eſt à Deo electus & præordinatus, ſeu illud ſit commune ſanctis omnibus ad vitam æternam præordinatis, ſeu ſpeciale ſit & ad aliquorum excellentiam pertinens: hæc ejus verba ſunt.

Ad 1. ergo dicendum, quòd beata Virgo dicta eſt plena gratiâ, non ex parte ipſius gratiæ, quia non habuit gratiam in ſummâ excellentiâ quâ poteſt haberi, nec ad omnes effectus gratiæ; ſed dicitur fuiſſe plena gratiâ per comparationem ad ipſam; quia ſcilicet habebat gratiam SUFFICIENTEM *ad ſtatum illum ad quem erat electa à Deo, ut eſſet ſcilicet mater unigeniti ejus. Et ſimiliter Stephanus dicitur plenus gratiâ, quia habebat gratiam* SUFFICIENTEM *ad hoc quod eſſet idoneus miniſter & teſtis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum eſt de aliis. Harum tamen plenitudinum una eſt plenior alterâ, ſecundùm quod aliquis eſt divinitùs præordinatus ad altiorem vel inferiorem ſtatum.*

Ad 2. dicendum, quòd Apoſtolus ibi loquitur de illâ plenitudine gratiæ, quæ accipitur ex parte ſubjecti, in comparatione ad id ad quod homo eſt divinitùs præordinatus. Quod quidem eſt, vel aliquid commune ad quod præordinantur omnes ſancti, vel aliquid ſpeciale quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et ſecundum hoc quædam plenitudo gratiæ eſt omnibus ſanctis communis, ut ſcilicet habeant gratiam SUFFICIENTEM *ad merendum vitam æternam, quæ in plenâ Dei fruitione conſiſtit, & hanc plenitudinem optat Apoſtolus fidelibus quibus ſcribit.*

De motione ſufficienti hæc habet 1. p. q. 105. art. 4. *Poteſt voluntas moveri ſicut ab objecto à quocumque bono, non tamen* SUFFICIENTER ET EFFICACITER *niſi à Deo*: quia ſcilicet, ut ibidem docet, ſolus Deus eſt bonum univerſale: unde ipſe ſolus implet voluntatem, & ejus virtutem paſſivam adæquat: atque ita ſolus ſufficienter eam mover, ut objectum. Hoc loco pro eodem ſumit, movere ſufficienter & efficaciter voluntatem ut objectum; & hoc eſt, ſic movere voluntatem, quantùm ſufficit & requiritur, ut illa impleatur, & adæquetur ejus virtus paſſiva, quæ ſe extendit, non ad bonum aliquod particulare, ſed ad bonum univerſale. Dicit deinde, voluntatem moveri à Deo, non ſolùm ut ab objecto, ſed etiam ut ab eo qui dedit virtutem intelligendi: & hoc modo Deum movere voluntatem interiùs eàm inclinando. Nullum hîc diſcrimen affert inter movere ſufficienter, & movere efficaciter voluntatem, ſive per modum objecti, ſive dando illi virtutem, & interiùs eam inclinando; imò potiùs idem eſſe inſinuat.

In

In 1. ad Rom. lect. 6. *Primò*, inquit, *oſtendit quòd virtus Evangelicæ gratiæ eſt neceſſaria ad ſalutem. Secundò quod eſt* EFFICAX SIVE SUFFICIENS. Idem ergo eſt gratiam Evangelicam eſſe ſufficientem, & eſſe efficacem ad ſalutem.

Item voluntatem Dei eſſe cauſam ſufficientem & efficacem pro eodem ſumit in 9. ad Rom. lect. 4. *Cùm omnia*, inquit, *voluntati divinæ attribuantur*, *quæ eſt cauſa* SUFFICIENS, *eo quod nullus poteſt ei reſiſtere. Unde ſequitur: Voluntati ejus quis reſiſtit?* Voluntas autem Dei cauſa etiam efficax dicitur, quia nullus ei reſiſtit.

Qq. diſp. de verit. q. 6. quæ eſt de prædeſtinatione art. 4. in 2. & 4. arg. docet in eo in quo eſt præparatio ſufficiens ad gratiam habitualem, inveniri ſimul & gratiam habitualem. *In quocumque*, inquit in 2. arg. *eſt præparatio* SUFFICIENS *ex naturalibus bonis* (non tamen ſine auxilio Dei moventis, ut antè expoſuimus) *eſt invenire gratiam*, ſcilicet habitualem. Et in 4. *Quicumque præparat ſe* SUFFICIENTER *ad gratiam*, *habet gratiam*. Id reſpectu gratiæ habitualis verum eſſe concedit: *quia tempus habendi gratiam eſt ſimul cum tempore præparationis ad gratiam. Unde*, inquit, *non poteſt inter utrumque aliquod impedimentum intercedere: & ſic in quocumque invenitur præparatio naturæ* (ſcilicet ſufficiens) *invenitur & gratia*, ſcilicet habitualis. Atque ita quando talis eſt alicujus ad gratiam habitualem præparatio, ut major ad illam conſequendam requiratur iſta; præparatio, juxta S. Thomam, dicenda non eſt ſufficiens ad gratiam conſequendam; ſed dicenda eſt nondum ſufficiens, ſeu inſufficiens ad gratiam conſequendam; quia non ſufficit ad hoc quod ad gratiam habitualem perducat ac diſponat, licet ad illam conſequendam adjuvet, hoc eſt, licet operetur aliquid ad hoc quod perveniatur ad illam, ut docet 1. p. q. 98. art. 1. mox referendo.

Prætereà juxta hanc S. Thomæ doctrinam, quando talis eſt ad gratiam habitualem præparatio, ut homo illi conſequendæ aliquod impedimentum apponat, atque ita nondùm illam conſequatur, nondùm ſufficiens eſt ad gratiam conſequendam: quia, ut docet idem ſanctus, inter præparationem ſufficientem ad gratiam & gratiæ conſecutionem, nullum debet impedimentum intercedere. Cùm verò impedimentum, quod homo gratiæ apponit, non removeatur, niſi per divinam miſericordiam, & gratuitam ipſius gratiæ motionem, ut habet ſanctus ille Doctor in 12. ad Hebr. lect. 3. *Dicendum eſt*, inquit, *quòd hoc ipſum, quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratiâ procedit. Unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam*; & idem habet l. 3. contra gentes c. 161. ſicut Sect. 1. art. 1. & 2. fusè docuimus: cùm, inquam, impedimentum non removeatur niſi per gratiam Dei cor hominis moven-

 tis

tis ad removendum illud, hinc ſequitur quòd ut ſufficiens ſit per actualem Dei gratiam & motionem ad gratiam habitualem conſequendam præparatio, talis ac tanta eſſe debet, ut omne eidem gratiæ conſequendæ impedimentum ſuperet.

Quare cùm S. Thomas de variâ ad gratiam præparatione loquitur, numquam illam partitur in ſufficientem & efficacem: ſed dicit eſſe majorem vel minorem, prout ſcilicet Deus plus vel minùs voluntatem movet, diverſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſans. *Quæcumque*, inquit 1.2. q. 112. art. 2. *præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et hanc diſpoſitionem*, inquit 2.2. q. 24. art. 2. ad 1. *vel conatum ejus qui ſe ad gratiam præparat, prævenit Spiritus ſanctus movens mentem hominis vel plus vel minus ſecundùm ſuam voluntatem.* Et 1.2. q. 112. art. 4. *Qui magis ſe ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit: ſed ex hac parte non poteſt accipi prima ratio hujus diverſitatis; quia præparatio ad gratiam non eſt hominis, niſi in quantùm liberum arbitrium ejus præparatur à Deo: unde prima cauſa hujus diverſitatis accipienda eſt ex parte ipſius Dei, qui diverſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſat.*

Dicit præterea, aliam eſſe præparationem ad bonum perfectum, quam ſtatim conſequitur gratia habitualis; aliam ad bonum non perfectum, quam nondum conſequitur gratia habitualis. *Contingit autem quandoque* (inquit 1.2. q. 112. art. 2. ad 2.) *quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam; ſed quandoque ſtatim perfectè movet ipſum ad bonum, & jubitò gratiam homo accipit, ſecundùm illud Joan. 6. Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me.*

Et 1. p. q. 98. art. 1. in c. ſic explicat quid ſit bonum perfectum, & imperfectum. *Eſt enim aliquod bonum perfectum, & aliquod imperfectum: perfecta quidem bonitas eſt in his quæ ad finem ordinantur, quando aliquid eſt tale quod per ſe eſt* SUFFICIENS *inducere ad finem; imperfectum autem bonum eſt, quod operatur aliquid ad hoc quòd perveniatur ad finem, non tamen* SUFFICIT *ad hoc quod ad finem perducat: ſicut medicina perfectè bona eſt, quæ hominem ſanat; imperfecta autem eſt, quæ hominem adjuvat, ſed tamen ſanare non poteſt.* Itaque præparatio ſeu motio quæ talis eſt, ut perducat hominem ad finem, ſeu ad gratiam habitualem, eſt præparatio ſeu motio ad bonum perfectum: quæ autem talis eſt, ut quidem adjuvet ac diſponat, nondum tamen perducat ad finem, ſeu gratiam habitualem, eſt præparatio ſeu motio ad bonum imperfectum.

Concluſio hujus Articuli, in quâ breviter de diviſione gratiæ in ſufficientem & efficacem.

HIs de hujus vocis (*ſufficiens*) ſignificatione, ſive in his quæ ad gratiam, tum habitualem, tum

tum actualem pertinent, ſive in his quæ ad alia argumenta ſpectant, ex certâ S. Thomæ doctrinâ poſitis, concludendum eſt, juxta S. Thomam, gratiam actualem ad aliquid volendum aut operandum ſufficientem, eam propriè ac ſimpliciter dici, præter quam nulla alia ad illud volendum aut operandum requiritur. Ac proinde cum gratia efficax juxta eumdem S. Thomam, ea ſit quæ propriâ virtute conſenſum efficit, ac velle ſeu perficere operatur, atque hæc ad ſingulos pios actus neceſſaria ſit, agnoſcendum eſt juxta S. Thomam gratiam ſufficientem ad volendum, eam eſſe quæ eſt ad volendum efficax; ſimiliter gratiam ſufficientem ad operandum eam eſſe, quæ eſt ad operandum efficax; cùm ſola gratia quæ eſt ad volendum efficax, ea ſit, præter quam alia ad volendum non requiritur, & ſola gratia quæ eſt ad operandum efficax, ea ſit præter quam alia ad operandum non requiritur. Et hæc procul dubio ratio eſt, cur nunquam S. Thomas gratiam in ſufficientem & efficacem diviſerit, ſed solùm in operantem & cooperantem, in prævenientem & ſubſequentem, in excitantem & adjuvantem. Operans neceſſaria eſt ut incipiamus bonum velle, & ad illud ſufficiens eſt, quia nulla alia præter illam ad bonum velle requiritur: ad cooperandum autem, ſeu ad operandum efficaciter bonum quod volumus, eadem gratia operans, juxta S. Thomam, ſufficiens dici non poteſt, quia alia præter illam, ſcilicet cooperans, ad cooperandum requiritur. Nam, ut ait S. Thomas ex S. Auguſtino 1. 2. q. 111. art. 2. *Deus ut velimus operatur; cùm autem volumus, ut perficiamus nobis cooperatur.*

Id rectè à Doctoribus Lovanienſibus intellectum, qui SS. Auguſtini & Thomæ doctrinæ firmiſſimè adhærentes, & in eâ apprimè verſati, ſufficientis gratiæ nomen ſoli efficaci tribuunt, & quamcumque aliam ſufficere ac ſufficienter voluntatem præparare negant. *Dicimus* (inquiunt in Juſtificatione Cenſuræ c. 12.) *& hoc qualecumque ſubſidium, quod aliquando ſubminiſtrari dicitur iis qui neque credunt, neque convertuntur ad Dominum, non fuiſſe* SUFFICIENS *ad fidem aut converſionem: quippè gratia ad converſionem* SUFFICIENS *ipſa convertit; quæ verò non convertit*, NON SUFFICIT. Et paulò poſt: *Aliud autem eſt poſſe in quo tam magnæ inſunt vires per* SUFFICIENTEM *gratiæ præparationem, ut ſatis ſit ad agendum, per quam quidem gratiam non ſolum ipſum poſſe, verùm etiam agere adjuvatur.*

Et cap. 13. *Dicimus non eſſe gratiam* SUFFICIENTER *præparantem voluntatem, niſi quæ faciat ut velimus & conſentiamus. Quamdiu enim voluntas nondum ſic affecta eſt ut velit, ſed adhuc reſiſtit & contradicit, nondum* SUFFICIENTER *eſt à Domino præparata.* Hæc doctrina à totâ hâc celeberrimâ Facultate *nullo magiſtrorum ipſius contradicente*, ut dicitur in confirmatione

ejuſdem Cenſuræ, uniformiter hoc ſeculo tradita ac defenſa eſt.

Etſi autem S. Thomas nunquam gratiæ diviſionem in ſufficientem & efficacem tradiderit, eam tamen non rejicimus, modò abſit vocis abuſus, nec gratia ſufficiens, voluntati interna, vulgari ac Moliniano ſenſu ſumatur pro eâ, quæ cùm ex ſeipsâ efficax non ſit, tamen ſufficit ad piè volendum & operandum, & alterius gratiæ per ſe efficacis ad pios actus neceſſitatem excludit: ſed ſumatur, juxta Thomiſtarum ſenſum, pro gratiâ excitante ac præveniente, quæ quoad uſum libero arbitrio relicta & ſubjecta non eſt; præter quam alia per ſe efficax ad operandum ſemper requitur; quæ aliquam, parvam licet, voluntatem in nobis efficit; quæ aliquam voluntati ſufficientiam tribuit, ac verum poſſe ad operandum confert, etſi non proximum, non completum, non expeditum; quæ nos ad operandum diſponit, excitat, inclinat; cujus motibus aliquando reſiſtimus ac diſſentimus, illi non cooperando, quod provenit ex defectu voluntatis humanæ. Eam verò Thomiſtico ſenſu ſemper etiam efficacem eſſe dicimus, quia ſemper habet eum effectum ad quem ex Dei intentione & abſolutâ voluntate ordinatur, licet non ſemper habeat illum ad quem ex naturâ ſua refertur, ut in hujus Sectionis præfatione diximus, & articulis ſequentibus ampliùs exponemus. Si gratia ſufficiens prout ab efficaci diſtinguitur, hoc Thomiſtico ſenſu accipiatur, ut eadem ſit ac gratia excitans, præveniens, & operans, ſufficienſque dicatur in genere gratiæ excitantis, juxta ſenſum jam expoſitum, hanc Arnaldus, hanc cæteri omnes S. Auguſtini diſcipuli admittunt, ſcientes, *cùm res ipſa intelligitur, minùs laborandum eſſe*, ut ait S. Auguſtinus contra Creſconium l. 1. c. 13. *quid eam hominibus vocare placuerit.* Nec enim, cùm nullam gratiam ſufficientem hoc in naturæ corruptæ ſtatu dari aſſerunt, aliam intelligunt quàm Molinianam, ut vulgò ſumitur, libero arbitrio quoad uſum relictam, quæ gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus, aut ad aliquos neceſſitatem excludit. Vide id ab Arnaldo fuſiùs expoſitum in Diſſertatione, parte 3. art. 8. 9. 10. 11. & 12.

ARTICULUS II.

In quo refertur & confutatur quod dicit P. Nicolai de gratiæ ſufficientis & efficacis ſignificatione: efficaciæ paſſionis Chriſti cum efficaciâ gratiæ diſcrimen oſtenditur; & Patrem Nicolai non ſolùm à S. Thomâ, ſed etiam ab omnium Thomiſtarum, etiam recentium, ſententiâ omnino recedere demonſtratur.

Referenda jam ſunt Patris Nicolai verba circa gratiæ ſufficientis & efficacis explicationem, ut agnoſcatur quantùm, non

non ſolùm à S Thomæ doctrinâ, ſed etiam ab univerſæ illius Scholæ principiis aberret, & quàm funditus omnia illius circa gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem dogmata ad ſtabiliendum Moliniſmum evertat, ut rectè ac meritò doctiſſimi ex ordine Dominicanorum Theologi hoc uno lecto in Collegam ſuum excanduerint, ac totam ſuam Scholam per unum Joannem Nicolaï corruere exclamarint.

Verba Patris Nicolaï n. 1.

Hinc exordior verò, quod cæterorum fundamentum eſſe poſſit, & ad eorum ſenſum planiorem debeat præſupponi: nempe, utcunque ſufficiens gratia diſtinguatur ab efficaci penes uſum, quem neceſſitas contentionum introduxit, quaſi ſit ſufficiens *quæ ad actum diſponit, cùm* poſſe *dat;* efficax, *quæ inducit effectum; cùm* poſſe *illud actu complet; non ſic* efficax *tamen plano, expreſſo, certo ſenſu è S. Thomæ verbis, & ex modo loquendi quem uſurpat, uniformiter colligitur, quòd eo ipſo ad effectum pertingens intelligi debeat actu ſemper ac reipſa ponendum; ſed interdum* efficax, *quòd virtutem habeat per ſe independentem à virtute ipſâ humanâ, ex ſeipſâ potentem inducendi effectum & flectendi ad illam voluntatem; ſic temperatam tamen conditioni voluntatis, ut eam non impellat ſi nolit, ſed nolentem ac reluctantem aliquando relinquat ſine actu: adeò ut* efficax *per internam efficaciam intelligatur illo etiam caſu, quo non ſemper externa per effectus poſitionem conſequitur; ſicut &* ſufficiens *aliquandò intelligitur apud illum vel intelligi videtur poſſe, quæ totam habet ex ſeipſâ ſufficientiam ad actum requiſitam; & eo ipſo per internam efficaciam dici* efficax per ſe *poteſt; licet non efficiat actum quem efficere poſſit; quia obicem ponit ac diſſentit voluntas; quantumcunque à voluntate non petatur ſufficientia efficiendi cum conſentit. Et ea fortè ratio eſt cur (quod Janſeniani valde urgent) gratiam S. Thomas in illa duo membra non diviſerit ſeparatim; quia & efficaci ſufficientia multò amplius ineſt; & ſua quoque ſufficienti efficacia quodammodo (id eſt vis interna) non deeſt; quamvis illa interim quæ inducit effectum actu, pleniorem vim quamdam ſecum quàm illa tantum ferat, quæ inducere poſſe dicitur nec inducit: ex quo factum eſt ut ad illam virtutis in utroque diſtinctionem explicandam* efficax *una,* ſufficiens *altera (velut appropriatis vocabulis) vulgari uſu Theologorum diceretur: quantumvis illa tantis litibus agitata vocabulorum diſtinctio, & multò minùs tam diverſa illorum apud Scholas inter ſe diſſidentes explicatio, nihil ad fidem pertinere arbitranda ſit, modò ſit unus apud omnes de ſenſu ipſo ac de fundamentali veritate conſenſus; ut gratiæ omnia tribuantur, ut ejus virtus ac neceſſitas agnoſcatur, ut per illam voluntas ad agendum fieri potens aſtruatur, ut voluntatis non agentis negligentiæ vel defectui aſcribatur, quòd habuerit unde agere poſſet, & non egit.*

Nec aliter utique de gratiâ loquitur S. Thomas, vel cùm ſufficientem inſinuat, vel cùm indicat efficacem; ſic eam ſufficere indicans, ut id ad quod ſufficit per ſeipſam, non efficiat aliquando, quia coëfficere negligimus, nec ei nos ad agendum aptanti aſſentimur; ſic efficere inſinuans, ut non minùs efficax intrinſecè (id eſt efficiendi potens) per ſeipſam ſit, cùm ex noſtro defectu non efficit. Tum ſic pergit n. 2.

Intelligere potuiſtis ex illis quæ dicta ſunt, cum ſufficiens auxilium ex planiſſimo ejus teſtimonio aſtruerem, ſic appellatum illud, ſufficiens ad non peccandum, *ut cum illo nihilominus quidam peccent. Intelligite ſic alibi efficax deſignatum, ut ex effectu non ſecuto efficaciam non amittat: ubi, nempe 3. part. Summæ q. 49. art. 2. ad* 3. Deus (*inquit*) permittit diabolo poſſe decipere homines certis temporibus & locis, ſecundùm occultam rationem judiciorum ſuorum: ſemper tamen per paſſionem Chriſti eſt paratum hominibus remedium ſe tuendi contra nequitias dæmonum, etiam tempore Antichriſti: ſed ſi aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciæ paſſionis Chriſti: *Quid eſt* nihil efficaciæ deperire? *niſi non minùs eam efficacem (id eſt potentem) eſſe, ut ſequatur effectus, qui ex illâ interim propter non utentium negligentiam non ſequitur? An ſic efficax ergo, quia effectum actu ſemper inducat? Vel de gratiâ dici ſuo modo non poſſit, quod hic de paſſione dictum, quaſi gratiæ fonte, cujus nec uſus nobis niſi gratiâ mediante prodeſſe poſſit quidquam, aut ad ſalutem noſtram niſi per illam derivari? Utique dici poſſit eodem ſenſu, nihil ejus efficaciæ deperire, ſi eâ uti quidam negligant ac illius effectum ſuâ negligentiâ impediant, & hoc omninò eſſe quod inſinuat S. Thomas*. Hactenus P. Nicolaï.

CONFUTATIO.

IN his omnibus immorari neceſſe non eſt, quia ea exhibuiſſe ſufficit ut confutentur. Quis enim S. Thomæ de gratiæ ſufficientis voce & ſignificatione doctrinam articulo præcedente relatam legendo, non agnoſcat, quàm adverſa ſit S. Thomæ principiis iſta, quam tradit Joannes Nicolaï, gratiæ ſufficientis & efficacis explicatio?

Quis etiam non videat, quantùm ab univerſæ S. Thomæ Scholæ principiis recedat ille, qui gratiam per ſe efficacem ita interdum intelligi aſſerit, non quia voluntatem ad volendum aut agendum vi ſuâ propriâ infallibiliter & indeclinabiliter determinat, ſed quia virtutem habet per ſe independentem à virtute ipsâ humana, & ex ſe ipsâ potentem inducendi effectum, & flectendi voluntatem ad illum; ſeu quia per illam voluntas fit agendi potens, ita ut illam aliquando relinquat ſine actu.

Nova hæc & hactenus inaudita apud Thomiſtas omnes gratiæ per ſe efficacis interpretatio; cùm nullus hoc nomine aliam unquam intellexerit, quàm quæ propriâ ſuâ virtute voluntatem ad volendum aut agendum, infallibiliter & indeclinabiliter determinat, & quæ nunquam illam relinquit ſine aliquo actu, ſeu perfecto, ſeu imperfecto, ad quem ſcilicet efficiendum ex Dei intentione & abſolutâ voluntate ordinatur: adeò ut in Scholâ S. Thomæ gratia per ſe efficax idem omninò ſit, cum gratiâ cujus effectus infallibilis eſt ob virtutem motionis, & pro eodem ſemper uſurpetur. Imò Jeſuitæ gratiæ per ſe efficacis nomine ſemper prædeterminantem adversùs Thomiſtas im-

impugnarunt, nec in Controverſia De Auxiliis litigatumu nquam fuit de hoc vocabulo. Nam Molinæ defenſores confeſſi ſunt gratiam efficacem dici non ſolùm à virtute flectendi voluntatem, ſed ab effectu & conſenſu voluntatis. Undenam verò effectum ſortiretur, an ſcilicet ab omnipotentiâ Dei & propriâ ipſius gratiæ virtute, an verò à ſcientiâ mediâ & locorum ac temporum congruitate, diſputabant.

Dixit Clemens VIII. in Scripto De doctrinâ S. Auguſtini c. 5. *Gratiam efficacem ſecundùm S. Auguſtinum habere ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, & à dominio quod ſumma divina Majeſtas habet in voluntates hominum.* Itane verò illud intellectum eſt, ut gratia vim quidem & virtutem ſuam haberet ab omnipotentiâ Dei, ſed tamen effectum ab illâ infallibiliter non ſortiretur? An S. Auguſtini teſtimonia, quæ idem ſummus Pontifex adducit, id ſignificant? An cum Jeſuitæ in Congregatione De Auxiliis declararunt, ſe communicato Scripto Patribus omnibus Societatis, Gallis, Italis, Hiſpanis, ex eorum ſententia admittere omnia quæ in illo Scripto continerentur, eſſe de mente S. Auguſtini, excepto hoc uno tantùm capite 5? An, inquam, id alio ſenſu intellexerunt, quàm gratiam efficacem ſortiri ſuum effectum ab omnipotentiâ divinâ, & efficere conſenſum voluntatis ex virtute Dei moventis & inclinantis voluntates quò vult? Certè nec illud etiam caput excipere debuiſſent, ſi habuiſſent Nicolaïum aliquem, quo conſulto facilè admiſiſſent, Molinâ illæſo, gratiam efficacem habere ſuam efficaciam ab omnipotentiâ Dei, hoc eſt habere ab illâ vim & virtutem flectendi voluntatem, etſi aliquando ob voluntatis diſſenſum ac reſiſtentiam effectum non ſortiatur, & actum non inducat.

Non poterat P. Nicolaï ignaviùs gratificari Moliniſtis, qui gratiam libero arbitrio quoad uſum relinquentes, ſeu ejus effectum à ſcientiâ mediâ ſuſpendentes, eam per ſe efficacem eodem ſenſu facilè agnoſcunt, quia virtutem habet à quocumque alio independentem, ac per illam voluntas fit agendi potens, ita ut illa adjuta aliquando agat, aliquando nihil agat. Sic enim jam ſimpliciores ludificari conantur Moliniſtæ, gratiam per ſe efficacem, ejuſque ad ſingulos pios actus neceſſitatem ſe agnoſcere profitentes: quia toto jam Orbe hoc dogma receptum vident. Sed cùm ſenſa ſua declarant, non aliam gratiam quàm ſufficientem Molinianam confiteri deprehenduntur, nec alio conſilio ita loqui, quàm ut Pelagii dolum imitantes, iſto gratiæ per ſe efficacis vocabulo frangant invidiam, offenſionemque declinent.

Sed dicet P. Nicolaï ſe agnoſcere, quòd illa gratia quæ effectum inducit, *pleniorem vim quamdam ſecum quàm illa tantum ferat, quæ inducere poſſe dicitur, nec inducit,*

ducit, ac ſe his verbis à Moliniano ſenſu longiſſimè recedere: ſed hæc dixiſſe non ſufficit. Ab eo enim quæro, an illa vis interna ſemper per ſe actum inducat, velle aliquod generet, ſeu parvum, ſeu magnum, & aliquam voluntatis reſiſtentiam ſuperet; adeò ut nunquam adſit vis illa interna, quin voluntas piè velit aut operetur, & nunquam voluntas piè velit aut operetur quin illa adſit? Et an neceſſaria ſit ad ſingulos actus piæ voluntatis, ſeu perfectos, ſeu imperfectos, ſeu peccatoribus, ſeu juſtis? Hæc ſi agnoſcat Joannes Nicolaï, cur toto Suffragio, cur totis Theſibus id apertè confiteri refugit, quod capitale eſt Scholæ Thomiſticæ dogma? Imo cur toties impugnare convincitur? Cur hanc gratiæ per ſe efficacis notionem amplectitur, quam Thomiſtæ omnes rejiciunt, ſoli Moliniſtæ ſequuntur ac probant? Si verò hæc non agnoſcat, à Moliniano ſenſu non recedit.

Denique cùm omnes norint, Thomiſtas ſic ſemper gratiæ per ſe efficacis ac prædeterminantis dogma adverſus Molinam defendiſſe, ut illud ad fidei Catholicæ, Pelagiano & Semipelagiano errori oppoſitæ, dogma pertinere arbitrati ſint, ſicut ex eorum libris & diſputationibus conſtat; cùm Joannes Nicolaï dicit, ſufficere ad catholicam de Chriſti gratiâ fidem, *ut gratiæ omnia tribuantur, ut ejus virtus ac neceſſitas agnoſcatur, ut per illam voluntas ad agendum fieri potens aſtruatur, ut voluntatis non agentis negligentiæ vel defectui adſcribatur, quod habuerit unde agere poſſet, & non egit*: cùm, inquam, hæc ſufficere dicit, quæ Moliniſtæ admittunt, etſi gratiæ prædeterminantis neceſſitatem negent, Scholæ ſuæ circa capitale Chriſti gratiæ dogma adverſari convincitur.

Hæc omnia indicari ſatis eſt, ut confutentur. Sed unum eſt in quo immorandum diligentiùs ad S. Thomæ doctrinam elucidandam, & à perverſo Patris Nicolaï ſenſu vindicandam. Ut ille probet gratiam per ſe efficacem ſecundùm S. Thomæ & verba & ſenſum eam dici poſſe, quæ ex ſeipsâ potens eſt inducendi effectum, etſi illum actu non inducat, & ex effectu non ſecuto efficaciam illius non amitti, unicum S. Thomæ teſtimonium profert ex 3. p. q. 49. art. 2. ad 3. ubi dicitur, *Si aliqui remedio per paſſionem Chriſti parato uti negligant, nihil deperire efficaciæ paſſionis Chriſti.* Ex quo concludit quod ſicut paſſio dicitur efficax, id eſt potens inducendi effectum, etſi effectus ex illâ propter non utentium negligentiam non ſequatur, ſic gratiam rectè dici eodem ſenſu efficacem, etſi effectum actu non inducat, ſi eâ uti quidam negligant, ac illius effectum ſuâ negligentiâ impediant.

Sed fruſtrà degener ille S. Thomæ alumnus conſtantem Patris ſui de gratia doctrinam, clariſſimis ſententiis expreſſam, ex ſignificatione hujus nominis, *efficax & efficacia*, evertere nititur.

Sancti

Sancti enim Thomæ doctrina de gratia effectum ſuum infallibiliter conſequente, ob virtutem motionis, in iſto gratiæ efficacis vocabulo poſita ac fundata non eſt. Imò ſatis rarò S. Thomas eodem gratiæ efficacis nomine utitur, ut ejus effectus certitudinem exprimat, ſed eam declarat aliis verbis & phraſibus quæ nulla cavillatione obſcurari poſſunt. Dicit ſcilicet qq. diſp. de malo q. 6. quæ eſt de electione humana, *Deum immutabiliter movere voluntatem propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non poteſt.* Dicit 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. *Quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moveatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter. Unde non ſequitur quod voluntas à Deo ex neceſſitate moveatur.* Dicit 1. 2. q. 112. art. 3. in c. *præparationem gratiæ, ſecundùm quod eſt à Deo movente, habere neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt:* ſicut inferiùs exponemus. Denique, ut cætera omittam, dicit 2. 2. q. 24. art. 11. *Quòd charitas ex parte Spiritus ſancti moventis animam ad diligendum Deum, impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus ſancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde,* inquit, *impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, ut Auguſtinus dicit in lib. De prædeſtinatione ſanctorum.*

Quocumque ergo modo S. Thomas has voces, *efficax & efficacia*, uſurpet, nihil hinc concludi poteſt ad probandum gratiam non inducere infallibiliter effectum quem Deus vult ut habeat. Sed ne P. Nicolai de hoc ipſo nomine contendendi locum habeat, oſtendam manifeſtò quæ S. Thomas de efficacia paſſionis Chriſti loco citato docet, ad gratiam transferri non poſſe; nec ullo modo cum Thomiſtarum recentium principiis cohærere eam efficacis auxilii ſignificationem, quam P. Nicolaï ex S. Thoma confirmare nititur. Quod ut pateat, primò exponendum eſt, quid propriè hæc vox, *efficacia paſſionis Chriſti*, apud S. Thomam ſignificet.

Agnoſcendum eſt, juxta S. Thomam, paſſionem Chriſti dici habere efficaciam ad merendum & ad delenda peccata, in quantùm habet in ſe virtutem merendi & delendi peccata: & hoc ſenſu dicitur, *quod etſi quidam remedio per eam hominibus parato uti negligant, nihil deperit ejus efficaciæ,* hoc eſt, ejus virtuti ac ſufficientiæ.

Eodem ſenſu 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. actus Chriſti ſatisfacientis dicitur habere efficaciam infinitam, hoc eſt, vim & virtutem infinitam ad recompenſationem culpæ commiſſæ. *Unde oportuit,* inquit, *ad condignam ſatisfactionem, ut actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei & hominis exiſt.*

exiſtens. Item ead. 3. p. q. 22. art. 3. ad 1. *Et ideò*, inquit, *in quantùm ejus humanitas operabatur in virtute divinitatis, illud ſacrificium erat efficaciſſimum ad delenda peccata*, hoc eſt, ut dicit in c. *habebat plenam vim expiandi peccata.* Et ad 2. eodem ſenſu hæc duo ſumit, Eſſe efficax ad expianda peccata, &, Sufficienter expiare peccata: *Dicendum*, inquit, *quòd peccata non commemorantur in novâ lege, propter inefficaciam Sacerdotii Chriſti, quaſi per ipſum non ſufficienter expientur peccata, ſed commemorantur quantùm ad illos, qui vel ejus ſacrificii nolunt eſſe participes, ſicut ſunt infideles, pro quorum peccatis oramus ut convertantur, vel etiam quantùm ad illos qui poſt participationem hujus ſacrificii ab eo deviant, qualitercumque peccando.* Eodem etiam ſenſu in 3. diſt. 19. q. 1. art. 1. in reſp. ad 2. quæſt. dicitur habere infinitam in merendo efficaciam: item, infinitam in ſatisfaciendo efficaciam, hoc eſt, vim & virtutem infinitam ad merendum & ſatisfaciendum. *Dicendum*, inquit, *quòd ad hoc quòd aliquid in alterum, effectum inducere poſſit, duo requiruntur: unum ex parte agentis, ſcilicet quòd habeat virtutem ſufficientem ad inducendum illum effectum: alterum ex parte recipientis, ut ſcilicet diſpoſitum ſit ad ſuſcipiendum actionem. Chriſti autem, qui in nobis meruit deletionem peccatorum, invenitur ſufficientia ad delendum omnia peccata noſtra ex duobus, ſcilicet ex actione, in quâ meritum conſiſtit, quæ agit vi divinâ, eo quòd eſt actio Dei-&-hominis, ut dictum eſt: & ex hoc habet infinitam in merendo efficaciam: & iterum ex eo quod paſſio abſtulit, ſcilicet animam Deo unitam, quæ etiam habebat infinitum valorem ex hoc quod eſt Deo unita: & ex hoc eſt infinita efficacia in ſatisfaciendo. Ex parte autem noſtrâ requiritur ut nos præparemus ad meriti Chriſti effectum in nobis ſuſcipiendum per fidem intellectus, & charitatem affectus, & per imitationem operis; quod quidem non contingit in omnibus: & ideò quoad ſufficientiam ſatisfactionis & meriti, omnia peccata per Chriſti paſſionem deleta ſunt, non autem quantum ad efficientiam.*

Hoc loco infinita efficacia in merendo nihil aliud eſt, quàm infinita ſecundùm ſe virtus ad merendum: ſufficientia autem, ſeu virtus ſufficiens ad delendum peccata, eſt tanta virtus, quanta ad ea delenda requiritur; atque ita hoc loco ſufficientia plus aliquid dicit, quàm efficacia. Efficacia enim denotat ſolùm virtutem; ſufficientia autem denotat tantam virtutem, quanta requiritur, adeò ut poſſit dici efficacia ſufficiens, hoc eſt, virtus ſufficiens, præter quam alia non requiritur: ſufficiens autem eſt virtus ſeu efficacia paſſionis Chriſti, quia infinita eſt. Cùm enim eſt virtus ſeu efficacia infinita ad aliquid, tunc eſt tanta virtus & efficacia, quanta ad illud requiritur.

Et ex hoc eodem loco colligitur efficaciam paſſionis diſtingui ab efficientia paſſionis, cùm efficacia ſumatur ſolùm pro vir-

tute

ture in ſe; efficientia verò, pro ejuſdem virtutis ad aliquod ſubjectum applicatione. *Et ideò*, inquit, *quoad ſufficientiam ſatisfactionis & meriti, omnia peccata per Chriſti paſſionem deleta ſunt, non autem quantùm ad efficientiam*, hoc eſt, per illam actu omnia peccata non fuiſſe deleta, illam non habuiſſe effectum ſuum in omnibus, non fuiſſe applicatam omnibus per fidem & Sacramenta, per quæ ſolùm effectum ſuum ſortitur, etſi in ſe tantam virtutem habuerit, quanta ad delenda omnia omnium hominum peccata requiritur. Sic vulgò his locis in Sententias ſufficientiam paſſionis opponit, non quidem efficaciæ, ſed efficientiæ, ut patet ex aliis teſtimoniis Sect. 3. art. 5. relatis: aliis tamen in locis efficaciam ſumit aliter, ſcilicet pro efficientia, ſeu pro applicatione, atque efficaciam opponit ſufficientiæ, & hanc vocem, efficaciter, opponit iſti, ſufficienter. Sic in 1. ad Tim. 2. lect. 1. *Ipſe eſt*, inquit, *propitiatio pro peccatis noſtris, pro aliquibus* EFFICACITER, *ſed pro omnibus* SUFFICIENTER: *quia pretium ſanguinis eſt* SUFFICIENS *ad ſalutem omnium, ſed non habet* EFFICACIAM (hoc eſt non ſortitur effectum, quantùm ad conſecutionem ſalutis) *niſi in electis, propter impedimentum*. Similiter qq. diſp. de verit. q. 29. art. 7. ad 4. *Quantùm* AD SUFFICIENTIAM, *æqualiter ſe habet ad omnes, non autem quantùm* AD EFFICACIAM, hoc eſt, habet virtutem ſanandi omnes, ſed effectum in omnibus non ſortitur, ſeu omnes actu non ſanat. Et ad 13. *Hoc ipſum gratis alicui noſtrûm à Deo confertur, quod efficaciam*, (hoc eſt effectum) *meriti Chriſti conſequatur*. Et etiam 3. p. q. 48. art. 6. ad 2. efficaciam ſumit pro effectu. *Paſſio Chriſti*, inquit, *per ſpiritalem contactum efficaciam* (hoc eſt effectum) *ſortitur, ſcilicet per fidem & fidei Sacramenta.*

Quæritur ergo, an ſicut paſſio Chriſti, ſecundùm S. Thomam, dicitur habere ſufficientiam & efficaciam quantùm eſt ex ſe, hoc eſt, habere virtutem, etſi in aliquibus non ſortiatur effectum, propter impedimentum ac diſſenſum voluntatis, quæ remediis per illam hominibus paratis uti negligit; ſic gratia actualis ſufficiens, præter quam alia requiritur ad agendum, dici poſſit efficax, quantùm eſt ex ſe, ad aliquem actum, etiam quando ſupponitur non inducere eumdem actum, & non habere effectum propter diſſenſum ac reſiſtentiam voluntatis.

Reſp. 1. hanc gratiæ efficacis cum efficacia mortis Chriſti comparationem nullum habere fundamentum in doctrinâ S. Thomæ. Etſi enim S. Thomas ſumat aliquando efficaciam mortis Chriſti pro virtute mortis Chriſti in ſe, etiam quando effectum non ſortitur: nuſquam tamen efficacem Chriſti gratiam voluntati internam pro ea ſumit, quæ ſolùm habet in ſe virtutem inducendi actum voluntatis, & quæ nullum omninò voluntatis actum indu-

inducit : imò docet ſemper aliquem actum per illam induci, ad quem ſcilicet ex abſolutâ Dei voluntate ordinatur. Sic juxta S. Thomam, omnis Chriſti gratia voluntati interna, vel eſt operans, vel cooperans. Hæc diviſio eſt adæquata. Omnis verò gratia operans aliquod volendi initium operatur, & omnis cooperans facit voluntatem cooperari, hoc eſt, operari efficaciter quod vult, ut rectè probat Arnaldus in ſuo ſcripto De doctrinâ S. Thomæ art. 10. Dicit etiam expreſsè S. Thomas in 8. ad Rom. lect. 3. vocationem interiorem efficacem eſſe, quia illi voluntas aſſentitur. *Hæc vocatio*, inquit, *eſt efficax in prædeſtinatis, quia hujuſmodi vocationi aſſentiunt. Joan.* 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Eodem ſenſu efficaciam ſumit in 6. Matt. lect. 5. pro virtute gratiæ effectum ſuum conſequentis, & inducentis conſenſum. *Secundò*, inquit, *ponit attractionis efficaciam ibi, Omnis qui audivit.*

Mirum ergo non eſt ſi paſſio Chriſti dicatur habere in ſe virtutem & efficaciam, etſi non ſortiatur effectum; & gratia Chriſti non dicatur habere in ſe virtutem & efficaciam, quando voluntatis actum non inducit: quia ſcilicet paſſionis virtus ſecundùm ſe in hoc non conſiſtit, ut ſortiatur effectum, ſed in hoc ut ſit potens delere peccata per modum efficientiæ in omnibus, quibus ex divinâ ordinatione applicatur, & qui ejus actionem in ſe ſuſcipiunt. Contra verò virtus & efficacia gratiæ Chriſti reſpectu voluntatis, cui interna eſt, ſeu quam interiùs adjuvat, in hoc conſiſtit, non ſolùm ut det illi poſſe, ſed etiam ut in ea aliquem bonum actum, ſeu perfectum ſeu imperfectum, operetur. Nec aliter, ſecundùm S. Thomam, voluntatem intùs movet & adjuvat, niſi bonum aliquod velle in eâ operando. Siquidem juxta S. Thomam, voluntatem intùs per gratiam actualem adjuvari ad aliquid agendum, eſt voluntatem interiùs à Deo moveri ad illud agendum: Deus autem voluntatem intùs ad actum aliquem movet, illam ad eum actum applicando, ut docet 1. p. q. 105. art. 4. & 5. Porrò voluntas eum actum agit ad quem à Deo applicatur. Omitto teſtimonia anteà relata, quibus tam evidenter conſtat, auxilium Dei intùs moventis ſemper ob motionis virtutem habere eum effectum quem Deus vult ut habeat.

Reſp. 2. Thomiſtis gratiam ſufficientem admittentibus penitùs repugnare, ut gratia ſufficiens dicatur ex ſe efficax ad actum ad quem dat poſſe, & ad quem ſufficiens dicitur. Nam juxta illos, auxilium ſufficiens, quà ſufficiens, ſemper eſt inefficax, quia nunquam producit conſenſum ad quem eſt ſufficiens. Ita Alvares in reſponſionibus l. 3. c. 4. n. 3. §. Tertia ſententia. *Aliud eſt*, inquit, *auxilium excitantis gratiæ, ſeu ſufficientis, aliud verò gratiæ adjuvantis ſeu efficacis. Hæc autem*

duo

duo auxilia non diſtinguntur ſolùm ab effectu, quia nimirum auxilium efficax habet conjunctum arbitrii conſenſum à Deo præviſum aut præcognitum, AUXILIUM AUTEM SUFFICIENS VEL INEFFICAX NON PRODUCIT EUMDEM CONSENSUM; *ſed etiam diſtinguntur ſecùdum aliquam realem virtutem intentionaliter exiſtentem in uno, & non in alio.* An auxilium quod ut ſufficiens eſt, inefficax eſt, ex ſe efficax dici poteſt? Immò auxilium ſufficiens nunquam eſt efficax, quando elicitur conſenſus; quia tunc, ut docet Alvares loco citato, non ponitur efficacia auxilii ſufficientis, ſed alterius ab eo realiter diſtincti. Nec etiam illud auxilium agit phyſicè reſpectu actus & conſenſus ad quem eſt ſufficiens, ſed ſolùm moraliter per modum ſuadentis, allicientis, & invitantis, ut ibidem dicit n. 6. § Tertia Concluſio. Et de auxiliis diſp. 88. concl. 3. n. 7. Cauſa autem moralis cùm non ſit cauſa propriè dicta, ſed metaphoricè, (ut Alvares ibid. c. 4. n. 11. ad 2. probat ex S. Thoma q. 3. de malo art. 3. in c.) non poteſt habere propriam efficientiam: ſicut paſſio Chriſti, quæ eſt cauſa phyſica, ſeu agens per modum efficientiæ ad delenda peccata, ut docet S. Thomas 3. p. q. 48. art. 6.

Alvares multis rationibus ibid. n. 6. confirmat, auxilium ſufficiens non habere influxum phyſicum in conſenſum. 1. Quia non exiſtit ampliùs quando elicitur conſenſus. 2. Quia eſt imperfectius conſenſu. Quomodo ergo ex ſe efficax ad conſenſum eſſe poteſt, ſi non ſit ampliùs quando conſenſus elicitur, & virtus ejus ſit inferior & imperfectior conſenſu futuro, cùm cauſa ex ſe efficax in eſſe cauſæ, ſaltem debeat eſſe æquè perfecta ac eſt effectus?

Dicimus ergo voluntatem Dei habere ſufficientiam & efficaciam virtutis, quantùm eſt ex ſe, ad operandum: quia etſi non ſemper operetur, tamen quando ex ordinatione ſuæ ſapientiæ ſe ad operandum determinat, propriâ virtute operatur, & non alterius auxilio.

Dicimus gratiam prævenientem & operantem dare voluntati ſufficientiam & efficaciam ad volendum; quia dat voluntati volendi virtutem, quanta ad volendum requiritur, & etiam facit ſuâ propriâ virtute illam velle. Sic dicimus gratiam ſubſequentem & cooperantem dare voluntati ſufficientiam & efficaciam ad cooperandum, ſeu ad operandum quod vult; quia dat voluntati operandi virtutem, quanta ad operandum requiritur; & etiam facit ſuâ propriâ virtute illam operari.

Tandem dicimus paſſionem Chriſti habere ſufficientiam & efficaciam, quantùm eſt ex ſe, quia ſeipsâ eſt potens ad operandum, & quando operatur & effectum ſortitur, per ſeipſam operatur propriâ virtute, & non alterius: imò nunquam tollitur impedimentum quod ejus actioni ab aliquibus ponitur, quin ipſa

virtute

virtute propriâ efficiat, ut impedimentum removeatur, & vincatur reſiſtentia, & ſubjectum diſponatur ad recipiendam ejus actionem: ſiquidem hæc omnia ſunt effectus paſſionis Chriſti, nec fiunt niſi ex ejus virtute & operatione.

Gratia autem ſufficiens Thomiſtarum, præter quam alia ad operandum requiritur, hoc ſenſu non poteſt dici efficax ad operandum; quia nunquam propriâ illius virtute, ſed ſemper alterius gratiæ virtute & efficaciâ impedimentum removetur, ac voluntatis reſiſtentia vincitur. Imò etiamſi ſubjectum diſpoſitum ſupponatur ad plenè volendum & operandum, voluntas propriâ illius gratiæ ſufficientis virtute ac efficaciâ non operatur, ſed virtute & efficaciâ alterius gratiæ diſtinctæ quoad entitatem, quam Thomiſtæ efficacem vocant.

Jam ſi quærat aliquis, cur paſſio Chriſti, cùm ſit efficax quantùm eſt ex ſe, tamen effectum non ſemper inducat, etſi infinitam habeat in merendo efficaciam, ut loquitur S. Thomas: Reſpondeo id oriri partim ex libero arbitrio, partim ex voluntate Chriſti, & ex ordinatione ſapientiæ divinæ. Sicut enim voluntas Dei, etſi quantùm eſt ex ſe, ſit efficax ad operandum, tamen non ſemper producit ſuos effectus; quia eſt cauſa libera agens ex ordinatione ſapientiæ, quæ non ſemper habet intentionem operandi: ſic paſſio Chriſti habens ex ſe infinitam in merendo virtutem & efficaciam, pendet à determinatione voluntatis Chriſti, quæ propter diverſa motiva, & ex ordinatione ſapientiæ, non ſemper applicat ſuam paſſionem ad operandum, ideò non ſemper operatur. Hanc rationem affert S. Thomas in 3. diſp. 19. q.1.art.3. quæſt. 1. ad 4. *In cauſis*, inquit, *quæ agunt ex ordinatione ſapientiæ, non eſt neceſſarium quod poſitâ cauſâ ſtatim ponatur effectus, ſed tunc effectus ponitur, quando ſapientiæ ordo requirit: & taliter agit paſſio Chriſti.* Et qq. diſp. q. 29. art.7. ad 4. *Dicendum, quòd meritum Chriſti, quantùm ad ſufficientiam, æqualiter ſe habet ad omnes; non autem quantùm ad efficaciam: quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divinâ electione, per quam quibuſdam miſericorditer effectus meritorum Chriſti confertur, quibuſdam verò juſto judicio ſubtrahitur.* Et ad 13. *Dicendum quòd hoc ipſum gratis alicui noſtrûm à Deo confertur, quod efficaciam meriti Chriſti conſequatur.* Et 3. p. q. 8. art. 3. in c. *Chriſtus*, inquit, *eſt caput eorum qui ſibi uniuntur ſolùm in potentiâ nondum reductâ ad actum; quæ tamen eſt ad actum reducenda ſecundùm divinam prædeſtinationem.*

Ex his patet quantùm P. Nicolaï in hâc gratiæ per ſe efficacis interpretatione, & à S. Thomâ, & à recentibus Thomiſtis aberraverit, & in quam manifeſtam contradictionem inciderit, ponendo gratiam ſufficientem, quæ aliâ gratiâ efficaci realiter diſtinctâ ſemper indigeat ad actum inducen-

ducendum, & quæ tamen, quantùm ex ſe eſt, efficax ſit ad eumdem actum inducendum. Sed obſcurum non eſt, quid intendat Thomiſtarum deſertor ille & transfuga. Si ejus ſententia inquiratur, abeſt ab ejus verbis contradictio, nec in explicando gratiæ per ſe efficacis nomine hallucinatur. Cum Thomiſtis recentibus non loquitur; quia idem cum iis non ſentit. Gratiæ per ſe efficacis nomen aliter prorſùs ab iis exponit, quia eam cum illis non profitetur. Moliniſtarum ſenſum ſequitur, quia ſententiam tenet. Moliniſtæ enim docent, gratiam ſufficientem habere omnia ad agendum neceſſaria, ac propterea nullâ aliâ virtute indigere ut agat, ſeu ut voluntatis actum inducat, ſed ſolo liberi arbitrii, eâ pro ſuo nutu utentis, conſenſu, quo deficiente non agit: à quo tamen, cùm agit, non mutuat agendi virtutem, quam à ſeipsâ habet à quacumque alia re independentem. Et quamvis hæc eorum poſitio falſa ſit & erronea, tamen hoc poſito rectè & conſequenter loquuntur, cùm dicunt hanc gratiam ſufficientem, eſſe per ſe efficacem, hoc eſt, per ſe potentem inducendi actum & efficiendi conſenſum: qui cum ponitur, nullius alterius gratiæ ope & virtute ponitur, quàm iſtius ſufficientis: ſiquidem ad conſenſum ponendum nulla alia gratia, quàm iſta ſufficiens requiritur; ſeu iſta gratia ſufficiens complectitur quidquid ex parte gratiæ, quoad entitatem ſpectatæ, ac virtutis divinæ, ad conſentiendum & operandum neceſſarium eſt.

Mirum ergo non eſt ſi P. Nicolaï hunc Moliniſtarum de gratia per ſe efficace ſenſum, Thomiſtarum principiis tam adverſum ſectetur, quia ſcilicet ſufficientis gratiæ Moliniſticæ doctrinam reverà ſequitur, ac toto Suffragio inculcat; & gratiæ Thomiſticæ, per ſe efficacis ac ſuâ virtute infallibiliter ad agendum prædeterminantis, & ad ſingulos pios actus neceſſariæ, ſententiam rejicit. Thomiſtarum tamen vocibus utitur, quia Thomiſtæ habitum gerit & cathedram occupat: ſed eas uni Moliniſtarum doctrinæ accommodando ſe verum Moliniſtam prodit. Certè, Pater mi, quotquot te in Pariſienſi Prædicatorum Studio primarium Regentem à S. Thomæ Thomiſtarumque omnium doctrinâ tam graviter diſſentire perſpexerint, æquiſſimum de te judicium ferent, ſi vel tuam in hoc divinæ gratiæ argumento *inſcitiam damnent*, quâ nulla manifeſtior; vel *depravatam mentem & corruptâ intentione*, ut ipſe loqueris Suffrag. pag. 44. *ſervientem ſeculo* ſuſpicentur, quâ nulla Doctori de fidei & fratris ſui causâ ſententiam dicenti periculoſior.

ARTICULUS III.

In quo exponitur hoc S. Thomæ teſtimonium 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. Præparatio hominis conſiderata ſecundùm quod eſt à Deo movente, habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, *&c. Et Patris Nicolaï in hunc locum reſponſiones omnes confutantur.*

POſt expoſitam S. Thomæ de gratiæ ſufficientis & efficacis nomine & ſignificatione doctrinam, & confutata nova Patris Nicolaï hac de re figmenta, nunc S. Thomæ teſtimonia quibus probatur, gratiam ſemper efficacem eſſe ad eum actum, ad quem ex Dei intentione ordinatur, referenda ſunt, & proprius eorum ſenſus ab Arnaldo in Scripto De doctrinâ S. Thomæ luculenter expoſitus, adversùs omnes Patris Nicolaï reſponſiones & argutias vindicandus eſt.

Pater Nicolaï 4. claſſe n. 6. hæc habet: *Atqui murum hic nobis aheneum Janſeniani objiciunt, quem tranſilire non poſſimus, & quo ſe ita tectos atque vallatos exiſtimant, ut ad invictam defenſionem ſui, ac inconcuſſam ſecuritatem efficaciter ſufficere munimentum hoc velint*, &c. *Quale illud eſt porrò tam ineluctabile vel indeclinabile telum, quale tam inacceſſum nobis & nullo vallum ſuperabile ſaltu? Nimirum illud* 1. 2. *q.* 112. *art.* 3.

Præparatio hominis ad gratiam habitualem eſt à Deo ſicut à movente, à libero autem arbitrio ſicut à moto. Poteſt igitur præparatio ad gratiam dupliciter conſiderari: uno quidem, modo ſecundùm quod eſt à libero arbitrio, & ſecundùm hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem, quia donum gratiæ (habitualis) *excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Alio modo poteſt conſiderari, ſecundùm quod eſt à Deo movente*, ET TUNC HABET NECESSITATEM AD ID AD QUOD ORDINATUR A DEO, *non quidem coactionis, ſed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non poteſt: ſecundùm quod Auguſtinus dicit in libro De prædeſtinatione Sanctorum, quòd per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* UNDE SI EX INTENTIONE DEI MOVENTIS EST, QUOD HOMO CUJUS COR MOVET, GRATIAM CONSEQUATUR, INFALLIBILITER IPSAM CONSEQUITUR, SECUNDÙM ILLUD JOANNIS SEXTO; OMNIS QUI AUDIVIT A PATRE ET DIDICIT, VENIT AD ME.

Hic certè murus aheneus eſt, quem tranſilire non poſſunt Moliniſtæ, & quo S. Auguſtini Diſcipuli ſe ita tectos exiſtimant, ut omnes Patris Nicolaï minas & inſultus deſpiciant: videamus enim quàm vani ſint & inefficaces. Hæc ille ſubdit: *Quanto conatu nihil agunt, ut tam imbelles & inſufficientes ineſſe ſibi vires oſtendant ad erroris defenſionem ac tutelam*,

lam, dum thraſonicè tam efficaces jactant & tam firmas. Quid S. Thomas ibi? Gratiamne non dari quæ non efficaciter agat? Nullum eſſe Dei moventis auxilium, quod non effectum ſortiatur? Nemini gratiam hanc, nemini dari hoc auxilium, niſi ei qui agit? Omnem gratiam prorſus & omne auxilium ei deeſſe qui non agit? Revolvant & videant.

En S. Thomæ doctrina ad ſingula de quibus, mi Pater, interrogas. Ibi docet Angelicus Doctor, gratiam non dari quæ non efficaciter id agat, ad quod ex Dei moventis intentione ordinatur; docet nullum eſſe Dei moventis auxilium, quod non effectum illum ſortiatur, ad quem ex Dei moventis intentione ordinatur; ac nemini dari hoc auxilium, quin velit, aut agat id ad quod ex Dei moventis intentione ordinatur. Nam, ut ait 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. *aliquando hominem movet ad aliquod bonum, non tamen perfectum*, & tunc homo vult bonum imperfectè, & nondum conſequitur gratiam habitualem; *ſed quandoque perfectè movet ad bonum*, & tunc, *gratiam homo accipit ſecundùm illud Joannis 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Et hoc totum à Dei moventis voluntate pendet: quia, ut ait 2. 2. q. 24. art. 3. ad 1. *Spiritus ſanctus movet mentem hominis, vel plus, vel minùs ſecundùm ſuam voluntatem.* Demùm docet omnem gratiam actualem quâ voluntas præparatur & adjuvatur, ei deeſſe qui bonum nec operatur, nec ullo modo vult; ei autem qui bonum non operatur, ſed tamen vult imperfectè, omnem gratiam prorſus, & omne auxilium non deeſſe: adeſt enim illi auxilium Dei moventis ad aliquod bonum, non tamen perfectum.

Revolvant, inquit idem P. Nicolai, *& videant. Inquirit S. Thomas, utrùm neceſſariò detur gratia ſe præparanti ad gratiam, vel facienti quod in ſe eſt, ut inſcriptio ipſa notat, id eſt, utrùm gratiam habitualem ſive juſtificantem neceſſariò conſequatur, qui ſe ad illam conſequendam præparat quantis viribus poteſt: ac deinde reſpondet* QUOD HOMINIS *præparatio ad gratiam eſt à Deo*, &c. *Quid inde porrò colligatur? niſi conatum illum omnem liberi arbitrii, qui motionem Dei antecedat, nihil habere in ſe, unde gratiam habitualem actu infallibili conſequatur; habere autem, ſi ſubſequatur motionem, quia ſcilicet nihil ex parte Dei cujus motio ſupponitur, nihil ex parte noſtrâ, qui motionem ſequi & eidem obſequi ſupponimur, eo in caſu deeſt, quin Deo demùm efficaciter adjuvante id aſſequamur quod intendit, hoc eſt quod ait, intentionem Dei deficere non poſſe, quia utique ad illius intentionem ſpectat, ut non niſi conſentienti det gratiam, tametſi eum auxilio ſuo moveat priùs, ut conſentire poſſit, hoc eſt quod ait ex Joanne loquentem Chriſtum referente: Omnis qui audivit à Patre & didicit.*

Revolvimus & vidimus, mi Pater, ac te in omnibus à S. Thomæ ſenſu longiſſimè aberrare agnovimus.

vimus. Cùm enim S. Thomas de liberi arbitrii conatu loquitur, ſecundùm quem non eſt neceſſitas ad gratiæ conſecutionem, non loquitur, ut fingis, de conatu qui Dei motionem antecedit, ſed de eo qui Dei motionem ſequitur. Nam juxta S. Thomam omnis conatus liberi arbitrii ſe præparantis ad gratiam, motionem Dei ſequitur, quia conatum hunc ſemper Dei moventis auxilium prævenit: *Hanc*, inquit 2. 2. q. 24. art. 3. ad 1. *diſpoſitionem vel conatum* (ejus ſcilicet qui ſe ad gratiam præparat) *prævenit Spiritus ſanctus* MOVENS MENTEM HOMINIS, VEL PLUS, VEL MINUS SECUNDUM SUAM VOLUNTATEM. Sed hic liberi arbitrii conatus qui ſequitur motionem, ſeu illa præparatio, poteſt conſiderari dupliciter, vel ut eſt à libero arbitrio, vel ut eſt à Deo movente. Perversè ergo ais S. Thomam loqui de conatu liberi arbitrii, qui motionem Dei antecedit, comparato cum eo qui Dei motionem ſubſequitur. Revolve & vide.

Dicis deinde, dari gratiam habitualem ei qui motionem ſequi & ei obſequi ſupponitur, & hoc eſſe quod ait S. Thomas, intentionem Dei deficere non poſſe, quia utique ad illius intentionem ſpectat, ut non niſi conſentienti det gratiam.

Id S. Thomæ penitus repugnat. Si enim ideò ſolùm dicit, intentionem Dei deficere non poſſe, quia intentio Dei eſt, ut non detur gratia habitualis niſi conſentienti; ergo, cùm conſentire denotet actum ex parte liberi arbitrii, præparatio hominis neceſſitatem habebit ad gratiam habitualem, potiùs ut eſt à libero arbitrio, quàm ut eſt à Deo movente.

Verùm fruſtra æquivocis vocibus Moliniſmum occultas, cùm, quod Moliniſtæ faciunt, à conſenſu potiùs, quàm à motionis virtute & efficaciâ repetis, quod is cujus Deus cor movet ad gratiam conſequendam, eam infallibiliter conſequatur. Ut ergo à te vel invito veritatis confeſſionem extorqueam, niſi Moliniſmum apertè profitearis, negare non potes, ab efficaciâ virtutis moventis provenire, quod is cujus Deus cor movet, gratiam conſequatur. Et præterea ex te, (quod veriſſimum eſt) cùm liberum arbitrium conſentit motioni, gratiam habitualem conſequitur; eam autem cùm diſſentit, non conſequitur. Quæro ergo à te, an cùm conſentit, conſentiat propter vim & efficaciam motionis, adeò ut motio non ſit efficax, cùm diſſentit; & inſit aliqua à Deo virtus motioni cui conſentit, quæ non ineſt motioni cui non conſentit. Hoc ſi negas, Moliniſmum ſequeris: ergo ſi Moliniſmum ſequi nolis, neceſſe eſt ut juxta Thomiſtarum omnium ſententiam fatearis, voluntatem conſentire ob vim & efficaciam motionis, quæ non ineſt motioni cui non conſentit.

Iterum te fateri oportet, ſecundùm eoſdem Thomiſtas, talem motionem eſſe neceſſariam

ad

ad conſentiendum, ita ut qui eam non habet, nunquam conſentiat, ſicut qui eam habet ſemper conſentit; nec ſolùm motionem efficacem eſſe neceſſariam ad conſentiendum; ſed etiam ad omnem alium pietatis actum, quo ſe ad gratiam homo præparat.

Si ergo is cujus Deus cor movet, ſic ſe præparet, ut tamen gratiam non conſequatur, tunc Deus non tantùm movet, quantum oportet ut conſentiat; & tamen cùm homo ſe præparet, aliquem pium voluntatis actum exercet. Nam, ut docet S. Thomas, nulla eſt liberi arbitrii ad gratiam præparatio ſine aliquo pio voluntatis actu, ſeu imperfecto, ſeu perfecto, quo ſe ad Deum convertit. Hic autem pius voluntatis actus, licet imperfectus, eſt à Deo movente. *Quia*, ut ait 1. 2. q. 112. art. 2. *quæcumque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum.* Et illa præparatio vel major vel minor eſt, prout Deus plus vel minùs movet. *Nam*, ut ait 2. 2. q. 24. art. 2. ad 1. *hanc diſpoſitionem vel conatum ejus qui ſe ad gratiam præparat, prævenit Spiritus ſanctus movens mentem hominis, vel plùs, vel minùs ſecundùm ſuam voluntatem.* Et ut docet 1. 2. q. 112. art. 4. *Qui magis ſe ad gratiam præparat, pleniorem gratiam accipit: ſed ex hac parte non poteſt accipi prima ratio hujus diverſitatis, quia præparatio ad gratiam non eſt hominis, niſi in quantùm liberum arbitrium ejus præparatur à Deo. Unde prima cauſa hujus diverſitatis accipienda eſt ex parte ipſius Dei, qui diverſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſat.*

Hoc poſito, homo ad gratiam perfectè ſe præparat, ac perfectè conſentit, & ita gratiam habitualem conſequitur ob virtutem motionis ad conſenſum perfectum efficacis: pariter ad gratiam ſe præparat imperfectè per pios voluntatis actus, non tamen perfectos, ob virtutem ejuſdem motionis ad hos actus imperfectos efficacis, nondum tamen efficacis ad actus perfectos. Motio autem Dei eſt perfecta vel imperfecta, ſeu potiùs ad bonum non perfectum, major eſt vel minor ſecundùm voluntatem Dei, *quia Spiritus ſanctus, voluntatis diſpoſitionem vel conatum præveniens, movet mentem hominis vel plus vel minùs ſecundùm ſuam voluntatem.* Ergo motio Dei voluntatem præparantis ad gratiam, ſemper eſt efficax ad aliquem pium voluntatis actum, ſeu perfectum, ſeu imperfectum, ad eum ſcilicet ad quem ex Dei, vel plùs vel minùs ſecundùm ſuam voluntatem moventis, intentione ordinatur. Hoc unum eſt quod tenemus, quodque ex hoc S. Thomæ teſtimonio certiſſimè colligimus, & quod, Pater mi, negare non potes, niſi gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus, ſeu perfectos, ſeu imperfectos neceſſitatem rejicias, & S. Thomæ deſertor & transfuga à Thomiſtis omnibus haberi velis.

Atque ex his intelligitur, id

quod S. Thomas de gratiæ habitualis conſecutione docet, pariter verum eſſe de ſingulis pietatis actibus, juxta hoc generale pronuntiatum: *Præparatio ad gratiam ſecundùm quod eſt à Deo movente, habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt.* Unde ſequitur quod quemadmodum ſi ex intentione Dei moventis eſt, ut homo cujus cor movet, conſentiat, & gratiam habitualem conſequatur, conſentit & gratiam habitualem conſequitur; ita etiam ſi ex intentione Dei moventis eſt, ut homo, cujus cor movet, velle incipiat, credat, oret, pœnitentiam agat, mandatum aliquod ſervet ſicut oportet, aliquam tentationem vincat, in oratione & juſtitiâ perſeveret, infallibiliter velle incipiet, credet, orabit, pœnitentiam aget, mandatum ſervabit ſicut oportet, tentationem vincet, in oratione & juſtitiâ perſeverabit. Quare etiam S. Thomas expreſsè dicit, quod ille infallibiliter in juſtitiâ perſeverat, quem Deus ad actum charitatis movet; ut hinc evidenter pateat S. Thomam de ordine motionis divinæ, non solùm quantùm ad gratiam habitualem infallibiliter conſequendam, ſed etiam quantùm ad actus charitatis infallibiliter eliciendos & ad tentationes peccati mortalis certiſſimè vincendas loqui. *Unde*, inquit 2. 2. quæſt. 24. art. 11. *impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, ut Auguſtinus dicit in libro De prædeſtinatione Sanctorum.*

ARTICULUS IV.

In quo exponuntur quinque S. Thomæ teſtimonia, quibus P. Nicolaï pravam ſuam interpretationem confirmare nititur.

MUlta poſteà ex variis S. Thomæ locis teſtimonia refert P. Nicolaï ad ſuæ expoſitionis confirmationem, ſed ita aliena à propoſito, ut vel ad hanc rem nullo modo pertineant, vel ſenſum à nobis poſitum etiam confirment.

Primum eſt in hæc verba: *Omnis qui audivit*, &c. ſcilicet lect. 5. in 6. caput Joannis, ubi S. Thomas ſic loquitur: *Duo ponit: unum ſcilicet quod pertinet ad donum Dei, cùm dicit*, Audivit, *ſcilicet Deo revelante: aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, cùm dicit*, Et didicit, *ſcilicet per aſſenſum: & iſta duo neceſſaria ſunt in omni doctrinâ fidei.* Sed quorſum hoc teſtimonium? Quis enim dubitat in omni actu libero, quo homo ſe præparat, duo eſſe neceſ-

neceſſaria, unum quod pertinet ad gratiam, aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, & neminem gratiam habitualem conſequi, niſi qui Deo moventi conſenſerit? Sed dicimus, in eo qui conſentit, talem & tam efficacem eſſe motionem, ut ipſa vi ſuâ faciat illum conſentire. Nam *hæc verba*, inquit: *Omnis qui audivit à Patre; attractionis efficaciam ſignificant.* Quoties ergo Deus intendit aliquem gratiam habitualem conſequi, eum ſic movet efficaciter & perfectè, ut conſentiat ac plenè velit, atque ita gratiam habitualem conſequatur. An S. Thomas in hunc locum Joannis quid contrarium ſtatuit?

Deinde P. Nicolaï obſervat hæc Chriſti verba, *Omnis qui audivit à Patre*, &c. à S. Thomâ in Quodlibetis, ſcilicet Quodlibeto 3. art. 6. intellecta eſſe de vocatione internâ cui diſſentimus. Falſum illud eſt. Ibi enim S. Thomas nihil aliud agit, quàm ut probet in genere nos à Deo adjuvari per interiorem vocationem, atque id confirmat ex his Chriſti verbis, *Omnis qui audivit à Patre*, &c. & ex his Apoſtoli Rom. 8. quæ de vocatione efficaci, quæ eſt ſecundùm propoſitum, ſemper intelligit, *Quos prædeſtinavit & vocavit.* Alibi verò illa verba, *Omnis qui audivit*, ſemper expreſsè exponit de vocatione interiori efficaci cui conſentimus, ut patet ex ipſo ejus commentario in hunc locum, Et 1. p. q. 43. art. 5. ad 2. Et 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. & art. 3. Et in c. 8. ad Rom. lect. 6.

3. Pater Nicolaï id citat ex Quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Deus movet omnia ſecundùm modum eorum, & ideò divina motio à quibuſdam participatur cum neceſſitate, à naturâ rationali cum libertate, propter hoc quòd virtus rationalis ſe habet ad oppoſita, & ideò ſic Deus movet mentem humanam ad bonum, quòd poteſt huic motioni reſiſtere. Ac ita quidem poteſt* (ſubjungit P. Nicolaï) *ut ei reſiſtat aliquando, non imminuens ejus efficaciam vel virtutem, ſed obſtaculum effectui per diſſenſum opponens.*

Quid aliud vel Molina ipſe ad gratiam per ſe efficacem S. Thomæ auctoritate evertendam ſcriberet? Nam juxta Patris Nicolaï commentarium, motio de qua hîc loquitur S. Thomas, & cui poteſt homo reſiſtere, talis eſt *ut ei reſiſtat aliquando, obſtaculum effectui per diſſenſum apponens*; & in ejuſdem ſententia, hic ſenſus eſt ſecundùm quem S. Thomas dicit quòd poteſt huic homo reſiſtere. Ergo, ſi Patri Nicolaï credimus, in doctrinâ S. Thomæ nulla datur gratia per ſe efficax, ſeu quæ vi ſuâ effectum inferat & conſenſum operetur, qualem intelligunt Thomiſtæ omnes. Id evidenter patet hoc argumento.

Juxta S. Thomam, quia motio divina participatur cum libertate à naturâ rationali, quæ ſe habet ad oppoſita, ſic Deus hominem ad bonum movet, quòd poteſt huic motioni reſiſtere: ergo

go ſi S. Thomas intelligat per hæc verba, ita hominem poſſe reſiſtere motioni, ut ei reſiſtat aliquando, obſtaculum effectui per diſſenſum apponens, ſicut exponit P. Nicolai, ſequitur motionem divinam, cui nunquam reſiſtitur, & cujus effectui obſtaculum per diſſenſum non apponitur, non participari à naturâ rationali cum libertate. Atqui motio per ſe efficax, ut à gratia ſufficiente dictà diſtinguitur, ſecundùm omnes Thomiſtas, ea eſt cui nunquam reſiſtitur, & cujus effectui obſtaculum per diſſenſum non apponitur. Ergo in doctrinâ S. Thomæ, ut à Patre Nicolài exponitur, motio per ſe efficax non participatur à naturâ rationali cum libertate, hoc eſt libertatem evertit, ac proinde non datur.

Quare Petrus à S. Joſeph, famoſus Moliniſta, in libro quem pro S. Thomæ defenſione inſcripſit, hoc idem teſtimonium eodem quo P. Nicolai ſenſu, ad prædeterminationem phyſicam S. Thomæ auctoritate evertendam, laudat. Illo enim relato diſp. 1. Sect. 10. §. 1. p. 189. ſic concludit: *Motio ergo divina non prædeterminat phyſicè voluntatem noſtram ad opus bonum, quia repugnat talem motionem carere effectu, ſeu quòd voluntas illi reſiſtat: & perpende rationem, quia virtus rationalis ſe habet ad appoſita, ideò motio divina debet participari ab illâ cum libertate, ſeu cum indifferentiâ ad utrumque.* Et P. Nicolaï Moliniſtis tam ignaviter gratificans (Suffragii Cenſorii pag. 46.) S. Thomæ deſertor, transfuga & corruptor non vocabitur? Proditor non audiet ille, qui Thomiſticæ Scholæ, adeóque totius Inſtituti Prædicatorum, cujus obſervantiam eſt profeſſus, prærogativam præcipuam & ſingularem, quantùm in ſe eſt, exponit comtemtui, ac dedecore afficit?

Neque verò hic nos in exponendo S. Thomæ teſtimonio laborabimus, cùm S. Thomas in eo de motione efficaci loquatur, cui poteſt homo reſiſtere; quia, cum ſit liber, ſe habet ad oppoſita; ſed cui nunquam reſiſtit, ſeu quam nunquam reſpuit, ſcilicet quantùm ad hunc effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur.

Quantùm autem ad argumentum quod ex eo loco contra prædeterminationem phyſicam, ſeu gratiam per ſe efficacem petitur, illud non ſolvimus, quia hoc opere iſtam de gratiâ efficaci doctrinam à S. Thoma aſſertam eſſe non probamus, ſed ſupponimus.

4. P. Nicolai refert hoc teſtimonium è quæſt. diſputatis de malo q. 6. quæ eſt de electione humanâ art. unico ad 3. in tertio arg. ſic concludit. *Si ergo voluntas hominis immobiliter movetur à Deo, ſequitur quòd homo non habeat liberam electionem ſuorum actuum.* Sic verò reſpondet: *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt; ſed propter naturam voluntatis motæ,*

quæ

quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Tum ſubjungit P. Nicolaï: Quid eſt enim neceſſitatem non induci, niſi talem non eſſe motionem quæ ad effectum neceſſariò determinet? Quid eſt manere libertatem & hujus cauſam reddi conditionem voluntatis, quæ ſe habeat indifferenter ad diverſa, niſi ad eam in diverſa, poſt motionem licet, indifferenter ferri poſſe?

Hoc teſtimonium de motione efficaci, ſicut & præcedens, intelligitur: ergo ſi illud adducis, Pater mi, ad oſtendendum motionem Dei ob libertatem, talem debere eſſe, ut illi aliquando reſiſtatur, obſtaculo ejus effectui per diſſenſum oppoſito, confirmas pariter gratiam efficacem ſeu prædeterminantem à S. Thomâ negari, quia libertatem evertit. Ea enim gratia cui quandoque reſiſtitur, non eſt efficax & prædeterminans. Si verò illud adducis ſolùm ad oſtendendum poſſe motioni Dei reſiſti, non probas quod in quæſtione eſt. Quæritur enim, an motio Dei ſemper habeat effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur, & an nunquam illi, quantùm ad hunc effectum, reſiſtatur. Hoc unum eſt quod aſſerimus, & quod allatum à te teſtimonium luculenter confirmat: elige ergo, mi Pater, an Molinianam, an verò noſtram ſententiam velis hoc teſtimonio confirmare.

Dicimus enim talem non eſſe motionem, quæ ad effectum neceſſariò determinet; ſed talem eſſe, quæ ad effectum infallibiliter & indeclinabiliter determinet propter efficaciam virtutis moventis: ergo illi motioni non reſiſtitur quantùm ad hunc effectum, ad quem ex Dei intentione ordinatur. Nonne teſtimonium à te allatum id evidenter probat? Dicimus manere libertatem, quia voluntas ſe habet ad diverſa: atque ita voluntatem, etiam poſt motionem, in diverſa ferri poſſe, ſed immobiliter ferri ad unum, ad quod ſcilicet determinatur, & ex Dei intentione ordinatur; idque non propter aliquam ſcientiam mediam, non propter aliquam temporis, aut loci, aut temperamenti congruitatem; ſed propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt, *& cui*, ut ait S. Proſper, *tempus agendi ſemper adeſt, quæ geſta velit.* Quid aliud hæc S. Thomæ verba ſignificant? Hoc ſi dicas, noſter es, & Thomiſta; ſi ſecùs, tu ipſe es, & Moliniſta.

5. P. Nicolaï citat hoc teſtimonium ex ipſo articulo 3. 1. 2. q. 112. quem expendimus. In 1. argumento hæc habet S. Thomas. *Videtur quòd ex neceſſitate detur gratia ſe præparanti ad gratiam, vel facienti quod in ſe eſt: quia ſuper illud Rom. 5. Juſtificati ex fide pacem habeamus, &c. dicit gloſſa, Deus recipit eum qui ad ſe confugit, aliter eſſet in eo iniquitas: ſed impoſſibile eſt in Deo iniquitatem eſſe: ergo eſt impoſſibile quod Deus non recipiat eum qui ad ſe confugit: ex neceſſitate igitur gratiam aſſequitur.*

tur. Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd gloſſa illa loquitur de illo qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrii jam per gratiam informati, quem ſi non reciperet, eſſet contra juſtitiam quam ipſe ſtatuit: vel ſi referatur ad motum liberi arbitrii ante gratiam (habitualem nempe, de quâ priùs) *loquitur ſecundùm quod ipſum confugium hominis ad Deum eſt per motionem divinam, quam juſtum eſt non deficere.*

Quid hinc ſequitur? niſi eum cujus Deus cor movet, ut ad Deum confugiat, eâ intentione ut à Deo recipiatur, & gratiam conſequatur, infallibiliter ad Deum confugere, à Deo recipi, & gratiam conſequi; quia juſtum eſt motionem divinam non deficere, hoc eſt, eum habere effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur. Si ergo à Deo moveatur, & tamen ad Deum non confugiat, quantùm oportet ad gratiæ conſecutionem, ſignum eſt eum non fuiſſe perfectè motum à Deo, & eâ intentione ut ad Deum, quantùm oportet ad gratiæ conſecutionem, confugeret; quanquam fuerit à Deo motus ad aliquod bonum, non tamen perfectum: unde ſequitur eum ex eâ motione ſe præparaviſſe imperfectè, quia juſtum eſt motionem divinam non deficere, hoc eſt, habere eum effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur.

ARTICULUS V.

In quo oſtenditur quàm temerè P. Nicolaï Conradi Koëllin teſtimonium ad ſuam expoſitionem confirmandam referat, cùm è contrario noſtram confirmet.

DEmum P. Nicolaï Conradi Koëllin ex Ordine Prædicatorum, S. Thomæ interpretis celeberrimi commentarium nobis opponit. Sic loquitur P. Nicolaï. *Sit efficax motio quæ hominem perducat ad gratiam, quia talem eſſe vult intentio quæ deficere nunquam poteſt; numquid non eſt alia quam contingat ideò deficere, quia homo diſſentit, quia ejus effectum per diſſenſum excludit? Nota* (*inquit Conradus Koëllin ſuper hunc ipſum locum quo tam effuſè Janſeniani gloriantur*) *quòd concluſio S. Thomæ notanter dicit: Iſto modo præparatio ad gratiam habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo: quia contingit ut Deus moveat hominem ſufficienter, qui tamen non conſequitur gratiam propter diſſenſum ejus ad gratiam; ſed tunc non eſt intentio Dei quòd ipſam gratiam conſequatur, nec illam motionem ad gratiam ordinat.* (Hæc ſequuntur apud Conradum quæ P. Nicolai non retulit) *Quare Doctor ſanctus dicit, quòd ex præparatione ut eſt à Deo, homo quidem conſequitur quod Deus intendit; ſed*

ſed niſi intendat efficaciter movere & conferre gratiam, tunc ipſam non conſequitur. Et ideò Doctor ſanctus, quaſi ſtatim hoc notando dicit in conſequente: Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet, conſequatur gratiam, infallibiliter ipſam conſequitur, quia non ſtant ſimul propoſitum divinæ voluntatis, & fruſtratio effectus, ut habet Doctor ſanctus.

Neotericus porrò Thomiſta non eſt, inquit P. Nicolaï, *qui Concilium Tridentinum præceſſit; non ex eorum turba unus, quos Jeſuitæ corruperint, qui Jeſuitas nunquam vidit, nondum ſuo tempore inſtitutos; non calumniis obnoxius, quas tam audacter, etſi tam ridiculas & inſulſas Janſeniani deblaterant; non tam obſcuræ famæ, ut illius repudiare teſtimonium poſſint*, &c. Sic P. Nicolaï veterem & inſignem Thomiſtam laudat ipſius ſententiæ in omnibus repugnantem.

P. Nicolaï ſe quæſtionis ſtatum non intelligere, vel non intelligere velle declarat. Quid enim toto hoc Conradi Koëllin teſtimonio, quod ſententiæ noſtræ penitùs conforme non ſit? *Sit efficax motio*, inquit P. Nicolaï, *quæ hominem perducat ad gratiam, quia talem eſſe vult intentio quæ deficere nunquam poteſt, numquid non eſt alia, quam contingat ideò deficere, quia homo diſſentit, quia ejus effectum per diſſenſum excludit?* Æquivoca ſunt verba, quorum ſenſus ſi diſtinguatur, res plana fiet. Dum enim quæritur, numquid non ſit motio quæ ideò deficiat, quia homo diſſentit, & ejus effectum per diſſenſum excludit, vel ſermo eſt de effectu motionis ad quem ex naturâ ſuâ refertur, vel de effectu motionis ad quem ex Dei intentione ordinatur.

Hoc poſito dicimus, nullam eſſe Dei motionem, quæ quoad effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur, deficiat, ſeu quæ hunc effectum non obtineat, ac nunquam hominem motioni quoad hunc effectum diſſentire, & impedimentum ponere. Dicimus autem eſſe aliquam motionem, quæ quoad effectum ad quem ex naturâ ſua refertur, aliquando deficit, quia homo diſſentit, & hunc ejus effectum per diſſenſum excludit. Et hic ſenſus eſt Conradi Koëllin, cum hæc habet: *Contingit ut Deus moveat hominem ſufficienter* (hoc eſt per motionem quæ non eſt efficax ad conſenſum, & ad gratiæ conſecutionem, nec à Deo ad illa ordinata) *qui tamen non conſequitur gratiam, propter diſſenſum ejus ad gratiam.* Quid ex his verbis ſequitur, niſi quod diſſenſus liberi arbitrii eſt cauſa cur is qui à Deo movetur, non conſequitur gratiam habitualem? Id fatemur: hoc unum iſto teſtimonio probatur. Sed quæritur an conſequi gratiam reducatur in liberi arbitrii conſenſum, velut in cauſam: & an ordo infallibilis motionis divinæ ad gratiam conſequendam, pendeat ex liberi arbitrii conſenſu & uſu; an vero ex Dei intentione & ordinatione, & ex ipſius motionis virtute & efficaciâ? Aſ-

ſerimus

ſerimus illum pendere ex Dei intentione & ordinatione, & ex ipſius motionis virtute & efficaciâ: hinc rectè concludimus motionem Dei nunquam fruſtrari eo effectu ad quem ex Dei intentione ordinatur: ex S. Thomâ id probavimus. Conradus Koëllin in teſtimonio allato non ſolùm id non negat, ſed confirmat: *Quare*, inquit, *Doctor ſanctus dicit, quòd ex præparatione ut eſt à Deo, homo quidem conſequitur quod Deus intendit; ſed niſi intendat efficaciter movere & conferre gratiam, tunc ipſam non conſequitur, & ideò Doctor quaſi ſtatim hoc notando dicit in conſequente: Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet, conſequatur gratiam, infallibiliter ipſum conſequitur, quia non ſtant ſimul propoſitum divinæ voluntatis, & fruſtratio effectus.* Et ibidem: *Præparatio & facere quod in ſe eſt, conſideratur ſecundùm quod eſt à Deo movente, quia ſcilicet Deus facit voluntatem velle & deſiderare gratiam & juſtificationem.* Ibidem: *Voluntas & liberum arbitrium non poſſunt cogi etiam à Deo, poteſt tamen infallibiliter moveri, quia immutatio voluntatis eſt in poteſtate Dei, & ſecundùm ejus immutationem poteſt imprimere habitum & gratiam, & perfectè vel minùs perfectè movet.*

Poſteà autem in reſponſione ad 2. argumentum: *Dico*, inquit, *quòd non accipere gratiam* (ſcilicet habitualem) *reducitur in cauſam, in liberum arbitrium ponens obicem gratiæ. Sed accipere gratiam, non eſt ex libero arbitrio, ſed ex Deo.* Denique in reſponſione ad 1. dicit: *Quod ſicut in naturalibus diſpoſitio quæ eſt neceſſitas, eſt ex efficaciâ agentis; ita præparatio ad gratiam eſt neceſſitas ad gratiam ut eſt à Deo, & cum hoc ordinata ad gratiam conſequendam.* Unde ſequitur quòd juxta hunc S. Thomæ interpretem, ſicut & juxta S. Thomam, omnis Dei motio ſemper habet cum effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur: quia intentio Dei deficere non poteſt, licet aliquando propter impedimentum quod homo ponit per diſſenſum, non habeat eum effectum ad quem ex naturâ ſuâ refertur.

Obiter nota circa hanc vocem, *ſufficienter*, quâ utitur Conradus Koëllin: *Contingit*, inquit, *ut Deus moveat hominem ſufficienter, qui tamen non conſequitur gratiam propter diſſenſum ejus ad gratiam*, quod etſi interpres ille his in verbis cum S. Thomâ quoad rem omnino conſentiat, ut probavimus, tamen in loquendi modo ab eo diſſentit, cùm ſufficienter movere, diſtinguit ab eo quod eſt efficaciter movere; ſiquidem antea oſtendimus art. 1. ſufficienter,& efficaciter movere apud S. Thomam idem eſſe, & idem ſignificare: oſtendimus gratiam actualem ſufficientem ad aliquid agendum, ſemper ab eodem Sancto ſumi pro ea, præter quam ad id agendum alia non requiritur: oſtendimus etiam juxta eumdem Sanctum præparationem ſufficientem ad gratiam habitualem

lem eam eſſe, quæ tanta eſt, quanta ad gratiam habitualem habendam requiritur, & quam ſtatim ſequitur gratia habitualis. Quoad rem autem cum S. Thomâ omnino conſentit Conradus, quia per motionem ſufficientem nihil aliud intellexit quàm gratiam excitantem ac præparantem, quæ dat parvam & invalidam voluntatem, quæque ineſficax eſt ad plenam voluntatem, & ad eum conſenſum quem gratia habitualis infallibiliter ſequitur. Contingit ergo aliquando aliquem ſic à Deo moveri, qui tamen non conſequitur gratiam habitualem propter diſſenſum ejus. Id nos cum iſto auctore profitemur, ut anteà expoſuimus.

Et ex eodem auctore facilè confirmari poteſt, nullam eſſe gratiæ divinæ motionem quæ ad aliquem pium voluntatis actum, imperfectum vel perfectum, ſemper efficax non ſit, prout ex Dei, vel plùs, vel minùs moventis intentione ordinatur. Docet enim juxta S. Thomam gratiam convenienter dividi in operantem & cooperantem: quæ diviſio adæquata cùm ſit, omnem gratiam actualem ſeu motionem complectitur. Docet inſuper juxta eumdem Sanctum, voluntatem per gratiam operantem ſemper bonum velle: *Quia*, ut ait S. Thomas, *ſecundùm quod Deus movet humanam mentem ad actum interiorem voluntatis, ſcilicet ad bonum velle, dicitur gratia operans.* Docet hoc bonum velle eſſe actum liberum: *Quia*, ut ait S. Thomas, *homo ſic agitur à Spiritu ſancto, quòd etiam agit, in quantùm eſt liberi arbitrii*; dici ergo à S. Thomâ, quòd *per gratiam operantem voluntas eſt mota & non movens*; *non quia*, inquit, *voluntas non concurrit ad actum ſuum, ſed quia gratia prævenit & inclinat & facit voluntatem velle.* Sicut autem per gratiam operantem ſemper homo bonum vult actu libero, ita etiam per cooperantem ſemper efficaciter operatur bonum quod voluit, vel in eo perſeverat, ſeu ſemper cooperatur gratiæ; aliàs non eſſet gratia cooperans. *Gratia cooperans*, inquit idem Koëllin, *eſt divinum auxilium, quo Deus cum voluntate concurrit ad opus meritorium faciendum, & quo ipſum in bono conſervat, & à lapſu præſervat.* Ergo cùm nulla ſit actualis Dei in voluntate motio, niſi per gratiam operantem, vel per gratiam cooperantem, nulla eſt Dei motio ex quâ non ſequatur bonum velle, vel bonum operari, ſeu in bono perſeverare, & quæ proinde non ſit efficax ad aliquem piæ voluntatis actum, ad quem ſcilicet ex Dei, vel hoc vel iſto modo, vel plus vel minùs moventis, intentione ordinatur. Hæc genuina eſt S. Thomæ doctrina, cùm gratiam actualem convenienter per operantem & cooperantem dividi docet, ut Arnaldus ampliùs oſtendit in Scripto De doctrina S. Thomæ art. 10. Hæc etiam eſt Conradi Koëllin in hunc S. Thomæ Articulum doctrina:

ctrina : hoc unum eſt quod aſſerimus.

En ergo fractæ diſſolutæque machinæ omnes, en repulſi conatus quibus P. Nicolai hunc murum aheneum expugnare fruſtra tentavit : quanquam vel ſolùm vociferante illo, & clangente tuba murus hic velut Jerichontinus illicò ruiturus videretur. Impugnemus jam munimenta omnia, quæ ille ad ſui defenſionem poſuit.

ARTICULUS VI.

In quo exponuntur omnia teſtimonia quibus P. Nicolaï probare nititur, gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem; ac primò circa illud, Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.

Pater Nicolaï octo S. Thomæ teſtimonia hinc inde colligit, ut gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem oſtendat. Singula referenda ſunt.

Primum oſtendit n. 3. illud Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*, à S. Thomâ de Spiritu ſancto non ſolùm exteriùs loquente, ſed etiam interiùs movente expoſitum. Illud fatemur; ſed juxta ſenſum ſupra allatum : reſiſtimus ſcilicet gratiæ interiori quoad effectum ad quem ex naturâ ſuâ refertur, non verò quoad effectum ad quem ex Dei moventis intentione ordinatur : nec aliud probat teſtimonium quod citat ex Quodlibero 2. art. 6.

P. Nicolaï addit, *Ad convictionem reſiſtentium non ſufficere, ſi Spiritus ſanctus ſolùm exteriùs per Prophetas, & non interiùs loqueretur* : ſed illud ex hoc eodem loco falſum eſſe convincitur. Nam ut oſtendimus Sect. 2. art. 3. ſanctus Thomas hìc docet homines teneri ad credendum, ſi à Deo per aliquem ex his modis adjuventur, ſeu per interiorem vocationem quâ quoſdam attraxit; ſeu per doctrinam & prædicationem exteriorem; ſeu per exteriora miracula : ullum verò ex his modum ſolitariè ſumtum neceſſarium eſſe nequaquam dicit.

P. Nicolaï idem confirmat alio teſtimonio 1. ad cor. 12. lect. 1. hæc habet S. Thomas : *Nemo ergo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu, quia nullus per Spiritum Dei peccat mortaliter; quia, ut dicitur Sap. 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Sed ſecundùm hoc videtur, quod quicumque habet Spiritum ſanctum, non poſſit peccare mortaliter; quia etiam dicitur Joannis 3. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. Sed dicendum eſt, quòd quantùm eſt ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum, ſed magis retrahitur à peccato : poteſt tamen peccatum facere ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritui ſancto reſiſtit, ſecundùm illud Act. 7. Vos autem ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* (Hæc

verba

verba ſequentia P. Nicolaï reticuit) *Non enim per Spiritum ſanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi à libero arbitrio totaliter in vitâ præſenti, & ideò ſignanter Apoſtolus non dixit: Nemo Spiritum Dei habens; ſed, Nemo in Spiritu Dei loquens.* Hîc propriè ſermo eſt de Spiritu ſancto inhabitante, hoc eſt, de gratia habituali, ut patet ex his verbis: *Videtur quòd quicumque habet Spiritum ſanctum* (ſcilicet inhabitantem) *non poſſit peccare mortaliter*; & ex his aliis: *Non enim per Spiritum ſanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi.* Fraudulenter ergo P. Nicolaï hujus teſtimonii caput & calcem truncavit, ne S. Thomam de gratiâ habituali loqui innoteſceret. Itaque S. Thomas hîc docet, quòd per Spiritum ſanctum inhabitantem nemo peccat mortaliter, ſed potiùs retrahitur à peccato: verùm, quia per illum facultas peccandi non tollitur, ideò homo defectu voluntatis humanæ, Spiritui ſancto inhabitanti reſiſtentis, aliquando peccat. Licet autem hæc verba, *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*, vulgò de Spiritu ſancto vel exteriùs per doctrinam, vel interiùs per illuminationem aut etiam inſpirationem loquente intelligantur, manifeſtum tamen eſt hîc à S. Thomâ accommodari Spiritui ſancto inhabitanti, & de eo intelligi.

Sed eſto, ſermo ſit de Spiritu ſancto interiùs movente, ſeu de gratiâ actuali: illi reſiſtimus quoties defectu voluntatis humanæ ea ad quæ ſuis motibus nos excitat & inclinat, non perficimus. Et idem eſt ſenſus verborum quæ ſequuntur in 1. ad Theſſal. c. 5. lect. 2. ſuper illud: *Spiritum nolite extinguere. Sed tamen dicitur quis extinguere Spiritum uno modo, fervorem ejus exſtinguendo, vel in ſe, vel in alio, Rom. 12. Spiritu ferventes. Cùm enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus ſancti vult facere: vel etiam cùm aliquis bonus motus ſurgit & ipſe impedit, exſtinguit Spiritum ſanctum; Act. 7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Tunc ſcilicet impedimus bonum motum voluntatis qui in nobis ſurgit, quoties non operamur nec perficimus bonum quod velle incepimus: & hoc eſt gratiæ Dei non cooperari, divinis inſpirationibus non correſpondere, exſtinguere Spiritum ſanctum, Spiritui ſancto reſiſtere.

ARTICULUS VII.

In quo exponuntur teſtimonia n. 4. relata.

Quid ſit, Eſſe in naturâ humanâ ut mens non repugnet interiori inſtinctui & exteriori prædicationi veritatis; *&, quid ſit* interior inſtinctus.

SEd *audiamus* (inquit P. Nicolaï n. 4.) *hoc ipſum dogmaticè in Summâ inculcantem, & pari ſenſu antedictum teſtimonium explicantem.*

tem. Audiamus; ſed ut meliùs intelligamus, totus articulus expendendus eſt.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 1. quærit, utrùm infidelitas ſit peccatum. Argumentum 1. ſic proponit. *Videtur quòd infidelitas non ſit peccatum. Omne enim peccatum eſt contra naturam, ut patet per Damaſcenum in 2. libro: ſed infidelitas non videtur eſſe contra naturam. Dicit enim Auguſtinus in libro De prædeſtinatione Sanctorum, quòd poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt omnium hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium. Ergo non habere fidem, quod eſt infidelium, non eſt contra naturam, & ita non eſt peccatum.* Sic reſpondet.

Ad 1. ergo dicendum, quòd habere fidem non eſt in naturâ humanâ: ſed in naturâ humanâ eſt, ut mens hominis non repugnet inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi: unde infidelitas ſecundùm hoc eſt contra naturam.

Horum verborum ſenſus eſt, in animâ non eſſe potentiam naturalem ad fidem, ut docet S. Auguſtinus, ſed obedientialem, quæ à Theologis vocatur non repugnantia, quæ eſt, ut ait S. Thomas 3. p. q. 11. art. 1. *per comparationem ad agens primum, quod poteſt quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale.* Licet ergo non ſit in naturâ humanâ, ut eſt potentia naturalis, conſentire fidei, eſt tamen in illa ut eſt potentia, obedientiæ illi non repugnare, hoc eſt fidei auditum & inſtinctum recipere, ſeu, ut docet in quæſt. diſp. de verit. quæſt. 2. de peccatis art. 11. *Gratia quidem eſt ſupra naturam animæ, & tamen in naturâ animæ vel cujuſcumque creaturæ rationalis eſt aptitudo quædam ad gratiæ ſuſceptionem.* Et art. 10. *Impoſſibile eſt quòd per peccatum tollatur totaliter bonum naturæ, quod eſt aptitudo vel habilitas ad gratiam.* Hæc autem duo conjungit S. Thomas, inſtinctum & exteriorem veritatis prædicationem, non quòd ea ſemper ſimul adeſſe neceſſe ſit, ſed quia duobus his modis homines à Deo adjuvantur ad credendum, ut docet S. Doctor Quodlibeto 2. art. 6. primò quidem per interiorem vocationem, quàm poſteà vocat inſtinctum interiorem; ſecundò per doctrinam & prædicationem exteriorem, *& his modis*, inquit ibidem, *tenentur homines acquieſcere.*

Nec verò S. Thomas hoc in argumento (ut falsò ſupponit P. Nicolai) quærit, An reus ſit qui non credit, nec, An poſſibilis ſit fides; ſed, An infidelitas, cùm non ſit contra naturam, ſit peccatum. Verùm P. Nicolai argumentum ſecundum S. Thomæ cum primo confudit. Nam S. Thomas in ſecundo ſolùm argumento de poſſibilitate fidei agit. 2. *Præterea*, inquit, *nullus peccat in eo quod vitare non poteſt.* &c. quod ſolvendo, nullam omninò vocationis interioris, ſeu gratiæ mentionem facit.

Sed quando P. Nicolai contendit, nunquam homines teneri acquieſ-

quieſcere fidei, niſi ſimul cum prædicatione exteriori adſit interior vocatio, rogandus eſt ut vel articulum legat quem laudat, ut in eo ſuum errorem agnoſcat. Nam S. Thomas hoc art. 1. quærit, *An infidelitas ſit peccatum*, reſpondetque infidelitatem negativam non eſſe peccatum; eam autem eſſe peccatum, cùm quis repugnat auditui fidei, hoc eſt exteriori prædicationi veritatis, de quâ ſcilicet dicit Iſaïas, *Quis credidit auditui noſtro?* & de qua dicit Apoſtolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?*

Reſpondeo dicendum, inquit, *quòd infidelitas dupliciter accipi poteſt: uno modo ſecundùm puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc ſolo quòd non habet fidem: alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundùm contrarietatem ad fidem, quia ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, & etiam contemnit ipſam, ſecundùm illud Iſaïæ 53. Quis credidit auditui noſtro? Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & ſecundùm hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis conſecuta eſt: qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.*

Quæ doctrina ſi cum eâ conferatur, quam præcedente q. 2. art. 5. in reſp. ad 1. tradit, conſtabit evidentiſſimè, ad rationem peccati non requiri, ut gratia, ſeu vocatio interior, ſimul cum prædicatione exteriori adſit. Ibi enim docet aliquos teneri ad credendum articulos fidei, quibus non datur gratia, ſine quâ credere non poſſunt. Si tenentur credere, peccant non credendo: ſi peccant, audierunt; nec tamen data eſt illis Dei gratia, ſine quâ credere non poſſunt.

Similiter cùm S. Thomas hæc Apoſtoli verba Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt? Sed non omnes obediunt Evangelio*, exponit in ſuo Commentario in 10. ad Rom. lect. 2. docet aliud ad infidelitatis peccatum non requiri, quàm auditum verbi; & gratiam interiorem, quæ ad fidem neceſſaria eſt, à Deo non dari omnibus quibus Evangelium prædicatur. *Deinde*, inquit, *cùm dicit*, SED NON OMNES OBEDIUNT EVANGELIO, &c. *oſtendit ex prioribus non ſemper ſequi poſteriora. Licet enim non poſſit eſſe, quòd quis credat, niſi audiat à prædicante; non tamen quicumque audit à prædicante, credit. Et hoc eſt quod ſubdit: Sed non omnes obediunt Evangelio, 2. Theſſ. 3. Non enim omnium eſt fides. Hoc autem dicit ideò, ut oſtendatur quòd verbum exterius loquentis non eſt cauſa ſufficiens fidei, niſi cor hominis attrahatur interiùs virtute Dei loquentis, Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: & ſic quod homines credunt, non eſt attribuendum prædicatoris induſtriæ,*

Per.

Per hoc etiam oſtenditur, quòd omnes increduli non excuſantur à peccato, ſed illi qui non audiunt, & non credunt, Joan. 10. Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.

Juxta hæc verba S. Thomas, ut quis ab infidelitatis peccato non excuſetur, hoc ſolùm requirit, ut audiat verbum fidei: & eos ſolùm à peccato excuſari dicit, qui non audiunt & non credunt. Docet etiam ideò dici ab Apoſtolo, *Non omnes obediunt Evangelio*: &, *Non omnium eſt fides*, ut oſtendatur, quòd verbum exteriùs loquentis non eſt cauſa ſufficiens ſalutis, niſi cor interiùs trahatur. Ergo indicat omnium qui audiunt cor interiùs non trahi; quod tamen requiritur ut credant: indicat ex hoc quòd non omnes qui audiunt, Evangelio obediunt, ſignum eſſe, quod cor omnium qui audiunt, intus non trahitur. Quomodo enim per hæc verba: *Sed non omnes obediunt Evangelio*, oſtenderetur verbum exteriùs loquentis non eſſe cauſam ſufficientem fidei, ſed prætereà requiri, ut cor interiùs à Deo attrahatur, ſi cor eorum omnium qui non obediunt Evangelio ſibi annuntiato, intùs à Deo traheretur: & tamen illi omnes qui audiunt, juxta S. Thomam, tenentur credere, & ab incredulitatis peccato non excuſantur, licet illis per Evangelii prædicationem non adſit cauſa ſufficiens fidei.

Idem docet in quæſt. diſp. de verit. quæſt. 27. quæ eſt de gratiâ art. 3. ad 12. *Dicendum*, inquit, *quòd auditus non eſt cauſa ſufficiens fidei: quod patet ex hoc quod multi audiunt qui non credunt. Sed cauſa fidei eſt ille qui facit credentem aſſentire his quæ dicuntur: non autem* AD ASSENTIENDUM *cogitur aliquâ neceſſitate rationis, ſed voluntate. Et ideò homo exteriùs annuntians non cauſat fidem, ſed Deus, qui ſolus voluntatem poteſt mutare. Cauſat autem fidem in credente, inclinando voluntatem, & illuſtrando intellectum fidei, ut non repugnet his quæ à prædicatore proponuntur; prædicator autem ſe habet ſicut diſponens exteriùs ad fidem.*

Item 2. 2. q. 6. art. 1. in c. *Quantùm verò ad 2.* (inquit) *ſcilicet ad aſſenſum hominis in ea quæ ſunt fidei, poteſt conſiderari duplex cauſa; una quidem exteriùs inducens, ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad fidem: quorum neutrum eſt ſufficiens cauſa. Videntium enim unum & idem miraculum, & audientium eamdem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt; & ideò oportet ponere aliam cauſam interiorem quæ movet hominem interiùs ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei.*

Ergo conſtans eſt S. Thomæ doctrina ubique ab eo tradita, gratiam interiorem ad credendum, omnibus qui audiunt ſemper non dari: ſi quidem eam ad credendum neceſſariam eſſe inde colligit, quòd eorum qui audiunt eamdem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt; & tamen juxta eumdem omnes

qui

qui audiunt, credere tenentur; & non credendo, contra fidem peccant.

Quia verò P. Nicolaï multa ex S. Thomâ teſtimonia laudat, in quibus de interiori inſtinctu loquitur, operæ pretium eſt annotare, quid ſit apud S. Thomam interior inſtinctus. Id explicat præſertim ad Rom. 8. lect. 3. *Conſiderandum eſt*, inquit, *quomodò aliqui aguntur à Spiritu Dei, & poteſt ſic intelligi: Quicumque Spiritu Dei aguntur, id eſt, reguntur ſicut à quodam ductore & directore; quod quidem in nobis facit Spiritus, ſcilicet in quantùm illuminat nos interiùs quid facere debeamus.... Homo autem ſpiritualis non tantùm inſtruitur à Spiritu ſancto quid agere debeat, ſed etiam cor ejus à Spiritu ſancto movetur: ideò plus intelligendum eſt in hoc quod dicitur, Quicumque Spiritu Dei aguntur. Illa enim agi dicuntur, quæ quodam ſuperiori inſtinctu moventur: unde de brutis dicimus, quòd non agunt, ſed aguntur; quia à naturâ moventur, & non ex proprio motu. Similiter autem homo ſpiritualis, non quaſi ex motu propriæ voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus ſancti inclinatur ad aliquid agendum; non tamen per hoc concluditur, quin viri ſpirituales per voluntatem & liberum arbitrium operentur, quia ipſum motum voluntatis & liberi arbitrii Spiritus ſanctus in eis cauſat, ſecundùm illud Phil. 2. Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere.*

Idem quodlib. 2. art. 6. ad 3. *Interior inſtinctus quo Chriſtus poterat ſe manifeſtare ſine miraculis exterioribus, pertinet ad virtutem primæ Veritatis, quæ interiùs hominem illuminat & docet.* Et ad 2. *Chriſtus poterat ſe oſtendere eſſe legiſlatorem, non ſolùm faciendo viſibilia miracula, ſed etiam per auctoritatem Scripturæ, & per interiorem inſtinctum.* Et in 6. Matt. lect. 5. *Sed quia non ſolùm revelatio exterior vel objectum virtutem attrahendi habet, ſed etiam interior inſtinctus impellens & movens ad credendum, ideò trahit & multos Pater ad filium per inſtinctum divinæ operationis moventis interiùs cor hominis ad credendum: Philip. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.*

Itaque interior inſtinctus, ſecundùm S. Thomam, eſt illuminatio intellectus, quâ homo à Deo interiùs docetur quid credere ſeu facere debeat: atque ſæpiùs ſignificat inſpirationem etiam interiorem, quâ cor à Spiritu ſancto movetur & inclinatur ad aliquid agendum Vocatur autem inſtinctus, in quantùm mens hominis non ex proprio motu, ſed à ſuperiori quodam movente agitur. Atque ita apud S. Thomam interior inſtinctus, idem omninò eſt ac vocatio interior, ſeu gratia mentem intùs illuminans ac docens, aut etiam voluntatem intùs movens & inclinans, & operans in eâ velle aut perficere. Eodem ergo ſenſu homo interiori inſtinctui reſiſtit, ſicut interiori gratiæ ac vocationi. S. Auguſtinus inſtinctum ſumit pro interiori & efficaci gra-

tiâ. *Cur ergo* (inquit Julianum alloquens, Oper. perf. lib. 3. c. 168.) *non confiteris ſine ullâ forinſecùs ſonante juſſione, Deum occulto inſtinctu ad quod voluerit efficaciſſimè implendum præparare, atque excitare hominum voluntates, qui liberum non defendis intelligendum, ſed præcipitandum extollis arbitrium.*

P. Nicolaï eodem n. 4. hoc ſequens teſtimonium addit, quod integrum referemus.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 189. art. 1. arg. 4. ex gloſsâ ſuper illud Pſal. *Sicut ablactatus eſt*, hæc refert: *Quia nuper baptiſati in Sabbato ſancto quaſi manibus Eccleſiæ geſtantur, & lacte nutriuntur uſque ad Pentecoſten; quo tempore nulla difficilia indicuntur, non jejunatur, non mediâ nocte ſurgitur: poſteà Spiritu Paracleto confirmati quaſi ablactati incipiunt jejunare, & alia difficilia ſervare.* Id exponens in reſp. ad 4. hæc habet: *Exemplum autem quod in medio interponitur, quod noviter baptiſatis non indicitur jejunium uſque ad Pentecoſten, oſtendit quòd non ſunt ex neceſſitate ad difficilia cogendi, antequàm per Spiritum ſanctum interiùs ad hoc inſtigentur, ut difficilia propriâ voluntate aſſumant: unde & poſt Pentecoſten, poſt receptionem Spiritus ſancti, jejunium celebrat Eccleſia. Spiritus autem ſanctus, ſicut Ambroſius dicit ſuper Lucam, non coercetur ætatibus, non obitu exſtinguitur, non excluditur alvo matris. Et Gregorius dicit in Hom. Pentecoſtes: Implet Citharœdum puerum, & Pſalmiſtam facit; implet puerum abſtinentem, & judicem ſenum facit. Et poſteà ſubdit: Nulla ad diſcendum mora agitur in omne quod voluerit; mox enim ut tetigerit, mentem docet. Et ſicut dicitur Eccleſ. 8. Non eſt in hominis poteſtate prohibere Spiritum. Et Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. monet: Spiritum nolite extinguere. Et Act. 7. contra quoſdam dicitur: Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Hæc omnia, quibus Sancti Spiritus vis ſemper efficax exprimitur, P. Nicolaï non retulit; quia ex his patet, Spiritui ſancto nunquam reſiſti, quoad effectum ad quem ex Dei moventis intentione ordinatur, ſeu quem Deus vult ut habeat. Itaque non alio ſenſu, quàm ſupra poſito, Spiritum exſtinguere, ac Spiritui ſancto, etiam interiùs inſtiganti, reſiſtere aliquis dicitur, cùm ſcilicet id ad quod Spiritus ſanctus eum excitat & inclinat, voluntatis defectu non perficit.

ARTICULUS VIII.

In quo exponuntur duo alia teſtimonia n. 5. relata in cap. 1. ad Rom. ubi juſtificatio in aliquibus fruſtrari dicitur; & è quæſtione 24. de libero arbitrio, ubi peccans in Spiritum ſanctum dicitur operari contra gratiam Spiritus ſancti.

Supereſt expoſitio duorum teſtimoniorum quæ n. 5. referuntur. *Nihil opus*, inquit P. Nicolaï, *addere quæ aliundè addi poſſint*,

ſint: non illud quod ad Rom. lect. 6. ſuper caput 8. dicit, Vocationem interiorem, quæ nihil aliud eſt &c. Sed referendum eſt quod præcedit, ut illius ſenſus meliùs percipiatur. Hæc itaque habet S. Thomas in illud: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit.*

Prædeſtinatio autem ejus irrita eſſe non poteſt, ſecundùm illud Iſaïæ 14. Juravit Dominus exercituum dicens: Si non ut putavi ita erit, & quomodo mente tractavi, ſic eveniet. Primum autem in quo incipit prædeſtinatio impleri, eſt vocatio hominis: quæ quidem eſt duplex, una exterior quæ fit ore prædicatoris, Proverb. 9. Miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem; hoc modo Deus vocavit Petrum & Andream, ut dicitur Matth. 4. Alia verò vocatio eſt interior, quæ nihil aliud eſt quàm quidam mentis inſtinctus, quo cor hominis movetur à Deo ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei vel virtutis. Iſaïæ 41. Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, & vocavit eum ut ſequeretur ſe. Et hæc vocatio neceſſaria eſt; quia cor noſtrum non ſe ad Deum converteret, niſi ipſe Deus nos ad ſe traheret. Joan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Thren. 5. Converte nos, Domine, ad te, & convertemur. Et etiam hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis; quia hujuſmodi vocationi aſſentiunt. Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Unde ſecundo ponit juſtificationem, cùm dicit, Quos vocavit, hos & juſtificavit, ſcilicet gratiam infundendo, ſupra tertio: Juſtificati gratis per gratiam ipſius. Hæc autem juſtificatio, & ſi in aliquibus fruſtretur, quia non perſeverant uſque ad finem, in prædeſtinatis tamen numquam fruſtratur.

Certè hoc teſtimonium addere nihil opus erat. Quid enim hinc ſequitur, niſi eſſe multas vocationes inefficaces, ſcilicet quoad aſſenſum perfectum. Multi enim vocantur, etiam interiùs; nec tamen ad Chriſtum veniunt, quia venire nolunt: ſed ſunt efficaces quoad aliquod piæ voluntatis initium. Sunt enim ex gratia operante, per quam ſemper voluntas movetur à Deo, ut bonum velit: & hoc ſolùm ſenſu aſſerimus gratiam ſemper eſſe efficacem, ſcilicet ad eum effectum, ad quem ex Dei intentione ordinatur. Juſtificatio etiam in aliquibus fruſtrari dicitur, in iis ſcilicet qui peccando mortaliter poſt juſtitiam acceptam, impediunt ne ipſi, qui filii erant, ad Patris hæreditatem perveniant. Nec vim ullam habet Patris Nicolaï argumentatio. *Juſtificationem in aliquibus fruſtrari* (inquit) *eſt in iis qui non uſque ad finem perſeverant, eſſe gratiam quandam quæ ad effectum perſeverandi ordinetur: quia fruſtrari tantùm cauſa illa dicitur, quæ ad effectum non pertingit.* Certè fruſtrari tantùm cauſa illa dicitur, quæ ad effectum non pertingit: ſed ut fruſtrari dicatur, ſatis eſt ſi non pertingat ad effectum ad quem ex ſuâ naturâ refertur: juſtificatio autem de ſe & ex natura ſuâ ad vitam æternam refertur, &

ordinem habet, ſicut æqualis illi in virtute. Nam filii jus habent ad hæreditatem, & gratia pignus eſt hæreditatis.

Dicendum, inquit S. Thomas 1.2. q. 114. art. 3. ad 3. *quòd gratia Spiritus ſancti, quam in præſenti habemus, etſi non ſit æqualis gloriæ in actu, eſt tamen æqualis in virtute: ſicut ſemen arborum, in quo eſt virtus ad totam arborem. Et ſimiliter per gratiam inhabitat hominem Spiritus ſanctus, qui eſt ſufficiens cauſa vitæ æternæ: unde & dicitur eſſe pignus hæreditatis noſtræ* 2. *ad Cor.* 1. Quare, ut ait idem Sanctus quæſt. diſp. de verit. q. 6. art. 4. ad 3. *Non eſt neque ex defectu gratiæ, neque ex defectu dantis gloriam, quòd habens gratiam gloriâ privetur; ſed ex defectu recipientis, in quo impedimentum intervenit.* In illis ergo juſtificatio fruſtrari rectè dicitur, in quibus ad vitam æternam non pertingit.

Sed juſtificatio, ſicut & vocatio, ſemper illum effectum conſequitur, ad quem ex Dei propoſito & intentione ordinatur: quia, ut ait S. Thomas, *intentio Dei deficere non poteſt*, nec ſtant ſimul propoſitum divinæ voluntatis & fruſtratio effectus, ut docet idem ſanctus in 4. diſt. 17, q. 1. art. 2. Sic cùm gratia habitualis nunquam fruſtretur hoc ſuo effectu, qui eſt vita æterna, niſi ex defectu recipientis in quo impedimentum intervenit, ut ex S. Thoma ſupra diximus, quando Deus aliquem juſtificat, ex propoſito & intentione ſpeciali perducendi illum ad vitam æternam, cor ejus ita movet per gratiæ ſuæ auxilium, ut ex gratuitâ miſericordiâ, quæ omnibus juſtis non datur, faciat illum non ponere impedimentum gratiæ habitualis conſervationi, dando illi ſingulare & ſpeciale donum in ea perſeverandi uſque in finem. Hujus enim doni pars & effectus ille eſt, ut homo gratiæ habitualis conſervationi impedimentum per peccatum mortale non apponat, ſeu ut Deus non permittat illum cadere in peccatum, ſicut docet S. Thomas 1. 2. q. 114. in arg. ſed contra, ut dicemus Sectione 5. art. 4. arg. 3. atque, ut ait 2. 2. q. 24. art. 11. *Impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur, ut Auguſtinus dicit in libro De prædeſtinatione ſanctorum.* Itaque vocatio & juſtificatio quæ ſunt ſecundùm propoſitum, hoc eſt, ſecundùm intentionem quam habet Deus perducendi uſque ad vitam æternam, ſemper implentur ac nunquam fruſtrantur. Hoc eſt quod iſto loco docet, cùm dicit: Prædeſtinatio autem ejus irrita eſſe non poteſt: Juſtificatio in prædeſtinatis nunquam fruſtratur. Hæc conſtans eſt S Thomæ doctrina, hanc ſequimur, hanc unam impugnet P. Nicolaï, & à S. Thoma alienam aptioribus teſtimoniis

ſtimoniis oſtendat, ſi quid adverſùm nos moliri vult.

Nec etiam opus erat hoc aliud è quæſt. diſp. teſtimonium addere, quia ad quæſtionem propoſitam nihil omninò confert, ut ex ſequentibus patet. S. Thomas ſic loquitur q. 24 de lib. arb. art. 11. *Ad 6. dicendum, quòd quamvis ille qui peccat in Spiritum ſanctum ex inclinatione peccati, contra gratiam Spiritus ſancti operetur; quia tamen per hoc peccatum totaliter non eſt corruptus animus, remanet aliquis motus, licet debilis, propter quem poteſt aliqualiter gratiæ cooperari. Non enim ſemper actu gratiæ reſiſtit.*

Hìc S. Thomas oſtendit, hoc diſcrimen eſſe inter damnatum & peccatorem quamdiu in via eſt, quod hic poteſt habere aliquos bonos motus, cùm ſemper actu non reſiſtat gratiæ, hoc eſt, cùm ſemper actu non peccet; atque ita datur illi via redeundi ad gratiam: damnatus autem nullos bonos motus habere poteſt; quia omnis motus ejus liberi arbitrii peccatum eſt, atque ita nullo modo ſe præparare poteſt ad gratiam habendam. *Alio modo*, inquit, *habet aliquis firmitatem in peccato, ita quòd nec cooperari poteſt ad hoc quod à peccato reſurgat. Sed dupliciter eſt hoc: uno modo, ita quòd nullo modo poſſit cooperari; & hæc eſt perfecta obſtinatio, quâ dæmones ſunt obſtinati. Adeò enim eorum mens eſt firmata in malo, quòd omnis motus liberi arbitrii ipſorum, eſt inordinatus & peccatum, & ideò nullo modo ſe poſſunt ad gratiam habendam præparare, per quam peccatum amittitur. Alio modo, ita quòd non de facili poſſit cooperari ad hoc quod exeat de peccato; & hæc eſt obſtinatio imperfecta, quâ aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ, dum ſcilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſurgunt motus ad bonum, niſi debiles: quia tamen aliqui ſurgunt ex eis, datur via ut præparentur ad gratiam. Quod aliquis homo in ſtatu viæ non poſſit eſſe ita obſtinatus in malo, quin ad ſuam liberationem cooperari poſſit, ratio patet ex dictis, quia & paſſio ſolvitur & reprimitur, & habitus non totaliter animam corrumpit, & ratio non ita pertinaciter falſo adhæret, quin per contrariam rationem poſſit adduci.* Igitur non eſt ſenſus, quòd ſemper adſit aliqua gratia actualis in peccatore.

Sed P. Nicolaï aliud ex hoc teſtimonio concludere videtur, ſcilicet eſſe aliquam gratiam interiorem quæ aliquando ſuo fine & effectu fruſtretur; quia ex S. Thomâ, *qui peccat in Spiritum ſanctum, dicitur operari contra gratiam Spiritus ſancti, dicitur contraria operari ſuæ curationi, hoc eſt, divinæ gratiæ per quam aliquis liberatur à peccato.* Ergo ut P. Nicolaï aliquid ex his verbis concludat, hic horum ſenſus eſſe debet, ut qui peccat in Spiritum ſanctum, tunc moveatur à Spiritu ſancto per gratiam actualem interiorem ad non peccandum, cui reſiſtit, ejus effectum per peccatum impediendo. Sed quantùm hic ſenſus à S. Thoma alienus

ſit, ſatis ex ipſo S. Thomâ patet. Ideò enim qui peccat in Spiritum ſanctum operatur contra gratiam Spiritus ſancti, ſeu operatur contraria ſuæ curationi, hoc eſt, divinæ gratiæ per quam liberatur à peccato: quia, ut ait 2. 2. q. 14. art. 3. *excludit ea per quæ fit remiſſio peccatorum*, ſeu quia, ut docet art. 1. *per contemtum abjicitur & removetur id quod electionem peccati poterat impedire; ſicut ſpes per deſperationem, & timor per præſumtionem: hæc autem omnia quæ peccati electionem impediunt, ſunt effectus Spiritus ſancti in nobis.* Et q. 21. art. 1. *Præſumtio*, inquit, *quâ aliquis ſperat ſe veniam obtinere ſine pœnitentiâ, vel gloriam ſine meritis, eſt propriè ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, quia ſcilicet per hujuſmodi præſumtionem tollitur vel contemnitur adjutorium Spiritus ſancti, per quod homo revocatur à peccato.* Et juxta hunc ſenſum exponendum eſt quod objicit P. Nicolaï ex q. 14. art. 3. ad 3. *Liberum arbitrium*, inquit S. Thomas, *remanet quidem ſemper in hâc vitâ vertibile; tamen quandoque abjicit à ſe id per quod verti poteſt ad bonum, quantùm in ipſo eſt: unde ex parte ſuâ peccatum eſt irremiſſibile, licet Deus remittere poſſit.* Non quòd qui peccat in Spiritum ſanctum, puta qui deſperat de veniâ, vel de eâ præſumit, intùs moveatur à Spiritu ſancto ad implorandam Dei miſericordiam, & motionem hanc abjiciat, ut finxit P. Nicolaï; ſed quia per deſperationem, vel præſumtionem de veniâ, avocatur animus, & pravâ iſtâ diſpoſitione non tantùm negativè, ut ita dicam, ſed etiam poſitivè prohibetur ne recurrat ad Dei miſericordiam, & ad ejus adjutorium per quod ſolùm poteſt à peccato revocari & liberari. *Per hæc tamen*, ut inquit ibid. S. Thomas, *non præcluditur via remittendi & ſanandi omnipotentiæ & miſericordiæ Dei, per quam aliquando tales quaſi miraculosè ſpiritualiter ſanantur.* Quare cum id non fit, ſignum eſt à poſteriori gratiam illorum curationi neceſſariam, à Deo ipſis non fuiſſe collatam; tantùm abeſt ut concludi poſſit, nunquam illam iis defuiſſe, ut perperam contendit Joannes Nicolaï.

ARTICULUS IX.

In quo duo alia teſtimonia ex S. Thomæ commentariis in Scripturam, ad præſentem quæſtionem pertinentia, à P. Nicolaï 5. claſſe relata explicantur.

Quæ ſit gratia quâ utimur, vel non utimur.

ADjungam hîc duorum teſtimoniorum explicationem, quæ P. Nicolaï in 5. claſſe poſuit, & quibus confirmat, gratiam interiorem aliquando ab homine non applicari ad illos effectus, ad quos à

à Deo datur; quæque proinde ad præſentem quæſtionem pertinent.

1 Eſt in Job 24. *Parùm jam erit retuliſſe* (inquit P. Nicolai) *quod idem S. Thomas ad illa verba Job 24. Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam; ſic in Commentario ſuo ſubdit: [Cauſam, quare abſque miſericordiâ ſit puniendus, aſſignat ex hoc, quia* MISERICORDIA UTI NOLUIT *dum potuit*, &c.] Sed P. Nicolai ſequentia ſuppreſſit, quia præcedentium ſenſum continent. Sic enim ſubjungit S. Thomas: *Unde ſubdit, Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, ſcilicet differens pœnam: & hæc eſt ratio, quare permiſſus eſt in proſperitate aliquis diu vivere; ſed hoc quòd Deus exhibuit ei in bonum, ipſe pervertit in malum, unde ſubditur: Et ille abutitur eo in ſuperbiam; non attribuens divinæ miſericordiæ, quòd poſt peccatum non ſtatim punitur; ſed ex hoc ſumit peccati audaciam uſque ad Dei contemtum: & quamvis peccator tenebras quærat ad peccandum; non tamen poteſt facere quin videatur. Unde ſubdit*, &c.

Ex his patet S. Thomam nihil aliud per hæc verba, *Miſericordia uti noluit dum potuit*, ſignificare, quàm Deum ex miſericordiâ non ſtatim punire, ut peccatori detur pœnitentiæ locus, & eum qui ex hoc quòd non punitur, ſumit peccati audaciam, uti nolle, dum poteſt, miſericordiâ Dei pœnam ad emendationem differentis.

Aliud teſtimonium ſic refert P. Nicolaï. *Parùm erit retuliſſe quod in 2. ad Cor. 6. lect. 1. ad illa verba: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; addit hoc dici, quaſi ſit ſenſus; Ne receptio gratiæ ſit vobis inutilis & vana, contingereque illud notat, quando ex perceptione gratiæ aliquis non ſentit fructum, hoc eſt, quando gratiâ perceptâ non utitur ad vitanda peccata*, &c. Ac eamdem gratiam inferiùs explicans, eam appellat, *Adjuvantem ut perficiamus quod operamur, prævenientem ut à peccatis liberemur, cooperantem vel ſubſequentem per quam nobis virtus vel perſeverantia in bono conferatur. Quam ergo, niſi propriè actualem? Et eam tamen in vacuum recipi dicit, hoc eſt, non ad illos effectus applicari. Ex quo ſequitur, ut etiam habitualis amittatur, adeòque homo ſit prima cauſa cur amittatur, & non Deus.* P. Nicolaï hoc uno fundamento nititur, quod hæc S. Thomæ verba de gratia actuali intelligantur: ſi ergo illa de gratiâ habituali intelligi oſtendero, omnis ejus ratiocinatio corruet.

Habitualem ergo intelligi gratiam, quâ fuerant à Deo reconciliati per baptiſmum & pœnitentiam, patet ex his verbis S. Thomæ: *Hoc ſcilicet exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; quaſi dicat, Ne receptio gratiæ ſit vobis inutilis & vacua. Quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ quis non ſentit fructum, qui quidem duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum Iſaïæ 27. Hic eſt omnis fructus, &c. & ut homo juſtè vivendo perveniat ad gloriam cœleſtem. Rom. 6. Habetis fructum veſtrum.* Quicumque ergo gra-

tiâ perceptâ non utitur ad vitandum peccata, & conſequendam vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit: gratia autem, cujus fructus eſt remiſſio peccatorum & vitæ æternæ conſecutio, eſt gratia habitualis. Deinde de eâ gratia loquitur quâ utimur & non utimur: *Quicumque*, inquit, *gratiâ perceptâ non utitur*. Et infra: *Conſequenter cùm dicit*, *Nemini dantes*, *docet modum utendi gratiâ eis collatâ*. Sed ſecundùm S. Thomam gratia quâ utimur, eſt gratia habitualis: gratiâ vero actuali ſeu motione divinâ propriè non utimur, ſed per eam utimur habitibus & potentiis. *Uſus enim rei alicujus*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 16. art. 1. *importat applicationem rei alicujus ad aliquam operationem*... *Ad operationem autem applicamus & principia interiora agendi*, *ſcilicet ipſas potentias animæ*, *vel membra corporis*. Et art. 2. *Uti*, *eſt applicare aliquod principium actionis ad actionem*; *ſicut conſentire*, *eſt applicare motum appetitivum ad aliquid appetendum*. Jam videndum quid ſit, ſecundùm S. Thomam, actualis Dei motio. *Deus*, inquit 1. p. q. 105. art. 1. *movet res ad operandum*, *quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationem*; *ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum*.

Itaque ſecundùm hanc S. Thomæ doctrinam, propriè utimur habituali gratiâ; quia eam applicamus ad operationem: actuali autem gratiâ non utimur; quia eam non applicamus ad actionem, ſed potiùs per eam applicamur ad actionem, cùm per eam à Deo ad agendum moveamur; ac moveri à Deo nihil aliud ſit, quam à Deo ad agendum applicari. Unde S. Thomas expreſsè docet, nos per gratiam actualem, ſeu per auxilium Dei moventis, uti gratia juſtificante; atque ita Deum non ſolùm eſſe cauſam gratiæ juſtificantis eam infundendo, ſed etiam eſſe cauſam uſus illius, movendo ad benè utendum illa, hoc eſt, ad benè vivendum. *Deus enim* (inquit in 1. ad Cor. 15. lect. 1.) *non ſolùm infundit gratiam*, *quâ noſtra opera grata fiunt & meritoria*; *ſed etiam movet ad benè utendum gratiâ infuſâ*: *& hæc vocatur gratia cooperans*. Et in caput 9. ad Rom. lect. 3. *Divinum autem beneficium* (inquit) *non ſolùm extendit ſe ad infuſionem gratiæ*, *quâ homo juſtificatur*, *ſed etiam ad gratiæ uſum*: *ſicut etiam in rebus naturalibus*, *non ſolùm Deus cauſat ipſas formas in rebus*; *ſed etiam ipſos motus & operationes formarum*, *eo quòd Deus eſt principium omnis motus*, *cujus operatione ceſſante à movendo*, *ex formis nullus motus vel operatio ſequitur*... *Sic igitur ipſe uſus gratiæ eſt à Deo*, *nec propter hoc ſuperfluit habitus gratiæ*. Itaque ex S. Thomæ doctrinâ manifeſtum eſt, gratiam habitualem ab eo intelligi cùm dicit, *Quicumque ergo gratiâ perceptâ non utitur ad vitandum peccata*, *& conſequendam vitam æternam*, *hic gratiam Dei* (ſcilicet habitualem) *in*

in vanum recipit. Et hic ſenſus omnem Patris Nicolaï, de gratiâ actuali id exponentis, ratiocinationem evertit.

Verùm (inquit P. Nicolaï) eamdem gratiam inferiùs explicans, eam appellat *adjuvantem ut perficiamus quod operamur, prævenientem ut à peccatis liberemur, cooperantem vel ſubſequentem per quam nobis virtus vel perſeverantia in bono conferatur. Quam ergo, niſi propriè actualem?*

Reſpondeo neceſſe non eſſe ut S. Thomas in his verbis de eadem gratiâ loqui dicatur de quâ ſupra. Dici enim poteſt illum modò loqui de habituali, modò de actuali: de actuali autem loqui cùm hæc verba exponit, *Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi*, quia circa illa refert quomodo Deus nos exaudiat, & quot modis adjuvet ad obtinendum quod petimus, ſcilicet per gratiam prævenientem, & per cooperantem vel ſubſequentem.

Præterea ignoratne P. Nicolaï, quæcunique hic velut de gratiâ actuali dicta refert, etiam gratiæ habituali in S. Thomæ doctrinâ attribui poſſe. Ubi enim 1. 2. q. 111. art. 2. & 3. gratiæ in operantem & cooperantem, in prævenientem & ſubſequentem diviſiones tradit, id tum de actuali, tum de habituali gratia exponit. *Sic igitur*, inquit art. 2. *habitualis gratia, in quantum animam ſanat vel juſtificat, ſive gratam Deo facit, dicitur gratia operans; in quantum verò eſt principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.* Et art. 2. *Sicut gratia*, inquit, *dividitur in operantem & cooperantem, ſecundùm diverſos effectus, ita etiam in prævenientem & ſubſequentem, & qualitercumque gratia accipiatur*, hoc eſt ſive ſit actualis ſive habitualis. *Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis*, ſcilicet ſive ſit habitualis, ſive actualis, *quorum primus eſt, ut anima ſanetur; ſecundus, ut bonum velit; tertius eſt, ut bonum quod vult efficaciter operetur; quartus eſt, ut in bono perſeveret; quintus eſt, ut ad gloriam perveniat.* Idem docet quæſt. diſp. de veritate q. 27. quæ eſt de gratia art. 5. ad 1. Ergo hæc omnia quæ P. Nicolaï de gratiâ actuali Dei dici contendit, etiam gratiæ habituali, juxta S. Thomam, convenire poſſunt, & de ea intelligi: imò cùm S. Thomas dicit (*gratiam prævenientem, quam optare debemus ut ſimus accepti Deo*,) nonne potiùs habitualem deſignare dicendus eſt, per quam propriè grati Deo efficimur? Sicut & cùm dicit, *& hoc modo gratia præveniens dicitur illa, per quam liberamur à peccatis*, ſiquidem hic proprius eſt gratiæ habitualis effectus.

Denique quanquam S. Thomas diceret nos gratiâ actuali uti & non uti (quod tamen nunquam dicit, quia ejus principiis id repugnat) nihil adverſùm nos P. Nicolaï obtineret; quia tunc reſponderemus, Gratia actuali nos non uti, & etiam abuti, quan-

quando id ad quod nos excitat & inclinat, non perficimus; eâ autem nos uti, quando id perficimus: ita tamen ut eâ nunquam utamur ad perficiendum, niſi gratiâ cooperante vel ſubſequente adjuti; nunquàm verò abutamur, niſi defectu voluntatis, & eadem gratiâ cooperante vel ſubſequente non adjuti. Sed an proptereà gratia actualis deſinet eſſe efficax ad effectum ad quem ex Dei intentione & abſolutâ voluntate ordinatur? Minimè verò: quia, ut docet S. Thomas, nunquam adeſt gratia operans ſeu præveniens, quin per illam bonum velimus, & nunquam adeſt cooperans ſeu ſubſequens, quin cooperemur, ſeu quin efficaciter operemur bonum quod volumus, vel in eo perſeveremus.

Agnoſcat verò P. Nicolaï quàm apertè Moliniſtam ſe declaret, cùm gratiâ etiam cooperante & ſubſequente uti vel non uti, humanæ tribuit voluntati ejus effectum pro nutu ſuo impedienti. Quid enim hoc eſt, niſi cum Molinæ Scholâ, gratiæ divinæ, quantumlibet efficacis, uſum humanæ ſubjicere voluntati, totamque ejus efficaciam in hoc ſolùm conſtituere, quòd vim habeat in ſe voluntatem ad operandum determinandi, non verò quod illam actu ad operandum propria ſua virtute determinet? Illud verò ut gratiæ prædeterminantis doctrinæ penitùs contrarium refellit Alvares diſp. 86. ut in titulo notatur, ubi oſtendit, *Auxilium efficax actuale non ſubjacere noſtri arbitrii poteſtati, quantùm ad uſum, ſicut ſubjacent habitus quibus utimur cùm volumus.*

S E C T I O Q U I N T A.

De cauſa defectus gratiæ: ubi præſertim de juſtis.

Exponuntur S. Thomæ teſtimonia à Patre Nicolaï 5. Claſſe relata.

PAter Nicolaï pro S. Thomæ authoritatum coronide affert, quod ubique idem Sanctus tam ſtudioſè notat, *Eſſe homini non Deo adſcribendum, cur ille ab hoc per defectum gratiæ deſeratur: id*, inquit, *notare Janſeniani præcaverint, quia tam iis adverſum ſit, tam eorum Arnaldo contrarium.* Sed ubi unquam Arnaldus, aut alius ex ſancti Auguſtini diſcipulis, ullam hominis poſt peccatum culpam in gratiæ defectum referendam docuit? Quis non annotavit ſedulò, homini ſemper, non Deo adſcribendum, cur ille à Deo per defectum gratiæ deſeratur, ut ubique in eorum ſcriptis hæc ſancti Auguſtini ſententia ex lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. perſonet, *Quòd homines gratiâ non adjuventur, in ipſis cauſa eſt non*

in Deo. Itaque cùm conſtanter doceant juxta S. Auguſtinum, nemini unquam gratiam deeſſe ſpontanea ex parte Dei abdicatione; quid illis S. Thomæ id docentis teſtimonia P. Nicolaï opponit, niſi calumniandi libidine? Quid verò ex eiſdem teſtimoniis gratiam ſufficientem aſtruere nititur, niſi ut prædeterminantem neceſſariam eſſe neget, ſaltem ad actus pietatis imperfectos; & ſufficientem Molinianam inducat?

ARTICULUS PRIMUS.

In quo referuntur S. Thomæ teſtimonia, in quibus de cauſâ defectus gratiæ agitur.

PRimum teſtimonium ex 1.2. q. 112. art. 3. deſumtum eſt, ex quo perpetuam gratiæ Chriſti, ad actus, ad quos ex Dei intentione ordinatur, efficaciam probavimus. Hæc habet arg. 2. *Præterea Anſelmus dicit in lib. de caſu diaboli, quòd iſta eſt cauſa quare Deus non concedit diabolo gratiam; quia ipſe non voluit accipere, nec paratus fuit: ſed remotâ cauſâ neceſſe eſt removeri effectum. Ergo ſi aliquis vult accipere gratiam, neceſſe eſt quòd ei detur.* Sic reſpondet.

Ad ſecundum dicendum, quòd defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te, Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum,*

S. Thomas idem ferè dicit quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Et ſic ex Deo eſt, ut homo ſe ad gratiam præparet; ſed quòd gratiâ careat, non habet cauſam à Deo, ſed ab homine, ſecundùm illud Oſeæ* 13. *Perditio tua ex te, Iſraël, tantummodò ex me auxilium tuum,*

Quia P. Nicolaï Conradum Koëllin in hunc S. Thomæ articulum ex 1.2. q. 112. laudavit, primò referemus quid doctiſſimus ille interpres ad hujus loci expoſitionem doceat. Hæc ejus verba ſunt.

Major conceditur: & dico, quòd non accipere gratiam, reducitur in cauſam, in liberum arbitrium ponens obicem gratiæ: ſed accipere gratiam, non eſt ex libero arbitrio, ſed ex Deo. Ad minorem, vera eſt; ſed dico quòd non velle accipere, eſt cauſa benè non acceptionis; ſed velle, non eſt cauſa acceptionis: quare negatur conſequentia, quia non ſequitur: Si non volo, non fit: ergo ſi volo, fiet. Nam aliquis poteſt effectum impedire, quem tamen non poteſt facere: ſicut aliquis poteſt impedire munus & donum Principis, nec tamen poteſt ipſum dare, vel ex ſe habere. Ita in propoſito: Si aliquis non cooperetur divinæ motioni, non conſequitur gratiam; non tamen ſequitur: Ergo ſi cooperatur, conſequitur virtute ſuæ cooperationis: quia negatio eſt cauſa negationis, ſed affirmatio non eſt cauſa affirmationis. Et habetur ſimile 1. *Poſter. Quia non eſſe animal, eſt cauſa non reſpirationis; ſed eſſe animal, non eſt cauſa reſpirationis: quia affirmatio non eſt cauſa propinqua, ut ibidem declaratur. Sic in propoſito, non conſentire eſt cauſa adæquata & propinqua non conſecutionis gratiæ; ſed conſentire, non eſt cauſa propinqua & adæquata.*

ta. Ita Conradus Koëllin.

P. Nicolai hoc aliud teſtimonium refert in 1. Sent. diſt. 40. q. 4. art. 2. *Utrùm Deus ſit cauſa obdurationis.* En teſtimonium integrum, cujus P. Nicolai partem tantùm retulit. *Reſpondeo dicendum, quòd obduratio dicitur quandoque actus voluntatis obſtinatæ in malum cui pertinaciter adhæret: & ſic conſtat quod obdurationis cauſa non eſt Deus, ſed homo, ſicut nec alicujus actus peccati, in quantùm deformis. Quandoque verò obduratio dicitur ipſa privatio gratiæ, quæ etiam excæcatio dicitur; quia gratia eſt quoddam lumen animæ, & perfectio quædam habilitans ipſam ad bonum: iſtum autem carere gratiâ ex duobus contingit; tùm quia ipſe non vult recipere; tùm quia Deus non ſibi infundit, vel non vult ſibi infundere. Horum autem duorum talis eſt ordo, ut ſecundùm non ſit niſi ex ſuppoſitione primi. Cùm enim Deus non velit niſi bonum, non vult iſtum carere gratiâ, niſi ſecundum quod bonum eſt: ſed quòd iſte careat gratiâ, non eſt bonum ſimpliciter: unde hoc abſolutè conſideratum non eſt volitum à Deo; eſt tamen bonum ut careat gratiâ, ſi eam habere non vult, vel ſi ad eam habendam negligenter ſe præparat; quia juſtum eſt: & hoc modo eſt volitum à Deo. Patet ergo quòd hujus defectus abſolutè cauſa prima eſt ex parte hominis qui gratiâ caret; ſed ex parte Dei non eſt cauſa hujus defectus, niſi ex ſuppoſitione illius quod eſt cauſa ex parte hominis; & per hunc modum invenitur dici Deus quandoque cauſa excæcationis vel obdurationis, non quidem immittendo malitiam, ſed non impartiendo gratiam, quod in ipſo eſt. Si enim non neceſſariò impartitur gratiam, in ipſo eſt & non impartiri: Unde ejus quod eſt non impartiri, aliquo modo cauſa eſt. Iſte autem defectus poteſt dupliciter conſiderari, ſicut etiam quilibet alius. Cùm enim defectus incidat ex defectu cauſæ ſecundæ, & non ex defectu cauſæ primæ, quem tamen defectum Deus non impedit; tamen impedire poſſet, ne impedimentum naturæ cedat: ſi iſte defectus gratiæ comparetur ad voluntatem, quæ eſt ſicut cauſa proxima, invenitur voluntas habere cauſalitatem ad ipſum, quæ bonum propoſitum non accipit, cùm accipere poſſit: & ex hoc eſt culpabilis & vituperabilis, quia malum cujus principium eſt voluntas, eſt hujuſmodi: ſi autem comparetur ad ipſum Deum, non invenitur cauſatus ab ipſo, ſed tantùm permiſſus & ordinatus, ut ſcilicet ſit in pœnam ipſius voluntatis deficere. Unde dicit Auguſtinus in 1. Confeſſ. Juſſiſti, Domine, & ſic eſt, ut omnis inordinatus animus ſibi ipſi ſit pœna; & talis ordinatio à Deo eſt: unde reſpectu ipſius defectus nullam cauſalitatem habet, ſed reſpectu ordinationis tantùm; & hoc ſignificatur cùm obdurare dicitur.*

Ad majorem hujus doctrinæ S. Thomæ illuſtrationem referendum eſt, quod de eodem argumento dicit 1. 2. q. 79. a. 3. ubi ſimiliter quærit, *Utrùm Deus ſit cauſa excæcationis & obdurationis. Reſpondeo dicendum,* inquit, *quòd excæcatio & obduratio duo important, quorum unum eſt motus animi humani inhærentis malo & averſi à divino lumine, & quantùm ad hoc Deus non eſt cauſa excæcationis & obdurationis, ſicut non eſt cauſa peccati. Aliud autem eſt ſubtractio gratiæ, ex quâ ſequitur quòd mens divinitus non illuminetur, ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum: & quantum ad hoc, Deus eſt cauſa excæcationis & obdurationis. Eſt*

autem

autem conſiderandum, quòd Deus eſt cauſa univerſalis illuminationis animarum, ſecundum illud Joan. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ſicut ſol eſt univerſalis cauſa illuminationis corporum, aliter tamen & aliter. Nam ſol agit illuminando per neceſſitatem naturæ; Deus autem agit voluntariè per ordinem ſuæ ſapientiæ. Sol autem licet, quantum eſt de ſe, omnia corpora illuminet, ſi quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebroſum, ſicut patet de domo cujus feneſtræ ſunt clauſæ; ſed tamen illius obſcurationis nullo modo cauſa eſt ſol. Non enim ſuo judicio agit ut lumen interiùs non immittat, ſed cauſa ejus eſt ſolùm ille qui claudit feneſtram: Deus autem proprio judicio lumen gratiæ non immittit illis in quibus obſtaculum invenit. Unde cauſa ſubtractionis gratiæ eſt non ſolùm ille qui ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus qui ſuo judicio gratiam non apponit: & per hunc modum, Deus eſt cauſa excæcationis & aggravationis aurium, & obdurationis cordis.

Ad plenam omnium quæ P. Nicolai in ſuo de Arnaldi propoſitione Suffragio è S. Thomâ retulit confutationem, ſupereſt hujus S. Thomæ doctrinæ elucidatio, in quâ cùm nihil Arnaldi & cæterorum ſancti Auguſtini Diſcipulorum ſententiæ contrarium eſſe, nihil niſi omninò conforme oſtendero, Patri Nicolai nova S. Thomæ teſtimonia cudenda erunt, quibus ſe fidelem ejus aſſeclam & interpretem, non deſertorem, non transfugam, non infidum corruptorem probet.

ARTICULUS II.

In quo oſtenditur ex his teſtimoniis ſequi neceſſariò, gratiam ſufficientem omnibus non dari, nec poſſe ullam hac in re quæſtionem moveri, niſi circa juſtos, eamque circa peccata mortalia facillimè ſolvi, & ad ſola venialia revocari, nec ad Arnaldi Propoſitionem ullo modò pertinere.

OBſervandum eſt 1. Moliniſtas his S. Thomæ teſtimoniis præſertim uti, ut ejus auctoritate phyſicam prædeterminationem impugnent, & gratiam ſufficientem Molinæ libero arbitrio ſubjectam ſtabiliant. In hunc finem Petrus à S. Joſeph in defenſione S. Thomæ diſp. 1. Sect. 8. §. 2. & 3. refert hæc teſtimonia ex Summâ. *Defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis*, &c. In 1. Sent. *Iſtum carere gratiâ ex duobus contingit*, &c. Hoc aliud à P. Nicolai pariter objectum l. 3. contra gentes c. 159. *Deus quantùm eſt ex ſe*, &c. Iſtud denique 1. 2. q. 109. art. 8. ad 1. *Quia ex ejus defectu eſt, quòd homo ſe ad gratiam habendam non præparet*, &c. Multis argumentis contendit hæc cohærere non poſſe cum ſententiâ quæ prædeterminationem phyſicam ad omnes actus requirit, atque ita concludit pag. 151. *Certè ut iſta locum habeant, amovenda ſunt à Deo decreta illa abſoluta, ante quamcumque notitiam futuræ noſtræ cooperationis*

rationis fabricata, & prædeterminationes phyſicæ tam ad bonum, quàm ad malum ex iis profluentes. Iſta enim cum ſincerâ & genuinâ S. Thomæ doctrinâ nullo modo cohærere poſſunt, ut ex hactenus dictis ſatis ſuperque intelligitur. Id quidem tam apertè P. Nicolai non concludit, quia tam publicè & apertè Moliniſmum tueri non audet: ſed oſtendam eamdem eſſe mentem ejus, quæ Fulienſis; & gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitatem cohærere non poſſe cum doctrinâ quam ex his S. Thomæ teſtimoniis adverſùm nos falsò colligit.

2. Obſervandum eſt nos ſupponere juxta certam S. Thomæ doctrinam, gratiam per ſe efficacem ac prædeterminantem ad ſingulos pios voluntatis actus, ſeu perfectos, ſeu imperfectos eſſe neceſſariam, ſicut omnes Thomiſtæ fatentur. Hìc itaque nonniſi ex hujus doctrinæ principiis ratiocinamur.

3. Obſervandum eſt, juxta doctrinam his S. Thomæ teſtimoniis contentam, conſtans eſſe & indubitatum, gratiam actualem interiorem, ad peccata vitanda neceſſariam, omnibus hominibus non dari, iiſque à Deo juſtè negari qui in peccato mortali ſunt. Cùm enim peccatum mortale ſit cauſa defectus gratiæ, & impedimentum illius receptioni per hominem poſitum, Deus non vult illos carere gratiâ, niſi ex ſuppoſitione defectus ex parte hominis: atque ita juſtum eſt & hoc modo volitum à Deo, ut iſti careant gratiâ. Itaque ex his teſtimoniis nulla de gratia ſufficiente quæſtio moveri poteſt circa peccatores, ſed ſolùm circa juſtos. P. Nicolaï id ſatis intelligens hæc omnia S. Thomæ de cauſa defectus gratiæ ad juſtos præſertim refert. *Quomodò enim*, inquit, *prima cauſa hujuſmodi defectus gratiæ eſt à nobis, & non à Deo eſſe dici debet, ſi juſto ſponte deeſt; ſi tunc defuit Petro, cùm juſtus eſſet?*

Sic autem iſta quæſtio de cauſa defectus gratiæ circa juſtos moveri poteſt. Certum eſt juſtos, cùm à juſtitiâ excidunt, gratiam per ſe efficacem ad ſtandum neceſſariam non habuiſſe. Si enim eam habuiſſent, ſine dubio ſtetiſſent. Quæritur ergo quæ ſit cauſa ex eorum parte, cur gratiam ſtandi, & in juſtitiâ perſeverandi non habuerint, cùm tunc ab omni peccato mortali immunes eſſe ſupponantur?

Verùm hæc de juſtorum caſu quæſtio ſolvi etiam poteſt, doctrinæ quam P. Nicolaï ex his S. Thomæ teſtimoniis deducit, inhærendo; ſi ſcilicet dicatur, Deum juſtis in peccati mortalis tentatione poſitis, gratiam actualem interiorem ad hoc vitandum neceſſariam non negare, niſi ob alicujus actualis peccati præcedentis, nempè venialis meritum. Sic Deum Petro in tentatione poſito non defuiſſe, ſeu non negaſſe gratiam quâ ad Chriſtum confitendum indigebat, niſi præſumtionis ejus præcedentis, quæ venialis ſolùm erat, merito: atque id

ex ſancti Thomæ doctrinâ confiteri P. Nicolaï compulſus eſt. *Ubi ergo* (inquit 1. claſſe pag. 33.) *peccatum non præcedit, qualecumque tandem ſit* (hoc eſt, ſeu mortale ſit, ſeu ſolùm veniale) *numquid intelligitur id præbere quo quis deinceps prohibeatur à peccando.* Et parte 1. n. 5. *Quòd enim Chryſoſtomus Petrum nullo fruitum auxilio aſtruit, ne caderet, ad hoc momentum ſpectat quo negavit, quia illo ſe privaverat, cùm præſumſit.* Et hâc confeſſione P. Nicolai Arnaldi propoſitionem abſolvit, & S. Thomæ doctrinæ conſentaneam declaravit; cùm Arnaldus, Deum Petro in tentatione nonniſi præſumtionis merito defuiſſe, tam apertè dixerit; ac ſecundùm hoc Patris Nicolai judicium, iſta propoſitio, Deus Petro juſto in tentatione defuit, reprehendenda non ſit, ſed ſolùm iſta, Deus Petro juſto in tentatione ſine ullius præcedentis præſumtionis, aut alterius peccati ſaltem venialis, merito defuit. Quare hanc ubique Arnaldo calumniam affingit, quaſi dixerit Deum Petro juſto ſponte, ſeu ſpontaneâ abdicatione, & ſine ullâ præcedente ex parte Petri cauſâ in tentatione defuiſſe.

Facilè autem probatur illud (Deum ſcilicet aliquibus juſtis in tentatione peccati mortalis aliquando deeſſe ob venialis peccati meritum) juxta gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos actus neceſſariæ principia, tenendum confitendumque eſſe. Cùm enim aliquis juſtus in peccatum mortale cadit, Deus non dedit illi gratiam per ſe efficacem, quæ ad illud, ut oportet vitandum neceſſaria erat: ſeu illum per auxilium gratiæ ſuæ non prohibuit, ne caderet. Cauſa autem hujuſmodi gratiæ defectus non poteſt eſſe peccatum mortale præcedens, quia nullum eſſe ſupponitur. Ergo ſi cauſa ex alicujus peccati actualis præcedentis merito repetenda eſt, illud peccatum actuale aliud eſſe non poteſt, quàm veniale.

Itaque ad peccatum veniale omnis quæſtio & controverſia revocatur, quænam ſcilicet cauſa ſit ex parte hominis, cur Deus juſto alicui gratiam ad primum peccatum veniale quod committit, & cujus merito poſteà in peccati mortalis tentatione deſeritur, evitandum neceſſariam non tribuat. Hic eſt lapis ad quem Patrem Nicolaï offendere neceſſe eſt. Huic enim quæſtioni reſpondere non poteſt, quin ad gratiam Molinæ libero arbitrio, ſaltem ad orandum & præparandum ſe, ſeu ad non ponendum impedimentum, ſubjectam confugiat, & prædeterminantis gratiæ ad pios actus, ſaltem imperfectos, neceſſitatem neget.

Notandum autem eſt hanc quæſtionem ad Arnaldi propoſitionem nullo modo pertinere. Illud enim unum dixit: Deum Petro juſto in tentatione ob præſumtionis culpam defuiſſe: illud verò ex Patris Nicolai confeſſione verum eſt & Catholicum. An autem ad non præſumendum gratiam actualem habuerit, necne; & quæ cauſa ſit, cur Deus gratiam illi

ad

ad non præſumendum neceſſariam, non dederit, Arnaldus nec quæſivit, nec expendit; nec, ſi expendiſſet, aliud dixiſſet, quàm quod credit ac profitetur, ſcilicet cauſam homini adſcribendam eſſe, non Deo, ſicut mox exponemus.

Atque hinc omnibus obvium eſt, quàm malevolo animo P. Nicolaï adverſus Arnaldum ſe geſſerit, & quàm doloſa mendaxque fuerit hæc pacis, lenitatis, ac ſinceritatis profeſſio, quam ſe inQuæſtione juris diſcutiendâ adhibiturum in ſui Suffragii exordio ſanctiſſimè, ipsâ teſte conſcientiâ, pollicitus eſt. Ubi enim pacis ſtudium, ubi animi lenitas, ubi ſinceritas in eo Doctore, qui cùm probè noverit, quænam ſit unius è ſuis fratribus ſententia, cui examinandæ delectus eſt, cùm eam catholicam & irreprehenſibilem eſſe ſuis argumentis ac rationibus probet; tamen ejuſdem ſui fratris ſententiam hæreſeos, impietatis, & blaſphemiæ notis afficiendam eſſe concludit. Sic ſe gerit in Suffragio ſuo P. Nicolaï: declarat ac probat catholicam eſſe illius ſententiam, qui Deum Petro nonniſi ex Petri merito ac defectu defuiſſe dixerit, qui Deum nunquam ſponte & ſpontaneâ abdicatione juſtos auxilio neceſſario privare cenſuerit, qui nullius unquam hominis ſeu peccatoris, ſeu juſti derelictionem à Deo fieri, niſi causâ ex parte hominis ſuppoſitâ, confeſſus fuerit. Sed P. Nicolai vel ſcivit vel ignoravit nihil aliud Arnaldum credere ac profiteri. Illud autem ignorare non potuit, tum quia nec in Arnaldi Epiſtolâ, nec in quovis alio ejus Opere, ullus ſuſpicioni locus eſt, quòd aliter teneat: tum præſertim quia in altero Apologetico ad Facultatem miſſo, quem Pater Nicolaï à ſe lectum fuiſſe teſtatur ſui Suffragii parte 1. n. 1. p. 7. idem Arnaldus expreſsè declarat, *Petrum à Deo derelictum non fuiſſe, niſi in præſumtionis ſuæ pœnam.* Ubique verò cum cæteris S. Auguſtini diſcipulis conſtanter docuit ex S. Auguſtini ſententiâ, quòd homines, ſeu peccatores, ſeu juſti, à Deo non adjuventur, in ipſis ſemper cauſam eſſe, non in Deo; cùm quibuſdam juſtis non datur auxilium Dei, ſine quo perſeverare non poſſunt, pœnam peccati ſemper eſſe; denique Deum nulli unquam homini, ſive in hoc naturæ corruptæ ſtatu, ſive in ſtatu naturæ integræ, nullique Angelo, ſpontaneâ abdicatione defuiſſe, ac nulli unquam ſponte ſuâ auxilium neceſſarium denegare. Hæc ſunt Arnaldi verba in Apologetico altero Sect. 2. demonſtratione 8. p. 17. (hìc 76.)

Reſpondebit Inquiſitor ille, ſat ſcio, Petrum revera à Deo derelictum tentationem ſuperare non potuiſſe: verùm id ei accidiſſe in præſumtionis ſuæ pœnam, ut ipſi à me laudati teſtantur Patres. Fateor id quidem; ſed quid ad Epiſtolam? Contendit auctor Epiſtolæ, poſt Chryſoſtomum & Auguſtinum, Petro gratiam ſine quâ nihil poſſumus, id eſt ſine quâ tentationem ſuperare non

pote-

poterat, defuiſſe. Quæritur, an hæc propoſitio hæretica ſit, an verò orthodoxa. Quis verò ita mente captus eſt, ut non videat, propoſitionis hujus veritatem non infirmare, ſed contra magis ſtatuere, qui non modò Petro gratiam defuiſſe agnoſcit, ſed quare defuerit exponit? Eo enim verius eſt & certius illam Petro defuiſſe, quo magis oſtenditur non ſine causâ eam illi defuiſſe. Ut ſi quis multos etiam baptiſatos damnatum iri contenderet, nonne ineptiret prorſus, qui hoc argueret erroris, eo quòd nemo baptiſatus damnandus ſit, niſi qui ob peccata damnari meruerit? Neque enim tum baptiſatos multos damnari negaret, ſed cauſam cur damnarentur afferret.

Itaque P. Nicolaï, qui Apologeticum hunc legit, ignorare non potuit ſic Arnaldum ſentire, quòd ſcilicet Deus Petro juſto non ſpontaneâ abdicatione, ſed in præſumtionis pœnam defuit. Atqui P. Nicolaï hanc ſententiam catholicam & irreprehenſibilem eſſe toto ſuo Suffragio declarat. Ergo Arnaldi propoſitionem, eo Arnaldi ſenſu ſumtam & intellectam, catholicam eſſe judicat; concludit tamen illam hæreſeos, impietatis, & blaſphemiæ notis afficiendam eſſe; poſtquàm ſcilicet toto Suffragio falſiſſimè, ac reclamante conſcientiâ ſuppoſuit, hanc eſſe Arnaldi mentem, hunc illius propoſitionis ſenſum, ut Deus Petro juſto, ac quibuſdam aliis juſtis quos aliquando ſimiliter deſerit, ſponte ac ſpontaneâ abdicatione, nullâ causâ ex parte hominis ſuppoſitâ, defuerit.

Quis ergo jam his perſpectis non agnoſcat, Cenſor iniquiſſime, quòd aliqui Doctores tibi & quibuſdam aliis ex Inquiſitoribus, *non ex intemperatâ*, ut criminaris, *& imprudente cavillatione*, ſed ex certiſſimis ac veriſſimis, ut patet argumentis, palàm exprobrare veriti non ſunt, *vel invidiæ, vel odio, vel vindicandi libidine, vel inflammatæ bili ac in iram effuſæ, vel averſo animo & adverſari geſtienti, vel pravis affectibus ac præpoſteris, aut ſimilibus quibuſcumque incitamentis tribuenda eſſe*, ut tua tibi verba regeramus (Suffrag. pag. 5.) quæ in Arnaldi propoſitionem ac ſententiam dixiſti. Expone, rogo te, quid his reſpondeas? Ubi in Arnaldi propoſitione, Epiſtolâ, Apologeticis, aliiſve Scriptis legeris, quod illi de hac ſpontanea Dei abdicatione affingis? Et quomodo tuum judicium Cenſorium cum eâ ſententiâ quam tu probas, & quam ille apertiſſimè, vel te conſcio profitetur, concilies? Niſi id facias, quod præſtare nunquam poteris, ne dubites quin is habearis, quem dicere non auſim, apud probos omnes, eruditos, ac veritatis, fidei, & æquitatis amatores.

Itaque cum in Arnaldi propoſitione non agatur niſi de derelictione Petri, cùm Chriſtum negando cecidit, quam idem Arnaldus in ejus præſumtionis pœnam accidiſſe profitetur, illam de causâ defectus gratiæ, circa peccata venialia, quæſtionem tracta-

mus, non præciſè quidem ad Arnaldi propoſitionem defendendam, utpotè ab eadem quæſtione penitùs ſejunctam, ſed ad S. Thomæ doctrinam, quam Pater Nicolai objicit, exponendam, & à perverſo ſenſu illi per eum affiĉto vindicandam.

ARTICULUS III.

In quo oſtenditur, Patrem Nicolaï huic quæſtioni, de cauſa defectus gratiæ circa peccata venialia, reſpondere non poſſe, quin gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitatem rejiciat. Et enim qui illam de gratiâ efficace doctrinam admittat, ad peccatum originale recurrendum eſſe.

PRimum igitur quæro à P. Nicolaï, cùm aliquis juſtus in primum peccatum veniale cadit, puta in præſumtionem, ſeu in orandi negligentiam, ſeu in aliquod aliud, cujus merito poſteà à Deo in peccati mortalis tentatione deſeritur; ſicut Petro juſto contigit, cùm de ſe nimiùm præſumſit; An gratiam habuit quâ illud peccatum veniale non committeret, quâ non præſumeret, & quâ ad Deum, orando ut oportet, confugeret? Si reſpondeat: Habuit gratiam actualem ſufficientem, per quam poterat illud peccatum vitare, non præſumere, & ad Deum orando confugere; iterum quæro: An ut eâ gratiâ actuali ſufficiente benè uteretur, ut illi per diſſenſum impedimentum non poneret, ut actu non præſumeret, ut vigilaret & oraret, gratia alia per ſe efficax requirebatur, necne?

Si reſpondeat: Non requirebatur; reponam ſtatim: Ergo hæc gratia ſufficiens quoad uſum libero arbitrio relicta eſt: ergo gratia per ſe efficax ad ſingulos pios actus non requiritur; ſiquidem illa in juſtis ad bonum gratiæ ſufficientis uſum, qui pius actus eſt, non requiritur; ſicut nec ad orandum, & ad non præſumendum: atque ita non requiritur ad imperfectos pietatis actus, quibus ad gratiam habitualem ſeu habendam, ſeu ſervandam, homo diſponitur; & hæc eſt gratia ſufficiens Molinæ, ſaltem ad orandum libero arbitrio relicta, quam M. Alphonſus Le Moine amplectitur, & Thomiſtæ omnes velut Semipelagianum errorem rejiciunt.

Si verò reſpondeat: Requirebatur gratia per ſe efficax, quâ voluntas non ſolùm ſit agendi potens, ſed quâ etiam vult aut agit infallibiliter & indeclinabiliter; mox ſubjiciam: Ergo juſtus ille non habuit gratiam ad illud peccatum veniale vitandum, ſeu ad pium hunc actum exercendum neceſſariam. Hoc verò poſito jam à P. Nicolai quæro, quæ cauſa eſt ex parte hominis illius, ſcilicet juſti, cur Deus illi hanc gratiam neceſſariam non dederit? Non

Non eſt quòd P. Nicolaï recurrat ad aliquod peccatum veniale præcedens, quia nullum eſt; ſiquidem agitur de gratiâ ad primum peccatum veniale vitandum neceſſariâ. Præterea ulteriùs quærerem, cur Deus gratiam non dedit ad iſtud aliud peccatum veniale vitandum neceſſariam? Atque ita deveniam tandem ad primum peccatum veniale. Quòd ſi, fatente P. Nicolaï, Deus gratiam ad aliquod peccatum vitandum neceſſariam aliquando deneget, ſine ullius peccati actualis præcedentis nequidem venialis merito; jam quæram à P. Nicolaï, ut exponat quo ſenſu S. Thomas dicat, primam cauſam defectus gratiæ eſſe ex nobis, Deum ſua auxilia aliquibus ſubtrahere pro merito ſuæ actionis, ſecundùm quod ejus juſtitia exigit: quòd Deus non prohibeat ne aliqui peccent, contingere ex merito præcedentis peccati: denique Deum nunquam velle aliquem carere gratiâ, niſi ex ſuppoſitione illius quod eſt ex parte hominis; & hanc Patris Nicolaï expoſitionem amplectemur.

Sed illius ad hæc reſponſionem fruſtra quærimus, ſatis illius mens explorata perſpectaque nobis eſt. Hoc enim unum ex his S. Thomæ teſtimoniis colligere intendit; Deum numquam gratiam actualem ad aliquod peccatum, ſeu veniale, ſeu mortale ſit, vitandum neceſſariam denegare, niſi ex parte hominis aliquod peccatum actuale præceſſerit, quod ſit cauſa defectus gratiæ: atque ita ſecundam reſponſionem ſequi & probare non poteſt, juxta quam Deus gratiam ad primum peccatum veniale, propter quod juſtus poſteà à Deo deſeritur, vitandum neceſſariam denegat, ſine ullo præcedentis peccati, ſaltem venialis, merito: ſed alteri reſponſioni eum adhærere neceſſe eſt, juxta quam S. Thomæ auctoritate gratia ſufficiens Molinæ libero arbitrio, ſaltem in juſtis, non quidem ad operandum, ſed ſaltem ad orandum & ad vigilandum relicta aſſeritur ac ſtabilitur, & gratiæ prædeterminantis ad ſingulos pios actus, ſaltem ad imperfectos, idque in juſtis, neceſſitas negatur & impugnatur: atque ita Patri Nicolaï larvam detraximus, & Moliniſtam ſub Dominicanis veſtibus latentem deteximus.

Nobis ergo gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus, ſeu in peccatoribus, ſeu in juſtis, neceſſariæ doctrinam à S. Thomâ certiſſimè doceri cum universâ ejus Scholâ ſupponentibus, & ab eâ nunquam in exponendis ſancti Doctoris teſtimoniis deflectentibus, juxta ſecundam reſponſionem dicendum eſt Deum juſto, qui in primum peccatum veniale cadit, cujus merito poſteà à Deo in tentatione peccati mortalis deſeritur, gratiam actualem ad illud vitandum neceſſariam denegare ſine merito peccati actualis præcedentis. Ex quo ſequitur quòd cùm S. Thomas dicit primam cauſam defectus gra-

tiæ ſemper eſſe à nobis, ſemper eſſe ex merito præcedentis peccati, ac ſemper ſupponere illud quod eſt ex parte hominis, intelligendum eſſe non de ſolo actuali peccato, ſed de actuali vel originali, etiam remiſſo; eum in modum quem mox exponemus art. 5. arg. 6. nec ſolùm de homine ut eſt in peccato actuali, ſeu mortale, ſeu veniale ſit, ſed etiam ut ſubjacet corruptioni & vitio ad peccatum inclinanti, quæ ex præcedenti culpa proveniunt.

Obſervabit fortè aliquis, S. Thomam in his omnibus teſtimoniis gratiam habitualem potiùs intelligere, quàm actualem, ac quærere quæ ſit cauſa, non cur gratia actualis, quâ homo ſe ad gratiam habitualem præparat, ſed cur habitualis, ad quam habendam homo præparatione indiget, aliquibus non detur; atque id probabit ſingula percurrendo.

Dicet hoc teſtimonium 1. 2. q. 112. art. 3. *Defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis*, &c. de gratia habituali intelligi, quia in hoc articulo quæſtio eſt de gratia habituali, an neceſſariò detur ſe ad illam præparanti? Id confirmabit ex argumento, ad quod reſpondetur, quod tale eſt. Cùm gratia non detur alicui, quia non vult eam accipere, ſequitur eam dari alicui, quia vult eam accipere; quod de gratia habituali intelligitur, quam non habet qui eam accipere non vult; quare Conradus Koëllin de gratia habituali id exponit.

Dicet S. Thomam pariter in alio teſtimonio in 1. Sent. diſt. 40. q. 4. art. 2. de gratia habituali loqui; quia loquitur de gratia, ad quam habendam homo ſe præparat. *Eſt tamen bonum*, inquit, *ut careat gratiâ, ſi eam habere non vult, vel ſi ad eam habendam negligenter ſe præparat.* Ergo, inquiet, non loquitur de gratiâ per quam homo ſe præparat, quæ eſt actualis; ſed de ea ad quam ſe præparat, quæ eſt habitualis; & de hac quærit, quæ ſit cauſa cur homo illa careat? Præthereà eam gratiam de qua agit ſic deſcribit. *Gratia eſt quoddam lumen animæ, & perfectio quædam habilitans ipſam ad bonum*; quibus verbis gratia habitualis, potiùs quàm actualis deſignatur.

Addet hæc verba ex 3. contra gentes cap. 159. *Deus quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare.* Hæc ſimilia in 12. ad Hebr. lect. 3. *Gratia nulli deeſt, ſed omnibus quantùm in ſe eſt ſe communicat*, de gratia habituali etiam intelligi, quia in utroque loco de eâ gratiâ loquitur, quam Deus dat homini ſe ad illam præparanti; ſeu, quod idem eſt, illi impedimentum non ponenti: talis autem gratia eſt habitualis. Sic ſentit P. Nicolaï. *Nec intereſt*, inquit 1. claſſe pag. 32. *gratiam ibi habitualem induari, quæ ſe ad illam præparanti non deſit.* An verò gratiam actualem quâ homo ſe præparat, ſeu quâ removet impedimentum, Deus omnibus det, his verbis S. Thomas nòn

non definir, imò in ſequentibus eam omnibus non dari pronuntiat. Atque ita concludet, quòd cùm in his omnibus locis S. Thomas de gratiâ habituali loquatur, quam Deus ſemper dat homini ſe ad illam præparanti, & quam nunquam negat, & etiam nunquam ſubtrahit, niſi homini ſe ad illam, ſeu habendam, ſeu ſervandam non præparanti, & illi ſeu recipiendæ, ſeu ſervandæ, impedimentum ponenti: & cùm ſe ad gratiam non præparare, ſeu illi impedimentum ponere, non ſit niſi ex peccato aliquo actuali; concludet, inquam, cauſam privationis gratiæ, de quâ ibi S. Thomas loquitur, ſemper ad peccatum aliquod actuale referendam eſſe, non verò ad originale.

P. Nicolaï hanc expoſitionem ſequi & approbare non poteſt; quia ſi in his omnibus locis de ſolius gratiæ habitualis carentiâ S. Thomas loqueretur, ex his concludi non poſſet, gratiam actuale momnibus, & præcipuè juſtis, ſemper dari, ac proinde P. Nicolaï illa omnia ad id unum probandum fruſtra omninò proferret.

Prætereà licet iſta teſtimonia per gratiam habitualem rectè exponi poſſent, eadem quæſtio ſemper recurreret, cur ſcilicet Deus aliquibus non det gratiam actualem neceſſariam ut non peccent, & ut ad gratiam habitualem ſeu habendam, ſeu non amittendam ſe præparent, ac illi impedimentum non ponant; & cur aliquibus juſtis aliquando non detur, cauſa autem defectus hujuſmodi gratiæ ex parte juſti, quoad primum peccatum veniale, aſſignari non poteſt, gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſariæ principiis inhærendo, quin ad peccatum originale referatur.

Denique hæc quidem expoſitio omnem difficultatem abſolvit, omneſque Moliniſtarum objectiones præcludit. Verùm licet aliqua S. Thomæ verba de gratiâ habituali rectè intelligantur; in aliis tamen de gratiâ actuali loquitur, ſicut cùm dicit 1. 2. q. 79. art. 1. (in quo quærit, *Utrum Deus ſit cauſa peccati.*) *Neque indirectè Deus poteſt eſſe cauſa peccati. Contingit enim quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitanda peccata, quod ſi præberet, non peccarent: ſed hoc totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ.* Et ad 1. *In malum autem inclinat voluntatem, in quantùm non prohibet, ſicut dictum eſt; & tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.* Hæc de auxilio actuali intelligi negari non poteſt. Hoc idem dicit qq. diſp. de malo, q. 3. de cauſa peccati, art. 1. ad 1. *Deus*, inquit, *dicitur tradere aliquos in reprobum ſenſum, vel inclinare voluntates in malum, non quidem agendo vel movendo, ſed potiùs deſerendo, vel non impediendo: ſicut ſi aliquis non daret manum cadenti, diceretur eſſe cauſa illius. Hoc autem Deus ex juſto judicio facit, quòd aliquibus auxilium non præſtat ne cadant.* Atque ita juxta S. Tho-

 mam

nam cauſa defectus gratiæ, non ſolùm habitualis, ſed etiam actualis, ſemper ex parte hominis, & ex præcedentis peccati merito repetenda eſt.

Præterea rationes quibus gratiam non negari dicit, niſi propter aliquam cauſam ex parte hominis, pariter demonſtrant, etiam actualem, niſi propter aliquam cauſam ex parte hominis non negari. Nam carentia gratiæ actualis, ſicut & habitualis, pœna eſt quam Deus niſi ex aliquâ cauſa juſtâ non infligit. Item quòd aliquis careat gratiâ actuali, eſt volitum à Deo: ergo cùm Deus non velit niſi bonum, non vult iſtum carere gratiâ actuali, niſi ſecundùm quod bonum eſt: illud autem cùm ſimpliciter bonum non ſit, non eſt bonum, niſi ut juſtum eſt; porrò nec juſtum eſt, niſi in quantùm eſt aliqua cauſa ex parte hominis. Atque ita juxta S. Thomæ doctrinam ſemper carentia gratiæ, ſeu habitualis, ſeu actualis, ad hominem ut ad cauſam referenda eſt, nec Deo unquam attribuenda, niſi ex ſuppoſitione ejus quod eſt ex parte hominis. Probandum ergo nobis eſt, eam cauſam defectus gratiæ quæ eſt ex parte hominis, juxta S. Thomam, non ſolùm de peccato actuali, ſed etiam de originali, etſi per baptiſmum remiſſo, intelligi oportere.

ARTICULUS IV.

Ex ſancto Thomâ cauſam defectus gratiæ aliquando ad peccatum originale, etſi in baptiſmate remiſſum, referri: nec aliter ejus de Gratiâ & Prædeſtinatione doctrinam exponi poſſe octo argumentis oſtenditur, quorum quinque priora hic proponuntur.

PRIMUM ARGUMENTUM.

1. SUppoſito quòd S. Thomas gratiam per ſe efficacem ad ſingulos actus neceſſariam eſſe docuerit, aliâ ex parte hominis cauſa inveniri non poteſt, cur juſto alicui gratiam ad primum peccatum, cujus merito poſteà deſeritur, vitandum neceſſariam non det, quàm peccatum originale, ut anteà art. 3. probavimus. Ergo vel id S. Thomam tenere dicendum eſt, vel contra communem ejus Scholæ conſenſum fatendum eſt, eum gratiæ Molinianæ libero arbitrio, ſaltem ad orandum, in juſtis relictæ doctrinam ſequi, atque ita prædeterminantis ad ſingulos actus neceſſitatem impugnare.

Itaque neſcio quî fieri poſſit, ut nonnulli qui gratiæ prædeterminantis ad ſingulos actus neceſſitatem firmiſſimè propugnant, eorum ſententiam velut duram & S. Thomæ contrariam improbent, qui defectum gratiæ ad peccatum originale, ut cauſam, aliquando referendam eſſe docent,

cent, puta in juſtorum caſu; quia tunc vel ad meram Dei voluntatem confugiendum eſt, nullà cauſâ ex parte hominis ſuppoſitâ, vel ſi aliqua cauſa ex parte hominis aſſignanda ſit, alia eſſe non poteſt, quàm peccatum originale, ſeu vitium ex eo relictum. Sed nonne durius longè eſt, defectum gratiæ hoc in ſtatu meræ Dei voluntati, quàm peccato originali tribuere? Nonne etiam id S. Thomæ doctrinæ repugnat, qui defectum gratiæ ſeu habitualis, ſeu actualis ſemper in præcedentis peccati meritum refert, & nunquam Deo attribui vult, niſi ſuppoſitâ cauſâ ex parte hominis, ſicut allata teſtimonia evidentiſſimè probant? Et hanc tamen ſententiam plures Moliniſtæ in aliquibus Thomiſtis eam tenentibus non reprehendunt, aliam verò longè mitiorem, quæ S. Auguſtini & S. Thomæ eſt, & quam nos ſequimur, crudelitatis in Deum, impietatis, hæreſeos accuſant, adeò illorum in S. Auguſtini diſcipulos odium, omnem æquitatem & omne judicium in eis pervertit.

II. Argumentum.

Quoties aliquis, ſeu peccator, ſeu juſtus in aliquod peccatum cadit, tunc Deus illum non prohibet, non impedit, permittit illum cadere in peccatum, ac illi auxilium non præſtat ne cadat. Hoc in S. Thomæ doctrinâ certiſſimum eſt, nec controverti poteſt. *Contingit enim*, (inquit 1. 2. q. 79. art. 1.) *quòd Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata, quod ſi præberet, non peccarent.* Quod tam verum eſt de juſtis qui cadunt in aliquod peccatum, quàm de peccatoribus. Sed cùm Deus non prohibet ne aliquis peccet, *Hoc contingit*, (inquit ibidem 1. 2. q. 79. art. 1. ad 1.) *ex merito præcedentis peccati. Hoc* (inquit in quæſt. diſp. de malo q. 3. de cauſa peccati art. 1. ad 1.) *Deus ex juſto judicio facit, quòd aliquibus auxilium non præſtat ne cadant.* Supponamus ergo eſſe primum peccatum alicujus juſti: quodnam eſt præcedens peccatum ex cujus merito Deus non prohibet ne hic juſtus in illud peccatum cadat, niſi peccatum originale?

III. Argumentum.

Juxta S. Thomam 1. 2. q. 114. art. 9. *Perſeverantia uſque in finem dependet ſolùm ex motione divinâ, quæ eſt principium omnis meriti: ſed Deus gratiâ perſeverantiæ bonum largitur.* Idem docet q. 109. art. 10. *Multis*, inquit, *datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratia.* Idem docet in 2. ad Tim. 2. lect. 3. *Si quæras in ſingulari, quare dat huic donum perſeverantiæ, & non illi, non habet rationem niſi ſolam Dei voluntatem Auguſtinus: Quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.* Idem docet 2. 2. q. 137. Et lib. 3. contra gentes c. 155. & quodlib. 3. art. 11. ad 7. Itaque eos juſtos, quibus non

non dat donum perſeverantiæ, deſinit movere, deſerit auxilium ſuum non præſtando, quod ſi præberet à juſtitiâ non deficerent, ac permittit illos cadere in peccatum, per quod à juſtitiâ deficiunt. Quæro ergo cur permittit illos cadere, & cur auxilium motionis divinæ non præſtat ne cadant?

Si quis dicat, etſi habeant opera meritoria, tamen non conſequuntur perſeverantiam, quia illi impedimentum ponunt per peccatum; reſpondebit S. Thomas, ut habetur 1. 2. q. 114. art. 9. *Sed contra non poteſt dici quòd hoc fiat* (hoc eſt quòd perſeverantiam non conſequantur) *propter impedimentum peccati; quia hoc ipſum quod eſt peccare, opponitur perſeverantiæ, ita quòd ſi aliquis perſeverantiam mereretur, Deus non permitteret illum cadere in peccatum.* Atque ita juxta S. Thomam, ratio propter quam juſti qui non perſeverant, non accipiunt à Deo donum perſeverandi in gratiâ acceptâ, non eſt quia illi perſeverantiæ dono per peccatum impedimentum ponunt, cùm non ponere impedimentum gratiæ, ſit pars & effectus doni perſeverantiæ; ac Deus faciat illos juſtos non ponere impedimentum gratiæ conſervandæ, ſeu non permittat illos juſtos in peccatum cadere, quibus donum perſeverandi in gratiâ præparavit ac dare conſtituit. Ut enim iterum dicit 2. 2. q. 24. art. 11. loquens de perſeverantiâ in charitate & gratia acceptâ, *Impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeverantiæ computatur inter beneficia Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur, ut Auguſtinus dicit in libro De prædeſtinatione Sanctorum.*

Præterea verò ſi diceretur, juſtos qui non perſeverant, non accipere à Deo donum perſeverandi, quia illi dono impedimentum ponunt per peccatum, eadem ſemper quæſtio recurreret, quare ſcilicet, cùm habeant opera meritoria, non accipiunt à Deo donum gratiæ actualis ad non ponendum impedimentum dono perſeverantiæ. Nam, ut docet S. Thomas in 12. ad Hebr. lect. 3. *Dicendum eſt, quòd hoc ipſum, quòd aliquis non ponit obſtaculum, ex gratiâ procedit. Quòd ergo à quibuſdam removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei; quòd autem non removetur, hoc eſt ex juſtitia ejus.* Idem docet l. 3. contra gentiles c. 160. 161. & 162. ut oſtenſum eſt Sect. 1. art. 1. & 2.

Quæro ergo cur Deus illis juſtis perſeverantiam non dat, & cur permittit illos cadere in peccatum & peccando ponere impedimentum gratiæ, cur auxilium motionis ſuæ non præſtat ne cadant? Hoc certè juxta S. Thomam fit juſto judicio & ex merito præcedentis peccati. Sed quodnam eſt illud peccatum præcedens? Non mortale; quia ſupponuntur nondum à juſtitiâ defeciſſe: ſi dicatur illud peccatum

eſſe

eſſe veniale aliquod præcedens, quale eſt negligentia orandi, aut aliquod aliud per quod poſuerunt impedimentum dono perſeverantiæ; quia ſi oraſſent, ab hoc perſeverantiæ dono deſerti non fuiſſent. Sed iterum quæro, quod eſt peccatum præcedens, cujus merito Deus permiſit eos in illud negligentiæ orandi peccatum, aut aliquod aliud, cujus merito poſteà in peccati mortalis tentatione deſerti ſunt, incidere, nec auxilium ſuum præſtitit, ut orarent ac vigilarent? Hoc enim etiam fit juſto judicio, & ex merito præcedentis peccati. Certè juxta indubitatam S. Thomæ de dono perſeverantiæ doctrinam, in juſtorum caſu, cùm peccatum aliquod admittunt, cujus poſteà merito in peccati mortalis tentatione juſto Dei judicio deſeruntur, ad peccatum originale recurrendum eſt. Et quicumque aliter ſentiunt, quicumque ex S. Thomæ doctrinâ cauſam deſertionis juſtorum, ſeu cauſam negationis doni perſeverantiæ ad peccatum originale, quia illud remiſſum eſt, non eſſe referendam contendunt, hi S. Thomæ imponunt, vel quòd gratiam prædeterminantem ad ſingulos pios actus non eſſe neceſſariam, ac prædeſtinationem gratuitam non eſſe tenuerit, vel quòd defectum gratiæ actualis in nobis ad meram Dei voluntatem, nullá causâ ex parte hominis ſuppoſitâ, ac ſine ullius peccati præcedentis merito aliquando referri docuerit.

IV. Argumentum.

Sanctus Thomas l. 3. contra gent. c. 160. hæc habet; *Quod autem dictum eſt in poteſtate liberi arbitrii eſſe, ne impedimentum gratiæ præſtet, competit his in quibus naturalis potentia integra fuerit*, hoc eſt, ut oſtendimus Sect. 1. art. 2. his qui ſunt in ſtatu naturæ integræ, qualis fuit in primo parente ante peccatum.

Ubi obſervandum eſt, non repeti ex gratiâ ſanante & juſtificante, ſed ex integritate naturæ, quòd ſit in poteſtate liberi arbitrii, ne impedimentum gratiæ præſtet. Quare docet 1. p. q. 62. art. 2. ad 2. quòd homo habet impedimentum ex corruptione corporis & infectione peccati, ne convertatur ad Deum: corruptio autem corporis & infectio peccati in juſtis cum gratiâ mentem ſanante remanet, ut docet 1. 2. quæſt. 109. art. 9. in c. *Secundò*, inquit, *ratione ſpeciali, prôpter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7.* Et art. 10. ad 3. *Et tamen faciliùs homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quàm nunc poſſimus, quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantùm ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantùm ad carnem.* Et quæſt. diſp. de veritate quæſt. 26. art.

art. 5. ad 3. *Dicendum, quòd quantumcumque homo habeat habitum gratiæ, ſemper tamen indiget divina operatione quâ in nobis operatur modis prædictis, & hoc propter infirmitatem noſtræ naturæ, & multitudinem impedimentorum, quæ quidem non erant in ſtatu naturæ conditæ; unde magis tunc poterat homo ſtare per ſeipſum, quàm nunc poſſint habentes gratiam, non quidem propter defectum gratiæ, ſed propter infirmitatem naturæ.* Ergo juxta hanc doctrinam non eſt in poteſtate liberi arbitrii hominum juſtorum, in quibus naturalis potentia integra non eſt, ſicut erat in poteſtate primi hominis ante peccatum, ne impedimentum gratiæ, ſcilicet conſervandæ præſtent. Ac proinde poſteà S. Thomas explicans quid ſit, non eſſe in poteſtate liberi arbitrii impedimentum gratiæ non præſtare, licet de iis qui in peccato ſunt loquatur, etiam intelligendus eſt de aliis in quibus natura non eſt integra, ſcilicet de juſtis: dicit autem, *quòd quamvis vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, niſi auxilio gratiæ præveniantur, nihilominus tamen* (cum ſcilicet eodem auxilio non præventi impedimentum gratiæ ponunt) *hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpâ præcedente in eis relinquitur.* Sed circa juſtos quæ præcedens culpa intelligi poteſt, in cujus pœnam Dei auxilio non præveniuntur, ut impedimentum gratiæ non ponant, niſi originalis?

V. ARGUMENTUM.

SAnctus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad 2. dicit, *Quòd auxilium gratiæ, cum quo homo poteſt Deum & proximum diligere & credere, quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitiâ non datur in pœnam præcedentis, aut ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.*

Scio ſtatim reſponſuros adverſarios, intelligi originale peccatum nondum remiſſum, quod eſt cauſa cur aliquibus non detur auxilium ad credendum & diligendum Deum; itaque ex hoc non probari, peccatum originale quod eſt remiſſum, eſſe cauſam cur Deus aliquibus gratiam non det, de quo ſolo quæſtio eſt.

Verùm hæc reſponſio nullius momenti eſt: quia S. Thomas generaliter dicit, quòd quibuſcumque datur auxilium gratiæ ad diligendum Deum, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitiâ non datur. Ergo hoc verum eſſe debet de omnibus quibus non datur auxilium ad diligendum Deum: aliquibus autem juſtis, iis ſcilicet qui non perſeverant, qui in tentatione cadunt, & charitatem amittunt peccando, auxilium ad diligendum Deum, ſeu ad perſeverandum in Dei dilectione non datur, juxta S. Thomam docentem eis non dari perſeverare in gratiâ, & Spiritum ſanctum non velle eos movere ad actum charitatis, ut antè arg. 3. oſtendimus. Ergo verum eſt illis

hoc

hoc auxilium denegari ex juſtitiâ, in pœnam præcedentis, ſaltem originalis, peccati: nullum autem eſt in illis peccatum actuale mortale præcedens; originale in iis remiſſum eſt: ergo hoc auxilium illis negatur in pœnam originalis peccati etiam remiſſi.

Confirmatur hanc S. Thomæ ſententiam etiam de juſtis intelligi debere: quia ſcilicet illam S. Auguſtini auctoritate lib. de corrept. & grat. probat. Ergo id docere intendit, quod ibi S. Auguſtinus: tale eſt autem S. Auguſtini teſtimonium lib. de corrept. & grat. c. 11. quod hic S. Thomas deſignat: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* (per quod ſcilicet poſſumus, & ſine quo non poſſumus perſeveranter bonum tenere, & per quod perſeveramus, *jam pœna peccati eſt*, ſcilicet originalis de quo hîc ſermo eſt, *quibus autem datur ſecundùm gratiam datur*. Ergo juxta hanc S. Auguſtini doctrinam, cùm aliquibus juſtis non datur gratia ſine quâ perſeverare non poſſunt, pœna eſt peccati originalis, quod tamen in illis remiſſum eſt, veluti mox explicabimus art. 5. arg. 6. atqui S. Thomas hanc S. Auguſtini doctrinam hîc ſequitur: ergo S. Thomas hoc loco cum S. Auguſtino docet, aliquibus juſtis auxilium gratiæ, ſine quo in dilectione Dei perſeverare non poſſunt, ex juſtitiâ denegari in pœnam ſaltem originalis peccati, licet hoc in illis per baptiſmum remiſſum fuerit.

Ad hujus argumenti confirmationem, addi etiam poteſt iſtud aliud ferè ſimile deductum ex 1. 2. q. 98. art. 4. ad 2.

Juxta S. Thomam, ut 3. argumento oſtenſum eſt, Deus è duobus juſtis quorum unus perſeverat & alius non perſeverat, uni dat gratiam per quam in oratione & in acceptâ juſtitiâ perſeverat, & alteri non dat, atque eâ deſertus ab oratione & à juſtitiâ deficit. Jam ſi ex S. Thomâ quæratur, unde Deus non ſit perſonarum acceptor, ſua dona inæqualiter diſpenſans duobus juſtis, in quibus eadem eſt juſtitia, eadem merita; reſpondebit, Deum non eſſe acceptatorem perſonarum, quia cui gratia datur, gratuitâ voluntate datur, & non ex debito, & cui non datur, judicio juſto non datur. Hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis.

Hæc eſt S. Thomæ doctrina 1. 2. q. 98. art. 4. ad 2. Sic enim argumentum 2. proponit: *Sicut dicitur Act. 10. Non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni genere qui timet Deum, & facit juſtitiam acceptus eſt illi: non ergo magis uni populo, quàm aliis viam ſalutis debuit aperire.* Similiter de juſtis concludi poſſet: non ergo magis uni juſto, quàm alteri ultimam ſalutis viam per donum perſeverantiæ aperire debuit: huic argumento ſic reſpondet.

Ad 2. dicendum, quòd acceptio perſonarum locum habet in his quæ ex debito dantur; in his verò quæ ex gratuitâ voluntate conferuntur, acceptio perſonarum locum non habet. Non

Non enim eſt perſonarum acceptor, qui ex liberalitate de ſuo dat uni & non alteri; ſed ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſtribueret æqualiter ſecundùm merita perſonarum, eſſet perſonarum acceptor: ſalutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex ſuâ gratiâ, unde non eſt perſonarum acceptor, ſi quibuſdam præ aliis conferat. Unde Auguſtinus dicit in lib. De prædeſtinatione Sanctorum, Omnes quos Deus docet, miſericordiâ docet; quos autem non docet, judicio non docet. Hoc enim venit ex damnatione generis humani pro peccato primi parentis.

Hoc pariter circa juſtos, quorum uni dat perſeverandi gratiam, & alteri non dat, verum eſſe debet: eádem ex causâ nulla eſt circa illos perſonarum acceptio, ac proinde oportet ut quod alteri ex gratiâ & ſine debito confertur, alteri juſto judicio, ſeu ex juſtitiâ non conferatur. Ac præterea S Thomas generaliter, juxta S. Auguſtinum, pronuntiat, *Quos autem non docet, judicio non docet.* Et alibi etiam gratiam nunquam hominibus, niſi ex juſto judicio negati aſſerit, quod proinde etiam circa juſtos verum eſſe debet. Deus enim eos juſtos quibus perſeverantiam non dat, quantum ad hoc, non docet, ac eis gratiam ad perſeverandum neceſſariam denegat. Quòd autem juſto Dei judicio ſeu ex juſtitiâ non confertur, procul dubio aliquam ex parte hominis cauſam ſupponit. Atque ita juxta S. Thomam cauſa negationis gratiæ ad perſeverandum in Dei dilectione neceſſariæ, in juſtis quibus non datur, ad peccatum originale, quanquam per baptiſmum remiſſum, ſeu ad damnationem humani generis pro peccato primi parentis, referenda eſt.

ARTICULUS V.

In quo demonſtratur juxta S. Thomam primam cauſam reprobationis hominum eſſe peccatum originale, ſeu maſſam perditionis.

VI. Argumentum.

Juxta doctrinam S. Thomæ prima cauſa reprobationis hominum, eſt peccatum originale. Id multis teſtimoniis confirmari poteſt.

1. Illud clariſſimè docet in cap. 9. ad Rom. tota lect. 3. *Cùm enim omnes homines*, inquit, *propter peccatum primi parentis damnationi naſcantur obnoxii, quos Deus per ſuam gratiam liberat, ſola miſericordiâ liberat: & ſic quibuſdam eſt miſericors, quos liberat; quibuſdam autem juſtus, quos non liberat: neutris autem iniquus.* Atque hìc S. Thomas, ut ex præcedentibus & ſequentibus patet, loquitur de liberatione à miſeriâ æternâ, ſeu de prædeſtinatione ad vitam æternam; ſubdit enim: *Et ideò Apoſtolus quæſtionem ſolvit per autoritatem, quæ omnia divinæ miſericordiæ adſcribit:*

ſcribit: ſciendum eſt tamen quod Dei miſericordia ſecundùm tria oſtenditur, primò quidem ſecundùm prædeſtinationem quâ ab æterno propoſuit aliquos liberare. Et paulò antè: *Sic igitur*, inquit, *non poteſt eſſe quòd merita conſequentia gratiam ſint ratio miſerendi aut prædeſtinandi, ſed ſola Dei voluntas, ſecundùm quam miſericorditer aliquos liberat.* Ergo juxta S. Thomam cauſa reprobationis ſeu non liberationis à miſeriâ æternâ, in iis qui non ſunt prædeſtinati, inter quos ſunt aliqui per baptiſmum regenerati, alia non eſt quàm peccatum originale, propter quod omnes homines damnationi obnoxii naſcuntur.

Et lect. 4. exponens cur homo luto comparetur, & quæ ſint vaſa in contumeliam: *Humana autem natura*, inquit, *vilitatem habet ex ſuâ materiâ, quia ut dicitur Geneſ. 2. Fecit Deus hominem de limo terræ. Sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quæ per unum hominem in hunc mundum intravit: & ideò homo luto meritò comparatur*: Et infra: *Si verò Deus hominem ad meliora non promoveat, ſed in ſuâ infirmitate eum dimittens, deputat eum ad infimum uſum, nullam ei facit injuriam, ut poſſit juſtè de Deo conqueri.* Et infra: *Similiter Deus liberam poteſtatem habet facere ex eâdem corruptâ materiâ humani generis, ſicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quoſdam homines præparatos in gloriam, quoſdam autem in miſeriâ derelictos. Hierem. 18. Sicut lutum in manu figuli, ita in manu mea vos, domus Iſraël. Deinde cùm dicit, Quòd ſi volens Deus, &c. ſolvit primam quæſtionem, ſcilicet quare Deus velit quibuſdam miſereri, & quoſdam in miſeria derelinquere, ſive quoſdam eligere, & quoſdam reprobare.* Ergo ex hoc loco, prima cauſa, ob quam Deus quoſdam in miſeriâ derelinquit, reprobat, & ad gloriam æternam non præparat, eſt peccatum originale, ex quo tota humani generis materia corrupta eſt: nec reprobi vaſa in contumeliam dicuntur, niſi ob corruptionem & maſſam peccati, quæ per unum hominem in hunc mundum intravit, in quâ Deus eos juſtè, & ſine injuriâ derelinquit, ſicut ab eâ quos vult miſericorditer liberat.

2. Idem docet 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. cùm dicit ex S. Auguſtino de prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. prædeſtinationem eſſe propoſitum miſerendi, ex quo infert, quòd prædeſtinatio hominum in vitam æternam eſt à ſtatu miſeriæ, non verò Angelorum. Hinc enim evidenter ſequitur, reprobationem hominum eſſe eorum relictionem in miſeriâ, in quam per peccatum originale inciderunt, proindeque cauſam reprobationis hominum eſſe peccatum originale.

3. Eamdem doctrinam expreſsè tradit, & S. Auguſtini auctoritate confirmat in quæſt. diſp. de verit. q. 6. quæ eſt de prædeſtinatione art. 2. ad 9. & ad 11. ſcilicet, argumentum 9. ſic proponit. *Præterea prædeſtinatio præ-*

ſup-

ſupponit electionem, ut ſupra dictum eſt. Sed electio non poteſt eſſe rationabilis, niſi ſit aliqua ratio, propter quam unus ab altero diſcernatur; nec in electione, de quâ loquimur, poteſt aliqua ratio diſcretionis aſſignari, niſi ex meritis. Ergo cùm electio Dei irrationabilis eſſe non poſſit, ex præviſione meritorum procedit, & per conſequens prædeſtinatio: ergo, &c. Sic reſpondet.

Ad 9. *dicendum, quòd electio Dei quâ unum eligit & alium reprobat, rationabilis eſt, nec tamen oportet quòd ratio electionis ſit meritum: ſed in ipsâ electione ratio eſt divina bonitas; ratio autem reprobationis eſt in hominibus* PECCATUM ORIGINALE, *ut dicit Auguſtinus* (quid expreſſius?) *vel in futuro per hoc ipſum quod eſt non habere debitum ad hoc quòd eis gratia conferatur, rationabiliter poſſum velle denegare aliquid alicui quod ſibi non debetur.* Et aliquis hæc legens de S. Thomæ ſententiâ, quam propugnamus, dubitare poterit?

Hîc obiter nota juxta S. Thomam hoc eſſe diſcrimen inter hæc duo, Non habere debitum quòd gratia conferatur, &, habere debitum quòd gratia non conferatur, quia unum dicit tantùm defectum, alterum verò includit rationem pœnæ. Illud docet quæſt. diſp. de malo q. 5. art. 5. ad 15. *Aliud eſt,* (inquit) *non debere habere, quod non habet rationem pœnæ, ſed defectus tantùm; & aliud debere non habere, quod habet rationem pœnæ.* Jam autem in hoc naturæ corruptæ ſtatu, ſecundùm S. Thomam, ſicut ſecundùm S. Auguſtinum, non habere gratiam, ſeu habitualem, ſeu actualem, quâ homo indiget, non ſolùm habet rationem defectus, ſed etiam pœnæ, proindeque homo eâdem gratiâ non privatur, niſi ex merito præcedentis peccati, vel actualis, vel ſaltem originalis.

11. verò argumentum ſic proponit art. 2. mox citato è quæſt. diſp. de veritate quæſt. 6. *Præterea ſicut ſe habet abuſus gratiæ ad effectum reprobationis, ita bonus uſus gratiæ ad effectum prædeſtinationis. Sed abuſus gratiæ,* (ſcilicet habitualis in Judâ) *fuit ratio reprobationis ejus: ſecundùm hoc enim reprobus effectus eſt, quòd ſine gratiâ deceſſit. Quòd autem tunc gratiam non habuit, non fuit quia Deus ei dare noluerit, ſed quia ipſe accipere noluit, ut dicit Auguſtinus, & Dionyſius. Ergo & bonus gratiæ uſus in Petro & alio quolibet, cauſa eſt, quare ipſe eſt electus vel prædeſtinatus.* Sic reſpondet.

Ad 11. *dicendum, quòd præſcientia abuſûs gratiæ non fuit cauſa reprobationis in Juda (niſi fortè ex parte effectus;) quamvis Deus nulli volenti accipere gratiam eam deneget: ſed hoc ipſum quod eſt velle accipere gratiam, eſt nobis ex prædeſtinatione divina: unde non poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis.* Ergo juxta S. Thomam cauſa reprobationis, quantum ad id quod eſt in perditionis maſsâ relinqui, & ad vitam æternam non eligi, etiam in juſtis, qualis erat Judas ante caſum, & habitualis gratiæ abuſum, non eſt præſcientia abuſus gratiæ, ſed peccatum originale.

Nam

Nam juxta præcedentem reſponſionem & univerſam S. Thomæ doctrinam, dici non poteſt quod ejuſdem reprobationis cauſa ſit mera Dei voluntas, nulla causâ ex parte hominis ſuppoſitâ.

Quanquam autem ex parte hujus effectus, qui eſt inferre damnationis pœnam pro culpâ, cauſa reprobationis Judæ non ſit niſi præſcientia abuſus gratiæ habitualis, hoc eſt præſcientia peccati actualis; tamen ex parte hujus prioris effectus, qui eſt permittere aliquem, puta Judam juſtum, cadere in culpam, illum derelinquere, deſerere, ſuo libero arbitrio dimittere, ſeu illi auxilium non præſtare ne cadat, cauſa reprobationis Judæ eſt peccatum originale. Hic eſt, ut patet, S. Thomæ ſenſus.

Nullum eſt in S. Thomæ Operibus principium, quod cum hac doctrinâ non concordet, nullum quod illi repugnet. Qui hanc ſententiam impugnant velut S. Thomæ contrariam, hoc maxime fundamento nituntur, quòd ſanctus ille Doctor ſæpè hominum reprobationem, ſeu aliquorum non electionem ad vitam æternam, ſolo Dei beneplacito ac meræ voluntati attribuat, & ad univerſi complementum & ſuavem rerum diſpoſitionem alios à Deo eligi, alios reprobari doceat. Ex quo concludunt cauſam reprobationis, ſeu non electionis aliquorum ad vitam æternam, eſſe meram Dei voluntatem, non verò peccatum originale. Itaque exponendum eſt quis ſit S. Thomæ hâc in re ſenſus, & quomodo ſententiæ à nobis poſitæ non repugnet.

Ut S. Thomæ hâc in re ſenſus intelligatur, animadvertendum eſt, reprobationem dupliciter modo ſpectari poſſe, Abſolutè & Comparativè. Abſolutè, cùm quæritur ſimpliciter, ſeu ut loquitur S. Thomas, *in generali*, cur aliqui à Deo reprobentur, & quæ ſit aliquorum reprobationis cauſa, nullâ comparatione factâ cum eis qui eliguntur: tunc reſpondetur, cauſam eſſe peccatum originale, per quod omnes homines damnationi obnoxii naſcuntur, & propter quod Deus juſtè & ſine ullâ iniquitate non vult aliquibus hoc bonum, quod eſt vita æterna. Reprobatio verò ſpectatur comparativè, cùm quæritur in ſpeciali, ut ait idem ſanctus, cur Deus hunc potiùs quam iſtum reprobet; cur cùm omnes homines per peccatum primi parentis eidem damnationi obnoxii naſcantur, aliquos ab hâc maſsâ & conſperſione liberet, & ad vitam æternam eligat, alios verò in eadem maſsâ derelinquat, & ad vitam æternam non eligat. Tunc reſpondetur, hoc eſſe ex ſolo Dei beneplacito & merâ voluntate. Cùm enim eadem ſit omnium cauſa, idem meritum, hujus diſcretionis unius ab altero nulla alia ratio reddi poteſt, quàm Dei voluntas: hæc eſt altitudo ſapientiæ, hoc profundum judiciorum Dei. Omnes homines ob peccatum originale ſimiliter merentur non liberari ac relinqui,

ex

ex iis multi à Deo non liberantur, ſed relinquuntur. Nulla ergo eſt iniquitas, & in hoc judicium Dei juſtum eſt: aliqui verò in cauſa iſtâ communi præ aliis liberantur, & ad vitam æternam aſſumuntur. Ergo ſola eſt miſerentis voluntas, & in hoc judicium Dei occultum eſt & inſcrutabile. Talibus documentis pleni ſunt S. Auguſtini contra gratiæ hoſtes libri, maximè Ep. 105. ad Sixtum, Enchiridium, libri ad Bonifacium, De corrept. & grat. De prædeſtinatione ſanctorum & De dono perſeverantiæ.

Hoc poſito, facilis eſt S. Thomæ ſenſus: cùm ſcilicet cauſam reprobationis aliquorum ad ſolum Dei beneplacitum & meram voluntatem refert, de eâ loquitur comparativè & in ſpeciali; abſolutè verò & in generali de eâ loquendo, eam non ſoli Dei voluntati, ſed juſtitiæ, aliquam ex parte hominis cauſam ſemper ſupponenti, attribuit. Ac ne id à me temerè dictum quis putet, legat reſponſionem ad 3. 1. p. q. 23. art. 5. ſic enim loquitur.

Ad 3. dicendum, quòd ex ipsâ bonitate divinâ, ratio ſumi poteſt prædeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter ſuam bonitatem feciſſe, ut in rebus divina bonitas repræſentetur. Neceſſe eſt autem quòd divina bonitas (quæ in ſe eſt una & ſimplex) multiformiter repræſentetur in rebus, propter hoc quòd res creatæ ad ſimplicitatem divinam attingere non poſſunt. Et inde eſt quòd ad completionem univerſi requirantur diverſi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in univerſo, & ut multiformitas graduum conſervetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, ut ſupra dictum eſt. Sic igitur conſideremus totum genus humanum, ſicut totam rerum univerſitatem. Voluit igitur Deus in hominibus, quantùm ad aliquos quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ, PARCENDO; *& quantùm ad aliquos quos reprobat, per modum juſtitiæ, puniendo.* ET HÆC EST RATIO QUARE DEUS QUOSDAM ELIGIT ET QUOSDAM REPROBAT *Et hanc cauſam aſſignat Apoſtolus ad Rom. 9. dicens: Volens Deus oſtendere iram, id eſt vindictam juſtitiæ, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, id eſt permiſit, in multâ patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. Et 2. ad Tim. 2. dicit; In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos eligit in gloriam & illos reprobavit, non habet rationem niſi divinam* VOLUNTATEM. *Unde Auguſtinus dicit ſuper Joannem, Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.*

Ex hac S. Thomæ doctrinâ, Apoſtoli auctoritate confirmatâ, evidenter patet quòd Deus homines non reprobat, niſi ex juſtitiâ, iramque ſeu vindictam ju-

ſtitiæ

ſtitiæ oſtendere volens, quodque non reprobat niſi vaſa iræ apta in interitum. Ergo juxta S. Thomam reprobatio abſolutè ſumta ſemper cauſam aliquam ex parte hominis ſupponit, ſcilicet peccatum originale, per quod omnes homines facti ſunt vaſa iræ apta in interitum. Atque ita quanquam nullus homo, niſi Deo volente, reprobetur ac relinquatur, tamen Deus nullum hominem reprobari vult niſi ex juſtitia, & propter cauſam ex parte hominis ſuppoſitam, ſcilicet peccatum originale. *Et hæc eſt ratio*, inquit, *quare Deus quoſdam eligit, & quoſdam reprobat.* Homines etiam prædeſtinat parcendo, ſecundùm hæc verba: *Voluit igitur Deus in hominibus, quantùm ad aliquos quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem per modum miſericordiæ,* PARCENDO. Parcere autem ſignificat alicujus debiti condonationem, ex quo ſequitur, quòd aliquos reprobat non parcendo, hoc eſt, eis aliquod debitum per peccatum originale contractum non condonando.

Cùm autem reprobatio à S. Thomâ comparativè conſideratur, hoc eſt, cùm quæritur in ſpeciali, quare Deus hos reprobat, iſtos verò eligit, tunc nullam rationem nec cauſam aſſignat, niſi divinam voluntatem. *Sed quare*, inquit, *hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem.*

Idem docet lib. 3. contra gentes c. 161. *Non omnes*, inquit, *qui gratiam impediunt, auxilio ſuo prævenit, ut avertantur à malo, & convertantur ad bonum; ſed aliquos, in quibus vult ſuam miſericordiam apparere, ita quod in aliis juſtitiæ ordo manifeſtetur. Hinc eſt quod Apoſtolus dicit ad Rom. 9. Volens Deus oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. Cùm autem Deus hominum qui in eiſdem peccatis detinentur, hos quidem præveniens convertat, illos autem ſuſtineat, ſive permittat ſecundùm ordinem rerum procedere, non eſt ratio inquirenda, quare hos convertat, & non illos. Hoc enim ex ſimplici ejus voluntate dependet.* Ergo S. Thomas ad ſimplicem quidem Dei voluntatem refert, cur convertat hos & non illos; ſed ſimul docet in iis quos non trahit & non convertit, juſtitiæ ordinem ſervari, ſecundùm illud Apoſtoli, *Deus volens oſtendere iram*, &c. hoc eſt, rationem eorum derelictionis ſemper hominum peccatis aſſignari, nec Deum velle illos non trahere ac derelinquere, niſi cauſâ ex parte hominis ſuppoſitâ.

Idem omninò habet in cap. 9. ad Rom. lect. 4. *Deinde*, inquit, *cum dicit: O homo tu quis es*, &c. *Reſpondet præmiſſæ quæſtioni. Ad cujus reſponſionis intellectum, conſiderandum eſt, quòd circa electionem bonorum & reprobationem malorum duplex quæſtio moveri poteſt: Una quidem* IN GENERALI, *Quare Deus velit quoſdam indurare, & quorumdam miſereri: Alia verò* IN SPECIA-

LI, *Quare velit hujus miſereri, & hunc vel illum indurare; & poteſt quidem ratio hujus quæſtionis aſſignari: ſecundæ autem quæſtionis non poteſt aſſignari ratio, niſi ſimplex Dei voluntas, cujus exemplum patet in rebus humanis.* Deinde oſtendit, rationem cur vult quoſdam reprobare & indurare eſſe juſtitiam, quæ meritum ex parte hominis ſupponit, quod ad peccatum originale refert. *Cùm dicit*, inquit, *Quòd ſi volens Deus, &c. Solvit primam quæſtionem, ſcilicet quare Deus velit quibuſdam miſereri, & quoſdam in miſeriâ derelinquere, ſive quoſdam eligere & quoſdam reprobare.... Finis autem reprobationis vel obdurationis malorum, eſt manifeſtatio divinæ juſtitiæ & virtutis.... Actus verò quem Deus erga eos exercet, non eſt quod diſponat eos ad malum, quia ipſi de ſe habent diſpoſitionem ad malum ex corruptione primi peccati... Hoc autem ſolùm Deus circa eos agit, quòd eos permittit agere quæ concupiſcunt.* Et ſup. lect. 3. *Sic ergo intelligendum eſt, Cui vult miſeretur, ſcilicet per ſuam miſericordiam; &, Quem vult indurat, per ſuam juſtitiam: quia illi quos indurat hoc merentur ut indurentur ab ipſo, ut ſupra* I. *cap. dictum eſt.*

Denique idem docet in 6. Joannis: *Quare autem*, inquit, *non omnes averſos trahit, ſed aliquos, licet ſint omnes æqualiter averſi, ratio quidem* IN GENERALI *poteſt aſſignari, ut ſcilicet in illis qui non trahuntur appareat & refulgeat,* ORDO DIVINÆ JUSTITIÆ; *in illis autem qui trahuntur, immenſitas divinæ ſapientiæ. Quare autem* IN SPECIALI *trahat hunc, & illum non trahat, non eſt ratio aliqua, niſi beneplacitum voluntatis divinæ. Unde dicit Auguſtinus: Quem trahit & quem non trahit, quare illum trahat & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.* Et infra: *Sic ergo Deus ad complementum univerſi quoſdam quidem trahit, ut in eis appareat ſua miſericordia, quoſdam verò non trahit, ut oſtendatur in eis ſua juſtitia; ſed hos trahit, illos non trahit ſecundùm ſuum beneplacitum voluntatis.*

Ex his verbis manifeſtum eſt quòd licet Deus ad complementum univerſi, quod requirit ut multiformitas graduum conſervetur in rebus, quoſdam eligat, & quoſdam relinquat, ſeu reprobet; quoſdam trahat & quoſdam non trahat; tamen cùm quoſdam relinquit, & quoſdam non trahit, hoc facit ex juſtitiâ, proindeque cauſa eſt ex parte hominis cur hoc faciat, licet ad complementum univerſi hoc faciat. *Sic ergo*, inquit, *Deus ad complementum univerſi quoſdam quidem trahit, ut in eis appareat ſua miſericordia; quoſdam verò non trahit, ut oſtendatur in eis ſua juſtitia.* Idem omninò docet in loco ex prima parte citato.

Jam verò poſito quòd juxta S. Thomam cauſa ob quam homines à Deo reprobantur, ſeu ad vitam æternam non prædeſtinantur, ſit peccatum originale, neceſſariò ſequitur cauſam negationis gratiæ in juſtis, qui à juſtitiâ excidunt, ad peccatum originale referri oportere. Ut hoc clariùs demonſtretur, primò exponendum

eſt

eſt quomodo, juxta S. Thomam, reprobatio ſit cauſa derelictionis à Deo, quid ex illâ proveniat, & quis ſit ordo in executione reprobationis hominum.

Reprobatio verò, inquit S. Thomas 1. p. q. 23. art. 3. ad 2. *non eſt cauſa ejus quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ, ſed eſt cauſa derelictionis à Deo: eſt tamen cauſa ejus quod redditur in futuro, ſcilicet pœnæ æternæ; ſed culpa provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratiâ deſeritur: & ſecundùm hoc verificatur dictum Prophetæ, ſcilicet, Perditio tua, Iſraël, ex te.* Item in c. *Sicut prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Ubi nota, juxta S. Thomam, idem hoc eſſe, Deus permittit aliquem cadere in peccatum, ac, Deus aliquem derelinquit, & gratiam ſuam non dando deſerit. Denique ibidem ad 1. *In quantùm igitur*, inquit, *quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos odio habere, vel reprobare.* Cùm ergo reprobatio hominum primùm includat derelictionem à Deo, & cauſa prima reprobationis ſit peccatum originale, ut antea oſtendimus, oportet ut cauſa prima derelictionis à Deo ſit peccatum originale.

Juxta hanc S. Thomæ doctrinam, hic eſt ordo in hominum reprobatione. Primùm Deus videt omnes homines per peccatum originale æternæ damnationi obnoxios factos eſſe, ac in quadam perditionis & corruptionis maſsâ eſſe poſitos. Deinde aliquos ex hac maſſa liberare ac diſcernere ſtatuit, & ad vitam æternam miſericorditer eligit, ac iis beneficia præparat, quibus certiſſimè liberentur ac ſalventur. Cæteros verò in hac maſſa relinquere ſtatuit, nec vult eis hoc bonum, quod eſt vita æterna. Inter eos autem quos ita reprobat, aliquos ad baptiſmi gratiam & ad præſentem juſtitiam vocare decernit. Hi ſunt qui cum aliquo tempore benè piéque vivant: *Sic*, ut ait S. Auguſt. de corrept. & gratia cap. 7. *à fide & Chriſtiana converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat*, qualis fuit Judas Apoſtolus Chriſti traditor. Deus ergo eos, per baptiſmum renatos ac libero ſuo arbitrio utentes, primò permittit ſecundùm eorum inclinationem cadere in peccatum, ſeu eos libero arbitrio dimittit, & gratiam ſuam non dando deſerit. Deinde illi libero ſuo arbitrio, de ſe habente diſpoſitionem ad malum, ex corruptione primi peccati, in hoc vel illud peccatum mortale liberè labuntur, à quo poſteà non reſurgunt. *Licet enim*, inquit ibidem ad 3. *aliquis non poſſit adipiſci gratiam, qui reprobatur à Deo; tamen quòd in hoc peccatum vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit: unde & meritò ſibi imputatur ad culpam.* Et in caput 9. ad Rom. lect. 4. *Actus quem Deus erga eos*, reprobos ſcilicet, *exercet, non eſt quod diſponat eos ad malum, quia ipſi de ſe habent diſpo-*

ſitionem ad malum ex corruptione primi peccati.... Hoc autem ſolùm Deus circa eos agit, quòd eos permittit agere quæ concupiſcunt. Et infra: *Non enim ſic quos vult indurat, ut eos peccare compellat, ſed ſuſtinet eos ut ſecundùm ſuam inclinationem tendant in malum.* Denique Deus his in peccato ſuo morientibus infert damnationis pœnam pro culpa. Et hanc pœnam pro peccatorum meritis diſparem iis inferre non ſtatuit, niſi poſt actualis eorum culpæ, in qua vitam finiunt, prævisionem. Et hæc eſt reprobatio poſitiva ex parte, tum Dei, tum objecti. Ex hac doctrinâ, quam juxta teſtimonia priùs allata à S. Thomâ traditam eſſe controverti non poteſt, cauſam primam derelictionis à Deo in juſtis peccato originali aſſignandam eſſe, hoc argumento facillimè evincitur.

Cauſa derelictionis à Deo juſtorum cadentium, qui ad vitam æternam prædeſtinati non ſunt, eadem eſt ac eorum reprobationis; ſiquidem, juxta S. Thomæ doctrinam antea poſitam, aliquorum reprobatio, derelictionem eorum à Deo primò includit: *Reprobatio*, inquit, *eſt cauſa derelictionis à Deo.* Atqui prima cauſa reprobationis eſt peccatum originale, ut anteà multis teſtimoniis evidenter probavimus. Ergo cauſa denegationis gratiæ ſeu derelictionis juſtorum cadentium, qui ad vitam æternam prædeſtinati non ſunt, eſt peccatum originale.

Sed nec alia cauſa iſtorum à Deo derelictionis, ſeu negationis gratiæ illis ad perſeverandum in juſtitiâ neceſſariæ, juxta certam S. Thomæ doctrinam inveniri poteſt. Non quidem peccatum actuale mortale, quia nullum in illis eſſe ſupponitur; aliàs non eſſent juſti. Si dicatur veniale peccatum præcedens, eſſe cauſam cur permittantur cadere in mortale, eſto. Sed quæro cauſam, cur permiſſi ſint cadere in iſtud veniale, cujus merito poſteà deſeruntur. Non aliquod peccatum actuale veniale; quia loquimur de primo quod committunt. Ergo ſi juxta S. Thomæ doctrinam, allatis anteà teſtimoniis contentam, ad aliquod peccatum, cujus merito ſibi relinquuntur, recurrendum eſt, ad peccatum originale recurrendum eſt.

Equidem illud in juſtis per baptiſmum remiſſum eſt, ſed debitum carendi gratiis actualibus, quibus homo etiam juſtus ob corruptionem ex peccato relictam, ad vitandum peccatum, & operandum bonum ſemper indiget, per baptiſmum penitùs remiſſum non eſt: Sicut per baptiſmum, ut ait Auguſtinus De verbis Apoſtoli Serm. 2. non eſt ablata infirmitas, quanquam per illum deleta ſit iniquitas: & hanc peccati pœnam, hoc debitum, Deus in renatis cùm vult, quantùm vult, & in quibus vult miſericorditer condonat; alios ſuæ infirmitati ad malum impellenti aliquando relinquens, & ut cadant permittens, judicio ſemper juſto, etſi occulto, alios ſecundùm miſericordiam

diam gratuitam & indebitam per gratiam adjuvans, ac retinens ne ex ſuâ infirmitate à juſtitiâ excidant.

Equidem peccatum originale, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnæ æternæ reatum, per baptiſmum penitùs ablatum eſt, nec Deus unquam poſteà illud in renatis ad culpam aut pœnam æternam imputat: ſed à corruptionis & perditionis maſsâ per peccatum originale factâ non baptiſmus, at ſola Dei ad vitam æternam eligentis prædeſtinatio liberat ac diſcernit. Non eſt autem dubium eos omnes qui non ſunt ſic diſcreti, nunquam perventuros ad vitam æternam: ergo ſi ſint regenerati & juſtificati, nunquam ex hâc vitâ auferentur, antequàm à juſtitiâ excidant; à juſtitiâ verò nunquam excident, niſi Deo permittente, dimittente, & auxilium gratiæ ſuæ non præſtante ne cadant. *Nam*, ut ait S. Auguſtinus De dono perſeverantiæ cap. 8. *non mentitur qui dicit*, *Ex nobis exierunt*, *ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis*, *manſiſſent utique nobiſcum*. Ergo in juſtis non ſalvandis, ex hoc quod non ſunt à maſsâ perditionis per prædeſtinationem diſcreti, profluit divinæ gratiæ ad perſeverandum in oratione & in juſtitiâ neceſſariæ negatio, ac proinde ad peccatum originale, etſi per baptiſmum remiſſum, velut ad cauſam primam illorum derelictionis à Deo, recurrendum eſt. Cauſa enim ob quam aliqui juſtè non diſcernuntur, ſeu non liberantur, eſt quia omnes per peccatum originale naſcuntur damnationi obnoxii, in cujus maſsâ & corruptione Deus quem vult, juſtè & ſine injuria derelinquit, ut poſt S. Auguſtinum S. Thomas docet in c. 9. ad Rom. lect. 3.

Denique quia in renatis ac juſtificatis nullum eſt peccatum, nec actuale mortale, nec originale in ratione veri & proprii peccati, ideò non eſt ulla cauſa cur damnarentur, ſi in eo ſtatu morerentur. Nam, ut ait Apoſtolus Rom. 8. *Nihil nunc damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Ac, ut Tridentinum definit Seſſ. 5. c. 5. *in renatis nihil odit Deus*, quod ſcilicet, ut exponit idem Concilium, veram & propriam rationem peccati habeat, cùm totum id per baptiſmum tollatur, quod damnatione dignum ſit, & quod eos remoretur ab ingreſſu regni cœleſtis. Nec etiam in illis concupiſcentia carnis veram peccati rationem ullo modo habet, nec iis nocere valet, quandiu illi propriâ actione non conſentiunt, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnant. Hic germanus Apoſtoli ſenſus eſt, hic Tridentini, hic S. Auguſtini, hic S. Thomæ. Hæc eſt doctrina Calvinianæ hæreſi per Tridentinum damnatæ oppoſita. Sed eſt cauſa cur baptiſati ac juſtificati, ad gloriam non electi, ſibi ipſis in peccatum de ſe tendentibus à Deo cùm vult, juſtè relinquantur, ſcilicet peccatum originale etſi remiſſum, & non diſcretio à

maſſâ perditionis. Cùm etiam aliqui juſti ab hac maſſa diſcreti & ad vitam æternam electi ſibi aliquando à Deo deſerantur, & cadere permittantur, licet hoc mirabili Dei miſericordiâ ad eorum humiliationem & correptionem ordinetur, ut S. Auguſtinus docet De peccat. meritis l. 2. & S. Thomas 1. 2. q. 79. art. 4. cauſa etiam eſſe debet cur Deus aliquo tempore ſuam illis ad ſtandum in juſtitiâ gratiam deneget, hoc ſcilicet in peccati etiam originalis pœnam juſto Dei judicio fit. *Nunc enim*, ut ait S. Auguſt. de corrept. & gratiâ cap. 11. *quibus deeſt tale adjutorium* (ſine quo ſcilicet juſti perſeverare non poſſunt) *jam pœna peccati eſt*, ex cujus merito corruptio & infectio peccati ſecundùm carnem cum gratiâ juſtificante juſtè à Deo in eis relinquitur, nec ſanatur, ac Deus juſtè permittit aliquos juſtificatos ſecundùm hanc corruptionem aliquando agere quæ concupiſcunt

Alia, juxta S. Thomam, cauſa reprobationis, defectus gratiæ, & derelictionis à Deo in hoc naturæ corruptæ ſtatu, ſemper ex hominis merito repetentem, doctrina teneri non poteſt: ac ſi alia teneatur, vel negatio gratiæ efficacis in juſtis ad meram Dei voluntatem, ſicut ad primam cauſam, nulla cauſâ ex parte hominis ſuppoſitâ, referenda erit, quod duriſſimum eſt, & à S. Thomâ, ſicut à S. Auguſtino alieniſſimum; vel rejicienda erit gratiæ per ſe efficacis neceſſitas ad ſingulos pios actus, ſaltem in juſtis, quòd à S. Thomæ, ſicut à S. Auguſtini doctrinâ, non minùs abhorret, & gratiæ quâ Chriſtiani ſumus myſterium penitùs evacuat.

Quiſquis ergo ne hanc doctrinam profiteri compellatur, docet ſaltem juſtos omnes ſemper gratiâ ſufficiente, ſaltem ad vigilandum & orandum, libero eorum arbitrio relictâ adjuvari, cujus uſu ſine ope auxilii per ſe efficacis, gratiam in tentatione neceſſariam pro nutu ſuo conſequuntur, ſicut illius abuſu eâdem gratiâ juſtè privantur; quiſquis, inquam, hoc docet, & qui inſuper, quod audent nonnulli, id ad fidem pertinere contendit, velut ab Innocentio X. definitum, is totam S. Thomæ de gratiâ Chriſti, de prædeſtinatione gratuitâ, ac de reprobatione, ſicut S. Auguſtini ac Patrum omnium qui ſecuti ſunt, doctrinam funditùs evertit, eamque velut impiam, hæreticam, ac blaſphemam à ſancta Sede damnatam eſſe, damnanda temeritate pronuntiat.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Poſtrema duo argumenta quibus item concluditur, lapſum juſtorum ad corruptionem naturæ & damnationem originalem ex S. Thomæ doctrinâ meritò referri.

Omnimoda S. Thomæ cum S. Auguſtino in hoc capite concordia.

VII. Argumentum.

SAnctus Thomas illud ipſum quod præcedenti argumento ex ejus circa reprobationem doctrinâ collegimus, expreſsè etiam aſſerit & exponit quæſt. diſp. de malo q. 3. de cauſa peccati art. 1. in quo quærit, *Utrum Deus ſit cauſa peccati* : tale eſt argumentum 9. *Prætereà Auguſtinus dicit 2. Confeſſ. Gratiæ tuæ deputo quæcumque mala non feci : non eſſet autem imputandum gratiæ quòd homo mala non faceret, ſi carens gratiâ poſſet non peccare : non ergo peccatum eſt cauſa quod aliquis privetur gratiâ : ſed magis privatio gratiæ eſt cauſa peccandi, & ſic ſequitur ut priùs, quòd Deus ſit cauſa peccandi.* Sic reſpondet.

Ad 9. dicendum, quòd aliter loquendum eſt de homine ſecundùm ſtatum naturæ conditæ, & aliter ſecundùm naturæ corruptæ : quia ſecundùm ſtatum naturæ conditæ homo nihil habebat impellens ad malum, licet bonum naturæ non ſufficeret ad gloriæ conſecutionem ; & ideò indigebat auxilio gratiæ ad merendum, non autem indigebat ad peccata vitandum : quia per hoc quod naturaliter acceperat, poterat ſtare. Sed in ſtatu naturæ corruptæ habet impellens ad malum, & ideò indiget auxilio gratiæ ne cadat : & ſecundùm hunc ſtatum Auguſtinus divinæ gratiæ deputat quæcumque mala non fecit. Sed hic ſtatus ex præcedenti culpâ provenit, ſcilicet originali.

Juxta doctrinam hîc à S. Thomâ poſitam, ideò in ſtatu naturæ corruptæ homo indiget auxilio gratiæ ne cadat, quia habet impellens ad malum, & hoc impellens ad malum eſt iraſcibilis & concupiſcibilis, ut ibid. ad 5. docet. Niſi ergo Deus per auxilium gratiæ ſuæ prohibeat quod impellit ad malum, quaſi dans manum, homo cadit ; & quoties cadit, cadit ex impellente ad malum. *Quia*, inquit ad 5. *peccata proveniunt ex inclinatione iraſcibilis aut concupiſcibilis.* Item quoties cadit, Deus non impedit, non dat manum, auxilium non præſtat ne cadat : atque id non ſolùm de peccatoribus, ſed etiam de juſtis verum eſt. Cùm enim corruptio naturæ, quæ eſt ex peccato in eis, per gratiam habitualem non tollatur, remanet in eis impellens ad peccatum ; unde ſemper egent auxilio gratiæ ne cadant. Et hoc expreſsè docet S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 9.

Homo, inquit, *in gratia exiſtens indiget auxilio gratiæ ſecundùm alium modum, ut ſcilicet à Deo moveatur ad rectè agendum, & hoc propter duo; primò quidem ratione generali, &c. ſecundò ratione ſpeciali, propter conditionem ſtatus humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam ſanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in eâ corruptio & infectio quantùm ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obſcuritas in intellectu, &c. & ideò neceſſe eſt nobis ut à Deo dirigamur & protegamur, qui omnia novit, & omnia poteſt, & propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem.* Itaque quoties aliquis juſtus cadit, cadit ex impellente ad malum, ex iraſcibili ſcilicet aut concupiſcibili ad peccatum inclinantibus, quæ in eo cum gratia juſtificante remanent; & tunc Deus non prohibet impellens, non dat manum, non adjuvat, non præſtat illi juſto auxilium ne cadat. Sed quare Deus non adjuvat ne cadat, cur aut non tollit penitùs, aut ſaltem per auxilium ſuum non prohibet id quod juſtum impellit ad malum? *Hoc enim*, inquit ibid. ad 1. *ex juſto judicio facit, quod aliquibus auxilium non præſtat, ne cadant*; & cur etiam Deus, juſtum ex concupiſcibili vel iraſcibili peccantem non adjuvans, ſeu cur non prohibens ne peccet, cùm id poſſit, non dicitur cauſa peccati? *Quia*, inquit S. Thomas, *hic ſtatus ex præcedenti culpâ provenit*; &, ut dicit l. 3. cont. gentiles c. 159. *Quia hic defectus ex culpâ præcedente in eis relinquitur.* Et ibid. ad 1. *Peccata*, inquit, *non proveniunt ex inclinatione iraſcibilis aut concupiſcibilis, ſecundùm quod ſunt à Deo inſtitutæ, ſed ſecundum quod deficiunt ab ordine inſtitutionis ipſius. Sic enim ſunt inſtitutæ in homine, quod rationi ſubjaceant: unde quando præter ordinem rationis ad peccatum inclinant, hoc non eſt à Deo.* Atque ita S. Thomas in originale peccatum tandem refert, & quòd ſit in homine appetitus in peccatum inclinans, & quòd homo huic ſuo appetitui ac vitio ex quo peccata proveniunt, à Deo auxilium gratiæ non præſtante aliquando relinquatur.

VIII. ARGUMENTUM.

PEr peccatum originale contractum eſt debitum carendi omni gratiâ ad ſalutem, & hoc debitum à Deo, indebitam miſericordiam præſtante, non remittitur niſi per Chriſtum: quia, juxta S. Thomam, hominibus poſt lapſum nulla gratia gratis à Deo, niſi ex Chriſti merito, confertur: ergo ex peccato originali remanet debitum carendi iis gratiis quas Chriſtus per mortem ſuam efficienter non meruit & non contulit. Atqui Chriſtus iis juſtis qui ſunt reprobi non meruit efficienter, nec contulit gratiam perſeverandi in juſtitiâ uſque in finem; ſiquidem hæc gra-

tia iis non confertur, &, ut docet S. Thomas quæſt. diſp. de veritate q. 29. art. 7. ad 4. meritum Chriſti fruſtrari non poteſt quantùm ad efficaciam ſeu efficientiam: ergo in iis juſtis remanet ex peccato originali debitum carendi hoc perſeverandi dono: proindeque juxta S. Thomam cauſa ob quam hæc gratia perſeverandi quibuſdam juſtis juſtè à Deo negatur, ad peccatum originale referenda eſt.

Et hæc certè explicatio reprobationis & denegationis auxiliorum actualium, pietati divinæ multò conformior eſt, & longè ſuavior, quàm illa quæ reprobationem hominum, & denegationem gratiarum actualium, quibus aliqui juſti aliquando carent, ſoli voluntati divinæ adſcribit, nulla cauſâ ex parte hominis ſuppoſita. In hoc verò hujus ſententiæ aſſertores nobiſcum conveniunt, quòd denegationem gratiæ actualis efficacis in juſtis ad primum peccatum, quod admittunt vitandum, non alicui peccato actuali, ſed Dei voluntati adſcribant, ita & nos. Illi verò aiunt, hanc Dei voluntatem nullam penitùs cauſam ex parte hominum ſupponere, nos aliquam in S. Thomæ ſicut & S. Auguſtini doctrina ſupponere contendimus; id Deum in peccati originalis pœnam velle aſſerimus: atque ita eamdem utrique cauſam agnoſcimus, voluntatem Dei: nos aliquod ejus in hominibus motivum ſtatuimus, hi nullum. Ergo ſi hi Theologi credunt meram Dei voluntatem iſtius carentiæ gratiæ in juſtis cauſam eſſe poſſe ſine ulla iniquitate, reprehendere non poſſunt, quòd cauſa dicatur, cum aliquo motivo illi adjuncto. Quòd enim Deus ſola ac mera ſua voluntate juſtè ac piè facere creditur, potiori jure id ſua voluntate aliquod motivum ex parte hominum ſupponente, juſtiſſimè, piiſſiméque facere credendus eſt.

His omnibus argumentis ex S. Thomæ doctrina petitis evidens eſt, eo ſenſu defectum gratiæ in hominem ſemper eſſe referendum, nec Deo tribuendum, niſi ex ſuppoſitione ejus quod eſt ex parte hominis; quia ſemper eſt cauſa in homine, cur à Deo non adjuvetur, ac ſibi ex inclinatione iraſcibilis & concupiſcibilis ad peccatum propendenti relinquatur, ſcilicet meritum præcedentis peccati, vel actualis, vel ſaltem originalis.

Et in hoc S. Thomas, ſicut & in cæteris Chriſti gratiæ capitibus cum S. Auguſtino, cujus ſemper auctoritate nititur, pleniſſimè concordat. Similiter enim, juxta S. Auguſtinum de corrept. & grat. c. 13. *Deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto*: ſed quodnam eſt iſtud judicium occultum? Ipſemet jam expoſuerat cap. 11. his verbis: *Si autem hoc adjutorium* (ſine quo bonum perſeveranter tenere non poſſumus) *vel Angelo, vel primo homini, cùm primùm facti ſunt,* de-

deſuiſſet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent; adjutorium quippe deſuiſſet ſine quo manere non poſſent: nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundùm debitum. Atque ut cætera hujus generis aliis in libris fusè expoſita prætermittam l. 2. de peccat. merit. & remiſſ. c. 17. ita eam quam mox ex S. Thomâ referebamus doctrinam omnem exhibet. *Ignorantia & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum: ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, quâ ut non adjuventur in ipſis cauſa eſt, non in Deo, ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ. Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas cauſam, vitiorum namque omnium humanorum cauſa ſuperbia eſt.* Et infra: *Secutum eſt autem ex debitâ juſtâ pœnâ tale vitium, ut jam moleſtum eſſet obedire juſtitiæ, quod vitium* (ſcilicet ſuperbia) *niſi adjuvante gratiâ ſuperetur, ad juſtitiam nemo convertitur* (quod ad peccatores ſpectat) *niſi operante gratiâ ſanetur, juſtitiæ pace nemo perfruitur.* (quod ad juſtos pertinet) *Cujus autem gratiâ vincitur, & ſanatur, niſi illius cui dicitur: Converte nos Deus ſanitatum noſtrarum? Quod & ſi facit, miſericordiâ facit, quibus autem non facit, judicio non facit.*

Pariter etiam S. Auguſtinus docet cauſam reprobationis eſſe peccatum originale, per quod quædam perditionis maſſa facta eſt, à quâ non liberantur niſi electi, & in quâ relinquuntur illi juſti qui non ſunt ad vitam æternam prædeſtinati, licet in illis per baptiſmum totus peccati originalis reatus remiſſus fuerit. *Qui verò perſeveraturi non ſunt* (inquit de corrept. & grat. c. 7.) *ac ſic à fide & Chriſtiana converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos finis hujus vitæ inveniat, procul dubio nec illo tempore quo benè piéque vivunt, in iſto numero computandi ſunt, à maſſa illa perditionis præſcientiâ Dei & prædeſtinatione diſcreti, & ideò nec ſecundùm propoſitum vocati.* Et ſimiliter eodem capite docet iis qui ab hac perditionis maſsâ diſcreti ſunt, Dei beneficia quibus ad vitam æternam certiſſimè perveniant, ſine dubio à Deo procurari & conferri. *Quicumque ergo*, inquit, *ab illa originali damnatione, iſtâ divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cùm audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, uſque in finem perſeverant; & ſi quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant redeunt, & nonnulli acceptâ gratiâ in qualibet ætate periculis hujus vitæ, mortis celeritate ſubtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos.* Rectè ergo S. Thomas; *Ratio autem reprobationis,*

lationis, inquit, *eſt in hominibus peccatum originale, ut dicit Auguſtinus.*

In libro verò De dono perſeverantiæ cap. 8. quia in duobus juſtis, quorum uni perſeverantia non datur, peccatum originale ſimiliter remiſſum eſt, quia in illis eadem ſunt merita, eadem juſtitia, quia utrique Deo accepti, Dei filii & vitâ æternâ digni; ideò cùm S. Auguſtinus circa cæteros ſeu parvulos, ſeu impios ætate jam grandes, judicia Dei inſcrutabilia eſſe doceat, circa illos duos juſtos inſcrutabiliora eſſe pronuntiat, atque hujus judicii æquitatem ad ſolam diſcretionem è maſsâ refert. *Ex duobus itaque parvulis*, inquit, *originali peccato pariter adſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iſte ita vocetur ut vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem ſequatur, inſcrutabilia ſunt judicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt judicia Dei.* Unde ait S. Proſper ad 14. object. Vincentianam, *Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare, cùm ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſtatur, & non ab illo eſſe quod ruitur.* Sed quodnam eſt iſtud Dei judicium, & unde juſtum? Reſpdet S. Thomas, ut argumento ſexto retulimus: *Quia hoc venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis.* Reſpondet S. Auguſtinus, quod omnino idem eſt, quia hic juſtus non erat à maſsâ per primi parentis peccatum factâ diſcretus; hinc fluxit quod hic juſtus non accepto perſeverantiæ dono, libero ſuo arbitrio à Deo dimiſſus fuerit. Subdit enim S. Auguſtinus: *Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis, ait unus prædeſtinatorum qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, manſiſſent utique nobiſcum. Nonne utrique à Deo creati, utrique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit: Omnem flatum ego feci, unius ejuſdemque naturæ animas acceperant? Nonne poſtremò utrique vocati fuerant, & vocantem ſecuti, utrique ex impiis juſtificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati? Sed ſi hæc audiret ille qui ſciebat procul dubio quod dicebat, reſpondere poſſet & dicere: Vera ſunt hæc, ſecundùm hæc omnia ex nobis erant; verumtamen ſecundùm aliam quamdam diſcretionem non erant ex nobis: Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Quænam tandem eſt illa diſcretio? Patent libri Dei, non avertamus aſpectum. Clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum: Non erant ex eis, quia non erant ſecundùm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi, non erant in eo ſortem conſecuti, non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus qui univerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent. Ut enim non dicam quàm ſit poſſibile Deo aver-*

averſas & adverſas in fidem ſuam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adverſitatibus cedant, nec ab ipſo aliqua ſuperati tentatione diſcedant, cùm poſſit, & quod ait Apoſtolus facere, ut non eos permittat tentari ſupra id quod poſſunt. Et paulò antè: *Adhuc pergat & dicat, cur quibuſdam qui eum coluerunt bonâ fide, perſeverare uſque in finem non dedit? Cur putas, niſi quia non mentitur qui dixit, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles perſeverantiam uſque in finem accipere debuiſſe; Deus autem melius eſſe judicavit miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim à pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus: Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat. Voluntate autem ſua cadit, & voluntate Dei ſtat qui ſtat.*

Id verò obſervatione digniſſimum, quòd ſicut nunc iis qui hanc S. Auguſtini & S. Thomæ doctrinam ſequuntur, à quibuſdam Moliniſtis objici ſolet, quòd credant per baptiſmi gratiam, peccatum originale ab iis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferri; ſic S. Auguſtinus ejuſque diſcipuli poſt illius obitum eadem calumniâ à quibuſdam Presbyteris Maſſilienſibus infamati fuerint. Cùm enim in hujus ſancti libris De corrept. & gratia, & De prædeſtinatione ſanctorum ac De dono perſeverantiæ, doctrinam à nobis anteà relatam legerent, eos ſcilicet qui baptiſati erant, nec in accepta gratia perſeverabant, ab originali damnatione, ſeu à perditionis maſsâ, per peccatum originale factâ, non fuiſſe diſcretos, nec in diſcretorum numero, etiam eo tempore quo benè piéque vivunt, computandos eſſe, & quibus non datur perſeverandi auxilium, jam peccati, originalis ſcilicet, pœnam eſſe; hinc S. Auguſtini ſcripta reprehenderunt, quaſi doceret, ut aiunt object. 2. apud S. Proſperum in reſponſionibus ad capitula Gallorum, *quòd ab eis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat, per eptâ baptiſmi gratiâ, originale peccatum,* quod ſanè nonniſi ineptiſſimè, ſtolidiſſimè, inſaniſſiméque oppoſitum eſſet, ſi aliud nihil hac de re S. Auguſtinus, ejuſque diſcipuli docuiſſent, quàm quod Molina, ejuſque ſectatores ab annis aliquot docere cœperunt. Huic verò objectioni S. Proſper ſic reſpondet.

Omnis homo, qui credens in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, regeneratur in baptiſmo, tam à propriis peccatis, quæ mala voluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à parentibus traxit, abſolvitur: ſed relapſum poſt baptiſmum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa opinatur, quàm qui eumdem aſſerit, non æterna morte eſſe damnandum. Qui enim recedit à Chriſto, & alienus

nus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non in quod remiſſum eſt, recidit; nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficitur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt delebatur. Quod quia Dei præſcientiam nec latuit, nec feſellit, ſine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædeſtinavit, & periturum nunquam ab æterna perditione diſcrevit.

Ex quo patet non eſſe novam hanc in S. Auguſtini diſcipulos circa peccatum originale reprehenſionem, ac Moliniſtas *ſinceriſſimis Dei gratiæ defenſoribus* hoc tempore, ſicut olim Maſſilienſes, *obloqui, & pacem victricis Eccleſiæ, reſumtis de damnatorum ſchola quæſtiunculis, inquietare* S. Proſper *cont. Collat. c.* 29.

ARTICULUS VII.

In quo oſtenditur Conradum Koëllin jà P. Nicolai laudatum, eodem modo S. Thomam interpretatum eſſe circa cauſam defectus gratiæ.

QUanquam hic puram S. Thomæ doctrinam ex puris ejus operum fontibus, non verò ex illius interpretum ſenſu exquiramus: quia tamen P. Nicolai nobis Conradum Koëllin, velut à doctrinâ quam ſequimur alieniſſimum objecit, nec repudiare poteſt ejus teſtimonium, cujus auctoritate ſic ſe jactavit, hunc eodem omninò ſenſu quo nos S. Thomam exponentem, & auxilii divini ſubtractione in originalis ſaltem peccati meritum referentem audiamus in 1. 2. q. 79. art. 1. in quo quæritur, *Utrum Deus ſit cauſa peccati*, in hæc S. Thomæ verba, à nobis anteà citata, *ſimiliter etiam neque indirectè* (Deus poteſt eſſe cauſa peccati) *contingit enim quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata*, &c. Sic loquitur.

Probat (nempè S. Thomas) *ſecundam partem antecedentis, ſcilicet quòd non indirectè: dicitur autem indirectè cauſa, ſicut dicitur indirectè voluntarium, quod videlicet quis poteſt prohibere, vel impedire, & non impedit, ut patuit ſupra. Et arguitur ſic. Ille eſt cauſa indirectè peccati, qui poteſt impedire & debet: ſi autem poſſit impedire, non autem debeat, nec tenetur, non eſt cauſa etiam indirectè, & præſertim ſi ipſe non ſit prima ratio deficiendi, vel non ſubtrahit auxilium ſuum, niſi ex demerito peccati præcedẽtis. Sed Deus non debet; eſto, poſſit: nec tamen ſubtrahit niſi propter demeritum peccati præcedentis. Major patet exempláriter de gubernatore, qui non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, etiam indirectè, ſcilicet ex hoc quod non gubernat navem, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens gubernare. Minor patet, & quòd poſſit clarum eſt; ſed quòd non debeat, patet, quia ordo ſuæ ſapientiæ non requirit quòd præbeat auxilium & impediantur peccata, ut arbitrium liberum*

liberum creatum, quod ex natura ſuâ deficere poteſt, ſuaviter diſponatur: & quòd ſubtrahat auxilium ſuum propter demeritum peccati præcedentis, ſaltem originalis, patet ad primum & 1. p. q. 23. art. 7. ad 3. Quæ autem ſit ratio, quòd divina ſapientia & juſtitia voluerit aliquos dimittere peccare, & non impedire, habes rationem, ubi jam in 1. p. art. 5. ad 3. rationem videlicet in generali & non præciſam, ut ibidem patebit, ut manifeſtetur divina bonitas per miſericordiam & juſtitiam, & ſuavis diſpoſitio rationalium creaturarum.

Nota ex dictis ante articulum, ex quibus habetur, quòd Deus non eſt cauſa deficiendi prima: & ergo non imputatur ſibi peccatum alterius. Si enim non fuiſſet peccatum, præſertim originale, Deus nullum hominem deſeruiſſet.

Nota circa 2. partem antecedentis & ejus probationem, quòd Deus non eſt debitor alicui creaturæ, nec tenetur hominem conſervare ne peccet, maximè poſtquàm ſe peccando fecerit indignum, debet autem velle quod impleat in rebus id quod ſua ſapientia & voluntas habet: quia ergo ordo ſuæ ſapientiæ non habet, quòd hominibus auxilium ferat omnibus, ne peccent: ideò Doctor ſanctus dicit hic, quòd hoc totum, ſcilicet non præbere auxilium, ne peccet, facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ quem debet implere. Deus enim non eſt debitor creaturæ, ſed ſibi ipſi; quare non debet, nec tenetur hominem à peccato conſervare, & præſertim cùm conditio naturalis creaturæ exigat, ne à peccato cohibeatur: & per conſequens non imputatur ſibi. Vide de hoc 1. p. q. 21. art. 1. ad 3. quomodo Deus nihil debeat creaturis, ſed ſibi.

In his Conradi verbis animadvertendum eſt obiter, Deum non debere ſibi ac ſuæ ſapientiæ, quòd hominibus auxilium ferat omnibus, & quòd hominem à peccato conſervet, maximè poſtquàm peccando ſe fecerit indignum, peccato ſcilicet originali vel actuali, ut anteà docet, ut hinc pateat quàm falsò P. Nicolai 1. claſſe dixerit, *Deum etſi non debet nobis quòd ab illo juvamur, debere ſibi nihilominus quòd nos juvat.* Id juxta S. Thomam, ut Conradus hic rectè notat, nec ſibi nec nobis debet, nec tamen ſponte deficit: quia nunquam nobis auxilium neceſſarium denegat, niſi propter demeritum peccati præcedentis, ſaltem originalis.

Deinde idem interpres in illud: *Et ſic patet quod Deus nullomodò poteſt eſſe cauſa peccati*, hæc haber.

Voluntas humana poteſt & tenetur rectitudinem dare actui, & tamen non dat: divina autem licet non teneatur dare, eam tamen, quantùm ex ſe eſſet, daret, ſi voluntas creata cooperaretur. Quidquid enim Deus dat antecedenter, dat etiam conſequenter, quantùm eſt ex parte ſui, niſi adſit impedimentum: cauſando autem voluntatem creatam, dedit antecedenter in ſui principio opera bona & recta, quæ ſunt in hominis poteſtate; quare & quantùm ex parte ſui eſt, dat rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati ex con-

conſequenti daret. Eſt igitur defectus in effectu illarum duarum cauſarum, non propter defectum cujus prima ratio ſit Deus, ſed cujus ratio & cauſa eſt voluntas creata: non quia Deus cauſat rectitudinem, & voluntas obliquitatem; ſed quia Deus, quantùm de ſe eſt, cauſaret, ſi voluntas ſuam cauſalitatem cauſaret. Et ergo quòd non adſit rectitudo, eſt quia voluntas non cauſat, quantùm ad ſe pertinet: ante autem primum peccatum non eſt quare Deus ſubtraheret rectitudinem actualem ipſius actus. Quare ex parte ſui non oportet quòd illa rectitudo non inſit.

Denique in hæc verba: *In malum autem inclinat, in quantùm non prohibet, ſicut dictum eſt, & tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati*, hæc habet. *Sed ad malum dicitur inclinare, impropriè loquendo de peccato & malo formaliter, quia videlicet ipſam inordinationem non prohibet: ſed hoc non tenetur, nec eſt prima ratio deficiendi, ſed illud provenit, ſcilicet non prohibere, propter demeritum peccati præcedentis, ſaltem originalis, ut dictum fuit.*

Itaque juxta hunc interpretem celeberrimum, à P. Nicolaï multùm ac meritò laudatum, quoties Deus non juvat, & non dat auxilium ſuum homini ne peccet, & eum à peccato non conſervat, id ſemper contingit ex merito præcedentis peccati. Certum autem eſt quòd Deus juſtum, cùm peccat, non ſervat à peccato, & non prohibet ne peccet: ergo ſi ſit primum juſti peccatum, qualecumque ſit, dici non poteſt, quòd Deus permittit eum cadere in hoc peccatum, ei auxilium ſuæ gratiæ non præſtando ob meritum peccati actualis præcedentis, quia nullum eſſe ſupponitur: ergo ex merito peccati originalis, quanquam jam remiſſi. Hæc vera eſt S. Thomæ doctrinæ expoſitio.

CONCLUSIO.

Ex his intelligitur, cujuſmodi eſſe debuerit Joannis Nicolaï & aliorum Examinatorum de Auguſtinianâ Antonii Arnaldi Doctoris & Socii Sorbonici propoſitione ſententia, ſi perſpecto ejus ſenſu S. Thomæ doctrinam meliùs calluiſſent, expendiſſentque diligentiùs; cùm, ut ait Joannes Nicolaï parte 2. n. 1. *Anticipatâ ferè concluſione decretum ſit, hoc ratum ac fixum fore, quòd S. Thomæ eſſe, quod ab eo traditum, quod ei non adverſum ac inimicum plenâ fide conſtaret.*

Pleniſſimâ verò fide jam conſtat, ſancto Thomæ adverſum ac inimicum eſſe, quidquid P. Nicolaï ſuo in Suffragio aſſeruit; conforme verò & conſentiens, quidquid Antonius Arnaldus de Auguſtinianâ propoſitione ad examen vocatâ, & de gratiâ ſufficiente ſcripſit ac docuit. Sed, egregie Cenſor, quomodo in Arnaldi cauſæ examine ac judicio plenâ fide conſtare poterat quid S. Thomæ eſſet, quid ab eo traditum, cùm illud nec tibi, nec cæteris Inquiſitoribus perſpectum fuerit, ut

tuo Suffragio comprobaſti? Nec in Sorbonæ Comitiis per ſemihoræ anguſtias ad ſententiam dicendam, contra morem & æquitatem omnem, Inquiſitorum arte ac poteſtate conſtitutas, expendi potueris? Adeò ut tu ipſe cui, ut loqueris (*a*) à cæteris Examinatoribus, *quaſi propriè ex induſtriâ reſervatum erat de S. Thomæ doctrinâ dicere*, illam, dum Suffragium pronuntiares, ne attingere quidem potueris: & Doctores multo numero in eâ maximè verſati, cùm tam exiguo tempore ſententiam ſuam de tam gravi fidei cauſâ dicere ac ſtabilire non poſſent, à Facultatis Comitiis recedere coacti ſint. Talem tu ſcilicet, talem vos Examinatores cæteri, *ad illius tam juſti de S. Thomæ doctrinâ inquirendâ & ſequendâ conſilii perficiendum inſtitutum, ſinceritatem attuliſtis.* (b)

Cùm ergo Auguſtinianam Arnaldi propoſitionem tam horrendâ hæreſeos, impietatis, & blaſphemiæ labe inuris, vel Arnaldi ſententiam nullo modo attingis, calumnioſuſque es; vel ſanctiſſimam & maximè catholicam S. Thomæ doctrinam hæreſeos, impietatis, & blaſphemiæ damnas, prævaricatorque es. Eò autem graviùs peccaſti, quòd pluribus Cenſoribus autor fueris, ut cùm te totum in Angelici Doctoris diſciplinâ innutritum crederent, ſimulatâ, quam publicè profeſſus es, erga ſanctum Doctorem reverentiâ, & falsâ tuæ in hoc argumento eruditionis opinione deluſi, eamdem injuriam eidem S. Thomæ doctrinæ intulerint, ſi tamen ipſam Arnaldi ſententiam damnaverunt. Utinam autor ſis infelici exemplo tuo, ut ſalubriter reſipiſcant, ac fervore deferveſcente, depoſitóque partium ſtudio, agnoſcant tandem puriſſimam S. Thomæ doctrinam Auguſtinianâ Arnaldi propoſitione contineri; & ab iis Doctoribus numero ſeptuaginta & amplius defendi, qui eamdem propoſitionem, vel ſuo judicio, vel ſuâ à Comitiis diſceſſione approbarunt.

(a) *Ibi loquendi finem horâ urgente feci, ubi omnium præcipuus ad loquendum ſe finis offerebat, quaſi propriè mihi ex induſtriâ reſervatus, & invitus ac nolens prætermiſi quod potiſſimum expectabatur, ut dicerem, quia ſpecialius me ſpectabat.* Præmonit. pag. 3.

(b) Suffragii part. 2. n. 2.

XIX.

ANTONII ARNALDI
DOCTORIS SORBONICI EPISTOLA,

Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum HENRICUM ARNALDUM Andegavenſium Epiſcopum, Fratrem ſuum.

Quâ accuſationem è judicio Sorbonico petitam depellit, & fidem ſuam circa quinque Propoſitiones exponit, in gratiam Romani cujuſdam Theologi.

Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Andegavenſium Epiſcopo HENRICO ARNALDO, ANTONIUS ARNALDUS.

ITerato juſſus imperio ea ad te ſcribere, quibus optimi Viri, ſed de me iniquiùs ſentientis, ſuſpiciones dilui poſſent, pareo tandem, ILLUSTRISSIME ANTISTES, nec ultrà mihi Autoritati tuæ refragari licere exiſtimo. Quod verò tardiùs paruerim, nec penitùs excuſo, nec tu, credo, ſi cauſæ meæ rationem attendas, penitùs accuſabis. Ego, Præſul Illuſtriſſime, ejuſmodi purgationes apud peregrinos & exteros toties jam infrugiferas expertus ſum, ut planè veniâ ſim dignus, ſi ad iſta remedia cunctatiùs accedam, quæ tam parum ſpei & utilitatis oſtendunt. Habet hoc humanum genus, ut ſuſpicionum ſuarum plus æquo amans ſit. Sed his ſi adjunctæ fuerint circumfuſæ multitudinis voces, fiunt ex ſuſpicionibus rata jam fixaque judicia, quibus qui obluctetur, contumax potiùs habeatur, quàm juſtus innocentiæ ſuæ defenſor. Hinc vides quàm difficile ſit, homini Romæ degenti, adverſariorum meorum ſermonibus jam occupato, inter illorum calumnias aſſiduè verſanti, quicquid adverſùm me ſiniſtræ opinionis impreſſum ſit, brevi Epiſtolâ revellere.

Quamobrem mihi tantam hanc defendendæ adversùs tam potentes tamque numeroſos inimicos innocentiæ difficultatem cogitanti, ſæpè meliùs viſum omnia divinæ providentiæ permittere, & ad illud potiùs judicium me parare, in quo nil gratia, nil potentia, nil numerus, nil præjudicia, nil calumniæ valituræ ſunt, ubi nec juſtitia cadere, nec vincere poſſit iniquitas. Quem in ſenſum eo procliviùs adducor, quod per viginti jam annos tam multis adverſariorum meorum iniquitatibus exercitus, & ſub calumniarum mole penè oppreſſus, plus tamen ex illorum injuriâ fructus cepiſſe mihi videor, quàm ex ullo

hominum favore ac benignitate capere potuiſſem. Itaque nulla me ſortis meæ habet impatientia, nulla fortunæ, in qua hoc etiam ineſt commodi, quòd ſatis adverſùs inimicorum meorum potentiam tuta eſt. Homini enim nihil aliud niſi latere volenti, quis eripere latebras poteſt?

Sed quamvis, ut dixi, Præſul Illuſtriſſime, ad defendendam apud hominem exterum cauſam meam mea me parùm utilitas ſtimulat, & exigua ſpes affulgeat alienæ; Tu tamen & benigniùs & religioſiùs ſentire mihi viſus es, qui illud Officium hoc loco non omittendum eſſe putaviſti. Bono enim illi & erudito Romano Theologo fortaſsè injuria fieret, ſi de eo ex vulgari hominum ingenio judicaretur, quem tu ſingularis æquitatis eſſe prædicas. Et prætereà cavendum ſemper eſt, quod ſanctè prudenterque monet S. Gregorius, ne dum præmia laudeſque ab hominibus non exſpectamus, quod virtutis eſt; mens in ſui fiduciam erecta, his à quibus nihil experit, placere contemnat, eorum judicia deſpiciat, ſeque malè liberam per abrupta elationis rapiat. Id metuens, Illuſtriſſime Antiſtes, non tuâ jam autoritate, ſed meâ etiam voluntate libens quod præcipere dignaris aggrediar, ut Viro Clariſſimo meæ fidei rationem quàm maximâ poſſim ſinceritate reddam: quod quidem eorum quæ mihi objiciuntur inanitatem ſeparatim expendenti facile per ſe & expeditum.

Duo enim tantùm crimini mihi dari video, quorum alterum mihi proprium, alterum commune cum multis, ſed utrumque juxta frivolum & injuſtum. Primum eſt Judicium illud Sorbonicum, quo duæ ex Epiſtola quadam mea propoſitiones damnatæ ſunt, altera temeritatis, altera etiam erroris & hæreſis. Secundum eſt fictitium Janſeniſtæ nomen, quo me & quemvis alium, utcumque ſua poſtulat utilitas, Jeſuitæ traducunt. Sed priorem quidem accuſationem, è Judicio Sorbonico petitam, pluribus ita ſcriptis depuli, ut ſi ea, quæ non difficile apud ſuorum aliquos inveniet, legere dignetur, nullum ipſi credam de ea re ſcrupulum fore ſuperſtitem. Et certè apud noſtros ita fracta eſt illius Cenſuræ autoritas, ut quamvis pluribus ſcriptis exagitata, obtrita, omnibuſque modis conſciſſa fuerit, nulli tamen, quod unquam vel fando auditum erat, verbum pro illa proloqui aut mutire auſi ſint. Quod autem non auſi ſint, cauſa in aperto eſt, tam manifeſta ſcilicet illius Judicii iniquitas, ut nullâ ratione diſſimulari, nullo verborum fuco obtegi poſſit. Nec hoc à me Vir Clariſſimus confidentiùs quam veriùs dictum putet, ſolitoque litigantium ingenio, quibus ſuam cauſam extollere, adverſariorum deprimere, motis eſt. Non alium enim quàm ipſum judicem fero, an huic rationi, quâ præcipuè Cenſoribus illis ac ſæpiùs inſtiti, quicquam vel in ſpeciem reſponderi potuerit. Damnata hæreſeos pro-

propoſitio hæc erat : *Petro juſto gratiam defuiſſe ſine qua nihil poterat* : cujus verba ex Auguſtino & Chryſoſtomo ſyllabatim deſcripta ſunt. Hinc ergo & ante Cenſuram & poſt Cenſuram interrogare non deſtiti, ſenſum an verba illius propoſitionis reprehenderent ; nihil enim eſt medium. Neutrum autem reprehendi poſſe, ita facilè demonſtravi. Verba, vel ipſis fatentibus, utpotè ex Patribus deſcripta, extra crimen ſunt. Senſus autem huic propoſitioni, ut ſæpiùs teſtatus ſum, is à me ſubjectus eſt : *Petro juſto non affuit gratia efficax agendi, id eſt, confitendi Chriſtum* (nam de gratia orandi nullus hîc ſermo) *ſine qua nihil poterat, quod vel ad vincendam tentationem attinet, eâ poteſtate quæ complectatur omnia ad agendum neceſſaria.* Hic autem ſenſus ita, vel ipſis adverſariis teſtibus, orthodoxus eſt, ut nuper etiam præcipuus Cenſorum CORNETUS, à Viro Clariſſimo Domino DESLYONS Doctore Sorbonico, Eccleſiæ Sylvanectenſis Decano, interrogatus, An quicquam in illo improbandum videretur, vi veritatis victus reſponderit, in poſtremis meis ſcriptis, præſertimque in Diſſertatione, nihil reprehendendum; ſed alium quemdam ſenſum in mente mea reconditum eſſe, quem tamen nec ipſe, nec ullus alius unquam exprimere auſus eſt.

Non jam, credo, mirabitur Vir Clariſſimus cur Sorbonicæ Cenſuræ patrocinium nemo ſuſcipere auſus eſt. Quid enim pro illa quiſquam cauſari poteſt, quæ eam propoſitionem hæreſeos damnat, cujus verba ex Patribus ſumta, ſenſum verò ab Autore expoſitum, reluctantes videlicet ac inviti Cenſores orthodoxum & catholicum fateri coguntur ? Quid enim eâ doctrinâ, quam unam in mente habuiſſe profeſſus ſum, in ſcholis Catholicis tritius ac vulgatius, Non affuiſſe Petro juſto gratiam illam victricem & efficacem, ſine quâ tentationes numquam ſuperantur, & quæ Patrum verbis dicitur, Gratia ſine qua nihil poſſumus, quia ſine ea nihil actu & effectivè benè fit ? Etſi alio ſenſu eidem Petro non defuerit poteſtas benè agendi, ac vincendæ tentationis in actu primo, per gratiam ſupernaturalem conſtituto, quam proximam, completam, ſufficientem dici nihil vetat, dummodò has ita voces interpreteris, ut gratiæ efficacis neceſſitas ad agendum actu non negetur. Ergò cum hanc doctrinam ne laceſſere quidem poſſent, ſilere compulſi ſunt, æternumque ſilebunt. Nam reconditos illos ſenſus clandeſtinis ſuſurris jactare facile eſt ; at palàm in ſcriptorum luce ad Cenſuræ defenſionem obtendere, quàm parùm plauſibile ſit, vel ipſi ſentiunt.

Alterum temeritatis crimen, quod in me iidem Cenſores conferunt, quia cum Janſeniſmi accuſatione cohæret, hâc repulsâ pariter diluetur. Illam verò ſic à me amoliri facile eſt, ut hanc cauſam apud nullum Eccleſiæ Judicem, qui me modò patienter audire vellet, agere formidarem. Duo-

bus enim tantùm capitibus hæc criminatio continetur; quorum aliud fidem attingit, aliud ad meram facti quæſtionem pertinet. Ad fidem attingit illa quæſtio, An meritò damnatæ quinque Propoſitiones? an damnatus in Propoſitionibus ſenſus hæreticus ſit? Ad factum pertinet, An iſtæ propoſitiones damnatæ, iſte ſenſus damnatus in Janſenio ſit, nec ne? Quamobrem qui propoſitiones ipſas hæreticas negaret, & damnata in iis dogmata quocunque nomine defenderet, in fidei utique materia peccaret, & jure hæreſeos reus peragi poſſet. At qui de facto ab omni Juris quæſtione ſejuncto vel dubius, vel falſus eſſet, hunc in ipſa fide cum Summo Pontifice ac tota Eccleſia conſentientem hæreſeos accuſari non poſſe, planiſſimum eſt.

His poſitis, neſcio an ullus tam iniquus arbiter fingi poſſit, cui non ego fidei meæ integritatem facilè probem. Non enim modò proſcriptas à Summis Pontificibus propoſitiones cum ipſis proſcribo ac rejicio, ſed ſpeciatim quoque teſtor, ita me cum illorum ac totius Eccleſiæ fide in quinque illis capitibus, ut in cæteris omnibus, conſentire, ut quoſcumque ſenſus, quæcumque dogmata in iſtis propoſitionibus damnare paratus ſim. Nulla enim mihi ſuper illis opinio eſt, quæ tantillùm à Summi Pontificis & communi Eccleſiæ ſenſu diſcrepet. Imò, quò magis miretur proſpiciatque Vir Clariſſimus collatæ in me ſuſpicionis iniquitatem, hoc etiam ſanctè religioſéque confirmo, nihil me ſuper iſtis propoſitionibus ſentire, quod non modò omnis S. Thomæ ſchola, quæ maxima Theologorum Catholicorum pars eſt, non modò omnes Academiæ, ſed omnes omnino adverſarii mei, etiam Jeſuitæ, licèt fortè à placitis ſuis diſſentaneum, tamen orthodoxum, & omnis erroris expers, non unanimi conſenſu fateantur.

Atque ut hoc ſuis ipſe oculis Vir Clariſſimus teneat ac judicet, viſum eſt brevibus hìc concluſionibus exponere quidquid de quinque Propoſitionum materia ſentio: in quo non vereor ne quiſquis aliquid in Theologicis rebus intelligit, quicquam quod reprehendere aut deſiderare poſſit, inveniat. Quod ſi hæc expoſitio Scholaſticis verbis, præter Patrum & Eccleſiæ morem, concepta ſit, dabis credo veniam, Illuſtriſſime Antiſtes. Ejuſmodi enim controverſiæ è Schola natæ, & inter Scholaſticos adultæ, apud Scholaſticæ Theologiæ aſſuetos vix ſatis diſtinctè & enucleatè explicari ſine ſcholaſticis vocibus poſſunt.

De prima ergo Propoſitione ita ſentio.

Omnibus juſtis volentibus & conantibus mandata Dei ſunt poſſibilia per vim interiorem & ſupernaturalem in ipſis exiſtentem: nec illis ſic volentibus & conantibus deeſt gratia tum habitualis, tum actualis qua poſſibilia fiant in actu primo, licèt nunquam in actum ſecundum proditura ſint ſine actuali auxilio actum illum ſecundum conferente.

De

De ſecunda Propoſitione ita ſentio.

Datur in ſtatu naturæ lapſæ aliqua gratia actualis interior quæ propter reſiſtentiam voluntatis liberè agentis caret effectu ad quem ex ſe poteſtatem confert, & ad quem ordinatur in eodem ſubjectò per voluntatem Dei antecedentem. Nulla tamen datur gratia actualis interior, quæ non habeat eum effectum ad quem ordinatur per voluntatem Dei abſolutam ſeu conſequentem.

De tertia Propoſitione ita ſentio.

Ad merendum & demerendum non ſufficit in ſtatu naturæ lapſæ libertas ſola à coactione, ſed requiritur libertas à neceſſitate naturali, ſive à determinatione abſoluta ad unum; proindéque requiritur indifferentia activa ad utrumlibet, non illa quam Moliniſtæ commenti ſunt, ſed illa quam D. Thomæ ſchola defendit.

De quarta Propoſitione ita ſentio.

Semi-Pelagiani non ideò hæretici quòd dicerent, voluntatem gratiæ ſupernaturali internæ reſiſtere, vel obtemperari poſſe. Quinimò omni gratiæ reſiſti & obtemperari poteſt, quamvis illi quæ vocatur ſufficiens, cum ſola eſt, ſemper reſiſtatur, efficaci nunquam.

De quinta Propoſitione ita ſentio.

Non eſt Semi-Pelagianum dicere, Chriſtum pro omnibus omninò mortuum. Aſſerere verò, pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum Chriſtum ſanguinem fudiſſe, reverà hæreticum eſt, quia licet ſolis electis efficaci & abſolutâ voluntate ſalutem morte ſuâ promereri voluerit, pro quibuſdam tamen reprobis ſanguinem ſuum fudit, iiſque promeruit gratias, quibus ad ſalutem æternam pervenire poſſent.

Habet Vir Clariſſimus omnem meum de iſtis propoſitionibus ſenſum, in quo ſi nihil à vulgariſſimis Scholæ placitis abeſt, colliget indè manifeſtæ iniquitatis eſſe meam fidem malignis ſuſpicionibus aſpergere. Sed inde illud etiam ſtatuat neceſſe eſt, reliquam controverſiam, An ſcilicet quinque propoſitiones ſint in Janſenio, meram facti quæſtionem eſſe, à fide prorſus diſtinctam & alienam. Qui enim traditam in Summorum Pontificum Conſtitutionibus fidem ſine exceptione amplectuntur; qui quidquid illi damnarunt, damnant; qui nihil de quinque propoſitionibus ſentiunt, quod non modò à Summi Pontificis, ſed à Scholarum Catholicarum vulgari doctrina abhorreat, hi certè ſi in facto Janſenii errare convincuntur, nullo modo in fide errare dici poſſunt. Quamvis enim quædam facta ad fidem pertineant, quia Verbo divino, & Traditione comprehenduntur, ut Chriſtum natum & mortuum eſſe, ſcripta ab Evangeliſtis Evangelia; id tamen de facto Janſenii dici non poteſt, quòd Traditione non continetur. Unde qui ejuſmodi non revelata divinitùs facta inter fidei articulos referret, & propter illa quemquam hæreſeos ageret reum, ipſa fidei

fundamenta convelleret, quam Verbo divino, ſeu ſcripto, ſeu non ſcripto, totam inniti primarium Fidei caput eſt: *Fides enim ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti.* Undè omnes omninò quotquot unquam fuere Theologi, nemine prorſus diſſentiente, concluſerunt, nulli omninò in terris, ne Conciliis Oecumenicis quidem, in factis ejuſmodi infallibilitatem adeſſe.

Quamobrem ſui juris Eccleſia conſcia, interiorem quidem in fidei dogmatibus aſſentionem à filiis ſuis ſemper poſtulavit; at facta vel in illorum prorſus reliquit arbitrio, aut externâ tantùm obedientiâ, quæ ſilentio continetur, contenta fuit. Theodoreti & Origenis fidem quàm multi nunc Theologi impunè vendicant, præſertim eruditiores Jeſuitæ. Quàm multi Honorium à tot Pontificum, tot Conciliorum Oecumenicorum anathematis defendunt, piumque putant ad illius fidem purgandam, facti errorem, non intellecti ſcilicet Honorii ſenſûs, & Summis Pontificibus, & Oecumenicis Conciliis adſcribere. Ego quantò religioſior, qui nec Janſenium apertè defendi, nec errorem facti Pontificiis Conſtitutionibus imputavi, denique eis ſemper eam venerationem præſtiti, etiam in facto, quâ nulla major à Catholicis Theologis exigitur. Nihil ergo attinet in illam facti quæſtionem ingredi, cum generatim ex ipſa quæſtionis natura profiteri ſatis ſit, quod ex animo profiteor, Conſtitutionibus Summorum Pontificum eam quam par eſt venerationem ſemper à me redditum iri.

Poſt tam claram candidamque purgationem non video quid cuiquam omninò juſtæ dubitationis poſſit oboriri. Habetque ſanè Vir Clariſſimus, cur depoſito illo, quo ſe angi ſignificat, dolore, me cum Summo Paſtore & Grege Catholico & ſentire & ſemper ſenſiſſe lætetur. Quod ſi tamen aliquid adhuc ipſi difficultatis reſiduum eſt, nunquam defugiam, & Tuâ, Præſul Illuſtriſſime, & ipſius causâ, quacumque potero ratione ipſi ſatisfacere, & quoſcumque proponere dignabitur ſcrupulos evellere. Sin autem, quod omnino nolim, ita præjudiciis ſuis tenetur aſtrictus, ut ſe ab iis nulla ratione velit abduci, malitque adverſariorum meorum calumniis credere, quàm mihi de fide mea teſtificanti, equidem id moleſtè & graviter feram propter ipſum, quem pro ſuo in Eccleſiæ Hierarchiam amore, his ſuſpicionibus, ejus ſaluti plus quàm putet facilè periculoſis, liberatum optarem: me tamen eâ conſolatione ſuſtentabo, quòd te monente nihil omiſerim, quo poſſit ad æquiora judicia revocari, ut jam de cætero confidentiùs poſſim Bernardi exemplo ab injuſtis hominum judiciis ad ſummum illud Chriſti Tribunal appellare, in quo patentibus conſcientiæ arcanis, judicante Veritate, nec erunt fraudibus latebræ, nec erroribus locus, nec conſcientiæ periculum.

vj. Calend. Sept. 1659.

EJUS-

XX.

EJUSDEM AD EUNDEM EPISTOLA ALTERA.

Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Andegavenſium Epiſcopo

HENRICO ARNALDO ANTONIUS ARNALDUS S. D.

MAgno mihi ſolatio fuit, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, quod ex Scriptis ad te à Domino Crevæo litteris intellexi, probatam ipſi fuiſſe ſinceram illam fidei meæ expoſitionem, quam ad ipſum mittendam putaviſti. Nec mediocre indè pondus acceſſit ad eam opinionem quam dudum, Te autore, de ipſius æquitate conceperam. Non enim aliud rectæ incorruptæque mentis certius indicium, quàm inſita ſibi adverſùs quempiam præjudicia deponere, quàm primùm idoneis argumentis ejus innocentia perſpecta eſt. Hoc intereſt inter ſuſpiciones illas, quas æquiſſimis nonnunquam animis vel incerti rumores vel malevolorum ſermones inſtillant, & illas offenſiones quas exulcerati cordis malignitas gignit. Non vereor porrò, Illuſtriſſime Antiſtes, ne aliter ſentiant illi Theologi quibuſcum ſe litteras meas communicaturum oſtendit, cum in illis nihil eſſe certò ſciam, quod non paſſim totâ Eccleſiâ tanquam orthodoxum, nemine reclamante, doceatur. Illud verò multò minùs verendum, ne quid ipſi Summo Pontifici, ſi quâ fortè ad ipſum pervenerint, parum probetur, quem latere non poteſt hæc, ut longè antiquiſſima notiſſimaque, ita vulgatiſſima eſſe Catholicorum placita, quæ non modo privati Theologi multò plurimi graviſſimique, ſed integri etiam Ordines ſuo obſtricti Sacramento defendant. Quamobrem quod tuus jam olim, nunc etiam ſuo merito noſter Crevæus, amantiſſimè ſuadet, ut Sanctitati Suæ indices fidei & obſequii mei Litteras mittam, id ego ſic accepi, ut nihil mihi per ſe vel utilius vel optabilius judicarem. Quamquam enim Catholico ſufficit ad Unitatis Sedem charitatis & obedientiæ vinculis adhæreſcere, nec quicquam ipſi obeſſe poteſt apud Judicem Deum quicquid ulli de ipſo ſiniſtræ opinionis impreſſum ſit, haud ſcio tamen an ulli quicquam durius in vita poſſit accidere, quàm tantâ premi calumniarum mole, ut etiam communi omnium Chriſtianorum Parenti ipſius fides & religio in dubium venire videatur. Degener omninò ſit Filius, qui hanc calamitatem lentè ferat, mihique in ſummo, quem ex illa capio,

dolore illud ſolatio eſt, quòd mihi ſemper fuit acerbiſſima. Sed tamen, quod in exteris malis divinitùs immiſſis teneri par eſt, ut non quælibet avidè arripiamus remedia, ſed ea demum quæ pietas ac prudentia adhiberi patiantur, idem mihi ſtatui in hac quâ me jactari voluit Deus tempeſtate ſervandum, ut ad illam placandam nihil tentarem, quod à modeſtia vel religione tantillùm abhorreret. Itaque quamvis vehementer mihi blandiretur Domini Crevæi conſilium, cœpi tamen attentiùs circumſpicere, an illud, ut amori certè ipſius ac fidei, ita noſtro quoque officio congrueret: ſtatimque oborti ſunt nonnulli ſcrupuli, quos tibi, Illuſtriſſime Antiſtes, ſimpliciter à me exponi boni conſulas rogo. Primùm veritus ſum ut ſatis humilitati noſtræ conſentaneum, ſatis in Summum Chriſti Vicarium religioſum foret, litteris ipſum compellare ſine nova quadam ſcribendi ratione ac materia, quam mihi nullam ſubeſſe ſentiebam. Quamvis enim gravis eſt, ſemper tamen vetus eſt noſtra calamitas, nec ullo novo vulnere recruduit. Accedebat, quò magis id timerem, quòd cum hoc ſemel jam alio tempore auſus eſſem, nullum vel ab ipſo ſummo Pontifice, vel à quoquam ipſius juſſu reſponſum ferre promerui. Ex quo mihi vereri ſubibat, ne nimiâ libertate ante peccaſſem.

Sed illas tamen formidines potuiſſem utcunque ſuperare, & maximè eâ quam mihi affert Dominus Crevæus fiduciâ, ni gravior quædam me cauſa conſilii ambiguum faceret, in qua explicanda, Præſul Illuſtriſſime, totum me tibi libenter aperiam.

Ego, cùm ab ineunte ætate remotam ferè ab hominum commercio & frequentia vitam egerim, tritas illas in ſæculo diſſimulandi artes prorſus ignoro, fraude ac mendacio adversùs neminem uti poſſum, omnium minimè adversùs Petri Succeſſorem, cui qui mentiatur, eum non hominibus, ſed Deo mentiri ex Scriptura didici. Itaque Sanctitati Suæ aliter quàm Deo loqui, nefas putem. Atque adeò nihil apud Illam aſſeverare aut loqui auſim, quod non verè & ex animo ſentiam; nihil polliceri, quod non integerrimâ fide præſtare paratus ſim. Quamobrem, quia certus omninò ſum, me nihil nec de quinque propoſitionibus, nec de ullo alio doctrinæ capite quicquam ſentire, quod à Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ Fide diſſideat, ideò fidem meam Sanctitati Suæ quacumque ratione probare, quaſcumque ſuper ea difficultates expedire, nunquam refugiam. Omninò in fide mea teſtificanda nihil deprecor, quia nihil timeo. Quamquam vix quicquam plenius aut clarius reor deſiderari poſſe noſtrâ illâ expoſitione, quam ad Dominum Crevæum tranſmiſiſti.

Nec minori porrò ſtudio & alacritate profitebor, quàm ſemper ex animo Eccleſiæ Unitati & Apo-

Apoſtolicæ Sedi, Eccleſiaſticæ Unitatis centro, addictus fuerim, utinamque in mea adversùs illam pietate teſtando ſanguinem omnem meum profundere contingeret. Denique ſi id unum à me poſtuletur, ut poſtremis Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutionibus habeam, quod ejuſmodi Conſtitutionibus à Catholicis Theologis haberi ſolet, ut earum fidem amplectantur & honorificè illas ſemper appellent, ut de iis, quas fortè in facti quæſtionibus pati poſſunt, difficultatibus ſileanr, id quoque libenter ſpondebo, quia ſemper in illas ſic animo ac voluntate affectus fui. Unum eſt quod omninò facere non poſſum, ut quinque illas, meritò proſcriptas, mihique deteſtatas propoſitiones, in Janſenii libro verè reperiri, nominatim profitear, idque mihi eſſe perſuaſum, ſubſcriptione meâ conteſter. Nam cùm me quo minùs huic Facti quæſtioni minimè aſſentiar, multæ ac graves difficultates impediant, quo minùs aſſentiri me profitear; una vel graviſſima difficultas impedit, quòd nefas omninò exiſtimo profiteri, me credere quod non credam. Neque enim in illorum ſenſum unquam adduci potui, qui ſubſcriptiones illas, quas pauci quidam è noſtratibus Epiſcopis exigere tentarunt, quaſi meras ceremonias ſpectant, quibus neceſſe non ſit congruere interiorem mentis aſſenſum. Atque adeò hac perſuaſione imbuti, licet quinque propoſitiones in Janſenio extare non credant, tamen id ſubſcriptione ſuâ confirmare nihil verentur. Notum eſt magnam eruditorum partem, à quibus ejuſmodi ſubſcriptiones extortæ ſunt, hoc animo quod poſtulabatur præſtitiſſe. Non ignoras, Præſul Illuſtriſſime, res à me tota Galliâ pervulgatas narrari. Ipſi illi iſtarum ſubſcriptionum incentores Jeſuitæ, quàm ſæpè in libellis ſuis queſti ſunt, neminem ſubſcribendo mutaſſe ſententiam. Mihi verò nunquam probari potuiſſe fateor novum illud, quo utuntur iſti, morum decretum, ſubſcriptionem interioris fidei teſtem non eſſe. Semper mihi ita perſuaſum fuit, nuſquam & nuſpiam mentiri fas eſſe: nunquam autem à mendacio potui ſejungere ejuſmodi ſubſcriptionem, quâ quis ſentire ſe quod non ſentiat, profitetur. Jam credo, Illuſtriſſime Antiſtes, facilè perſpicis, quid me in illo Domini Crevæi conſilio moretur, quid ſollicitet, quid dubitationem afferat, ex qua non alius quàm ipſe me meliùs ac certiùs eximat. Nam ſi pro ſua prudentia præſentiat, ea demùm à me poſtulatum iri, ad quæ cum fide præſtanda paratiſſimum me ſuperiùs oſtendi, hac fretus fiduciâ pudorem meum poſſem fortaſſe pervincere, & ad ſupremum illum Eccleſiaſticæ poteſtatis Apicem cauſam meam queſtuſque deferre. Sin autem prævideat, fore ut illud ipſum à me flagitetur, quod me falsâ conſcientiâ facere non poſſe teſtatus ſum, ſatis

tis intelligis, tacere me, & conſultius, & in ſanctam Sedem reverentius eſſe. Nec ſuadebit unquam, ſat ſcio, Dominus Crevæus, ut in eum locum me dimittam, ubi vel negandum ſit ſummo Pontifici, quod à me poſtularit, vel faciendum quod improbet internum conſcientiæ lumen. Non ignorat ille quanta vis ſit conſcientiæ ad obſtringendas hominum mentes, nec id modò rectæ convenire, ſed etiam erranti, à qua nefas eſſe diſcedere, communis & recta eſt omnium Theologorum ſententia. Itaque, licet in illa Facti quæſtione prorsùs errarem, tamen donec tenebras meas novo lumine depulerim, error ille me non ſecùs ac veritas alligaret, nec licet mihi in quamlibet levi quæſtione damnare verbis, quod corde non damnem. Quod ſi eò me vel timiditas, vel infractio animi, vel propriæ quietis amor adduceret, tunc ſanè eſſet mihi quod jure ſuccenſeret ſummus Pontifex, & illatam ſibi injuriam crederet. Eccleſiaſticæ enim & humanæ poteſtatis ut diverſa ratio, ita diverſa judicia ſunt. Externis honoris ſimulachris, ac fictis profeſſionibus ab interiori affectu diſcrepantibus nonnunquam humana ſuperbia contenta eſt, quia propriè tantùm gloriæ & amplitudini ſtudet, ad quam hoc quoque pertinere putat, quòd homines ſui cauſa mentiri & ſimulare cogantur. Alius eſt omninò ſenſus Dei, id eſt veritatis, Miniſtris. Ut honorem ſibi à ſubditis habitum ad veritatis honorem referunt, ita veritatis honore metiuntur, nec honorificum in ſe exiſtimare poſſunt, quod in veritatem contumelioſum ſit. Fictas ergò & mendaces profeſſiones aſpernentur, reſpuantque neceſſe eſt, iiſque violari ſe putent, cum Deus ipſe violetur. Ita de ſummi Pontificis animo ſentire ſemper pium duxi, nec dubito quin ſi ſatis illum, quem expoſui, pernoſceret meæ mentis habitum, longè ſatiùs duceret innoxio ut multum errori, & qui nec mores, nec fidem attingat, indulgere, quàm me ad prodendam conſcientiam meam impellere.

Audiret ille certè ac ſequeretur Apoſtoli voces, quibus divinitùs in Epiſtola ad Romanos præcipit, quá manſuetudine ferendi, qua moderatione tractandi, quibus monitis & conſiliis hortandi ſint, qui tolerabilibus erroribus implicantur. Erant illis temporibus qui novæ Legis & Evangelicæ libertatis ſpiritum minùs intelligentes prohibitis in lege cibis veſci nefas eſſe ducebant. Erant etiam alii, qui minorem, quàm par erat, fraternæ infirmitatis rationem habentes, eos aut verbis aut exemplis ad cibos quos pollutos ducerent, edendos impellerent. Errabant certè qui hunc ciborum delectum habebant, & longè graviùs errabant, quam qui in alicujus Scriptoris intelligentia fallerentur. Contrà qui hunc delectum aſpernabantur, rectè ac verè ſentiebant.

tiebant. Ergò illi infirmi errore veritatis; iſti fortes cognita veritate. Et tamen infirmorum adversùs fortes cauſam ſuſcipit Paulus. Dicit quidem nihil in Chriſto commune; ſed ei qui exiſtimat eſſe aliquid commune, ei commune eſſe declarat; & qui diſcernit, ſi manducaret, damnatum eſſe pronuntiat. Non urget infirmos ut errantem conſcientiam corrigant, ſed ſeverè præcipit ne adversùs errantem conſcientiam agant. Poſtremò fortes illos, imò verè infirmos, qui fratrum errorem ferre non poſſent, objurgat & comprimit: *Tu quare ſpernis fratrem tuum?* Uſque adeò promiſcua illa edendi libertate, quam Lex Evangelica concedit, uti nefas, ut fratribus ſcandalo & offenſioni ſint. *Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Hanc normam, hoc exemplar Summo Pontifici ſemper fuiſſe propoſitum, hinc etiam intelligi datur, quòd nec Romæ, nec in Italia tale quicquam factum audimus, quale quibuſdam Galliæ locis tentatum eſt. Nulla ibi ſubſcriptionum mentio, nullus in facti quæſtiuncula alienæ conſcientiæ ſcrutator acerbus. Ipſe Sæ. Mæ. Innocentius, apud quem tota hæc cauſa pertractata eſt, cum non ignoraret aliquos ex iis qui Romæ erant Doctoribus ab adverſariis ſæpè eo nomine in crimen vocati, quod benigniùs de Janſenio ſentirent, de ejuſmodi ſubſcriptione ab iis exigenda nunquam cogitavit. Alienum enim hoc ab Eccleſiæ utilitate, conſuetudine & ſpiritu noverat.

Fruſtrà verò his ſubſcriptionibus ſpecioſum pacis & concordiæ nomen obtenditur. Amanda, optanda, concilianda, ſancienda Chriſtianorum concordia eſt; ſed non ejuſmodi viâ quæ alios proditæ conſcientiæ, alios oblatæ fratribus offenſionis reos faciat. Nil neceſſe eſt ad iſta remedia confugere, cùm uſitata & trita longè tutiora & utiliora ſint. Fruantur jure communi Theologi. Liceat ipſis ſuum erga Conſtitutiones Apoſtolicas obſequium eo modo teſtari, quo adhucuſque Theologi teſtati ſunt, & omnes illicò turbæ conticeſcent.

Tacere liceat; nulla libertas minor A Rege petitur;

Nec minoris Eccleſiæ tranquillitas conſtare poteſt, quàm quæ conceſsâ ſilendi libertate paratur. Hæc ſtabilis pacis conſtituendæ certa, legitima, expedita via eſt, ad quam ineundam Eccleſiæ Principes, non Apoſtoli modò præcepta & Summorum Pontificum exempla, ſed humana etiam prudentia hortatur & invitat. Ejuſmodi enim diſſentiones contentionibus gliſcunt & augentur, ſilentio reſtringuntur & exoleſcunt. Itaque niſi eſſent qui invidioſis clamoribus has turbas quotidie ſuſcitarent, jamdiu eorum

vel

vel memoria ſepulta eſſet. Habes, Illuſtriſſime Antiſtes, omnes ſenſus meos liberè & ſimpliciter, ut apud amantiſſimum Fratrem, expoſitos & effuſos. Cautior apud alios fortaſsè fuerim; ſed apud Te quicquam, non dico diſſimulare, quod adversùs neminem poſſem, ſed reticere, mihi religioni foret. Ex his, quid ad Dominum Crevæum ſcribendum ſit, pro tua prudentia conſtitues. Illud breviter & verè confirmare potes, me & benevolentiæ ipſius ſummas gratias agere, & in fide omnia ponere. In ſummum verò Pontificem, ſic affectum eſſe, ut excepto illo, quò me conſcientiæ teneritudo, vel illo judice, vetat adduci, quòdque à Catholicis Theologis nec exigi, nec præſtari ſolet, nihil eſſe quod ad meam in Apoſtolicam Sedem reverentiam & obſequium teſtificandum facere defugiam. Datum 7. Cal. Februarii 1660.

ANTO-

ANTONII ARNALDI
THESES THEOLOGICÆ PRIMÆ IN SORBONA PRO TENTATIVÆ ACTU
Coram Illuſtriſſimis Eccleſiæ Gallicanæ Patribus defenſæ.

ECCLESIÆ GALLICANÆ PATRIBUS CONGREGATIS.

CÆleſtis Sponſæ delicias, inviſibilem Angelorum naturam, & ipſum ineffabilem effari cogitanti, Amicos Sponſi, viſibiles Angelos, Synagogam Deorum liceat appellare. Veſtri muneris eſt (Reverendiſſimi in Chriſto Patres) *humanâ pluſquam munificentiâ divinæ ſcientiæ theſauros populis aperire: veſtræ ſollicitudinis, incorruptum Chriſti verbum ſicut à majoribus accepiſtis, ita poſteris tradere: veſtri Ordinis, orta ex abyſſi tenebris errorum monſtra invicto Spiritus gladio debellare. Confugiunt igitur ad Diſpenſatores Myſteriorum Muſæ ſanctiores, viva Dei viventis Oracula Theologia conſulit, & præliatura Veritas in auxilium invocat Duces militiæ Domini exercituum. Fidei conſummator Jeſus ſanctificandis vos Fidelibus præpoſuit ad conſummationem Sanctorum; qui venit miniſtrare, præfecit vos Gregi ſuo in opus miniſterii; ædificans Jeruſalem Dominus conſtituit vos ſpirituales Architectos in ædificationem Corporis ſui. Quid plura? Quos adoptat Pater, paſcit Filius, ungit Spiritus, ita cœleſti veſtræ legationi ſubjecti ſunt, ut miro prorſus divinorum munerum conſortio Patres filiorum Dei, Paſtores ovium Chriſti, Doctores diſcipulorum Unctionis, mereamini nuncupari. Addine poteſt aliquid tam ſingularibus ornamentis? Vos Reipublicæ Chriſtianæ in ea terrarum portione Principes, quæ totius orbis conſenſu Chriſtianiſſimæ nomen obtinuit. Vos ejus Eccleſiæ digniſſimi Moderatores, quæ tot Hæreſeon facibus exſtinctis, tot impiorum oppreſſis conatibus, errorum victrix, exterminatrix ſcelerum, antiquam ſimul doctrinam & pietatem Cœlo conſpirante ſemper retinuit, & glorioſiſſima fœcunditate terram toties Fidelibus, & Cœlum Electis implevit. Rapit itaque vel invitum ipſa clariſſimi Conventus Dignitas in admirationem ſui, & quamvis nefas videri poſſit, publicis Regni rebus invigilantes oculos aliò avocare, fas ſit tamen ſacræ ſapientiæ in auguſto Conſeſſu Eccleſiæ Majeſtatem, in Gallicis Comitiis Galliarum ſplendorem, in Præſulibus Illuſtriſſimis Sacerdotii Regalis amplitudinem, in ſpectatiſſimis viris ſuſpiciendam virtutem quantâ poteſt honoris teſtificatione venerari.*

QUÆ-

QUÆSTIO THEOLOGICA.

Quænam eſt Sponſa Uxor Agni? Apoc. 21.

CIvitas ſancta Jeruſalem, deſcendens de Cœlo à Deo, habens claritatem Dei: Societas Sanctorum, quam Agnus ſuo ſanguine ſibi acquiſivit in ſponſam: Eccleſia Primitivorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, quos non ex operibus, ſed in laudem gloriæ Gratiæ ſuæ elegit Dominus in hæreditatem ſibi. De his ſolis intelligi quod ait Apoſtolus, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, exiſtimaſſe videtur Auguſtinus, & cum eo Synodus Afrorum Epiſcoporum in Sardiniâ exulantium, & Eccleſia Lugdunenſis eo tempore, quo ſuo Præſule Remigio præſidente, Concilium VALENTINUM adversùs eos habitum eſt, qui ſub fictitiæ Prædeſtinatianorum hæreſeos nomine Auguſtinum ipſum damnaſſe videbantur. Illi ſunt ſecundùm propoſitum vocati, quorum nullus non venit, quia ipſa vocatio (quæ non actus vitalis, ſed ejus cauſa eſt, nec addicta ſcientiæ mediæ, ſed Omnipotenti Voluntati ſubnixa) dat aures audientes & ſpiritum novum. In illis Deus operatur, & illos prævenit, primum ſalutis deſiderium etiam liberum inſpirando: cum illis cooperatur & illos ſubſequitur, primam illam voluntatem ulteriùs promovendo. Abſit verò ut libertatem auferat Liberator. Tantò illa major eſt, quantò minùs peccato ſervit, nulliſque vinculis violatur, cùm rebus omnibus inferioribus ſoluta, immobiliter adhæret Domino Deo ſuo.

DEſcendit de Cœlo à Deo Civitas Juſti, Urbs fidelis; quia fides, oratio, charitas, perſeverantia, quibus illa ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, deſurſum ſunt deſcendentia à Patre luminum, & nemo habet de ſuo, id eſt ſine Dei Gratiâ, niſi mendacium & peccatum. Liberi præcipitatricem arbitrii, & adverſus Dei dona ſuperbè ſe efferentem peſtilentiſſimam Hæreſeon, à Rufino conceptam, à Pelagio Cæleſtióque formatam, à Juliano pertinaciſſimè defenſam, tribus potiſſimùm de cauſis execrandam cenſuit Eccleſia. Primò, quòd originale peccatum; Secundò, quòd Gratiam & ad ſingulos actus neceſſariam & gratuitam; Tertiò, quòd quemvis hominum in hac vitâ peccatorem auderet inficiari. Alia etiam huic Hydræ minutiora capita: Adamum, ſive peccaſſet, ſive non peccaſſet, moriturum fuiſſe: naturale bonum eſſe libidinem: legem mittere ad regnum, ut Evangelium: ignorantiam non ſubjacere peccato: divites ſalvari non poſſe, niſi boni

bonis omnibus in pauperes ſimul erogatis. In hac ſanandâ peſte multum Ecclesiæ Gallicanæ debet Catholicus Orbis, tum propter Herotem & Lazarum delatores Pelagii; tum propter Hilarium & Proſperum acerrimos Auguſtini defenſores; tum denique propter Germanum Altiſiodorenſem, Lupum & Severum Trecaſſenſes Epiſcopos, renaſcentis in Britanniâ luis hujus expurgatores, celeberrimámque Synodum Arausicanam erroris illius radicitùs exſtirpatricem.

INduere veſtimentis gloriæ tuæ, Jeruſalem Civitas Sancti, quia non adjiciet ultrà ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus, ſed omnis qui non eſt inventus in Libro Vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Hîc infantes Sacramenti regenerationis expertes, quorum licèt multi ne ſalvi quidem eſſe potuerint, amiſſæ tamen felicitatis vero dolore afficiuntur. Hîc Gentiles, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & Creaturæ potiùs quàm Creatori ſervierunt, quorum tota vita peccatum eſſe viſa eſt Auguſtino & falſa virtus, etiam in optimis moribus. Hîc quos vetus Teſtamentum in ſervitutem genuit, occidente litterâ, non vivificante Spiritu. Hîc quicumque ſine expreſſâ fide Incarnationis Chriſti, Creatoris adoratores ſibi viſi ſunt: quantò magis qui vocatus ad Agni nuptias factúſque Chriſtianus, in vitæ veſperâ, cùm ventum fuerit ad Cœnam, non habuerit veſtem nuptialem, illud ſcilicet Spiritus donum, quod non imputatio alienæ juſtitiæ, ſed ſemen quoddam incorruptibile eſt, à charitate indiſtinctum, quo facti in Chriſto nova Creatura, divinæ recipimus naturæ conſortium. Illi omnes ſupremi Judicis, peccatorum vindicis, non authoris, inſcrutabili ſeveritate dimittuntur ingredi vias ſuas, quia vaſa ſunt iræ apta in interitum, ſemen nequam, filii ſcelerati.

QUid eſt Iſraël quod deputatus es cum deſcendentibus in infernum? Dereliquiſti fontem ſapientiæ, & in prævaricante capite meritò prævaricatrix origo damnata eſt. Fecit enim Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: ad imaginem per naturam, ad ſimilitudinem per gratiam; nec eum condere videtur potuiſſe ſolius naturæ donis ornatum, vel ad alium quam ad quem creatus eſt finem. Conſtituit eum in Paradiſo voluptatis, circa Meſopotamiam, ut veriſimile eſt, conſtituto, ubi nuptiæ ſine libidine, nuditas ſine pudore, pax animi ſine diſſidio, vita ſine exitio, donec per antiquum ſerpentem ſeductâ muliere, non ſeductus ipſe, ſed excæcatus ſuperbiâ primus Parens, ſponſionem fecit cum morte, & in terrâ poſuit regnum Inferorum. Indè totus ſecundùm corpus & animam in deterius homo commutatus. A plantâ pedis uſque

ad

ad verticem non eſt in eo ſanitas, vulnus & livor & plaga tumens, peccatum, mortalitas, concupiſcentia. Abeant Manichæi & Pelagiani, utrique ab ægroto medicum arcentes, hi dum ſanum profitentur, illi dum inſanabilem. Adſit miſericors Samaritanus, qui ob hoc ſolùm venit, ut alligaret vulnera ſemivivi, utque factus in Caput Anguli, ex electis lapidibus Judæi Gentiliſque parietis ædificaret muros Jeruſalem.

JEruſalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum, per intuitum & fruitionem; ſumma quippe felicitas, Deum amantem redamare, proximè videre quem diligas, inacceſſibilem nativis cujuſcumque Creaturæ viribus, & inviſibilem oculis corporis etiam ſpiritalis Majeſtatem, lumine Gloriæ tanquam impreſsâ ſpecie conſpicuam exhibente. Utrùm hac qualitate deſtitutus intellectus, cum majori cœlitùs auxilio viſionem Dei profundere poſſit, neutrâ ex parte ſatis certum ducimus: non inficiamur tamen, à ſolo Deo productâ viſione divinam Eſſentiam videri poſſe; poſſibilem hanc eſſe feliciſſimam humanæ mentis contemplationem ratio demonſtrat. Inæqualis pro luminis inæqualitate Sanctorum cognitio, ſed incomprehenſibilem nulla comprehendit. Qui videt Filium, videt & Patrem: qui videt Unum, videt & Trinum: an id tamen neceſſe ſit, probabiliter utrimque diſputatur. Conſpiciuntur in Verbo res creabiles & creatæ, quod, ſi lubet, & omnes repræſentat, & nullas. Nec aliter ipſe Deus, quàm in fonte totius eſſe, derivatos à ſe rivulos contemplatur, cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, ſcientiâ potiùs præſentium, quàm præſcientiâ futurorum, quia ejus æternitati nihil futurum. Immutabilis, mutans omnia, eo quo ſeipſum amat affectu, ita Creaturas decernens, ut omni decreto carere potuerit, adeò ſui ſolius eſt, & hoc omne quod ſunt omnia.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, in Monte ſancto ejus, quia videbuntur bona Domini in Terrâ viventium, & ab humanis abſcondita ratiociniis Trinitatis arcana revelatâ facie conſpicientur in Sion. Deus Unitas, ſed Ter ſubſiſtens, nec à ſubſiſtentium Trinitate deſtructa, ſed adminiſtrata. Una in hoc Myſterio Eſſentia, duæ Proceſſiones, tres Proprietates, quatuor Relationes, quinque Notiones. Antiquus dierum, totiúſque Deitatis fons Pater divinus, ex fœcundâ rerum omnium ſcientiâ tam contingenti quàm neceſſariâ profert Verbum, exprimit Imaginem, parit Filium, quem Unigenitum in ſinu Patris, Fides exhibet, ratio non demonſtrat. An fortè quia procedit ut natus, Spiritus ſanctus ut datus? An quia Filius nullus amborum niſi Patris & Matris? An

quia

Quia Verbum Principium de Principio, & Autoris ſui fœcunditatem referens? An denique quia ratio conſtitutiva Divinitatis ſapientia eſt, ac proinde origine ſimilior Patri Filius, quàm Spiritus, cùm Deus de Deo ſit, & Sapientia genita de Sapientiâ generante? Hæc ſufficiant non nimiùm curioſis, donec intremus in Sanctuarium Dei, & appareat Gloria Domini cunctis filiis Iſraël.

FLuminis impetus lætificat Civitatem Dei, perfecta ſcilicet Spiritus inhabitatio, qui fluvius eſt aquæ Vitæ, procedens de ſede Dei & Agni. Hunc concors Patris & Filii dilectio, quæ creata ſimul & increata complectitur, ita producit, ut ſi à Patre ſolo procederet, a Patre etiam ſolo diſtingueretur. Principium perſonæ productivum, putà Filii, mens Paterna, id eſt Eſſentia Relationi juncta, productio verò ſola Relatio. Ea eſt hujus Myſterii inſcrutabilis altitudo, ut nec de vocibus ipſis conveniat inter prudentes Eloquii Myſtici. Hypoſtaſis veteribus modò unica, modò triplex, ſed hoc poſterius Eccleſiæ uſus tandem obtinuit. Subſiſtere, modò abſolutum, modò relativum, quibuſdam recentioribus utrumque; probabilius tamen relativum ſolùm eſt. Perſona nunc Relationem præcipuè ſignificat; Beato tamen Auguſtino ſecundùm ſubſtantiam dicitur, ita ut Pater eo perſona ſit, non quo Pater eſt, ſed quo eſt, & idem omninò ſit, eſſe perſonam & eſſe Deum. Æternam Perſonarum Proceſſionem ſubſequitur Miſſio temporalis, ubi vel viſibiliter in ſpecie aut indutâ aut aſſumtâ, mortalium oculis manifeſtantur, vel inviſibiliter in mentibus noſtris incipit inhabitare virtus Chriſti ſecundùm Spiritum ſanctificationis.

COeleſtis Jeruſalem Civitas Regis Magni, non ſolùm eſt Tabernaculum Dei cum hominibus, ſed & multorum millium Angelorum frequentiâ coronata: quos tot in viâ ſalutis naturæ Gratiæque munera diſcreverant, eos in patriâ pacis feliciſſimâ ſocietate conjungit. Conditor univerſorum ſimul cum Mundo viſibili fecit Angelos ſuos ſpiritus, immortali ſubſtantiâ æternumque duraturâ, cum quadam licèt ſucceſſione loco non additos, ſed pro nutu corporibus affixos, ferri faciles, vel in momento & ad diſtans intervallum, movendis, induendis, & obſidendis corporibus apprimè idoneos, licèt nec pulcherrimum Mundi ordinem violare; nec accuratum tactus judicium fallere, nec opera vitæ exercere poſſint: eâ denique ſapientiâ præditos, ut ingenitis ſibi rerum imaginibus omnia naturæ arcana; quæ ſtatas habent cauſas, penitiſſimè perſcrutentur; quamvis fatendum ſit, futurorum contingentium & cogitationum cordis notitiam ſoli Deo revelanti Myſteria, & ſcrutanti renes, eſſe reſervatam

MUltiformis Sapientia Dei diſpari longè forte ſuper homines & Angelos, abundantes Gratiæ ſuæ divitias effudit. Dedit namque Deus Angelis omnibus (ſicut & primo homini) creatis in juſtitiâ & ſanctitate veritatis, poſſe perſeverare ſi vellent; ut autem vellent, in eorum libero reliquit arbitrio; dedit Chriſtus Electis ſuis etiam ut vellent, nec modò perſeverantes eſſe poſſent, ſed & nonniſi perſeverantes eſſent. Unde ad vitam Prædeſtinatio his donum Gratiæ, illis meriti merces. Supremus Angelorum plenus ſapientiâ & perfectus decore, per elationem quâ ipſe ſibi ad beatam vitam ſufficere vellet, dedit cor ſuum quaſi cor Dei, factúſque rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, projectus eſt cum ſociis ſuis, tum in aëris hujus caliginem, tum in ſtagnum ſulphuris, etiam ante judicii diem devorante flammâ cruciandus. Beatorum verò Spirituum, qui ſtantes in veritate, cum Dracone pugnaverunt, præſtantiſſimus Michaël: unde, ſicut quondam Populo Judaïco, ita nunc Eccleſiæ Chriſti præpoſitus creditur, ut quemadmodum ſingulorum hominum cuſtodes ſinguli, ſic ille Domûs Dei, Congregationiſque Sanctorum in his diebus afflictionis protector aſſiſtat, donec in conſummatione ſæculi, devictis Inferis, Orbe ſubdito, noviſſimâ morte deſtructâ, triumphantem deducat ad Sponſum ſuum *Sponſam uxorem Agni.*

Has Concluſiones, Deo duce, & Præſide S. M. N. Stephano Tonnelier *ſacræ Theologiæ Doctore Navarrico, & ſancti Euſtachii Paſtore vigilantiſſimo, propugnare conabitur* Antonius Arnauld *Pariſinus, die* 14 *Novembris anno* 1635. *à meridie ad veſperam,* in exterioribus Sorbonæ Scholis.

THE-

THESES THEOLOGICÆ DE GRATIA

Pariſiis in Regia Navarra pro Tentativa propugnatæ Die 8. Februarii 1640.

QUÆSTIO THEOLOGICA.

Quis eſt ille in quo omnes peccaverunt? Roman. 5.

PRimus Adam, qui in ſtatu juſtitiæ originalis ita creatus eſt, ut eum alio modo creari non decuerit. Ea eſt enim hominis conditio, ut cum donis ſupernaturalibus produci convenientiſſimum fuerit. Rectus ab initio conſtitutus eſt, nullo libidinis motu animum ejus perturbante, nullâ membrorum lege legi ſpiritus reſiſtente. Deum noſſe & illi cum voluptate ſervire, vera ejus vita, & egregium fuit ejus nativitatis ornamentum. Sed quantò plura fuerunt in eo per gratiam Dei juſtitiæ dona, tantò brevior fuit per crimen ejus illorum duratio; Non quod adjutorium non haberet, in quo poſſet perſeverare ſi vellet, ſed quia tale non obtinuit, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Cùm ex origine ſua voluntatem haberet fortem & ſanam, innatis concupiſcentiæ libidinumque motibus nullatenùs agitatam, quæ non peccare poſſet & non mori; libero tamen hujus voluntatis arbitrio ita per inobedientiam ſuperbiamque peccavit, ut immortalitatem & innocentiam cum inſuperabili naturaliter mortis & peccati neceſſitate commutaret.

NOn ſibi ſolùm peccavit Adam, ſed illis omnibus qui ex ipſo procreati ſunt: cùm potentiſſimus rerum Arbiter ita voluit eum totius humani generis perſonam gerere, ut in ejus voluntate, noſtras omnium voluntates inculpato fœdere concluderet: ex quo ſicut obedire laudabiliter per obedientiam tutoris noſtri potuimus; ita damnabiliter ejus peccato cecidimus. Ex illo ruere & in miſeriam nativitate antiquiorem referri ſpes hominum, fractæ vires, averſa Dei mens. Non ideò nobis nocuit peccatum originale, quòd ad juſtitiam ſupernaturalem ex gratuitâ Dei ordinatione deſtinatos ad ſtatum merè naturalem dejecerit: ſed quia inde tanta nos pervaſit naturæ depravatæ corruptio, ut malè dicatur miſeria, per

quam indebitis ſpoliamur, ſed vera dicenda ſit culpa, per quam ſpoliari meremur; per quam ignorantiæ, infirmitati, libidinique ſubjicimur; per quam mitiſſimæ quidem, ſed veriſſimæ ac æternæ damnationi addicimur.

IN illâ peccati originalis maſſâ potuit Deus omnes homines juſtiſſimè relinquere, nec haberet propterea unde conquereretur genus humanum: miſericordia tamen ita juſtitiæ prævaluit, ut inde aliquos liberaliſſimâ voluntate ſecreverit; & illi ſunt quos omninò nec plures nec pauciores ad vitam prædeſtinavit æternam. Prædeſtinationem illam nulla præceſſit meritorum præviſio, nulla adjuvit conditionatorum ſcientia; ſed Deus unicâ voluntate ſuâ fretus, electæ gentis numerum potentiſſimè definivit, nec libertatem liberalitate ſuâ nobis abſtulit; ſed conceſſit. Apage ergo conſenſus noſtri præviſionem. Apage cognitionis mediæ ſpeculam, ſine quâ Deus aut ſalutem noſtram, aut ſalutis meritum deſtinare non poſſit. Apage hominis voluntatem, quæ Divinæ voluntati reſiſtat. Ex illis quos Pater Filio dedit, nullus auferet ei quemquam. Prædeſtinatio enim eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.

QUos Deus prædeſtinavit, hos & vocavit, non qualicumque vocatione, ſed eâ quæ eſt ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, à quâ nullus eſt, quamtumvis motus & excitatus, qui non poſſit diſſentire, ſi velit: ſed ita in manu Dei ſunt hominum & corda & voluntates, ut miſericordiſſimè faciat nè ſuorum quiſquam diſſentire velit. Falſum eſt ex duobus æqualiter vocatis alium conſentire, alium diſſentire: gratia enim actualis, quæ vocatio rectè nuncupatur, non ita diverſis hominibus eadem cum indifferentia tribuitur, ut quam ille rejecerit, iſte recipiat. Multò minùs ſe habet ut cauſa partialis, quam unus coagendo reddat efficacem, alter negligendo ſufficientem: Sed internum eſt Dei adjuvantis & excitantis auxilium, in omnibus quibus conceditur ſemper efficax, non arbitrio noſtro ſubjectum, ſed arbitrium noſtrum Deo ſubjiciens. Quid ergo? Nunquid efficax eſt gratia, quia voluntati noſtræ contemperata? Abſit. Vera gratia, ſemper temperamento veteri contraria, novum potiùs temperamentum eſt: quid enim, niſi corruptio & improbitas, peccatoris ingenio contemperatum?

ILla gratiæ Chriſti vocatio nihil eſt aliud, quàm beneficium Dei, quo bonum occurrit quod delectet, & delectat cùm occurrerit. Quæ duo, ita ſimul conjunguntur, ut nihil voluntatem delectet, niſi quod intellectui per cogitationem occurrerit, & ſi quid per cogitatio-

ſitationem ſine delectatione occurrat, non ſit vera Chriſti gratia, ſed vel manifeſtatio legis, vel doctrinæ revelatio, gratiam oſtendens, non exhibens; prævaricationem præcepti, non obedientiam mentis, inducens. Hæc gratia modò ſolùm eſt Operans, modò etiam Cooperans: Operans, quando dat ut velimus; Cooperans, quando dat ut tantum velimus, quantum ſufficit ut agamus: Præveniens, quæ nos prævenit ut velimus; Subſequens, quæ ſubſequitur, ne fruſtra velimus. Alia item gratia dici poteſt Efficax, alia Inefficax: non quòd illa ſuum ſortiatur effectum, iſta nequaquam; ſed quia gratia Efficax ad opus deſtinatur, ſecùs Inefficax. Diſtingui etiam poſſet in internam & externam; ſed illa diviſio beneficia quidem diſtinguit indebita, non autem gratiam Chriſti propriè dictam.

QUanta fuit peccati corruptio, tanta eſt gratiæ actualis neceſſitas. Sine illa nihil habemus, niſi peccatum & mendacium: intellectus errori, voluntas infirmitati obnoxia: ſine illâ nullam poſſumus tentationem vincere, ſine illâ nihil poſſumus benè agere, imò nullatenus in bono perſeverare, nedum à peccato reſurgere. Omnis enim actio voluntaria neſcio quid peccati redolet, niſi fidem habeat pro radice, & pro principio veram Dei dilectionem in pauciſſimis perfectam, in pluribus provectam, in omnibus benè agentibus inchoatam. Ne Camillos ergo, ne Scipiones aut Regulos fruſtrà aggeras, aut nominibus illorum, tanquam in antiqua Romana Curia loqueremur, me putes eſſe terrendum: ne ad ſcholam Pythagoræ provoces vel Platonis. Nec in iſtis eſt juſtitia, quia juſtus ex fide vivit. Sed quamvis ab infidelibus nihil undequaque poſſit benè fieri; tamen ab impiis & peccatoribus non raró bona opera exercentur, cùm in illis lex Spiritus, quamvis infirmior, legi membrorum aliquantùm reſiſtit, & quibuſdam voluntatis imperfectæ conatibus concupiſcentiam effuſæ graſſantiſque libidinis moderatur.

QUos Deus ſecundùm propoſitum vocavit, hos & juſtificavit: Etenim ad ſui amorem, qui vera eſt hominum juſtitia, illos vocavit. Non tamen tanta eſt, aut tam efficax quælibet electorum vocatio, ut ad juſtificationem uſque perducat. Interdum fidem mortuam operatur in nobis, interdum tenuem voluntatis affectum, interdum opera ſanctitatis impetratoria, non condigna. Sed ſi perfecta eſt vocatio, cor noſtrum perfecto Dei amore, qui ſolus perfecta eſt juſtitia, perfectoque ardore dilectionis accendit. Timor divinæ juſtitiæ, dolor de peccato, pudor quo reus ſalubriter ingemiſcit, tantùm abeſt ut naturalia ſint, & prava conſcientiæ terriculamenta; quin veræ ſunt gratiæ, cognitionis, & amoris Dei ſupernaturalis effectus, à principiis eorum rudibus exorti, & ad per-

fectionem eorumdem diſponentes. Non ſolùm ad acquirendam, ſed ad conſervandam juſtitiam requiritur gratiæ excitantis & adjuvantis auxilium; ſed ſicut indebita eſt peccatoribus pœnitentia quâ reſurgant, ſic etiam indebita eſt juſtis gratia quâ perſeverent. Ad ſingulos enim actus requiritur gratia Dei à peccatorum remiſſione diſtincta.

Diſtinguitur etiam gratia Dei à libero corrupti hominis arbitrio, quamvis à verâ hominis libertate non diſtinguatur. Liberum enim hominis arbitrium ad mala quidem ex ſe ſufficiens eſt, ſed nihil valet ad bonum, niſi fuerit per gratiam liberatum: Imò cum gratiâ ſanctificante, ſecluſo actuali auxilio, nihil poteſt bonum exſequi. Triplex eſt libertatis ſtatus: primus eſt libertatis integræ, ſecundus libertatis vulneratæ, ultimus denique libertatis conſummatæ. Libertate integrâ potiebatur Adamus: Naturam enim habuit verè liberam, & facultates nullâ ſervitute impeditas, quamvis adhuc ex ſua conditione defectibiles. Libertate conſummatâ fruuntur in cœlo Beati, per naturam in boni poſſeſſione confirmatam, & facultates à quocumque deficiendi periculo remotas. Libertatem vulneratam obtinent, quorum natura per gratiam habitualem reparata eſt, ita tamen ut in eorum facultatibus ignorantiæ & infirmitatis vulnera aſſiduè ſananda permaneant.

Libertas illa, Juſtificatio, gratiæ actualis Auxilia, non Prædeſtinatis tantùm, ſed multis etiam Reproborum indulgentur. Sola diſcretio à maſsâ peccati originalis reprobis omnibus cum dono perſeverantiæ denegata eſt. Hos enim non vult Deus ſalvos fieri. Et manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt veritati, non intelligere quâ locutione ſit dictum, quòd Deus omnes homines vult ſalvos fieri; cùm tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus ob demerita non vult. Ideò namque hoc dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt. Porrò quæcumque beneficia, ſive per vocationem, ſive per gratiam remiſſionis peccatorum Reprobis Deus impendit, non ipſorum causâ, ſed eorum quos elegit, ipſis conferuntur. Reproborum aliquos ſi Deus indurat, ſi aliquos ad agnitionem veritatis non perducit, ſi à criminibus efficaciter non revocat, non aliundè procedit, quàm ex juſtiſſimo illius judicio, qui ex eadem luti conſperſione, alios vaſa fecit in honorem, alios vaſa in contumeliam, ex quo *In Adam omnes peccaverunt.*

Has Concluſiones, Deo dante, & Præſide S. M. N. Petro Bedacier, *Doctore Theologo, & magno Majoris-Monaſterii Priore, tuebitur* Petrus Darbo *Burdigalenſis, die Mercurii* 8. *Februarii* 1640. A Meridie ad Veſperam.

INDEX

Contentorum in hoc CAUSÆ ARNALDINÆ *Volumine.*

I. ANtonii Arnaldi Doctoris Sorbonici ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum Epiſtola, Quâ ſuæ Sanctitati obtulit ejuſque Judicio ſubjecit ſuam ad quemdam Ducem & Franciæ Parem Epiſtolam II. ex qua notatæ propoſitiones duæ decerptæ ſunt. . . . *Pag.* 1

II. Animadverſiones in ea quæ Acta ſunt in Comitiis Facultatis Theologiæ Pariſienſis, habitis apud Sorbonam die 4. Novembris an. 1655. ſuper eâdem Epiſtola Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici ad quemdam Ducem & Franciæ Parem. 5

III. Antonii Arnaldi Epiſtola ad Sacram Facultatem Pariſienſem in Sorbona Congregandam 1. Decembris anni 1655. 26

IV. Epiſtola & Scriptum Antonii Arnaldi Doctoris & Socii Sorbonici, ad ſacram Facultatem Pariſienſem in Sorbona Congregatam, die 7. Decembris an. 1655. 28

SECTIO I. *Propoſitionem illam autori Epiſtolæ adſcribi non debere, cum Patrum ſit; & quidem ipſorum verbis expreſſam.* 31

SECTIO II. *Explanatur Propoſitio, & omnis offendiculi expers oſtenditur.* 32

SECTIO III. *Nihil videri in propoſitione probè intellecta, quod hæreſeos vel etiam erroris notari mereatur.* 35

SECTIO IV. *Propoſitionem Epiſtolæ à prima Propoſitione damnatâ toto cœlo differre.* . . . 43

V. Scripti Pars altera: De Quæſtione Facti. . . 48

VI. Epiſtola & alter Apologeticus Antonii Arnaldi Doctoris & Socii Sorbonici, ad Sacram Facultatem Pariſienſem in Sorbonâ Congregatam, die 17. Jan. an. 1656. 56

SECTIO I. *Quæ à Diſquiſitoribus vel de induſtriâ prætermiſſa ſunt, vel leviter perſtricta, vel ultro conceſſa, recenſentur.* 58

SECTIO II. *Propoſitio in [illegible], omnis erroris ac hæreſeos expers demonſtratur.* 66

SECTIO III. *De vero Tridentini Anathematis in primæ propoſitionis damnatione memorati ſenſu, ex Cardinalis Bellarmini ſententiâ.* 79

VII. Propoſitiones Theologicæ duæ, de quibus hodie maximè diſputatur, clariſſimè demonſtratæ. 94

VIII. Vera S. Thomæ de Gratia ſufficiente & efficaci Doctrina

ctrina dilucidè explanata. Autore Antonio Arnaldo Doctore & Socio Sorbonico. 107

Articulus I. *Duplex auxilium gratiæ: Habituale donum, & Auxilium Dei moventis.* 108

Art. II. *Vox gratiæ apud S. Thomam pro habituali dono ſumi ſolita.* ibid.

Art. III. *Quid ſit Gratia habitualis.* 109.

Art. IV. *Gratia habitualis naturam ſanat, elevat, dat poſſe mandata implere, & peccata vitare.* 110

Art. V. *Cujuſmodi ſit ea poteſtas mandata implendi & peccata vitandi, quam dat gratia habitualis.* 112

Art. VI. *Non poteſt juſtus operari bonum & vitare peccatum ſine novo auxilio Dei moventis.* 113

Art. VII. *Indiget juſtus ad perſeverandum, ut perſeverantia ei à Deo detur.* 114

Art. VIII. *Poteſt ſemper juſtus, & aliquando non poteſt, diverſo ſenſu. Aptiſſima in eam rem Anguſtini comparatio.* 115

Art. IX. *Quid ſit auxilium Dei moventis. Numquam eſt ſine actu vel intellectus vel voluntatis.* 116

Art. X. *In quo conſiſtat auxilium Dei moventis, ex diviſione gratiæ in operantem & cooperantem maximè illuſtratur.* 117

Art. XI. *Auxilium Dei moventis ſemper efficax illius effectus ad quem à Deo ordinatur.* 119

Art. XII. *Ex dilectione Dei, quæ ſemper in homine efficit id quod ei vult Deus, eadem divinæ motionis efficacia demonſtratur.* 120

Art. XIII. *Habet illud auxilium neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis.* 121

Art. XIV. *Infallibiliter Deum diligit, quem movet Spiritus ſanctus ad diligendum Deum.* 122

Art. XV. *Prima diverſitas, cur ampliorem alter altero gratiam conſequatur ex Deo variè movente.* 123

Art. XVI. *Quod ad gratiam alter perfectè ſe præparet, alter minùs perfectè, ex vario Dei moventis auxilio repetendum.* 125

Art. XVII. *Quanam ratione auxilio Dei aliquando reſiſtatur, etſi ſemper efficax ſit ex S. Thoma.* 126

Art. XVIII. *Auxilium Dei moventis ad omne prorſus bonum neceſſarium eſt; nullaque ſine illo ad gratiam quantumvis imperfecta præparatio.* 129

Art. XIX. *Sine motione Dei non poteſt homo aliquid velle. Illa verò duplex. Altera univerſalis, altera ſpecialis per gratiam.* 130

Art. XX. *De auxilio Dei moventis intelligendum quod ait Chriſtus:* Sine me nihil poteſtis facere. 131

Art. XXI. *Sine auxilio Dei moventis non modò homo non agit, ſed nequidem agere poteſt.* 132

Art. XXII. *Cur juſtis interdum gratia efficax non detur, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.* 133

Art. XXIII. *Univerſa S. Thomæ de gratiâ doctrina ad ſeptem capita revocatur.* 140

Art. XXIV. *Explicatur propoſitio ſecundùm doctrinam S. Thomæ.* 142

IX. Inſtrumentum ſeu Libellus Conteſtatorius 27. Januarii anni 1656. denuntiatus Sapientiſſimis Viris Decano, Syndico & Scribæ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, nomine Sapientiſſimi D. Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici. 145

X. Cenſura Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis, lata in Libellum, cui titulus eſt: *Seconde Lettre de Mr. Arnauld &c.* 150

XI. Joannis Launoii Conſtantienſis, Pariſienſis Theologi, Notationes in Cenſuram duarum Antonii Arnaldi Propoſitionum, quarum una Facti, altera Juris, appellatur. 154

XII. Antonii Arnaldi Doctoris & Socii Sorbonici Epiſtola Apologetica ad quemdam Epiſcopum prima, quâ omnium à ſe actorum ab ipſo Comitiorum Sacræ Facultatis Theologicæ exordio uſque poſt diſcuſſam Facti quæſtionem, rationem reddit. 196

XIII. Antonii Arnaldi Doctoris & Socii Sorbonici Epiſtola ſecunda Apologetica ad quemdam Epiſcopum, quâ ſuam agendi rationem, circa Quæſtionem Juris, ab omni probro vindicat, & iniquas Adverſariorum molitiones arguit. 216

XIV. Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici ad quemdam Epiſcopum Epiſtola Apologetica Tertia, quâ Propoſitionis, à Theologicæ Facultatis parte damnatæ, veritatem aſſe- [illegible] 235

XV. Ad Henricum Holdenum Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem, Ant. Arnaldi Doctoris Sorbonici Epiſtola. 254

XVI. Dissertatio Theologica Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici, Super illa Propoſitione SS. Chryſoſtomi & Auguſtini: Defuit Petro tentato Gratia ſine qua nihil poterat, Quadripartita, in qua exhibetur norma tum loquendi, tum ſentiendi, circa poſſibilitatem Præceptorum, & Gratiæ efficacis neceſſitatem. 261

Præfatio. In qua ſcriptionis occaſio, conſilium, & partitio, declarantur. 266

Dissertationis Pars Prima.

In qua Auguſtinianæ Propoſitionis veritas totius Traditionis auctoritate roboratur.

[illegible] *ad illam rectè intelligendam neceſſaria.* 269

Art. II. *Verus & præciſus Propoſitionis ſenſus oſtenditur.* 272

Art. III. *Senſum catholicum ſuperiùs expoſitum controverſæ propoſitionis verbis rectè exprimi potuiſſe, oſtenditur primùm ex Scripturis.* 273

Art. IV. *Eadem locutio ex Summi Pontificibus aſſeritur.* 276

Art. V. *Quod à Conciliis definitum eſt, Sine gratiâ nihil boni fieri poſſe, ab iiſdem Conciliis de gratia efficaci intellectum eſſe.* 279

Art. VI *Auguſtini auctoritate confirmatur, quod fide tenemus, Sine gratiâ nihil fieri poſſe, de gratiâ efficaci eſſe intelligendum.* 286

Art. VII. *Idem fidei dogma*; Sine gratiâ nihil fieri poſſe, *ab iis Patribus, qui poſt Auguſtinum adversùs Semipelagianos ſcripſerunt, de gratia efficaci ſemper intellectum eſſe.* 293

Art. VIII. *Sancti Thomæ aliorumque tum veterum tum recentiorum ſcholæ Doctorum auctoritate eadem veritas confirmatur.* 298

Art. IX. *Eadem locutio recentiorum Thomiſtarum auctoritate aſſeritur, qui falsò ipſius inſectatores habentur.* 301

Art. X. *Eccleſiam in ſuis precibus id tantùm petere quod non poſſit; neque tamen aliam à Deo gratiam petere quàm efficacem.* 305

Art. XI. *Primæ Partis Concluſio.* 307

Dissertationis Secunda Pars.

Quâ conciliatur illa Sanctorum Patrum locutio: *Sine gratiâ efficaci nihil fieri poteſt*; cum illorum Thomiſtarum doctrinâ, qui gratiam efficacem non ad poſſe, ſed ad velle neceſſariam ſtatuunt. 311

Art. I. *Scopus & conſilium Secundæ illius partis aperitur.* ibid.

Art. II. *Conſenſio & diſſenſio Thomiſtarum inter ſe breviter aperitur.* 312

Art. III. *Exponitur & ſolvitur quæſtio, ex duplici acceptione vocis* poſſe *ab Alvare traditâ.* 314

Art. IV. *Uſitatiùs de eo cui deeſt aliquid neceſſarium dici* non poſſe, *quàm* poſſe; *etiamſi illud quod deeſt ad potentiam non pertineat. Variæ obſervationes circa illorum verborum uſum.* 317

Art. V. *Idem probatur ex præclaro Sancti Anſelmi loco.* 320

Art. VI. *Uſitatiùs dici, Non poſſe videre qui lumine carere ſupponitur, quàm, Poſſe, probatur ex variis locis Patrum: Juſtus autem ſine gratiâ efficaci eſt ſicut oculus ſine luce, ex omnibus Thomiſtis.* 321

Art. VII. *Idem oſtenditur ex adjutoriorum diviſione ab Auguſtino traditâ libro De geſtis Pelagii.* 323

Art. VIII. *Explicatur alia adjutoriorum diviſio ab eodem Auguſtino tradita, & oſtenditur omne adjutorium ſine quo aliquid non*

ſit, eſſe adjutorium ſine quo non poteſt fieri. 325

ART. IX. *Affertur neceſſarii definitio ex S. Thomâ, & demonſtratur ex illa, ſine gratiâ efficaci nihil fieri poſſe: quam demonſtrationem non convelli reſponſione clariſſimi Theologi, quamvis ſubtiliſſimâ, declaratur.* 327

ART. X. *Colliguntur in ſummam quæ hac ſecunda parte confecta ſunt, & ſuppoſitâ gratiæ efficacis neceſſitate reliquas de propoſitione meâ contentiones planè abſurdas & ridiculas eſſe oſtenditur.* 329

DISSERTATIONIS TERTIA PARS.

In quâ incidentes quæſtiones, & à propoſitionis veritate disjunctæ breviter explicantur.

ART. I. *Prima quæſtio: Utrùm gratia efficax det actum primum, an ſecundum; poſſe, an tantùm velle & agere; explanatur quæſtio & dividitur.* 332

ART. II. *Gratiam efficacem, quatenùs eſt principium bonæ voluntatis, ab aliis in miſericordia Dei & formâ inhærente conſtitui, ab aliis in ſolâ miſericordia Dei, quæ interiùs motum mentis operatur.* 333

ART. III *Qui gratiam efficacem formam inhærentem eſſe volunt, quæ ſit principium bonæ voluntatis, conſequenter dicere debere, Gratiâ efficaci non dari tantùm actum ſecundum, ſed etiam primum; ſive, quod idem eſt, complementum actus primi.* 336

ART. IV. *Gratiam efficacem non pertinere ad actum primum, ſed ad ſecundum, in eorum ſententia, qui illam, quatenus eſt principium bonæ voluntatis, in miſericordia Dei, non in forma inhærente conſtituunt.* 337

ART. V. *Gratiam efficacem reſpectu bonorum operum dare* poſſe, *etſi non ab ipſo* velle *diſtinctum.* 339

ART. VI. *Superioris Doctrinæ quædam maximi momenti conſectaria.* 341

ART. VII. *Secunda quæſtio: An potentia quæ juſtis ineſt ante gratiam efficacem, debeat dici proxima, completa, & expedita?* 343

ART. VIII. *Tertia quæſtio de gratiâ ſufficiente; ſufficientis nomen variè uſurpari p[illegible]* 345

ART. IX. *Sufficientis nomen in alio ſenſu à Patribus acceptum, quàm à recentioribus Thomiſtis vulgò uſurpetur.* 347

ART. X. *Cavendum eſſe ne gratiæ ſufficientis voce ad gratiæ efficacis neceſſitatem avertendum abutantur Moliniſtæ.* 349

ART. XI. *Sufficientis gratiæ nomen Thomiſtico ſenſu uſurpatum habituali gratiæ rectiùs tribui quàm actuali.* 352

ART. XII. *Bono etiam ſenſu gratiam excitantem dici poſſe ſufficientem.* 357

ART. XIII. *Quarta quæſtio: Utrùm ſemper adſit gratia excitans,*

quam Thomiſticè ſufficientem vocant. Accuratiùs explicatur illius gratiæ natura. 358
ART. XIV. Quando admittenda ſit excitans illa gratia. 359
ART. XV. Utrùm adſit in omnibus generatim peccatis gratia excitans, ſive ſufficiens Thomiſtico ſenſu. 361
ART. XVI. De peccatis mortalibus accuratiùs. 367
ART. XVII. Nullam gratiam neceſſariam eſſe ut homini peccatum imputetur. 368

DISSERTATIONIS QUARTA PARS.

In quâ variæ quæſtiones de mandatorum poſſibilitate explicantur.

ART. I. Quam gratiam intellexerit Auguſtinus, ſufficientem an efficacem, cùm in lib. 2 de pecc. mer. & rem. dicit, Voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, poſſe homines in hac vitâ eſſe ſine peccato? 372
ART. II. Auguſtinum hic agere de vitando per totam vitam omni peccato, etiam veniali, quod juſtum omnem poſſe per gratiam ſufficientem ſibi collatam, Tridentina Synodus dici vetat. 373
ART. III. Gratiam, quâ adjuvante ait Auguſtinus hominem eſſe poſſe ſine peccato, efficacem eſſe, & quâ non ſemper homines adjuventur. 375
ART. IV. Idem eſſe Auguſtino, Poſſe hominem eſſe ſine peccato, &, Fieri poſſe ut homo ſit ſine peccato; quod poſtremum ad gratiam efficacem ſine dubio pertinet. 377
ART. V. Hominem vivere ſine peccato, opus eſſe divinum, ideòque poſſibile, quia omnia poſſibilia ſunt Deo. 378
ART. VI. Illuſtrantur varia Auguſtini loca de poſſibilitate præceptorum. 383
ART. VII. DE GRATIA ORANDI. Explicatur nuperum Alphonſi le Moyne ſuper illâ commentum: & ad Propoſitionem controverſam minimè pertinere oſtenditur. 385
ART. VIII. Gratiam orandi omnibus ſemper præſentem malè elici ex illis Auguſtini verbis: Deus jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. 388
ART. IX. Abſurda quædam Molinianæ illius orandi gratiæ conſectaria. 389
ART. X. Inferuntur alia quædam non minùs abſurda. 392
ART. XI. De Concilii Tridentini circa præceptorum poſſibilitatem mente, non una, ſed triplex Catholicorum Theologorum opinio. 393
ART. XII. Alvareſianus ſenſus nihil officit controverſæ propoſitioni; rejicitur tamen ut alienus; Moliniſticus autem, ut falſus. 396
ART. XIII. Bellarmini & Eſtii interpretatio quatuor rationibus confirmatur. 398

Art. XIV. *Totius operis concluſio, in qua turbarum iſtarum origo, & intoleranda Cenſuræ iniquitas paucis aperitur.* 403

XVII. Fratris Joannis Nicolaï Doctoris Theologi Pariſienſis, & apud Prædicatores Primarii Regentis, Moliniſticæ Theſes Thomiſticis notis exſpunctæ. 1656. 407

Appendix, ſeu F. Joannis Nicolaï calumniarum ſpecimen ex Libello cui titulus, *Cenſorium Suffragium.* 438

Calumnia I. *In præſumtione Petri nullum ab Arnaldo peccatum, ne veniale quidem admitti.* ibid.

Cal. II. *Deſertionis cauſam ex Arnaldi ſententiâ non Petro, ſed Deo adſcribendam.* 439

Cal. III. *Non propter præſumtionem Petrum à Deo deſertum eſſe.* 440

Cal. IV. *Petro impoſſibile fuiſſe ne non caderet: nullam habuiſſe poteſtatem ad vitandum peccatum.* 441

Cal. V. *Petri caſum ex infirmitate, ex vitio, ex timore non accidiſſe.* 442

XVIII. Vindiciæ Sancti Thomæ circa gratiam ſufficientem. Adversùs P. Joannem Nicolaï Ordinis Fr. Prædicatorum & Doctorem Pariſienſem. 443

Præfatio. In qua quædam generaliter de toto P. Joannis Nicolaï ſcripto præmonentur: atque hujus Operis argumentum & partitio exponuntur. 445

Sectio I. *In quâ ex iis locis in quibus S. Thomas docet, Deum, quantùm in ſe eſt, omnibus gratiam dare, gratiam actualem, ſufficientem dictam, omnibus non dari oſtenditur; & omnia ejuſdem Sancti teſtimonia à P. Nicolaï* 1. *&* 2. *Claſſe relata exponuntur, & à pravo ſenſu illis per eum affictio vindicantur.* 461

Art. I. *In quo exponitur illud S. Thomæ teſtimonium in* 12. *ad Hebræos à Patre Nicolaï* 1. *Claſſe relatum:* Gratia nulli deeſt; ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat, *&c. Oſtenditurque eo in loco S. Thomam expreſſè docere, gratiam actualem ſufficientem omnibus non dari.* 462

Art. II. *In quo exponitur illud teſtimonium l.* 3. *contra gentes c.* 159. Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, *&c. Pariterque oſtenditur, S. Thomam hoc loco expreſſè docere, gratiam ſufficientem omnibus non dari.* 465

Art. III. *In quo ſolvuntur argumenta, quibus P. Nicolaï probare nititur S. Thomæ teſtimoniis ſupra allatis gratiam ſufficientem aſtrui.* 468

Art. IV. *In quo pleniùs exponitur & confirmatur horum verborum ſenſus*, Gratia, quantùm in ſe eſt, omnibus ſe communicat; ſicut nec ſol deeſt oculis cæcis; *ac*, Deus, quàntùm

tùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare. 470

ART. V. *In quo exponitur illud teſtimonium*, Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem; *& oſtenditur ex S. Thomæ circa id doctrina, gratiam ſufficientem omnibus non dari.* 476

ART. VI. *In quo exponuntur tria S. Thomæ in Scripturam teſtimonia, & à perverſo Patris Nicolai ſenſu vindicantur.* 481

ART. VII. *In quo exponitur hoc teſtimonium*: Lex nova, quantum eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum; *ac ſatisfit argumentis omnibus, quibus P. Nicolai probare nititur his verbis auxilium actuale, non verò habituale deſignari.* 484

SECTIO II. *In quâ oſtenditur ex iis quæ S. Thomas de poſſibilitate præceptorum docet, gratiam ſufficientem omnibus c[illegible]m non ſolum non aſtrui, ſed etiam rejici; ac teſtimonia à Patre Nicolai tertiâ Claſſe allata exponuntur.* 489

ART. I. *In quo oſtenditur S. Thomam ad poſſibilitatem præceptorum exponendam nunquam ad aliquam gratiam actualem ſufficientem communem recurrere.* 490

ART. II. *In quo oſtenditur, cur juxta S. Thomam nunquam dici debeat, præceptum eſſe impoſſibile; etſi gratia ſufficiens omnibus ſemper non detur. S. Thomæ cum S. Auguſtino, in explicandâ præceptorum poſſibilitate, concordia.* 494

ART. III. *In quo omnia S. Thomæ teſtimonia à Patre Nicolai circa poſſibilitatem præceptorum* 3. *Claſſe relata exponuntur, & à perverſo ſenſu illis per eum affictо vindicantur.* 497

SECTIO III. *In quâ ex iis quæ S. Thomas docet de imputatione peccati, de Voluntate Dei antecedente & conſequente, & de morte Chriſti pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam pretii, gratiam actualem ſufficientem omnibus communem non ſolùm non aſtrui, ſed etiam negari oſtenditur.* 504

ART. I. *In quo oſtenditur S. Thomam nunquam peccati imputationem per gratiam ſufficientem, iis qui peccant ſemper datam, expoſuiſſe.* 505

ART. II. *In quo idem confirmatur ex iis quæ de lege docet* 1. 2. *q.* 98. & 106. *& in Epiſt. ad Rom. ac Patris Nicolai reſponſio refellitur.* 509

ART. III. *In quo referuntur ſenſus omnes ſecundùm quos S. Thomas exponit, quomodo Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ex nullo gratiam ſufficientem communem colligi poſſe oſtenditur.* 519

ART. IV. *In quo exponitur, quid ſit apud S. Thomam voluntas antecedens & conſequens, atque ex voluntate antecedente gratiam ſufficientem omnibus communem aſtrui non poſſe oſtenditur.* 521

ART. V. *In quo oſtenditur ex iis quæ S. Thomas docet de morte Chriſti pro omnibus, quantùm ad ſufficientiam, gratiam ſufficientem communem aſtrui non poſſe.* 529
ART. VI. *In quo oſtenditur juxta S. Thomam Chriſtum nullam voluntatem habuiſſe ſalvandi omnes homines, ex quâ auxilium actuale ſufficiens omnibus commune aſtrui poſſit.* 543
SECTIO IV. *In quâ refertur propria* cauſæ ſufficientis, & gratiæ ſufficientis *apud S. Thomam ſignificatio; ac oſtenditur, omnem actualem Chriſti gratiam ſemper eſſe efficacem, quantùm ad effectum ad quem ex Dei intentione ordinatur; & exponuntur omnia S. Thomæ teſtimonia à P. Nicolai 4. claſſe relata.* 548
ART. I. *In quo refertur propria apud S. Thomam hujus vocis* ſufficiens *ſignificatio, ſive de gratiâ, ſive de quacumque aliare ſermo ſit.* 549
ART. II *In quo refertur & confutatur quod dicit P. Nicolaï de gratiæ ſufficientis & efficacis ſignificatione: efficaciæ paſſionis Chriſti cum efficaciâ gratiæ diſcrimen oſtenditur; & Patrem Nicolai non ſolùm à S. Thomâ, ſed etiam ab omnium Thomiſtarum, etiam recentium, ſententiâ omnino recedere demonſtratur.* 562
ART. III. *In quo exponitur hoc S. Thomæ teſtimonium* 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. Præparatio hominis conſiderata ſecundùm quod eſt à Deo movente, habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, *&c. Et Patris Nicolai in hunc locum reſponſiones omnes confutantur.* 574
ART. IV. *In quo exponuntur quinque S. Thomæ teſtimonia, quibus P. Nicolaï pravam ſuam interpretationem confirmare nititur.* 578
ART. V. *In quo oſtenditur quàm temerè P. Nicolaï Conradi Koellin teſtimonium ad ſuam expoſitionem confirmandam referat, cùm è contrario noſtram confirmet.* 582
ART. VI. *In quo exponuntur omnia teſtimonia quibus P. Nicolaï probare nititur, gratiam Dei non eſſe ſemper efficacem; ac primò circa illud*, Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. 586
ART. VII. *In quo exponuntur teſtimonia n.* 4. *relata. Quid ſit*, Eſſe in naturâ humanâ ut mens non repugnet interiori inſtinctui & exteriori prædicationi veritatis; &, *quid ſit* interior inſtinctus. 587
ART. VIII. *In quo exponuntur duo alia teſtimonia n.* 5. *relata in cap.* 1. *ad Rom. ubi juſtificatio in aliquibus fruſtrari dicitur; & è quæſtione* 24. *de libero arbitrio, ubi peccans in Spiritum ſanctum dicitur operari contra gratiam Spiritus ſancti.* 592
ART. IX. *In quo duo alia teſtimonia ex S. Thomæ Commentariis in Scripturam, ad præſentem quæſtionem pertinentia, à P. Nicolaï* 5. *claſſe relata explicantur. Quæ ſit gratia quâ utimur, vel non utimur.* 596

Sectio V. *De cauſa defectus gratiæ: ubi præſertim de juſtis. Exponuntur S. Thomæ teſtimonia à Patre Nicolai 5. Claſſe relata.* 600
Art. I. *In quo referuntur S. Thomæ teſtimonia, in quibus de cauſâ defectus gratiæ agitur.* 601
Art. II. *In quo oſtenditur ex his teſtimoniis ſequi neceſſariò, gratiam ſufficientem omnibus non dari, nec poſſe ullam hac in re quæſtionem moveri, niſi circa juſtos, eamque circa peccata mortalia facillimè ſolvi, & ad ſola venialia revocari, nec ad Arnaldi Propoſitionem ullo modò pertinere.* 603
Art. III. *In quo oſtenditur, Patrem Nicolaï huic quæſtioni. de cauſa defectus gratiæ circa peccata venialia, reſpondere non poſſe, quin gratiæ per ſe efficacis ad ſingulos pios actus neceſſitatem rejiciat. Ei enim qui illam de gratiâ efficace doctrinam admittat, ad peccatum originale recurrendum eſſe.* 608
Art. IV. *Ex ſancto Thomâ cauſam defectus gratiæ aliquando ad peccatum originale, etſi in baptiſmate remiſſum, referri: nec aliter ejus de Gratiâ & Prædeſtinatione doctrinam exponi poſſe octo argumentis oſtenditur, quorum quinque priora hic proponuntur.* 612
Art. V. *In quo demonſtratur juxta S. Thomam primam cauſam reprobationis hominum eſſe peccatum originale, ſeu maſſam perditionis.* 618
Art. VI. *Poſtrema duo argumenta quibus item concluditur, lapſum juſtorum ad corruptionem naturæ & damnationem originalem ex S. Thomæ doctrinâ meritò referri. Omnimoda S. Thomæ cum S. Auguſtino in hoc capite concordia.* 629
Art. VII. *In quo oſtenditur Conradum Koëllin, à P. Nicolaï laudatum, eodem modo S. Thomam interpretatum eſſe circa cauſam defectus gratiæ.* 635
XIX. Antonii Arnaldi Doctoris Sorbonici Epiſtola, ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Henricum Arnaldum Andegavenſium Epiſcopum, Fratrem ſuum. Quâ accuſationem è judicio Sorbonico petitam depellit, & fidem ſuam circa quinque Propoſitiones exponit, in gratiam Romani cujuſdam Theologi. 639
XX. Ejuſdem ad eundem Epiſtola altera. 645
Antonii Arnaldi Theſes Theologicæ primæ in Sorbona pro Tentativæ Actu, coram Illuſtriſſimis Eccleſiæ Gallicanæ Patribus defenſæ. 651
Theſes Theologicæ de Gratia, Pariſiis in Regia Navarra pro Tentativa propugnatæ. Die 8. Februarii 1640. 657

FINIS.

3848

3848